Digitized by Google

FR. GABRIELIS
A S. VINCENTIO
CARMELITAE EXCALCEATI.

IN TERTIAM PARTEM DIVI THOMAE.

De Sacrosancto Incarnationis Mysterio, & Christi Domini vita.

Opus non tantum Sacræ Theologiæ Magistris, verùm etiam studiosis, ac Concionatoribus perquàm utile.

BEATISSIMO, AC SANCTISSIMO PATRI

CLEMENTI IX.
DICATVM.

R O M AE,

Typis Philippi Mariæ Mancini. M.DC.LXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

BEATISSIMO AC SANCTISSIMO PATRI

CLEMENTI IX.

PONTIFICI MAXIMO,

POST SANCTISSIMORVM PEDVM OSCVLA.

FR. GABRIEL A SANCTO VINCENTIO

Carmelita Excalceatus.

EN P. Sanctissime Liber meus de Verbi Diuini Incarnatione ad Tuos Beatissimos pedes prouoluitur, sub Tuæ Clementiæ auspicijs per sæcula nobilitandus. Tibi vt magno soli prolem meam nuncupatorio affectu deuoueo. Meam etenim oculorum aciem sub in conniuente Tui contemplatione, stupor, non tantum nunc, sed & olim dum adhuc esses in Hispania Nuncius, captiuauit, cum omnes Tua Clementia, & liberalitate, captiuasses. Nec alio patitur degeneri libertate palpe-

bras exerrare, sed ea simul omnia in vno breuiter collecta demirari, quæ plurimos diuisa beauissent. Natura in Te nihil ausa peccare, sed fælici ausu cuncta sua bona syncera liberalitate indulsit, & quasi plenis manibus luxurians, de se veluti triumphauit. Te etiam cæleste numen suis bonis, ac datis nobilitauit, vt tam alta materia de Verbi diuini Incarnatione sub Tua nuncupatione, lucem aspiceret, vt fæliciori stylo in Te meus foetus viueret, quam ego in charta exarauerim. Nec aliter meus iste Liber Orbi poterat apparere, nisi aliquæ ex Tuis laudibus in eius exordio legerentur; quoniam nomen Tuum facilè ei conciliabit publicum fauorem, quo aliquo legentium plausu excipiatur. Alij Tuam memorantur nobilitatem: Alij Tuum stupent ingenium: omnes Tuas recolunt virtutes. Prolixius Te laudarem Pater Beatissime, heros inclite, ab Auis, & proauis, longaque retro serie virorum immortalitate famæ sub Tuo stemmate viuentium, si solidæ Tu laudis egens, aliena fælicitate gloriareris; Tuus namque potissimus decor, non à maiorum imaginibus, quibus luce Tua splendorem addidisti, sed quia omnē Tuæ ætatis florem in bonis artibus, & virtutibus exercuisti, quæ veros Heroes consumant. Hæ tibi ad summum Pontificatum iter aperuerunt. Quod mentis vigore, grandi prudentia, summo consilio,

excelsi animi capacitate moderaris. Qua propter per omnium ora perpetuo volitabis. De te dici merito potest, quod diuina sapientia suum ad ingenium Te finxerit, suisque beneficijs, & ornamentis cumulauerit. Igitur Beatissime Pater hæc qualiacumque libamina meam Tibi fidem, animumque obsequio suo dicatissimum explicantia Clementissimè respicè. Clemens namque es. Nec alio magis titulo meo patrocinaberis Libro, quam quod meam Religionem benigno respicias intuitu. Vale Pater Sanctissimæ, & ad Ecclesiæ bonum, & totius Orbis ornamentum diutissimè viue.

LECTORI BENEVOLO

Inis venit, ecce finis Beneuole Lector meorum qualiumcumque laborum in totam D. Thomæ summam. In hoc opere inuenies vtcumque explicata, quæ solent à Theologis de Christo Dom. eiusque assumpta humanitate pertractari, non solum ad intellectum erudiendum ex dubijs speculatiuis, sed etiam ad affectum excitandum, ex practicis. Mirabile mysterium: nostra natura est semper in Verbo diuino per terminationem, semper est in diuina sapientia, semper in Deo. Omne quod agit, quod sentit, quod intelligit, Deus est. Exemplo ferri igniti explicuit Origenes. Ferrum namque capax est frigoris, & caloris. Si aliqua ferri massa in igne semper sit posita, ignem semper recipiet, ignem semper præseferet, ignem semper emittet. Et licet ignis noster possit ab aqua pati, ab eaque natus sit corrumpi: non tamen ignis ille diuinus, quem aquæ multæ extinguere non possunt. O quanta est nostræ in Christo naturæ sublimitas. Videbis in hoc opere mi Lector, quod nullus possit Dominicæ Maiestatis penetrare secretum: quibus etiam oculis, quibus affectibus debeant suprema ista contemplari mysteria. Nulli namque extraneo, nemini immundo, nulli infideli accessus permittitur: sed mundus, castus, fidelis præstolatur obsequia. Ad thalamum cælestis sponsi nisi proximus, nisi vicinus, nisi bonæ conscientiæ, nisi laudabilis famæ, nisi probabilis vitæ, admittitur. Fecit Rex noster in hoc sacratissimo mysterio quomodo fortissimi quique bellatores, ac duces facere solent, qui non solum victorias, sed etiam cicatrices exprimi volunt, patriæque aspectibus proponi. Si quando namque pium pro ciuibus in hostes pectus intulerunt, victoriæ signa referentes annalibus, æuo memoriæ æreis tabulis, ac loquacibus monumentis, posteritati ingerunt, vt inter veterum imagines eorum recenti semper viuant honore virtutes. Volunt sua exprimi vulnera, vt præconia gloriosè gesta. Optant inter coronas, excepta duris ossibus tela, interseri, & inter vmbratos colores volunt merita viri fortis exprimi, proprioque cruore delineari, vt præferant non solum triumphantem, sed etiam gloriosè vincentem, quatenus hostilis sanguis afferat fortitudinem, & proprius pietatem. Noster ergo Redemptor, passionem, crucem, mortem, & cicatrices, futuris sæculis voluit celebrari, vt homines, non tantum ad sui admirationem, verum etiam ad sui amorem reuocaret. Non enim venit in mundum vt nostra quæreret, sed vt ad sui sequelam animaret, & accenderet: non venit vt vendax cælestium, neque vt emax terrenorum, sed vt dator munerum, & inflammator cordium, vt rectè colliges ex his quæ de vita Christi trado à q. 26. vsque ad 60. Vale.

D

IESVS ✠ MARIA.

COmmentaria in 3.D.Thomæ partem de Sacrosancto Incarnati Verbi arcano, quibus Reu.P.Fr.Gabriel à S.Vincentio nostræ Romanæ Prouinciæ Definitor suo Theologico cursui coronidem imposuit, ex commissione Adm.Reu.Patris Nostri Fratris Philippi à Sanctissima Trinitate Præpositi Generalis perlegi. Non minus in præsenti, quam in ante impressis voluminibus cuncta hic Author ex Angelici Pręceptoris limpidissimo fonte hausit, ac proinde non solum veritati consona, sed & abditissimis Catholicæ fidei Sacramentis explicandis noscuntur aptissima: proprioque Gabrielis nomini fæliciſsimè respondens, quod è Cælis Archangelus Gabriel Virgini detulit sua abbreuiandum Verbum in Carne, vberrimo hic noster Gabriel pandit Vniuersis; Opus proinde quod in lucem prodeat dignissimum censeo. In Conuentu S.Mariæ de Victoria hac die 10.Augusti Anno 1667.

Fr. Philippus Maria à S. Paulo Sacræ Theologię Lector, & Definitor Prouincialis.

IESVS ✠ MARIA.

EX Commissione R. Adm.P.N.Philippi à SS. Trinitate Præpositi Generalis. Commentaria R.P. Fr.Gabrielis à S.Vincentio in 3.p.summæ Doctoris Angelici de Verbo Incarnato, summa cum admiratione perlegi. Nihil in eis litura dignum; quia omnia sunt digna cedro, aureis signanda lapillis, æternis characteribus consignanda. Innumeris profectò laudibus meretur Auctor extolli; quod assiduis laboribus haustis, vniuersam Theologiæ summam, quam exorditus est, indefesso, velocique calamo consummauerit. Iuxta dignitatem vocabuli, quam sortitus est Gabriel, diuina fortitudine vterum roborauit, & brachium, vt felici genitura posteritati pareret foetus, quos fæcunda mente concæperat. *Tot sunt probati, quot geniti, & quod difficile prouenit, electa frequentia.* Cedant igitur laureati scriptoris in gloriam conscripta volumina, *quæ sigillatim distributa præconium* (vtor ingenio Cassiodori) *cuncta miraculum exhibent Vniuerso.* Hoc meum iudicium. Romæ in Collegio S. Mariæ de Victoria die 29. Iunij Anno 1667.

Frater Antonius Franciscus à Sancto Iacobo Sacrę Theologiæ Prælector.

DISPV-

DISPVTATIONVM, DVBIORVM, ETC. INDEX.

*Disp.*5.

INDEX

Dub.In-

IESVS ✝ MARIA.

COncedimus R.P.F. Gabrieli à S.Vincentio Priori Nostri Conuentus Nouocomẽsis, vt in lucem edere possit opus, cuius titulus est: *De Iustitia*, *& Iure*, *&c.* Et alia opera ab ipso composita, vel componenda, dummodò ab vno, vel altero ex nostris videantur, & digna luce iudicentur, & hoc quantum ad nos attinet. In quorum Fidem præsentes dedimus, sigillo nostro munitas, ac propria manu subscriptas. Datum Ferrariæ die 13. Martij anno 1652. *Padre Gabriele mio auerta, che gli commando, che non solo stampi quest'opera, mà ancora l'altre, che hà composto, e per l'auuenire comporrà, e questo li serua per sempre, se da alcuno de' miei successori non gli sarà ordinato l'opposto, solo desidero, che gli significhi questo mio commando.*

Fr. Franciscus à Sanctissimo Sacramento Generalis.

IESVS ✝ MARIA.

EGo Fr. Philippus à Sanctissima Trinitate Præpositus Generalis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum confirmo præfatam facultatem N.P. Fratri Gabrieli à S. Vincentio concessam vt supra imprimendi libros quoscumque ab eodem compositos, & componendos seruatis seruandis vt supra, &c. *Mi rallegro, che V.R. prosegua con l'editione de' suoi libri: Proseguisca à così bene impiegare il tempo per vtilità commune.* Datum Romæ 22. Septembris 1665.

Fr. Philippus à Sanctissima Trinitate Præpositus Generalis.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendissimo Patri Sacri Palatij Apostolici Magistro.

M. Episc. Arimini Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus Magister Sacri Palatij Apostolici.

R.P.F.



R. P. F. GABRIELIS A S. VINCENTIO CARMELITAE EXCALCEATI IN TERTIAM PARTEM DIVI THOMAE

De Sacrosancto Incarnationis mysterio.



1 DECEBAT maximè, Deum hominem liberare, propter quem Lunam, Solem, stellas, terramque, & omnia creauit. Potuit loqui de cęlo vt omnes audirent, sed maluit flere in præsepio. Non Angelum misit, sed ipse venit Medicos namque illos maximè laudare solemus, non quidem qui ministris suis curandos ægros committunt, sed qui pallium deponunt, linteolumq; succincti, suis ipsi manibus ferrum accipiunt, vlcusque si opus sit incidunt, fætorem vulneris non auersantur, profluentem saniem excipiunt, vnguentaque compingunt. Nec eos Reges admirari, laudibusque ornare solemus, qui in regalibus thalamis enutriti, omni deliciarum genere perfruuntur, sed quibus graue non est pro subditis hominibus caput periculis obiectare, & armis obiecti in acie cum hoste pugnare. Cæterum cum Dei verbum esset passionis exors, vt esset passionis obnoxius, & peccati solueret condemnationem, humanam sumpsit formam; carne namque opus habebat, vt carnem condemnatam liberaret. Carnem assumpsit quā sanctificauit, & peccato condemnato coronauit. Vt aduocatus, personam eius gessit cui patrocinabatur, eius crimina in se assumpsit, & pro eo apud iudicem causam egit, tametsi criminum minimè reus esset. Naturam assumpsit infirmam, vt eam sanaret: quomodo neque ignis ferri proprietates ipse traicit. Nigredinem habet ferrum, & frigus, ignescens tamen speciem ignis induit, & candescens ignem non infuscat, & vt ipsum flammescit, ita flammam ignis suo frigore non restringit. Sic humana Domini caro diuinitatis particeps facta, diuinitati suas infirmitates

non impertiuit. Eo pacto diuinitas in carne est, quo ignis in ferro, non transitione, sed communicatione. Non enim ad ferrum ignis excurrit, sed in suo loco permanens, vim suam ei impertit, nec impertiendo minuitur, quãquam id quod ipsum recipit, compleat. Diuinum Verbum non à se dimotum in nobis habitauit, sed sine vlla immutatione formam serui assumens, seruis, ac conseruis sese accommodauit. Mi Deus carnem assumpsisti, vt ad te omnis caro veniret; vt omnis caro nomen sanctum tuum benediceret, & in voces exultationis prorumpens diceret. *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis*. De hoc ergo sacratissimo incarnationis mysterio noster labor erit. Facit Deus vt in eius gloriam cedat, in aliorum, & meam vtilitatem.

DISPVTATIO I.

IN QVAEST. I. DIVI THOMAE.

De conuenientia incarnationis.

1 IN 1. art. quærit Sanctus Doctor an conueniens fuerit Deũ incarnari, & respondet, quod in ipsa Dei essentia est natura bonitatis, ac proinde quicquid pertinet ad rationem boni, conueniens est Deo. Ad rationem autem boni pertinet se alijs communicare; & ad rationem summi boni, summo, & perfectissimo modo se communicare, quod tunc maximè fit cum naturam humanam Deus sibi coniunxit, vt ex his tribus Verbo, anima, & carne vna fieret persona. In 2. art. docet, quod potuit Deus ex infinitate suæ omnipotentiæ, alio quam opere incarnationis humanum genus reparare; cæterum vt homo facilius, & conuenientius suam consequeretur salutem necesse fuit, vt Verbum fieret homo. In art. 3. probat, quod si homo non peccasset Deus incarnatus non fuisset, quia satis clarè ex Sacra Scriptura colligitur, quod opus incarnationis à Deo in remedium peccati ordinatum fuit, licet absolutè Deus venire potuisset etiam nullo existente peccato. In art. 4. declarat, quomodo incarnatio principalius facta sit ad tollendum peccatum originale per quod tota natura infecta est. In art. 5. dicit, quod non fuit conueniens, quod incarnatio fieret ab ipso mundi exordio. In art. 6. dicit, quod incarnatio non debuit differri vsque ad finem mundi. Sed sit.

DVBIVM I.

An Diuini Verbi incarnatio fuerit possibilis.

3 ALiqui putant hanc difficultatem inaniter proponi, cum constet Ioan. 1. ad Rom. 1. ad Philip. 2. ad Galat. 4. & alibi incarnationem iam esse factam, quod enim factum est, possibile est; & frustra de eo quæritur an sit possibile, quod iam constat esse factum. Nihilominus, quia nostræ fidei mysteria non solum credenda sunt, sed etiam explicanda fidelibus, & contra infideles defendenda, & probanda, ideo hanc difficultatem proponimus, & pro posse probabimus; probaturi dubio seq. quod iam incarnatio facta sit. Hoc dubium ponimus contra infideles; sequens contra Iudæos.

Pri-

4 Prima sententia est infidelium, qui negant possibilitatem huius mysterij, putantes esse indignum Deo, ac proinde contra illud inuehentur, quos sæpè refellunt Patres apud Medinam *lib.1.de recta in Deum fide cap.4.* Et Sanctus Doctor 4.*contra Gent. à cap.* 70. Et Alens. 3.*p. q.*1. Scholastici *in* 3. *dist.* 1. cum disputant de possibilitate incarnationis. Et expositores D. Thomæ hoc loco. Hunc errorem Gentilium secuti sunt aliqui hæretici, quos refellunt Agab. Papa *Epist.ad Attic.* Leo Papa *ad Astic.* Concil. Ephes. Lateran. Tolet. 1.4. 6.& 11. de qua re agunt Controuersistę & nos hoc loco breuiter agemus.

5 Nostra sententia sequenti concl. explicatur. *Diuini Verbi Incarnatio est possibilis.* Hæc concl. constabit ex dicendis dub. seq. ostendentes esse de fide incarnationem iam esse factam. Eam tradunt omnes expositores D. Tho. hoc loco, Caiet. Medina, Caprera, Cippullus, Suarez, Vasq. Lugo, Becanus, Bonacina, & N. Orlandus.

6 Cæterum antequam probemus concl. notandum 1. quod incarnatio definitur, quod sit *actio per quam filius Dei sibi naturam humanam vniuit in sua hypostasi:* seu est *actio per quam assumpsit humanam naturam ad suam subsistentiam*: incarnatio namque non dicit habitum, sed actum, quo *Verbum caro factum est.* Dicitur *Verbum factum caro*, non transitiuè in carnem, sed assūptiuè ad sui vnionem. Licet enim nomen incarnationis videatur solā vnionem ad carnem significare, ac proinde non ipsam actionem assumptiuam, tamen hoc loco accipitur pro assumptione, seu actione assumptiua naturæ humanæ, constantis anima, & carne; caro namque per Sinecdochen accipitur frequenter pro composito ex anima, & corpore, seu carne, vt colligitur ex illo Gen.6. *Omnis caro corruperat viam suam.*

7 Notandum 2. quod incarnatio vocari solet etiam *vnio*, seu *vnitio hypostatica*, quæ, vt dictum est, nil est aliud quàm actio per quàm humana natura vnita est Verbo diuino. Vocari etiam solet *Assumptio carnis*, quatenus Dei filius per incarnationem sumpsit ad se nostram naturam: Differunt tamen vnio, & assumptio, quod assumptio connotat duo, scilicet Verbi diuini personam tanquam causam efficientem vnionem, & eandem personam Verbi vt terminum eiusdem vnionis. Verbum namque, vt infra videbimus, simul cum alijs personis Sanctissimæ Trinitatis, effecit vnionem, licet ipsum solum eam terminet. At vnio non significat causam efficientem, neque terminum vnionis, sed actionem vniendi, vel ipsammet coniunctionem. Præterea incarnatio vocatur à doctissimo, & Sanctissimo P.N. Ioan. Damasc. lib. 3. cap. 6. *inhumanatio*, quatenus Verbum diuinum ad nostram humanitatem descendit, eamque sibi quasi incorporauit. A D. Hilario in prologo super Psal. vocatur *corporatio*; quia nostrum corpus Verbum diuinum sibi media vnione ad se vniuit, & quasi incorporauit. A D. Augustino Epist. 3. ad Volusianum vocatur *mixtura admirabilis*, quatenus in vna, eademque Verbi persona duæ naturæ, diuina scilicet, & humana vniuntur, & quasi miscentur, sine vlla tamen confusione. Sed quicquid sit de istis nominibus, sensus nostræ conclusionis est, an sit possibile Deum incarnari; seu hominem fieri: vel an sit possibile humanam naturam vniri personæ Verbi, & partem sustinemus affirmatiuam.

8 Probatur 1. nam si non esset possibile Deum fieri hominem, seu incarnari, maximè esset ex vno ex his tribus capitibus, vel ex parte Verbi diuini, vel ex parte humanitatis assumptæ, vel ex parte modi, quo incarnatio fieret; ex nullo ex istis capitibus esse potest; ergo, &c. Maior constat, repugnantia namque cuiuscumque effectus, vel desumitur ex parte causæ, vel ex parte eiusdē effectus, vel ex parte modi, quo effectus producitur; si namque repugnan-

tia ex nullo ex his tribus capitibus non habetur, effectus non erit impossibilis. Minor probatur, nam repugnantia non est ex parte Verbi diuini, vt putabant infideles dicentes incarnationem repugnare, quia vnio Verbi diuini fieri non potuit sine eiusdem Verbi mutatione, quod omnino est impossibile. Cum enim mutari sit aliter se habere nunc quàm prius, & data incarnatione Verbum aliter se haberet post incarnationem, quàm prius, nam prius non erat homo, post incarnationem est homo, vt constat ex illo Ioan. 1. *Verbum caro factum est*; ergo est mutatum. Nec valet, inquiunt dicere, quod Verbum diuinum aliter se habeat post incarnationem, quàm prius, solum per quandam denominationem extrinsecam desumptam à mutatione facta in humanitate, vt cum Deus dicitur de nouo creator, aut Dominus à mutatione facta in creatura in tempore; nam aliàs Verbum diuinum esset vnitum humanitati solum extrinsecè, & denominatiuè, & sic esset solum denominatiuè homo non intrinsecè. Nam ad hoc vt Verbum diuinum esset mutatum debuisset aliquid intrinsecè recipere, sed nihil intrinsecè recepit; ergo non fuit mutatum. Minor probatur, nam intantum Verbum diuinum dicitur factum homo, in quantum per suam subsistentiam, humanitatem sustentat; non enim humanitas recipitur in Verbo, neque modus vnionis, sed sustentantur à Verbo. Vnde Verbum est intrinsecè homo, non per receptionem alicuius intrinsecè, respectu cuius se habeat passiuè, quodque respiciat, & recipiat per potentiam passiuam, quod implicat, sed per intrinsecam terminationem, per insecam sustentationem, per intrinsecam communicationem suę subsistentiæ naturæ humanæ intrinsecè assumptæ. Tũ quia illud dicitur mutari quod recipit aliquid intrinsecum, & inhærens, non autem ex eo quod sibi aliquid intrinsecè vnit; sed Verbum diuinum sibi naturam humanam intrinsecè vniuit, non tamen intrinsecè in se recepit, vt quid sibi inhærens; ergo, &c.

9 Neque etiam repugnantia desumi potest ex parte naturæ, quia humanæ naturæ non repugnat mutari, & aliter se habere nunc quàm prius, mutatur namque humana natura recipiendo vnionem, quæ est quidam modus realiter, aut formaliter ab ea distinctus, de quo infra. Neque repugnat ex parte vnionis ob eandem rationem.

10 Respondent repugnare ex parte Verbi diuini. Probant, quia non potest fieri transitus à contradictorio in contradictorium intrinsecum sine mutatione intrinseca; sed Verbum diuinũ transiuit de contradictorio in contradictorium intrinsecum; ergo fuit mutatũ. Maior nota est. Minor probatur, nam Verbum diuinum trãsiuit ad hoc quod est non esse intrinsecè hominem; ad hoc quod est esse intrinsecè hominem; ergo transiuit à contradictorio in contradictorium intrinsecum. Confirmatur, nam implicat, quod aliquid transeat de contradictorio in contradictorium extrinsecum, vt à non esse visum ad esse visum, sine mutatione extrinseca; ergo etiam implicabit, quod aliquid transeat à contradictorio in contradictorium intrinsecum, sine mutatione intrinseca.

11 Resp. distinguendo maiorem. Non potest fieri transitus de contradictorio intrinseco, &c. sine mutatione intrinseca, quando contradictio fit respectu formæ intrinsecè inhærentis, & conceditur: quando contradictio fit respectu formæ, seu quasi formæ intrinsecè vnitæ non receptæ, non inhærentis, & negatur. Primum notum est, vt cum quis transit à non esse calido ad esse calidum, tunc enim in hoc transitu fit vera mutatio, quia fit transitus à non esse formæ non receptæ, ad esse formæ receptæ, & inhærentis. At in nostro casu non fit hoc modo transitus, sed solum fit transitus ad esse intrinsecè vnitum, ad non esse intrinsecè vnitum, absque alicuius formæ receptione,

de

de quo magis dicemus §. sequenti.

12 Probatur 2. demonstratione Theologica, nam id quod factum est, est possibile fieri; sed incarnatio Verbi diuini facta est; ergo est possibilis fieri. Minor constat ex illo Ioann. 1. *Verbum caro factum est*, & fusè probabitur dub. seq. Facta namque impossibilia non sunt, nec pro infectis haberi possunt *l. in bello, §. facta, ff. de captiuis, & postlim. reuers. l. verum, ff de reg. iuris*. Hinc intelliges illud dictum, quod *ex facto possibilitas oritur, & ex facto possibilitas moritur*; eo namque ipso, quod aliquid factum est, deducitur fuisse possibile, aliàs si possibile non fuisset, nec factum fuisset: prius namque res intelligitur possibilis, postea futura, deinde existens, & facta. Ex eo autem moritur possibilitas, & extinguitur, sicut extinguitur futuritio, quod enim est, non amplius futurum, nec possibile est.

13 Probatur 3. nam hoc mysteriũ est euidenter credibile; ergo non est impossibile, proindeque dici poterit possibile. Conseq. constat, quod enim est euidenter credibile, non potest esse euidenter impossibile, cum notum sit, quod id, quod est euidenter impossibile, nec euidenter, nec vllo modo sit credibile. Antecedens constat ex dictis 2.2. de euidentia credibilitatis mysteriorum nostræ fidei. Constat etiam ex oraculis, prophetarum, & testimonijs Apostoli *Roman.* 1. & 9. Ad Philipp. 2. ad Galat. 4. & alibi. Item constat ex miraculis Christi D. quæ euidẽter ostendebant eum esse Deum, de quo fusè dixi *in* 2.2.

14 Probatur 4. nam Deus cum sit omnipotens continet quicquid perfectionis potest facere creatura; sed creatura, v. g. anima rationalis tribuit suum subsistere corpori, faciendo, quod corpus subsistat, eadem subsistentia, qua ipsa subsistit; ergo multo magis id poterit facere Deus. Si enim subsistentia creata animę rationalis, cum sit finita, & limitata, potest facere subsistere corpus; quanto magis subsistentia Verbi, cum sit infinita, illimitata, & suum subsistere, poterit tribuere subsistere alienæ naturæ. Ideo namque diuina essentia potest se communicare intellectui creato per modum speciei impressè, & expressæ, quia est suum esse non solum intelligibile, sed etiam actu intellectum, quatenus nullo potest indiget re creata vt fiat intelligibilis, aut actu intellectu: ita quia diuina subsistentia Verbi diuini est suum esse subsistens quatenus nullo potest indigere creato, vt possit alienam naturam terminare, ideo de facto eam terminat, ac proinde hæc terminatio non potest, non esse possibilis.

15 Probatur 5. nam licet alienam sustentare naturam per informationem aut inhærentiam sit imperfectio, tamen maxima perfectio est alienam naturam sustentare absque informatione, & inhæsione; ergò hæc perfectio non debet Deo denegari. Tum quia natura distinguitur à sua subsistentia; ergo potest ab ea separari; prius namque est naturam esse, quam subsistere, prius autem potest separari à suo posteriori.

§. 1. *Notantur aliqua pro maiori intelligentia dictorum, & pro solutionibus argumentorum.*

16 Difficile est explicare, quomodo cum vnio sit nexus duorum extremorum, formaliter vtrumque non afficiat. Quomodo sit effectus formalis vnionis esse vnitum, & Verbum diuinum habeat effectum formalem vnionis, & non habeat in se vnionem; cum effectus formalis haberi nequeat sine forma. Certum est, quod Verbum diuinum, nihil intrinsecum, & inhærens recipiat, non solum realiter, sed neque formaliter distinctum; hoc enim fieri nequit sine mutatione, quæ Verbo diuino nullo modo competere potest. Cum enim potentia passiua dicat imperfectionem, in Deo esse nequit. Etiã certum est, non repugnare humanitati,

ti, quod mutetur recipiendo in se vnionem, siue realiter, siue formaliter distinctam. Demum est certum, quod Verbum diuinum realiter, & substantialiter vniatur humanitati, aliàs non essent vna, eademque persona Deus, & homo; & Christus D. non esset realiter, & substantialiter vnus; neque explicari posset quomodo magis vna persona diuina esset coniuncta humanitati, quam alia.

17 Difficultas ergo est, quomodo hæc fieri possint. Pro quo suppono ex dicendis infra, quod licet sit probabilis aliquorum sententia, quod aliqua vnibilia vniri possint se ipsis, vt materia, & forma, subiectum, & accidens, partes quantitatis, & huius generis alia, tamen magis communiter hoc non admittitur inter Verbum diuinum, & humanitatem, rationem discriminis assigno, quia illa cum ex sua natura petant vniri, vt de facto vniantur, sola agentis actione, qua dependenter à suo subiecto producuntur, vnientur. At quando res ex sua natura non petunt vniri, nec sunt naturaliter vnibiles, debent necessariò habere aliquem modū, quo vniantur, vt sic quod est ordinis inferioris proportionetur, & eleuetur ad ordinem superioris, vt patet de nostro intellectu, qui cum sit improportionatus ad videndum Deum, seu ad hoc vt in esse intelligibili vniatur cum diuina essentia fungente officio speciei intelligibilis, datur lumen gloriæ per quod proportionetur. Ita quia natura humana est improportionata ad vnionem cū persona Verbi in esse naturali, vt proportionetur, eleuetur, & fiat apta ad talem vnionem, debet per aliquid supernaturale proportionari, hoc autem vocamus modum vnionis, de quo infra.

18 Nec valet dicere cum aliquibus, quod ad hoc vt humanitas vniatur Verbo diuino, non requiritur aliquid superadditum, sed sufficit potentia obedientialis. Nam contra est, nam vel loquuntur de potentia obedientiali actiua, & ista non datur, imò implicat, vt ostendimus de Sacramentis in genere, & infra de ea aliquid dicemus. Deinde ea data, adhuc non deseruiret in nostro casu, quia Verbum diuinum non sustentat humanitatem actiuè, seu effectiuè, hoc enim est à tota Trinitate, sed solum eam terminat, & sic ex parte Verbi non requiritur potentia obedientialis actiua: neque potentia obedientialis actiua requiritur ex parte humanitatis, quia neq; ipsa efficit vnionem hypostaticam, sed solum eam recipit. Vel loquuntur de potentia obediētialis passiua, & ista datur in humanitate ad recipiendam dispositionem, seu vnionem, non ad recipiendam immediatè Verbi diuini subsistentiam, cum ante vnionem non sit proportionata. Potentia namque obedientialis passiua non est ad vnitionem, sed ad receptionem alicuius, quod terminet actionem supernaturalem Dei; hanc autem per Verbum terminare non potest, cum actiones ad extra sint indiuisæ Trinitatis.

19 Supposito ergo, quod Verbum diuinum vniatur humanitati media hac vnione, seu modo, quo vt dicebamus humana natura disponitur, & fit proportionata, vt recipiat in se diuinum suppositum, seu Verbi diuini subsistentiam; restat vt videamus, quomodo Verbum diuinum vniatur humanitati absque sui mutatione, ac proinde, quod ex hoc capite non potuit Diuini Verbi incarnatio esse impossibilis. Pro quo notandum 1. quod non est necesse, quod vnio quæ vnit duo extrema sit in vtroque extremo, sed sufficit, quod sit in vno subiectiuè, & in altero terminatiuè, vt patet in sententia communi admittente vnionem inter materiam, & formam, quæ subiectiuè est in materia, & terminatiuè est in forma.

20 Sed dices quomodo potest vnio tribuere suum effectum formalem vniti vbi non est, sed solum ad illud terminatur, effectus namque formalis, non tribuitur intrinsecè, nisi vbi forma recipi-

cipitur; ergo si vnio v.g. inter materiam, & animam rationalem, in sola materia recipitur, illi soli suum tribuet effectum formalem. Resp. quod alius est effectus formæ informantis, & alius est effectus formalis formæ, seu quasi formæ vnientis. Effectus formalis formæ informantis, non nisi per informationem habetur; at effectus formæ, seu quasi formæ vnientis non tribuitur per informationem, sed per vnionem: Effectus prioris formæ tribuitur per dationem formæ, & in tantum intelligitur, in quantum forma se dat; vnde in hoc casu subiectum respicitur vt subiectum, vt recipiens, vt passiuè se habens. Cœterum effectus formæ, seu quasi formæ vnionis, nō est formę se dantis, sed nectentis, copulātis, & vnientis. Vnde ad hoc vt vnio suum tribuat effectum non requiritur, quod se det, quod in alio subiectetur, licet aliunde debeat subiectari, qua ratione est quid creatum, & non habens propriam subsistentiam. Quocirca si semel vnio haberet propriam subsistentiam, seu esset per se subsistens, tribueret suum effectum formalem absque eo quod in vno extremorum reciperetur.

21 Ex his patet, quod, quantum ad hoc, Verbum diuinum potest vniri humanitati absque vlla sui mutatione, cum vnio solum subiectiuè sit in humanitate, in Verbo solum terminatiuè, nō terminatiuè extrinsecè, sicut sic est ad parietem, sed terminatiuè intrinsecè, tanquam terminus intrinsecè vnitus, nō tanquam subiectum vnionis.

22 Notandum 2. quod non est de ratione substantiæ, vt dependeat à natura quam sustentat, sed illi quasi accidit, cum sit quidam modus, de cuius ratione est vt sit in re quam modificat. Quocirca dato, quod Angelus humanam naturam sustentaret, tunc subsistētia Angelica dependeret à natura Angelica, non tamen dependeret a natura humana. Dependeret à natura Angelica non qua substantia est, sed qua quidam modus est, respiciens propriam naturam vt eius subiectum. Pro quo aduerte, quod in subsistentia Angelica duo quasi munia possūt cōsiderari. Vnū quasi modi modificantis subiectum, ac proinde respicientis illud vt forma. Aliud quasi termini idem subiectū terminantis, & facientis subsistere. Subsistentia Angelica respectu sui Angeli vtrūque munus exercet, cum non possit secundum sibi proprium exercere, nisi exerceat primū, cum de necessitate, eo ipso quod cum modus sit, debeat esse in alio. At respectu naturæ humanæ solum secundū munus exerceret, in quo vt patet, non requiritur dependentia, sed solū in primo. Ista duo munera proportione seruata distingui possunt in subsistētia Verbi. Respectu namque ipsius Verbi exercet munus quasi modi, qua ratione respicit Verbum, seu naturam diuinam à qua intelligitur prodire, media paterna generatione. Deinde intelligitur exercere munus terminandi, & faciendi subsistere idem Verbum, & secundum hoc non intelligitur prodire. Respectu autem naturæ humanæ exercet hoc secundum munus, non primū; ac proinde neque quantum ad hoc nulla sequitur imperfectio in diuina subsistentia ex hoc quod purè terminet naturam humanam, cum à natura humana non dependeat, cum respectu illius solum munus terminandi exerceat, vt de subsistentia Angelica diximus.

23 Sed dices, quod ex hac parte videtur euadi repugnantia incarnationis, & possibilitatis illius; non tamen ex omni parte; quia Verbum diuinum non videtur posse vniri humanæ naturæ nisi ab ea perficiatur, sed hoc est impossibile; ergo, &c. Minor constat. Maior probatur, nam negari non potest; quin humana natura non sit aliqua perfectio, quæ modo Verbo diuino vnita est, cum prius non esset. Resp. quod id solum perfici potest, quod caret aliqua perfectione, Verbum autem nulla caret perfectione ex his quæ sibi competunt; vnde Verbum diuinum non perficitur à natura, sed perficit naturam, supplendo illius subsistētiam qua caret,

§. 2.

§. 2. *Soluuntur aliqua argumenta in contrarium.*

24 PRimum argum. nam illud est possibile, quod aliquam inuoluit contradictionem; sed Deus fieri hominem inuoluit aliquam contradictionem; ergo Deum fieri hominem est impossibile. Minor probatur, nam implicat contradictionem, quod natura creata subsistat subsistentia diuina; ergo, &c. Antecedens ostenditur, nam implicat, quod intellectus creatus intelligat intellectione diuina; ergo etiam implicat; quod natura creata subsistat subsistentia diuina; ita enim est improportionata natura creata vt subsistat diuina subsistẽtia, sicut est improportionatus intellectus creatus, vt intelligat intellectione diuina. Secũdò probatur idem antecedens, nam implicat, quod effectus formalis vnius formæ præstetur ab alio quàm ab eadem forma; vnde implicat, quod effectus formalis albedinis, præstetur ab alio quàm ab albedine; & quod effectus formalis frigoris præstetur ab alio quàm à frigore; sed effectus formalis, & primarius subsistentię creatæ est tribuere subsistere tali modo determinato, scilicet creato; ergo hic effectus non potest ab alio quam ab eadẽ subsistentia creata tribui, ac proinde non poterit suppleri per subsistentiam increatam. Maximè quia subsistentia increata non nisi suo modo altissimo, & increato potest tribuere subsistere, non modo proprio, inferiori, determinato, & creato subsistentiæ creatæ. Tertiò probatur illud antecedens, quia si semel diuina subsistentia potest supplere defectum subsistentiæ creatæ tribuendo subsistere naturę humanę, deberet fungi officio formę; sed hoc implicat, cum manifestam inuoluat imperfectionem; vt alibi diximus, & tradunt omnes, ergo, &c. Antecedens ostenditur, nam subsistentia creata nõ aliter tribuit subsistere, nisi fungendo officio formæ, tribuendo suum effectum formalem primarium per dationem sui, ergo si semel diuina subsistentia non potest fungi officio formæ, non poterit supplere effectum primarium subsistentię creatę, qui essentialiter inuoluit officium formæ. Deinde subsistentia perficit naturam, sed nihil potest aliud perficere, nisi habeat rationem formæ respectu illius, ergo, &c. Demum ex subsistentia, & natura resultat vnum per se; ergo vnum debet habere rationem formæ respectu alterius.

25 Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad 1. probationem de diuina intellectione, dico esse disparem rationem; nam cum diuina intellectio sit actus vitalis diuinus non nisi à principio vitali diuino oriri potest, & sic cum intellectus creatus non sit principium vitale diuinum, sed tantum creatum, non nisi intellectionis creatæ potest esse principium; at de ratione subsistentiæ non est, quod procedat à natura quam terminat, vt diximus *n.* 22.

26 Sed dices, quod vis argumenti non consistit in hoc, quod diuina intellectio sit ab intellectu creato tanquam à principio diuino, hoc enim omnimodam inuoluit contradictionem, neque in hoc paritas argumenti consistit; sed in hoc, quod sicut implicat, quod diuina intellectio ponatur in intellectu creato, non vt ab eo orta, sed vt eum terminans, ita neque poterit poni in natura humana diuina subsistentia, non vt ab ea orta, sed vt eam terminans. Resp. quod neque hoc modo potest diuina intellectio poni in intellectu creato; nã si hoc modo poneretur, vel poneretur vt forma naturalis, vel vt forma intelligibilis; non primum, quia ratio formæ naturalis manifestam inuoluit imperfectionem, ac proinde nulli rei diuinæ potest conuenire. Non secundum, quia cum intellectio diuina formalissimè exprimat rationem actus, non potest fungi officio formæ, actus namque intelligibilis, vt est intellectio pertinet ad actum secundum, at forma intelligibilis, ad actum primum. Dices vniri per mo-

modum existentiæ, aut subsistentiæ in esse intelligibili, vt enim diximus 1. *p. q.* 10. intellectio est existentia in esse intelligibili, ac proinde hoc modo cum intellectu creato vniri poterit quod neque hoc modo vniri potest; neque diuina subsistentia vniri poterit. Resp. quod licet intellectio sit existentia intelligibilis respectu proprij intellectus, non tamen respectu alterius, cum enim sit actio vitalis non potest separari à suo principio vitali, ab eoque quasi extrahi, non sic contingit in diuina subsistentia cuius munus, & officium est ratio termini, quę rectè, & probè saluatur etiam respectu alterius, scilicet secundi terminabilis.

27 Ad 2. probationem respondet Caiet. *hoc loco q.* 1. *art.* 1. *dub.* 2. *n.* 8. ea solum probari illum effectum secundum speciem, quem præstat subsistentia creata, non posse præstari à subsistẽtia diuina, sed alium, illi tamen similem, atque conuenientem analogicè cum eo in ratione subsistentis vt sic. Cœterum hæc responsio sua non caret difficultate, nam si subsistentia diuina non tribuit illum effectum secundum speciem, quem tribuit subsistentia creata, sed alium illi similem, & solum analogicè cum eo conuenientem in ratione subsistentis vt sic; quomodo verum erit, quod subsistentia diuina supplet defectum, & absentiam subsistentiæ creatæ, cum eius effectum non præstet, neque secundum speciem. Solum supplebit defectum subsistentiæ analogicæ, & vt sic cum solum hoc modo suppleat: ille namque dicitur supplere defectum, qui præstat id, saltem secundum speciem, quem alter præstaret, hoc modo quis est Vicarius alterius, Vicesgerens alterius, quia saltem in specie potest præstare id, quod alter præstaret. Patet autem, quod subsistentia diuina est quodammodo Vicaria, & Vicesgerens subsistentiæ creatæ, fungens officio illius, & præstans omnia, quod illi præstaret si adesset, licet nobiliori modo. Tum quia Christus D. non posset dici homo, cum neqne formaliter haberet *esse*, & *subsistere* hominis, cum existentia, & subsistentia diuina non tribuant esse, & subsistere hominis, sed solum diuinum, non humanum.

28 Resp. ergo, quod subsistentia diuina tribuit eundem effectum secundum speciem, quam tribueret subsistentia humana si adesset. Pro quo nota, quod omnis perfectio formaliter reperta in creatura, demptis imperfectionibus reperitur in Deo, maximè quando ex suo genere est perfectio simpliciter simplex, vt est subsistentia; ac proinde cum subsistentia diuina afferat formaliter perfectionem subsistentiæ creatæ, tribuet eundem effectum formalem quem illa tribuit. Sed quia subsistentia diuina continet formaliter, & eminenter perfectionem subsistentiæ creatæ, propterea nobiliori modo facit humanitatem subsistere, vt Christus D. sit nõ solum formaliter homo subsistens, sed etiam Deus.

29 Ad 3. probationem constat ex dictis nu. 20. & 21. aliud namque est fungi officio formæ informãtis, & aliud est fungi officio sustentantis, ad quod non requiritur munus informationis. Tum quia subsistentia diuina etiam ad intra habet munus solum terminandi; quocirca si subsistentia creata habet etiam rationem formæ, non est ratione subsistentiæ, sed aliunde, quatenus est modus creatus, finitus, & limitatus, qui petit esse in alio. Quocirca non debet concedi, quod subsistentia diuina habeat rationem formæ tribuendo subsistere naturæ humanæ: nec naturam humanam subsistere subsistentia diuina, est effectus formalis illius, sed dici debet terminatio naturæ humanæ, non effectus formalis, aliàs subsistentia diuina haberet rationem formæ respectu naturæ humanæ. Cum quo tamen stat, quod natura humana dicatur formaliter subsistere per subsistentiam diuinã; nam ad hoc non requiritur quod subsistentia diuina sit forma illius, sed sufficit, quod sit eiusdem terminus, non ex-

trinsecus, & purè denominationis, sed intrinsecus, & eleuationis.

30 Secundum argu. implicat contradictionem, quod natura diuina, & humana vniantur in vno, eodemq; supposito; sed si Verbum diuinum incarnaretur, natura diuina, & humana vnirentur in vno, eodemque supposito; ergo Verbum diuinum non potest incarnari. Minor nota est, nam data incarnatione Verbi diuini, vna, eademque persona esset Deus, & homo, Deus ex diuinitate, & homo ex assumpta humanitate. Tum quia personalitas Verbi dum naturam assumit humanã, non deserit diuinam, cum sit ab illa realiter indistincta, imò etiam formaliter, cum in diuinis non detur distinctio ex natura rei, sed vna simplex formalitas admittens solum distinctionem virtualem, & rationis ratiocinatæ. Maior probatur, nam impossibile est, quod duo contradictoria simul reperiantur, & verificentur, sed si natura diuina, & humana in vno, eodemque supposito vnirentur, duo contradictoria reperirentur simul, simulque verificarentur; ergo &c. Tunc enim temporis de eadem persona verificaretur, quod esset creata, & non creata, mortalis, & non mortalis; &c. Resp. negando maiorem. Ad probationem dico illa non esse contradictoria, quia non verificantur de eadem persona, secundum eamdem naturam, & respectu eiusdem, sed secundum diuersam. Nam persona Christi dicitur mortalis secundum naturam humanam, & non mortalis seu immortalis secundum naturam diuinam, in quo nulla apparet contradictio.

31 Sed contra hanc solutionem instabis; nam implicat contradictionẽ, quod Christus D. possit peccare ratione humanitatis, vel quod possit denominari peccabilis ratione humanitatis: ergo etiam implicabit, quod sit mortalis ratione humanitatis, vel quod possit dici mortalis, aut denominari mortalis ratione humanitatis. Antecedens tradunt omnes, & nos infra probabimus. Conseq. probatur, nam non minus repugnat diuino supposito mortalitas quã peccabilitas, nec minus vnum quàm aliud obstat infinitati, & indefectibilitati diuini suppositi; ergo, &c. Respondet P. Orlãdus hoc loco *disp.* 1. *q.* 1. *n.* 21. negando conseq. & ad probationem dicit esse diuersam rationem de malo pœnæ vt est mors, & de malo culpæ vt est peccatum, quod malum pœnæ, quãtum est de se, non est destructiuum diuini esse, sed solum illius subiecti in quo exercetur. At malum culpæ, quantum est ex se, est destructiuum diuini esse, quia tollit à Deo rationem vltimi finis, & illam ponit in creatura.

32 Sed hæc solutio non placet, nã hic agimus de eodem subiecto peccante, & moriente, non de persona offensa, quæ est Deus, qui ex affectu peccantis destruitur per peccatum mortale, cum ab eo aufertur ratio vltimi finis. Loquendo ergo de subiecto peccante, certum est, quod peccatum ex se non destruit subiectum peccans vt deseruit mors; ergo quantum est ex ratione destructiui, magis opponitur subiecto peccante mors, quam ipsum peccatum, ac proinde ex hac parte magis contrariatur supposito Christi mors, quàm peccatum. Tum quia ita destrueret, imò magis destrueret diuinum esse mors, si in Deo dari posset, quàm peccatum, si in eo daretur, nam mors ex sui natura tendit ad destructionem esse subiecti in quo est, non peccatum, cum hoc solum ex sui ratione affectiuè, non effectiuè tendat in destructionem illius in quem peccatur. Tum etiam quia si per Orlandum mors destruit illud subiectũ in quo exercetur, sequitur quod cum exerceatur in hoc subiecto quod est Christus, illud destruat, & mors in Christo tendet directè, quantum est de se in destructionem esse ipsius Christi, & de facto destrueret si esset destruibile, ac proinde non minus mors repugnabit Christo quàm peccatum.

33 Hac ergo solutione relicta, resp. quod quãtum est ex parte subiecti pecan-

cantis, & morientis magis opponitur mors, quàm peccatum eidem subiecto; nam peccatum licet ex affectu peccantis destrueret ipsum Deum, etsi per impossibile reperiretur in Deo ipsum destrueret quatenus opponeretur alijs diuinis perfectionibus, non tamen quantum ad esse formalissimè, cum ad huius destructionem non tendat directè. At mors si in Deo reperiretur tenderet directè in destructionem ipsius esse, vt facit in creatis, licet illud non semper destruat, quando scilicet est indestruibile, vt contingit in nobis, & in Christo, vbi mors contentatur separatione animæ à corpore. Cæterum peccatum aliunde repugnat Christo, eo quod illi tribueretur, cum actiones sint suppositorum; vnde tenetur suppositum Christi illud impedire, aliàs sibi tribueretur saltem vt principio radicali. Dici etiam potest, quod aliter suppositum se habet in ordine ad peccatum, & aliter in ordine ad mortem, vel malum quodlibet pænæ, quod in ordine ad peccatum se habet vt principiũ efficiens morale saltem radicale, quod nullo modo diuino supposito conuenire potest. At in ordine ad mortem, & malum pænæ se habet vt principium passiuum, quando est capax passionis, & quando non est capax passionis, non se habet vt principium passiuum, vt in nostro casu, sed solum vt principium sustentans humanitatem, in qua mors, & quęlibet pęna est exercenda.

§. 3. *Proponuntur, & soluuntur alia argumenta contra eandem materiam.*

34 Tertium argumentum in ordine est, quia est denotatione intrinseca subsistentiæ creatæ, quod sit forma; ergo non potest à subsistentia diuina suppleri. Conseq. constat: implicat namque quod Deus, aut quid diuinum suppleat rationem formæ, quæ ex suo conceptu inuoluit imperfectionem tum partis, tum informantis. Antecedens probatur, nam subsistentia creata est essentialiter modus, ergo est essentialiter forma; de ratione namque modi est informare, & afficere rem cuius est modus. Quod autem subsistentia creata sit essentialiter modus, patet, nam cum sit quid creatum, & non sit substantia, cum substantiam compleat: neque accidens, cum accidens non possit esse complementum substantiæ in linea substantiæ, faciens ipsam subsistere, sequitur quod sit modus substantialis. Tum quia substantia vt sic, diuiditur in substantiam simpliciter, & secundum quid seu modalem, sed subsistentia non est substantia primo modo, ergo secundo modo, ac proinde erit modus. Tum etiam quia ista prædicatio *subsistentia creata est modus*, est prædicatio essentialis; ergo non potest suppleri nisi ab eo, quod est essentialiter modus, seu forma, qualis non est subsistentia diuina.

35 Resp. distinguendo antecedens: est de ratione subsistentiæ creatæ quod sit forma, vt dicit munus subsistendi, seu faciendi subsistere, negatur: sub conceptu rei creatæ, quatenus dicit esse substantiam creatam, incompletam, &c. conceditur. Pro quo nota, quod subsistentia creata potest considerari dupliciter. Vt est id *quo* substantia subsistit, & vt est id *quod*: seu potest considerari, & *vt quo*, & *vt quod*: vt est id *quo* substantia subsistit, non dependet à substantia, sed potius è contra; substantia ab ea dependet, ab ea perficitur, & hoc munus est perfectionis, ac proinde supplebile à subsistentia diuina, & hoc munus est proprius conceptus subsistentiæ vt sic. Cæterum subsistentia creata vt est id *quod* est, vt est quid creatum, vt est substantia, non simpliciter, & perfecta, sed secundum quid, est essentialiter modus, qua ratione nõ exerceret munus subsistentiæ, cum hoc modo non substantia ab ipsa dependeat, sed ipsa dependeat à substantia; quod munus cum sit imperfe-

ctionis nullo modo est supplebile per subsistentiam diuinam. Vel dicas, quod subsistentia creata habet duo munera, scilicet terminantis, & complentis substantiam, & hoc munus est proprium subsistentiæ, & habet munus formæ informantis, qua modus creatus est, & hoc ad officium, & rationem subsistentię non pertinet, & sic non est supplebile per diuinam subsistentiam. Quod si daretur, quod subsistentia esset pura subsistentia, tribueret subsistere, absque eo quod officio formæ frangeretur. Et sic cum subsistentia diuini Verbi sit tãtum subsistentia, poterit tribuere subsistere naturæ humanæ absque eo quod sit forma, &c.

36 Ad 1. probationem distinguitur antecedens: subsistentia creata est essentialiter modus vt exercet munus subsistendi, seu terminandi substantiam, negatur: vt est reduplicatiuè creata, seu prout consideratur vt est *quod*, non *vt quo*, conceditur. Vt enim subsistentia est subsistentia, seu vt est *id quo*, non dicit esse modum neque formam, sed præscindit, & dicit rationem termini complentis, & perficientis naturam. Per quæ patet ad alias probationes.

37 Sed contra hanc solutionem est, nam esse creatum, est prædicatum superius ad substantiam, & accidens, imò ad formalissimũ conceptum cuiuscumque subsistentiæ creatæ; ergo imbibitur in vltimo conceptu eiusdem subsistentiæ creatæ, ac proinde malè distinguimus subsistentiam creatam in conceptum rei creatæ, & subsistentiæ vt sic, prout scilicet exercet puram rationem termini; cum in hac ratione termini imbibatur ratio entis creati, nec potest dari entitas, formalitas, munus aliquod reale in quo intimè non imbibatur ratio entis creati. Et cum subsistentia creata vt est ens creatum non sit substantia completa, debet esse modus, ac proinde ratio modi erit ab ea inpræscindibilis, ac subinde insupplebilis.

38 Resp. negando antecedens, quod scilicet prædicatum entis creati, sit superius ad formalissimum conceptum subsistentiæ; est quidem superius ad substantiam, & accidens, & ad substantiam completam, & incompletam, ac proinde etiam ad subsistentiam: vt est forma, & modus, vt dependet à substantia, non tamen prout substantia ab ipsa dependet, ab ipsa terminatur, & completur, prout exercet munus subsistentiæ. Nam subsistentia formaliter, præcisè, & vt subsistentia est, nec includit in suo conceptu rationem formæ, aut modi nec esse creatum, aut conceptum entis creati; sed abstrahit ab esse creato, à modo, à forma, ac proinde est quid superius ad ad ens creatum, modum, & formam. Nam subsistentia vt sic diuiditur, & cõtrahitur per esse creatum, & increatum, ac proinde differentia creati, & est quid inferius, contrahens rationem superiorem. Deinde cum differentia inferior sit extra conceptum gradus superioris, non sit de illius conceptu, sequitur quod subsistentia secundum se non afferat esse creatum, esse modum, & formam, ac proinde suppleri poterit à pura subsistentia, non afferente in suo concepto nec rationem entis creati, nec rationem formæ, & modi, vt est subsistentia diuina: & licet subsistentia diuina sit iam contracta per esse diuinum, illud imbibat, tamen non terminat naturam humanam, qua includit per modum transcendentis ens diuinũ, sed qua subsistentia est, licet trahat etiã ad humanitatem esse, seu ens diuinum, vt infra dicetur.

39 Quartum argum. quoniam Deus neque de potentia absoluta potest supplere punctum, lineam, superficiem aut figuram, & tamen punctum habet rationem termini respectu lineæ, & linea respectu superficiei, &c. ergo neque poterit supplere subsistẽtiam creatam ex eo, quod habet rationem termini. Ad hoc argumentum respondeant aliqui negando antecedens, dicunt

cunt enim quod cum prædicta dicant rationem tum termini, tum entis, & modi, & ratio termini secundum se non dicat imperfectionem, aliàs non posset Deus eum supplere in natura humana, poterit eam supplere, non supplendo rationem entis, & modi, cum dicunt imperfectionem. Pater Orlandus *hic disp. 1. q. 1. n. 16.* putat, hoc esse impossibile, quia punctum, linea, &c. sunt quid imperfectum tum in ratione entis, & modi, tum etiam in ratione terminandi. At subsistentiã creatam supplere potest, quia licet dicat imperfectionem in ratione modi, non tamen in ratione terminandi. Sed quare ratio terminandi in puncto, &c. dicit imperfectionem, & eam non dicit in subsistentia? Si enim ratio terminandi secundum se non dicit imperfectionem neque in puncto eam dicit, sicut eam non dicit in subsistentia, & existentia.

40 Resp. sustinendo solutionem Orlandi, & ad replicam dicunt aliqui quod ratio terminandi in linea substantiæ, & modis substantialibus non dicit imperfectionem, benè tamen in linea accidentis, & in modis accidentalibus. Sed hoc non placet, quia est probabilis multorum sententia, de qua infra; quod Verbum diuinum potest assumere aliquod accidens v. g. quantitatem A. vel B. & tamen suppleret modum accidentalem; seu terminum accidentalem, per suam subsistentiam substantialem; ergo illi modi accidentales non inuoluunt imperfectionem, aliàs modi accidentales, vt inhærentia, non essent à Deo supplebiles. Dico ergo, quod aliqui termini ex suo conceptu dicunt imperfectionem, aliqui non, licet sint termini accidentales. Illi dicunt in suo conceptu imperfectionem, ac subinde sunt inseperabiles, qui sua ratione dicunt finitionem, limitationem, non vlteriorem progessionem, vt est punctum, linea, & qui sunt modi finientes, restringentes, limitantes, &c. Alij sunt modi perficientes rem quam modificant, non dicentes in suo conceptu rationem finitatis, seu imperfectionis, vt sunt modi subsistentiæ, & existentiæ, & isti cum ex suo conceptu dicant perfectionem, possunt à Deo suppleri.

41 Quintum argum. nam ea quæ dicunt infinitam distantiam, seu quæ infinitè distant, non possunt vniri, & facere vnum per se; sed Verbum diuinum, & natura humana distant infinitè; ergo in vna, eademque persona vniri non possunt. Ad hoc argum. respondet Orlandus *vbi supra nu. 16. argumento 3.* quod Verbum, & natura diuina distant infinitè in ratione perfectionis entitatiuæ, non tamen in ratione termini, & terminabilis, quia cum subsistentia Verbi sit infinita in ratione terminandi, clauditur sub illa quæcumque natura terminabilis, & hac ratione non distant infinitè.

42 Dices, quod subsistentia Verbi est infinita in ratione termini terminantis, & natura humana est finita in ratione naturæ terminabilis; ergo neque hoc modo possunt in vna, eademq; persona vniri. Respondet, quod hæc distãtia est in perfectione entitatiua, non in ratione termini, & terminabilis, quia natura humana re ipsa clauditur intra latitudinem naturæ terminabilis à persona diuina.

43 Sed hæc doctrina mihi videtur difficilis, nam personalitas diuina, formalissimè vt personalitas, seu vt subsistentia est, dicit in sua linea infinitatem, aliàs non posset esse formalissimus terminus diuinæ naturæ. Tum quia omnia diuina sunt in propria linea infinita, vt iustitia, misericordia relationes, &c. ergo etiam subsistentia erit infinita non solum in esse entis, seu entitatiuè, sed etiam formalissimè in esse subsistentiæ, seu in esse termini formalissimè. Tum etiam, quia natura diuina est infinita formalissimè in esse terminabilis; ergo etiam eius formalissimus terminus, vt talis erit infinitus. Tum denique, quia vt infra dicemus cum D. Thoma, & cũ alijs communiter, ideo subsistentia diuina, & non creata potest alienam naturam

turam terminare, quia est infinita in ratione termini, ac proinde potest extendi ad quocunque terminabile, Quocirca si darentur infinitę humanitates possent omnes assumi, quod non esset verum nisi diuini Verbi subsistentia esset infinita formalissimè in ratione termini.

44 Nec fundamentum illius auctoris placet, nam ex eo quod natura humana claudatur in ratione terminabilis, sub diuina subsistentia non sequitur, quod diuina subsistentia non sit infinita in ratione termini, & quod humana natura non sit finita in ratione terminabilis, sed solum sequitur quod licet diuina subsistentia sit infinita in ratione termini, & natura humana sit finita in ratione terminabilis, tamen ista distantia infinita est superabilis à subsistentia infinita, quia conueniunt in ratione termini, & terminabilis. Sicut licet inter diuinam omnipotentiam, & nihil, sit distantia infinita, tamen superabilis à diuina omnipotentia quæ quasi accedens ad nihil, quicquid vult ab eo extrahit. Pariformiter licet inter diuinam essentiam, & intellectum creatum detur infinita distantia, etiam in esse cognoscibilis, & cognoscitiui, tamen hæc distātia superatur à diuina essentia, ex eo, quod inter intellectum creatum, & Deū detur proportio in ratione cognoscibilis, & cognoscitiui, quæ sufficienter saluatur data infinitate dicta diuinæ essentiæ, & data finitate intellectus creati. Ita licet diuina subsistentia sit infinita in ratione termini, & natura humana sit finita in ratione terminabilis, tamen quia adhuc conseruant proportionem in ratione termini, & terminabilis, potest distantia ista infinita superari à subsistentia infinita. Aliàs si subsistentia diuina nequiret hanc distantiam superare, non esset infinita in linea subsistentiæ saltem in ordine ad terminabile secundum. Per quæ patet ad argumentum.

45 Sextum argum. natura humana non est capax perfectionis infinitæ, sed si posset terminari per diuinam subsistentiam esset capax perfectionis infinitæ; ergo, &c. Resp. quod sicut intellectus creatus recipiendo in se essentiam diuinam non perficitur infinitè, quia nō recipit diuinam essentiam vt primum perfectibile, ac proinde infinito modo, sed tantum modo finito, ita natura humana perficitur finito modo, quia non recipit diuinam personalitatem vt primū terminabile, sed vt secundum.

46 Dices, quod ideo diuina essentia non recipitur in intellectu beati secundum perfectionem infinitam, quia habet à quo eius receptio finiatur, recipitur enim ad mensuram dispositionis, scilicet luminis gloriæ, & hoc datur ad mensuram meritorum; sed in humanitate nihil datur à quo diuinæ subsistentiæ receptio finiatur; ergo, &c. Nec; valet, quod ista receptio finiatur ab vnione. Nam contra est, quia vnio non datur vt dispositio ad determinandam mensuram diuinæ subsistentiæ in esse recepti, sed ad vniendam naturam humanam cum Verbi diuini subsistentia. Resp. quod finitas receptionis non solū desumitur ex dispositione, sed etiam ex finitate, & capacitate subiecti, quod cum non sit primum receptibile, sed secundum, & inferius, non potest recipere suum receptibile secundum totam suam extensionem, sed ad mensuram suæ capacitatis. Hinc est, quod essentia diuina in beatis nō recipitur secundum totā intellectus capacitatem, sed ad mēsuram dispositionis. At diuina subsistentia in humanitate Christi recepta est secundum totam extensionem ad quam extendi potest, secundum eius potentiā obedientialem. Et licet receptio, & perfectio diuinę subsistentię fuerit exhausta per receptionem primi receptibilis ad intra, non tamen per receptionem secundi receptibilis, cum possit extendi ad infinita receptibilia, & omnia simul cum sint finita, non possunt æquare perfectionem primi receptibilis.

§. IV. Soluuntur argumenta probantia quod Deus mutaretur si alienam naturam terminaret.

47 Septimum argum. in ordine desumunt ex hoc quod Deus carnem assumendo mutaretur, & licet de hac re aliqua iam diximus, tamen pro clariori intelligentia alia hoc loco dicemus. Sic ergo arguebant Gentiles apud D. Dionys. *4. de Eccles. hierarch.* apud N. S. P. Cyrillum Alex. *de incarnat. Domin. Verbi cap. 24. lib. de recta fide ad Theodosium, & Epist. ad Nestorium*, quæ habetur tom. 1. Conciliorum in actis Concilij Ephes. p. 1. cap. 6. Apud N. Nazian. *orat. de fide*. Apud Sophronium *Epist. Synodali*, quæ habetur in act. 6. Synodi act. 11. Apud D. August. *lib. 83. quæst. q. 53.* Nam ex passibilitate incarnationis sequitur possibilitas mutationis; sed Deus possibiliter mutari non potest; ergo possibiliter incarnari nequit. Maior probatur nam mutari, est aliter se habere ex Arist. 3. & 5. *Phys.* sed Deus per incarnationem aliter se haberet, nam prius nō erat homo, postea est intrinsecè homo; ergo, &c. Tum quia mutari intrinsecè est transire de potentia ad actum, sed si Deus posset incarnari, posset transire de potentia ad actum; ergo si Deus posset incarnari, posset mutari. Tum quia Deum esse hominem non est denominatio extrinseca, sed intrinseca; ergo si Deus potest fieri homo, posset transire à non habente denominationem intrinsecam, ad habentem illam. Denominatio autem intrinseca non aduenit nisi per positionem formæ intrinsecè.

48 Ad hoc argumentum cum suis probationibus respondet P. Valentia, & alij post ipsum quod Deus per incarnationem non mutatur, quia per incarnationem nihil recipit, quod prius non recipit, quod prius non haberet vel formaliter, vel eminenter; vt autem Deus mutaretur, deberet aliquid recipere, quod ante non habebat: deberet aliquid de nouo fieri, quod prius non erat. At non est sic, quia licet Deus assumendo naturam humanam fiat homo formaliter, non tamen mutatur, quia prius erat homo eminenter, & sic de nouo non fit, quod prius non erat.

49 Sed hæc solutio non placet, nā etiam Sol est eminenter calidus, & tamen si fiat formaliter calidus mutatur. Tum quia intellectus, & quælibet potentia vitalis creata continet eminenter suum actum, & tamen mutatur, dum actum illum recipit. Tum etiam quia Deus continet eminenter calorem, & frigus; continet eminentur relationem realem similitudinis, identitatis, æquiparantiæ, disquiparantiæ, & tamen si ista in re reciperet, mutaretur.

50 Respondet Valentia quod intellectus creatus non continet eminenter suam intellectionem, quia ad hoc requireretur vt se ipso sine intellectione, posset efficere quicquid potest cum illa, vnde deberet, efficere habitum, augmentum, &c. quæ tamen se solo efficere non potest. Sed contra, quia hoc modo Deus neque contineret eminenter hominem, cum non possit Deus se solo facere, quod simul cum homine efficere potest. Cum homine potest efficere visionem, auditionem, &c. quæ se solo efficere non potest. Cōtinet Deus eminenter intellectionem, & volitionem, cum tamen se solo eas efficere non possit. Continet Deus eminenter ipsum intellectum creatum, & tamen se solo non potest producere intellectionem creatam. Cum enim sit actio vitalis, debet essentialiter oriri à suo principio vitali. Præterea licet Deus contineat eminenter naturam humanā, non tamen realiter, seu secundum esse reale, aliàs homo secundum esse reale creatum quod habet extra causas, esset non solum quoad suam perfectionem in Deo, sed esset in Deo secundum suā realitatem, ac proinde non fuisset in tempore creatus, sed ab æterno fuisset secundum totam suam realitatem, & sic

effet

esset ab æterno in Deo, nec fuisset in tempore creatus, sed quasi foras eductus, vt qui secundum rem erat iam in Deo, poneretur extra, & quasi extraheretur.

51 Vera, & communis solutio iã supra tradita est, ad hoc enim vt Deus mutaretur, oporteret quod aliquid de nouo reciperet intrinsecè, ad quod prius esset in potentia passiua. Mutari enim, vt rectè notat Cipullus hoc loco, & omnes D. Thomæ discipuli, non est quomodocũque aliter se habere nunc, & antea, sed recipiendo aliquid non inhærenter, & perfectiuè, seu per modum formæ perficientis. Quocirca licet Verbum diuinum per incarnationem aliter se habeat intrinsecè, non tamen formaliter inhęsiuè, sed tantum formaliter terminatiuè, & sic non dicitur mutari. Nam Verbum diuinum in incarnatione nec in se recipit vnionem, vt supra vidimus, quia hæc recipitur in humanitate, nec in se recipit humanitatem, sed solum eam terminat intrinsecè non per inhæsionem, sed per quandam intrinsecam adhæsionem. Vnde supra notauimus, quod non est officium vnionis inhærere, sed intrinsecè vnire, & connectere duo extrema; vnde licet vnio, quæ non est per se subsistens debeat alterutri parti inhærere, vt alteram nectat, non tamen quando vnio est per se subsistens, imò ipsa subsistentia, vt est subsistentia Verbi, tunc enim absq; inhærentia vtramq; partem, seu vtrumque extremum vnit, & conuertit intrinsecè.

52 Per quæ patet ad 1. probationem, nam licet Verbum ante incarnationem non esset intrinsecè homo, & postea sit intrinsecè homo, non tamen per intrinsecam receptionem, sed per intrinsecam terminationem, & vnionem. Ad mutationem autem non sufficit trãsire quoquo modo de potẽtia ad actum, sed de potentia receptiua ad actum receptum, non de potentia terminatiua, sed actum terminatum. Ad 2. probationem, fatemur Deum esse hominem non esse denominationem extrinsecam, sed intrinsecam, non causatã à forma recepta, hæc namque afferret mutationem in re denominata; sed causatam ab intrinseca terminatione, ab intrinseca vnione, & connexione. Vnde Verbum diuinum denominatur intrinsecè homo, intrinsecè vnitum humanitati, non subiectiuè, seu non ob aliquid intrinsecè receptum, sed terminatiuè, non extrinsecè, quo modo paries denominatur extrinsecè visus, sed intrinsecè per intrinsecum nexum, vt supra explicuimus.

53 Octauum argum. nam vniri est pati; ergo posse vniri est pati, ac proinde si Verbum diuinum posset vniri humanitati, posset pati, ac subinde mutari. Antecedens probatur; nam vnire est agere, ergo posse vnire, est posse agere, & vniri erit pati, & posse vniri erit posse pati. Resp. distinguendo antecedens. Vniri per receptionem alicuius, & per quod aliter se habeat, est pati, conceditur, vniri terminatiuè, & non receptiuè, est pati, negatur: in nostro autem casu Verbum diuinum vnitur humanitati nõ receptiuè, sed terminatiuè.

54 Nonum argum. nam in incarnatione natura humana intrinsecè perficitur, ergo per intrinsecam receptionẽ Verbi. Conseq. probatur, quia nihil intrinsecè perficitur, nisi per intrinsecam alicuius rei, seu perfectibilis receptionem. Resp. concedendo antecedens, & negando conseq. natura namque humana intrinsecè perficitur per receptionem vnionis; & intrinsecè perficitur per intrinsecam diuini Verbi terminationem, non receptionem. Vnde perfectio quam Verbum diuinum tribuit humanitati, non debet dici, quod tribuatur in genere causæ finalis, quia hoc modo denotaretur intrinseca receptio, sed debet dici in genere causæ terminatiuę. vel formalis terminatiuæ, cum isto addito.

55 Decimum argum. nam si daretur aliquis locus in quo Deus inciperet esse cum prius in eo non esset, mutaretur. Similiter mutaretur si aliquid de nouo cognosceret, si aliquid de nouo vellet, &c. ergo etiam mutaretur si daretur

retur aliqua natura cui Deus de nouo vniretur, cum prius non esset vnitus. Resp. concedendo antecedens, & negãdo conseq. Ratio discriminis est, quia in casibus antecedentis non se haberet tantum terminatiuè, sed subiectiuè, at in casu consequentis, solum terminatiuè se habet. Si enim Deus inciperet esse vbi prius non esset, hoc esset per receptionem alicuius, vbi, cum non esset per operationem per quam locum produceret, cum iam locus esset productus, & Deus in eo non esset; esse autem in loco per receptionem vbi, est mutari. Item mutatur si aliquid de nouo cognosceret, aut vellet, quia in tempore reciperet cognitionem, aut volitionem quam ab æterno non haberet. At in nostro casu nihil reciperet de nouo, sed solum de nouo terminaretur, quod nõ est mutari.

56 Vndecimum argum. si Deus posset incarnari, posset generari, pati, mori, moueri, &c. sed ista non possunt fieri sine mutatione; ergo, &c. Generatio namque est vera, & propria mutatio, vt constat ex Arist. in lib. de Generat. & corrupt. item pati est mutari, cum passio sit receptio rei disconuenientis, idem de morte, de motu, cum sit transitus ab vno in aliud locum. Resp. quod Christus D. dicitur generari, pati, mori, moueri, ac proinde mutari, non per aliquid receptum in ipsa Verbi diuini personalitate, sed per aliquid receptum in ipsa humanitate, vt ex dictis constat, & constabit ex infra dicendis de communicatione idiomatum.

57 Sed quæres 1. an per communicatione idiomatum concedi possit hęc propositio *Deus est mutatus in Verbi diuini incarnatione*? Affirmant aliqui Catholici, non quia in Deo, Verbo, aut diuina subsistentia sit facta aliqua mutatio: hoc enim falsum est, est namque hæresis Apollinaris, damnata in Concil. Ephes. & Calced. sed quia humanitas est mutata, ac proinde de Deo dicetur per communicationem idiomatum, sicut enim hoc modo dicitur Deus passus, mortuus, &c. ita potest dici Deus mutatus per mutationem factam in humanitate. Cœterum nullo modo illa propositio est concedenda; nam non omnes propositiones, neque omnia prędicata quę de humanitate dicuntur possunt per communicationem idiomatum dici de Deo, sed illa solum quæ conueniunt humanitati in concreto, vt hominem mori, pati, moueri, ambulare, &c. non quæ conueniunt in abstracto vt est assumi, non enim possumus dicere de Deo quod assumatur, vt dicitur de humanitate: nec possumus dicere Deum suppositari, vt dicitur de humanitate. Sic quia mutari potest etiam dici de humanitate, imò & de sola materia, & de sola forma, & de solis potentijs, propterea de Christo dici non possunt, nec de istis fit communicatio idiomatum, sed de hac re infra.

58 Quæres 2. an denominatio qua Deus dicitur homo sit Deo intrinseca, simpliciter, ita quod Deus intrinsecè simpliciter sit homo? Aliqui absolutè concedunt quod Deus absolutè, & simpliciter sit intrinsecè homo, ita vt denominatio hominis sit Deo simpliciter intrinseca. Nihilominus verius dicendum videtur, quod illa denominatio debeat dici intrinseca vnitiuè, seu terminatiuè: Deus enim factus est homo non per intrinsecam receptionem, sed per intrinsecam terminationem, per intrinsecum nexum, per intrinsecam vnionem. Quocirca Verbum diuinum denominatur homo, non quia aliquid intrinsecè recepit, sed quia intrinsecè est vnitum humanitati, quia subsistit in humanitate, &c.

DVBIVM II.

An de facto Verbum diuinum sit incarnatum.

59 DVbio præcedenti disputauimus contra Gentiles Philosophos, & alios negantes possibilitatem incarnationis, & ostendimus esse possibilem, aut non impossibilem, potissima eorum argumenta soluendo. In hoc dubio

bio disputandum est contra Iudæos admittentes possibilitatem incarnationis, & negantes de facto fuisse factam. Prima ergo sententia est, quod Messias in lege promissus, seu filius Dei nondum venerit, nondum carnem sumpserit; sic omnis caterua Iudæorum; quem errorē secuti aliqui hæretici, ex quibus quidā negarunt Christi D. diuinitatem, vt Carpocrates, Cherintus, Ebion, & alij, de quibus Irenæus *lib. 1. cap. 24. cum seq.* Tertull. *lib. 1. de præsumptionibus haretic. circa finem*, Theodoretus *lib. hæreticarum fabularum*, postea Theodotiani, Paulus Semosetanus, & Photinus, de quibus S. P. Aug. *hæres. 33.* Alij negarunt Christo veram humanitatem, vt Manichæi, qui dicebant non verum, sed phantasticum corpus habuisse. Alij, vt Valentinus, & alij dicebant Christum D. habuisse corpus cœleste, alij alia dixerunt, de quibus videri possunt S. Doctor *4. contra Gent. cap. 18. cum seq.* Alphonsus *de Castro lib. 4. contra hæreses, verb. Christus*; & Controuersistæ.

60 Veritas catholica seq. concl. explicatur. *De facto Verbum diuinum carnem nostram assumpsit, & est incarnatum.* Constat ex illo Ioan. 1. *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. Hęc conclusio directè est contra Iudęos, deinde est etiam contra iam citatos hęreticos, qui vel Christo diuinitatem, vel verām negarunt humanitatem, ad quos reduci possunt Apollinaris, qui dixit, quod corpus Christi non fuit de Virgine assumptum, sed quod aliquid Verbi fuit in carnem conuersum; occasionem sui impij erroris sumpsit ex citatis Ioan. verbis, scilicet. *Verbum caro factum est*, quæ sic interpretabatur: *Verbum est in carnem conuersum*, sicut dicitur Ioan. 2. *Vt gustauit Architriclinus aquam vinum factum*, id est aquam in vinum conuersam. Reducitur etiam Arius, cui consentit Apollinaris, qui dicebat, quod in Christo non fuit anima; sed sola caro assumpta, & diuinitas in carne faciebat, quod anima facit. Errorem suum fundauit Arius in illo dicto. *Verbum caro factum est*, vbi de sola carne, non de anima fit mentio. Cœterum Apollinaris postea recessit ab Ario, & confessus est, quod in Christo est etiam anima, sed sensitiua sine intellectu, & mente, quia Verbum diuinum fuit loco intellectus, & mentis. Mahumetani, licet non recognoscant Christum vt verum Deum, cum tamen recognoscunt vt magnum Prophetam, apud se regnasse fatentur, mirabiliaque multa fecisse, quocirca eum impunè non blasphemant.

61 Igitur & Iudæi, & Mahometani, & hæretici, & Gentiles fatentur Iesum Christum D. N. fuisse à Iudæis crucifixum, & hunc esse quem Christiani colunt, venerantur augustè, sanctèque. Vnde de Christi existentia nulla est dubitatio, cum tam fidelibus, quam infidelibus res nota sit, atq; manifesta. Difficultas solum est de eius diuinitate, vera humanitate, & hoc conabimur hoc loco probare. tum contra Iudæos, tum cōtra quoscumque eius diuinitatem, aut veram humanitatem negantes.

62 Probatur 1. Christus D. fecit plura miracula in confirmationem suæ diuinitatis, & humanitatis; ergo fuit verus Deus, & homo. Antecedens confessi sunt, & ipsi Iudæi, vnde dicebant. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit.* Lazari resurrectionem, Iudæi negare non potuerunt, cum facta fuerit in præsentia multorum illorum. Resurrectio filij viduæ fuit omnibus manifesta, & alia plura, de quibus non est dubitandum. Conseq. constat; nam cum miraculum sit diuinitatis sigillum, implicat quod à Deo fiat in testimonium falsitatis. Quocirca si quando Christus D. dixit se esse filius Dei, fuisset mentitus, vel si Christus D. fuisset magnus incantator, vsurpator diuinitatis, vt quidam Rabinus dixit mihi cum iter agerem, & irem Mutinam, nunquam diuina veritas tantum mendacium, tot signis, mirandisq; operibus, totam naturæ potentiam supergredientibus, approbasset, & confirmasset. Tum quia si Christus D. verax non erat, sed diuinitatis vsurpator, quomodo

do Petrus, coeterique eius discipuli solo eius nomine inuocatio : *in nomine Iesu Christi Nazareni*, curarunt tot insanabiles morbos: tot mortuos ad vitam reuocarunt, tot à dœmonio oppressos liberarunt, &c.

63 Probatur 2. nam Messias in lege promissus iam venit; sed iste non potuit esse alius nisi Christus D. ergo, &c. Patet autem, quod Messias in lege promissus fuit verus Deus, & verus homo. Maiorem negant Iudæi, putant enim Messiam nondum venisse, sed adhuc eum expectant. Sed probatur ex illo Hierem. 23. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen verum, & regnabit, &c.* In hoc loco promittitur Messias ex semine Dauid, sed non venit ante Christum, neque post Christum, ergo in Christo, ac proinde ipse Christus fuit verus Messias. Quod Messias non venerit ante Christum, admittunt Iudæi; quod neque post Christum, euidenter ostendo, quia in Christo finiuit germen, seu semen Dauid; ergo Messias, qui debebat esse ex semine Dauid, non posset esse post Christum. Quod autem in Christo, vel post Christum non remanserit germen Dauid, patet, nam vt etiam ipsi hebræi testantur, tempore Herodis ablatum fuit à Iudæis principatus, & sceptrum; Herodes namque fuit primus alienigena, qui in Iudæa regnauit; erat namq; iste Idumæus, qui Romanorum auxilio fretus debellauit Antigonum Regem Iudæorum, qui descendebat à Machabæis, & occidit omnem prolem regiam. Amplius combussit omnes libros de genealogia Regum, ne postea ipse deprehenderetur cum suis filijs alienus à Regno Dauid. Præterea interfecit Doctores legis, apud quos iudicandi, & discernendi potestas erat, qui latinè Senatus, hebraicè Sancherin appellabantur. Vnde tunc fuit verificatum illud Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium*; nam cum tempore Christi D. cessauerit sceptrum de Iuda, & transierit ad alienigenas, debuit tunc venire, qui mittendus erat, & erat expectatio Gentium.

64 Probatur 3. nam si Christus D. non fuisset verè filius Dei, sed fuisset, vt dicunt Iudæi Magus, incantator, & vsurpator diuinitatis, maximum Deo præstassent obsequium illum occidendo, persequendo, & de medio tollendo; sed non prestarunt Deo obsequium, sed grauissimum scelus commiserunt; ergo Christus D. fuit verè filius Dei. Maior nota est: Deo namque maximum obsequium præstat illa respublica, aut Communitas, quæ de medio tollit diuinitatem vsurpantes. Vnde si modo aliquis diuinitatem vsurparet, Ecclesia ipsum de medio tollendo maximum Deo obsequium prestaret; vindicaret namque Dei gloriam, quam ille iniquè vsurparet. Minorem negant Iudæi, dicunt enim se maximum Deo præstasse obsequium occidendo Christum, sed probatur illa minor, nam si Iudei maximum Deo prestassent obsequium, non fuissent post illud facinus grauissimis, ac diuturnis malis affecti: non est enim diuinæ bonitati consentaneum, eos tam diris, tam diuturnis malis afficere, tam grauibus ærũnis deturbare, qui sibi gratissimum prestant obsequium.

65 Occurrunt Hebræi, quod illa dira mala non fuerunt passi ob mortem, quam Christo Domino intulerunt, sed ob alia peccata. Sed ob quæ? dicant Iudæi quodnam fuerit illud grande facinus, in quo perpetrando totus populus concurrerit, nisi mors Christi pro qua exclamarunt. *Sanguis eis sit super nos, & super filios nostros*. Tum quia quomodo est possibile, quod Deus tam diuturnæ hebræos affligat, eorumque pænitentiam non exaudiat, si adhuc rectè in sua lege incederent; si adhuc eorum Regnũ perseueraret; Si adhuc Messias non venisset. Non exaudit, quia eorum lex per Christum mortua est, & mortifera; vnde quandiu in sua iniquitate perseuerant, non mereatur exaudiri, nec eos Deus restituet, cum restitu-

tio ad talem legem quæ iam cessauit nõ sit bona & poni non possit.

66 Probatur 4. quoniam si Christus D. non fuisset verus Deus, & homo, vt ipse dicebat, cum se & filium Dei, & filium hominis vocaret, non potuisset vitam transigere sine aliquo peccato in sua vita, & conuersatione, & sine aliquo errore in doctrina quam prædicabat; sed nullus vnquam ex inimicis licet intentissimis ad omnem cauillandi occasionem, eum de peccato arguere probabiliter potuit, cum tamen ipse ad eam redargutionem se exposuerit cum dixit. *Quis ex vobis arguet me de peccato.* Si Christus D. fuisset talis qualem putant Iudæi, scilicet Magus, incantator, diuinitatis vsurpator, non potuisset taliter se gerere, quin in eo plura peccata apparerent digna maxima redargutione. Qui enim, vt experientia millies docuit, sibi diuini nominis gloriam, & diuinitatem vsurpant, sunt improbi, elati, superbi, vanæ gloriæ cupidi, aliorum contemptores, simplicium, & pauperum abominatores. Item prædicant doctrinam non puram, omnia retorquent in propriam vtilitatem, &c. Non sic Christus D. qui non suam gloriam quæsiuit, sed Patris, honores, & simplices dilexit: nullam commoditatem habere voluit. Qui diuinitatem sibi vsurpant, non pernoctant in oratione Dei, vt faciebat Christus D. non contemnit honores, etiam primarios, vt fecit Christus D. qui fugit cum eum Regem facere vellent, &c.

67 Probatur 5. argumento quo vtitur Apost. 1. Cor. 1. dicens. *Videte fratres vocationem vestram, quod non multi potentes secũdum carnem, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret.* Deinde conuersus Apostolus ad huius mũdi sapientes dicit. *Vbi sapiens? vbi scriba? Vbi inquisitor huius sæculi? Omnes victi sunt, & superati per sapientiã crucis.* O si Iudæi, Gentiles, hæretici, & quot quot Christi fidem non tenent, ponderarent vim huius argumẽti, fidem Christi ex animo amplecterentur. Vis namque Apostolici argumenti maxima est, quod scilicet homines piscatores, illiterati, rudes, & ignobiles vniuersum mundum ad adorandum hominem crucifixum, & vt eum pro Deo haberet, conuerterunt, cum tamen contra essent armati Dæmones, sapientes huius mundi, Philosophi, Rhetores, Dialectici, potentes huius sæculi, Reges, Imperatores, tenente contra illos pauperes paratos acutos gladios, sartagines, equuleos, bestiarum dentes, &c.

68 Dicent fortè ad infringendam vim huius argumenti, quod etiam Mahumetus fuit vir rudis, & tamen tot sequaces habuit, vt eius secta durat vsque in hodiernum diem satis dilatata. Resp. quod Mahumetus non paupertate, sed armis, & violentia, illos populos oppressit, vt ex historijs notum est; tum quia dedit illis facilia præcepta, legemque facilem præscripsit, quæ doctrinæ omnium Philosophorum moralium, & rectè sentientium aduersatur. Præterea dedit legem ad libidinem ducentem, & voracitatem, ad quæ vulgus, insipientes, indocti, carnales, facile inducuntur. At Apostoli suaderunt castitatem, temperantiam, continentiam, vitamque sanctissimam. Post Christum Ecclesiam ædificarunt, Christianorum rempublicam fundarunt, aduersus quam portæ inferi numquam præualebunt, eam facientes taliter inuictam, & insuperabilem, quod nec bellis, nec Imperatorũ, & tyrannorum persecutionibus, pauper, inermis, infirma, mansueta potuerit superari. Quotidie Christiani occidebantur, & eorum numerus ex illa occisione magis crescebat. Roma, quæ vniuersum penè orbem subiugauerat, non potuit Ecclesiam pauperem Christi sponsam, subiugare. Imò ipsa subiugata est, & dulci Christi iugo subiecta, cum omni imperio suo.

69 Deus immortalis, quis vnquam di-

dixisset; quod fides Christiana per Apostolos per totum mundum decantata, potuisset exterminare cultum idolorũ; falsorumque Deorum, in toto orbe terrarum sic radicatum, præscriptum, & firmatum? Digitus Dei fuit hic; hoc grande opus à solo Deo fieri potuit: hæc tanta Orbis mutatio Christo erat reseruata: hæc gloria crucis: hic est mirabilis meritorum Christi effectus: in hoc apparuit filius: in hoc increata potentia, & sapientia creatoris. Tantum dixit Euangelista Ioan. cum ait. *In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opere diaboli.* Non potuit esse opus diaboli, nec hominis maligni, magi, incantatoris, vsurpatoris, diuinitatis, & gloriæ Dei, destructio regni satanæ, eliminatio cultus illius, & plantatio doctrinæ prorsus cælestis. Cæterum quia de hac materia plura diximus 2. 2. vbi de notis Ecclesiæ ideo hic sisto, qui plura videre cupit videat ibi, & D. Thomæ expositores hoc loco. Soluuntur argum. in contrarium.

70 Primum argum. nam si Verbum diuinum fuisset incarnatum, vbicumque esset Verbum, ibi esset humanitas assumpta, sed hoc est falsum; ergo Verbum diuinum non fuit incarnatum. Maior constat, nam quoties aliqua duo sũt intimè vnita, vbicumque ponitur vnum, debet poni & aliud, sed Verbum diuinum, & humanitas sunt intimè vnita; ergo vbicumque ponatur Verbum, ibidem ponetur humanitas; aliàs si Verbũ poneretur in aliquo loco, & ibi non poneretur humanitas, Verbum non esset intimè vnitum humanitati. Minor etiam constat, nam humanitas non est vbique vt est Verbum. Resp. negando maiorem. Si Verbum diuinum vniretur humanitati totum, & totaliter, tunc curreret argumentum, quod scilicet vbicumque ponitur Verbum, ibi poni deberet humanitas; at non vnitur totum, & totaliter, sed tantum secundum capacitatem eiusdem naturæ humanæ, tribuendo id quod tribueret propria subsistentia si adesset, quod ex solutione sequentis magis explicatum manebit.

71 Secundum argum. Implicat, quod diuina subsistentia faciat subsistere naturam humanam, & non tribuat illi suam immensitatem, quæ est eius effectus formalis, vel secundum alios immensitas est formalissimè idem cum subsistentia, aut saltem est prædicatum essentiale illius, sed implicat quod immensitas tribuatur humanitati, cum sit incapax illius, & sit propria diuinitatis; ergo, &c. Cum enim diuina subsistentia sit prorsus indiuisibilis, non potest vniri secundum vnum prædicatum, & non secundum aliud. Resp. quod licet immensitas sit idem cum diuini Verbi subsistentia, & sit prædicatum essentiale illius, adhuc potest vniri secundum vnum & non secundum aliud ratione incapacitatis subiecti. Diuina subsistentia respectu primi terminabilis vnitur tota, & totaliter, & secundum omnia prædicata, quia eo ipso quod est primum terminabile est sibi æquè correspondens. At respectu secundi terminabilis, & non æquè proportionati, non æquè vnitur: non tota, & totaliter, sed iuxta capacitatem illius. Exemplum habemus in diuina essentia respectu secundi recepti, scilicet intellectus creati, vbi non recipitur tota, & totaliter, aliàs comprehenderetur, sed iuxta capacitatem, & dispositionem illius. Item recipitur diuina essentia vt fungitur officio speciei intelligibilis, non intellectionis, cum tamen diuinum intelligere sit prædicatum essentiale, imò formalissimum constitutiuum illius, *vt 1. p. disp.* 14. ostendimus.

72 Tertium argum. nam quæ ex sola Dei voluntate proueniunt, & excedunt omne naturæ debitum, non innotescunt nobis, nisi quatenus deducuntur ex Sacra Scriptura; sed incarnatio Verbi diuini, non habetur ex Sacra Scriptura quod sit facta, sed potius quod sit fienda; ergo, &c. Minor in qua est difficultas sic ab Hebræis probatur, ex illo Isa. 2. *Erit in nouissimis diebus præparatus mons Domus Domini super vertice montium, &c. Conflabunt gladios tuos in vomeres,*

meres, & lanceas suas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercitabuntur vltra ad prælium. Ex quo loco inferunt Iudæi, quod aduentus Messiæ *erit in nouissimis diebus*; Iesus autem Nazarenus non fuit in nouissimis diebus; deinde dicunt, quod in aduentu Messiæ mons Sion erit in vertice Montium, quia eleuabitur super omnes mõtes, quod in aduentu Iesus non fuit factum. Nec omnes gentes crediderunt in illum. Nec etiam fuit verificatum, quod non leuabit gens contra gentem gladium, quia adhuc non cessarunt bella in mundo. Resp. negando minorem: ad probationem dico cũ communi sensu expositorum, quod ly *in nouissimis diebus*, non stat pro fine mundi, cum nec ipsi Iudæi sic intelligant, sed pro tempore noui testamenti, in quo data est lex gratiæ, quæ est nouissima, & vltima, post quam nulla alia dabitur: vt enim ostendimus in tract. de leg. noua, lex durabit vsque ad mundi finem. Ad illud quod dicitur de Monte Sion, dico, quod non debet intelligi materialiter, sed spiritualiter, quatenus tanta prodigia debebant fieri in illo monte, quod super omnes debebat eleuari, seu nobilitari, & hoc factum est tempore Christi, nam ibi illuminauit cæcum natum; ibi multos sanauit; ibi Spiritus S. fuit missus; ibi Eucharistiæ Sacramentum fuit institutum, & multa mira operata sunt. Illud quod *non leuabit gens contra gentem, &c.* habuit veritatem toto tempore quo Christus D. fuit in mundo, toto namque è tempore Orbis fuit in pace compositus.

73 Quartum argum. desumunt ex illo Isa. 11. *Egredietur virga de radice Iesse*, & sequitur. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit*, per quod denotatur, quod tempore Messiæ animalia syluestria, ita cicurabuntur, seu domesticabuntur, quod pacificè habitabunt cum mansuetis, & domesticis; sed hoc non fuit factum tempore Christi; ergo Christus non fuit verus Messias. Resp. quod ille locus non debet intelligi formaliter, sed metaphoricè; eo modo quo Gen. 40. dicitur *Beniamin lupus rapax, Nephtalim Ceruus emissarius*; vnde illorum verborum sensus est, quod in aduentu Messiæ habitabunt simul Gentilis, & Iudæus, qui prius erãt inimici, postea pacificè habitabunt, post conuersionem ad fidem: item qui prius erant vt lupi, vt Saulus, raptores, &c. fient mansueti, & habitabunt cum mansuetis, &c.

DVBIVM III.

An intellectus creatus solo naturali lumine possit cognoscere possibilitatem incarnationis.

74 Conueniunt omnes Theologi, quod futuritio incarnationis, non potuit euidenter cognosci lumine naturali. Ratio est euidens, quia futuritio incarnationis pendet ex libera Dei voluntate; liberam autem Dei voluntatem sine reuelatione, nullus cognoscere potest; ac proinde de incarnationis possibilitate, præsens dubium procedit. Conueniunt etiam omnes posse intellectum creatum siue Angelicum, siue humanum cognoscere, quod mysterium incarnationis non est euidenter impossibile; ad ostendendum namque aliquid non esse impossibile sufficit quod rationes ostendentes impossibilitatem sufficienter soluantur, vt postea videbitur. Plures etiam concedunt, quod si ista quæstio proponeretur Angelo, posset lumine naturali probabiliter cognoscere incarnationem esse possibilem. Ratio est, quia Angeli sciunt fieri posse totum id quod non inuoluit contradictionem; sed incarnatio non inuoluit cõtradictionem, vt patet; ergo Angelus posset cognoscere esse probabiliter possibilem. Probabiliter inquam, non certò, quia cum Angeli non comprehendant Verbum, neque vnionem, non possunt certò scire nullam esse implicantiam ex parte Verbi, & vnionis, vel hu-

humanitatis. Tum quia licet Angeli scire possint naturali lumine incarnationem esse probabiliter possibilem, non tamen possunt id clarè cognoscere, neque intelligere modum, quo incarnatio fieri potest, quia cum potentia Dei sit infinita, debet aliquid posse efficere, quod à creatura comprehendi non potest, incarnatio autem est præclarissimum, & perfectissimum opus, quod à Deo fieri potest, vt docent S. Leo *serm. 8. de natiu.* S. Maximus *Conc. de Natiuit.* S. Doctor 4. *contra Gent. cap.* 27. & alij. Verum vt ista magis maneat explicata sequentes §. §. pono.

§. I. An intellectus creatus possit certò, & euidenter cognoscere possibilitatem Incarnationis.

75 DE certa, & euidenti cognitione procedit præsens difficultas, loquimur enim de cognitione naturali, quæ eo ipso quod est certa, est etiã euidens, nisi sit fidei humanæ, quæ potest esse certa, & non euidens, vt quod Roma sit; in hoc autem casu non loquimur de cognitione incarnationis per fidem humanam, cum hoc modo non possit esse certa, eo modo quo certum est Romam, quia vt suppono non est communis omnium consensus, quod incarnatio sit possibilis, sicut est de possibilitate, & existentia Romæ, fundata in tot hominibus qui eam viderunt; cum in nostro casu nullus sit, qui eam possibilitatem naturæ viribus viderit. An autem iam facta reuelatione possit certo credi ab illis quibus reuelatio facta non est, fide humana, ex dicendis colligi poterit; nam de illis qui iam credunt, est aliquorum sententia affirmatiua, de quo *in seq.*

76 Prima sententia est, quod licet existentia incarnationis non possit ab intellectu creato euidenter cognosci, tamen eius possibilitas cognosci potest certò & euidenter tum ab intellectu tũ Angelico, tum humano. Sic Valentia *hoc loco disp. 1. punc. 2*, & alij. Secunda sententia est, quod illi qui iam habent fidem huius mysterij, possunt vtendo lumine naturali certò, & euidenter cognoscere possibilitatem incarnationis. Hanc sent. sequitur Medina *hoc loco qu. introduc. in solut.* 2. *argum. ex ijs, quæ secundo loco proponit*; quam alij sequuntur.

77 Nostra sententia seq. concl. explicatur. Prima conclusio. *Nullus intellectus creatus siue humanus, siue Angelicus, potest absolutè proprijs viribus certò, & euidenter cognoscere possibilitatem incarnationis.* Hæc concl. est communis Theologorum sententia vt testatur Cipullus *hoc loco q. 1. art. 1. dub. 4. n. 2.* pro qua videri potest Orlandus, Lugo, Pesantius & alij in præsenti. Colligitur ex Sacra Scriptura, quæ hoc mysterium vocat Sacramentum absconditum: magnum pietatis Sacramentum; *ad Eph. 3. & 1. ad Tim. 3.* & Isa. 53. dicitur. *Generationem eius quis enarrabit*, qui locus communiter interpretatur de incarnatione, seu generatione in tempore facta. Hinc Concil. Toletan. II. de hoc magno mysterio dicit. *Si ratione ostendi posset, non esset mirabile, si exemplo non esset singulare.* Sed ag[...]mus rationibus contra Valentiam.

78 Prima ratio. Illud solum naturaliter certò, & euidenter cognoscere potest intellectus creatus, quod continetur intra suum obiectum proportionatum; sed incarnatio diuini Verbi non continetur infra obiectum proportionatum intellectus creati; ergo, non potest eam naturaliter certò, & euidenter cognoscere. Maior nota est, nam quoties obiectum non est proportionatum potentiæ, non est sibi naturaliter commensuratum, ac proinde vt illud certò, & euidenter cognoscat, indiget aliquo quo illi proportionetur, & commensuretur. Hinc est quod ad hoc vt intellectus creatus cognoscat Deũ clarè in Patria, indiget lumine gloriæ per quod intellectus beati aliquo modo proportionetur, & commensuretur diuinæ essentiæ, sine quo lumine nunquã intellectus beatus eleuabitur ad videndum

dum

dum Deum clarè, aliàs incideremus in errorum Beguardorum, & Beguinarum, qui sine lumine glorię putabant se posse Deum videre, qui error condemnatus est *Clement. ad nostrum, de hæret.* Minor probatur, nam Diuini Verbi incarnatio, est entitatiuè supernaturalis, transcendens totam naturam creatam, & creabilem; ergo non est obiectum proportionatum, & commensuratum intellectus creati, sed transcendens, ad quod intellectus non nisi per eleuationẽ pertingere potest. Quomodo enim intellectus creatus clarè, & euidenter cognoscere potest, hoc magnum, & nouum mysterium in quo humana natura est in Verbo *velut ferrum in igne*, vt dicit Origenes *lib.2. Periorchon cap.6.* semper namque in Verbo, semper in sapientia, semper in Deo posita est, *velut ferrum in igne*, tota ignis effecta, vt neque diuinus ignis ab ea cesset aliquando, neque ipsa ab igne separetur, indesinenter ardet, tota ignis effecta, ideoque ad quodlibet malum inconuertibilis, & immutabilis.

79 Secunda ratio, nam lumen naturale intellectus creati, solum ad naturalia certò, & euidenter cognoscenda se extendere potest; sed incarnatio diuini Verbi non est ordinis naturalis; ergo non potest naturaliter certò, & euidenter cognosci. Sed dices pro Valentia, quod licet Verbi diuini incarnatio in esse rei, & quidditatiuè non sit ordinis naturalis, sed supernaturalis, ac proinde non contineatur hoc modo intra obiectum proportionatum intellectus, tamen in esse cognoscibilis est ordinis naturalis, & continetur intra obiectum proportionatum intellectus creati.

80 Sed contra, quia ita se habet res ad esse, sicut ad cognosci, & è contra; ergo si diuini Verbi incarnatio quoad esse, est supernaturalis, etiam quoad cognosci debet esse supernaturalis; cognitio namque sequitur esse: & ex eo quod res est, vel non est propositio, seu cognitio, dicitur vera, vel falsa. Tum quia veritas obiectiua, quæ in specie, vel verbo repræsentatur, debet conformari, & esse eiusdem ordinis ac est veritas à parte rei; ergo si à parte rei est supernaturalis, etiam in cognosci debet esse supernaturalis; aliàs cognosci non proportionaretur rei, & cognitio esset falsa.

81 Tertia ratio, nam si Verbi diuini incarnatio esset naturaliter cognoscibilis certò, & euidenter ab intellectu creato, vel cognosceretur per causam naturalem, vel per effectum naturalem; seu vel à priori, vel à posteriori; sed neutro modo cognosci potest; ergo nullo modo. Maior nota est: omnis namque cognitio naturalis creata, & euidens, vel est à priori, seu per causam, vel à posteriori, seu per effectum: id namque quod reddit cognitionem rectam, & euidentem, est cognoscere causam, vel effectum rei cognitæ. Minor probatur; nam Verbi diuini incarnatio nullam habet causam naturalem, cum qua naturaliter nectatur, & naturalem habeat connexionem. Nullam namque causam habet incarnatio nisi diuinam voluntatem liberè eam decernentem: liberam autem Dei voluntatem, nullus naturaliter cognoscere potest: & dato quod eam cognosceret, adhuc ex cognitione illius non posset certò, & infallibiliter cognoscere incarnationem, cum non haberet necessariam cum ea connexionem, sed tantum liberam. Neque diuini Verbi incarnatio cognosci certò, & euidenter potest naturaliter ab intellectu creato per effectum aliquem naturalem, necessariò connexum cum dicta incarnatione; nam incarnatio possibilis nullum habet effectũ; ergo per effectum non potest cognosci infallibiliter, seu certò, & euidenter incarnatio. Deinde dato, quod haberet effectum, vel esset supernaturalis, vel dato, quod esset naturalis, non esset necessarius, sed liber.

82 Quarta ratio, nulla datur species naturalis per quam Verbi diuini incarnatio repræsentetur; ergo non potest certò, & euidenter cognosci. Conseq. nota est: nihil enim cognosci potest, nisi

per

per speciem. Antecedens probatur, nam si Verbi diuini incarnatio haberet speciem, vel esset propria, vel alterius obiecti: non propria, quia propria species repræsentans quidditatiuè, certò, & infallibiliter Verbum diuinum vt possibiliter incarnandum non potest esse alia nisi diuina essentia, quæ nonnisi in visione beata vnitur, & claré Verbum diuinum repræsentat. Neque potest esse species alterius obiecti, quia nulla species creata potest certò, & euidenter repræsentare Verbum diuinum vt possibiliter incarnandum, aliàs esset eiusdem naturæ cum ipso, quod implicat, vt 1. *p. qu.* 12. ostendimus. Deinde dato, quod detur illa species, vel repræsentaret Verbum diuinum vt possibiliter incarnandum naturaliter, sed est beneplacito diuinæ voluntatis. Non liberè, quia species non repræsentant liberè, sed naturaliter posito obiecto repræsentando, vt patet.

83 Occurres pro Valentia, quod licet Verbum diuinum, & quodlibet ens supernaturale non possit per speciem creatam cognosci prout est in se compræhensiuè, & quidditatiuè, potest tamen cognosci quoad an est, & quidditatiuè imperfectè, ex alijs namque quæ naturaliter cognoscimus possumus deuenire in cognitionem alicuius entis supernaturalis, vt quod Verbum diuinum alienam possit terminare naturam. Sicut enim ex cognitione diuinæ omnipotentiæ, quæ naturaliter cognoscitur, & demonstratur, possumus per discursum cognoscere Deum posse aliquid facere, quod superet totius naturæ vires: ita ex hoc quod cognoscimus, quod Verbum diuinum est infinitum in ratione terminandi, cognoscere poterimus naturę lumine, quod potest alienam naturam terminare.

84 Sed contra, quia licet per speciem creatam possumus cognoscere Deum non solum quoad an est, sed etiã quoad quid est vt pertinet ad ordinem naturalem, non tamen quoad quid est vt pertinet ad ordinem supernaturalem; sed Verbum diuinum posse possibiliter incarnari pertinet ad ordinem supernaturalem; ergo non potest per speciem creatam naturaliter cognosci. Maior constat, quia species non refert, seu non repræsentat nisi id quod continet in se, ergo cum sit naturalis, & rei naturalis, nonnisi obiectum ordinis naturalis repræsentare poterit. Minor nota est. Verbum namque diuinum posse alienam naturam terminare, transcendit totum naturæ ordinem, sicut Deum esse hominem, & hominem eleuari ad esse Deum transcendit totum naturę ordinem; aliàs naturaliter homo posset esse formaliter Deus, quod est absurdum.

85 Nec illud quod dicitur de diuina omnipotentia est ad rem, licet enim intellectus creatus ex cognitionè diuinæ omnipotentiæ possit cognoscere, quod Deus possit aliquid facere, quod humanam transcendat intelligentiam; non tamen cognoscere potest, quod possit facere aliquid supernaturale in particulari. Quod maximè dici debet de incarnationis mysterio, cum in rerum natura nullum detur medium inferens per necessariam connexionem esse possibilem vnionem inter Deum, & hominem, non solum perfectè, sed neque imperfectè; cum omnes vniones creatæ vtrũque extremum afficiant, & nulla sit, quæ solum sit in vno extremo, illique soli inhæreat, in alio autem sit quidem intrinsecè, non inhæsiuè, sed veluti adhæsiuè, connectiuè, seu terminatiuè, ac proinde cum in tota rerum creatarum collectione nulla huiusmodi vnio reperiatur, non potuit intellectus creatus eam etiam imperfectè cognoscere.

86 Quinta ratio, nam non potest cognosci diuini Verbi incarnatio, nisi cognoscatur mysterium Sanctissimæ Trinitatis, sed hoc mysterium nullo naturali lumine cognosci potest; ergo neque diuini Verbi incarnatio. Maior constat. Cum enim incarnatio Verbi diuini sit incarnatio secundæ personæ Sanctissimæ Trinitatis, & hæc cognosci non possit sine prima, nec prima, & secunda sine tertia, sequitur, quod incarnatio Verbi

D co-

cognosci non possit sine cognitione Sãctissimę Trinitatis. Minor etiam constat: nam mysterium Sanctissimæ Trinitatis transcendit totam naturam creatam, & creabilem; ex principijs namque naturalibus non possumus venire in cognitionem nisi Dei vt vnus est, non vt Trinus. Hinc Philosophi naturali lumine ducti cognouerunt Deum vt vnum, non vt Trinum.

87 Occurres pro Valentia: quod ex dicta ratione solum colligitur, quod Verbi diuini incarnatio non possit cognosci lumine naturali, cum hoc lumen non possit cognosci Deus vt Trinus. Tamen potest cognosci incarnatio Dei vt vnus Deus, qui lumine naturali cognosci potest; & cognouerunt Philosophi Gentiles. Sed contra, nam licet Philosophi Gentiles cognouerint Deum vt vnum, vt naturæ auctorem, non tamen cognouerunt, quod poterit humanam naturam terminare, & fieri hominem, hoc enim superat totam naturam creatam, & creabilem. Tum quia incarnatio quocumque modo sumatur, erit semper supernaturalis, & ordinis hypostatici. Theologi namq. triplicem assignant ordinem, naturæ scilicet, gratię, & vnionis hypostaticæ, quæ omnes superat, & ipsum ordinem gratiæ longè excedit. Tum etiam quia si vnio hypostatica fieret in subsistentia absoluta, cum sit cõmunis tribus personis diuinis, fieret dicta vnio cum tribus personis diuinis, ac proinde semper currit ratio supernaturalitatis.

88 Secunda concl. *Adhuc supposita fide, non potest intellectus creatus proprijs viribus cognoscere certò, & euidenter possibilitatem incarnationis Verbi Dei.* Sic tradunt omnes Theologi hoc loco. Colligitur ex illo D. Ambros. in 2. Epist. ad Cor. cap. 2. *Abscondita est ergo Dei sapientia, non humana ratione possibilis, sed spiritus efficacia credibilis.* Hanc concl. probant omnes rationes pro prima conclus. propositæ. Deinde sic confirmatur nam adhuc supposita fide, intellectus creatus nullum habet mediũ per quod dicta possibilitas inferratur certò, & euidenter; vel enim hoc est medium fidei, & hoc non potest inducere nisi in assensum fidei; vel est medium naturale scientificum, & hoc non datur; cum nullum medium naturale possit demonstrare rem ordinis supernaturalis, nec res ordinis supernaturalis possit demonstrari per rem ordinis naturalis, & inferioris, quia naturalia non nectuntur, nec inferunt supernaturalia.

§. II. Soluuntur argumenta in contrarium.

89 PRimum argum. nam si ob aliquam rationem possibilitas incarnationis non posset lumine naturali euidenter cognosci, maximè quia est ordinis supernaturalis; sed hæc ratio est nulla; ergo, &c. Minor probatur, nam Deum esse vnum non est minus supernaturale, quam sit possibilitas incarnationis, sed Deum esse vnum cognoscitur euidenter lumine naturali: ergo eodem lumine cognosci poterit possibilitas incarnationis. Maior probatur, quia ideo possibilitas incarnationis est supernaturalis quia inuoluit, seu includitur in mysterio Trinitatis, vt in vltima ratione pro prima concl. diximus; Sed Deum esse vnum, seu vnitas Dei includitur in mysterio Trinitatis, non minus quàm possibilitas incarnationis: ergo, &c.

90 Ad hoc argum. respondet Cipullus *hoc loco dub. 4. n. 37.* quod non est eadem ratio de vnitate Dei, & de possibilitate incarnationis, nam hæc est omnino supernaturalis, quia non solum est in se supernaturalis, sed neque habet necessariam connexionem cum rebus naturalibus, ac proinde cognosci nequit lumine naturali. At vnitas Dei licet sit in se supernaturalis, tamen habet necessariam connexionem cum rebus naturalibus propter essentialem dependẽtiam quam habent à Deo, quia ad extra non operatur nisi vt vnus.

91 Cæterum hæc solutio non placet, implicat namque quod res naturalis

lis habeat essentialem dependentiam cum re in se supernaturali: implicat, quod res ordinis naturalis habeat necessariam cōnexionem cum re supernaturali: implicat quod medium naturale, cum sit ordinis inferioris, & improportionatum, ostendat claram, & euidentem connexionem rei supernaturalis. Tum quia videtur Cipullus incidere in sententiam Michaelis Baij, quam damnarunt Pius V. & Gregor. XIII. qui negabat dari amorem Dei auctoris naturalis, & solum admittebat amorem Dei auctoris supernaturalis, ex eo quod in Deo non distinguantur esse auctorem naturæ, & esse auctorem supernaturalem.

92 Hac ergo solutione relicta resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dico, quod Deus vt vnus & est ordinis supernaturalis, & est ordinis naturalis: vt intrat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis est ordinis supernaturalis, & hoc modo nullam habet connexionem cum rebus naturalibus, nec hoc modo potest demonstrari: sicut neque demonstrari potest vt est auctor gratiæ, vt gratiam, & res supernaturales causat. At vt est auctor naturæ, vt eius bonitas relucet in creaturis, vt est participalis à creaturis naturalibus, vt est fons, & origo bonitatis naturalis, vt est vltimus finis naturalis, &c. demonstratur, & habet connexionem cum creaturis, quia hoc modo non dicit supernaturalitatem. Sed non desinas videre quæ trado *De Fide, Spe, & Charitate disp. 25. dub. 1. §. 3. & 4. per totos*, vbi hæc res fusè contra Vasquez explicatur.

93 Secundum argum. nam contrariorum eadem est ratio, & disciplina, sed impossibilitas alicuius rei, quæ etiam desumitur per ordinem ad diuinam omnipotentiam, cognosci potest lumine naturali, ergo etiam possibilitas. Minor probatur, nam impossibilitas, quod homo sit irrationalis desumitur etiam per ordinem ad diuinam omnipotentiam, nam neque de potentia absoluta potest homo esse irrationalis; sed hoc cognoscitur lumine naturali; ergo, &c. Resp. concedendo maiorem, & distinguendo minorem. Impossibilitas quæ desumitur per ordinem ad diuinam omnipotētiam supernaturalem cognoscitur lumine naturali, & negatur: quæ desumitur per ordinem ad diuinam omnipotentiā naturalem, & conceditur. Hoc probat argumentum propositum, & non aliud.

94 Tertium argum. quod non pertinet ad fidem, aut Theologiam, est cognoscibile lumine naturali; sed Deum posse incarnari non pertinet ad fidem, aut Theologiam; ergo potest lumine naturali cognosci. Maior constat, omne namque ens supernaturale pertinere debet ad aliquod lumen supernaturale, hoc autem in via est vel fidei, vel Theologiæ. Minor probatur; nam non pertinet ad fidem, quod enim est præambulum ad fidem, non pertinet ad fidem; sed possibilitas incarnationis est præambulum ad fidem; ergo. Neque pertinet ad Theologiam, quia præambulum ad fidem non pertinet ad Theologiā. Resp. maiorem non esse vniuersaliter veram; nam ad fidem ea solum pertinent, quæ cadunt sub diuina reuelatione, non est autem necesse, quod omnia entia supernaturalia cadant sub diuina reuelatione. Idem dic de Theologia, quæ non considerat omnia entia supernaturalia, sed ea dumtaxat, quæ cadunt sub fide, mysteria namque fidei sunt principia Theologiæ. Deinde data maiori negatur minor; nam possibilitas incarnationis cadit sub fide ratione diuinæ omnipotentiæ, & hoc modo cadere potest sub Theologia.

§. 3. An intellectus creatus possit euidenter cognoscere non implicare contradictionem Deum incarnari.

95 Prima sententia est, posse intellectum creatum tam humanū, quam Angelicum cognoscere, non implicare contradictionem, quod Deus possit incarnari, sic tenent aliqui Moder-

ni, & habent pro se non leuia argumenta, quæ postea proponentur, & soluentur.

96 Nostra sententia seq. conclusione explicatur. *Nullo modo potest intellectus creatus euidenter cognoscere non implicare contradictionem, quod Deus incarnetur.* Sic tradunt Theologi communiter, & probant efficaciter rationes adductæ §. 1. & clarè constabit ex solutionibus argumentorum contrariæ sententiæ. Tum quia, si semel intellectus euidenter cognosceret non implicare contradictionem Deum posse incarnari, euidenter cognosceret incarnationem esse possibilem; sed implicat, quod intellectus creatus cognoscat euidenter lumine naturali incarnationem esse possibilem; ergo etiam implicat, quod eodem lumine cognoscat non implicare contradictionem. Minor probata est §. 1. Maior constat, nam totum id est possibile apud Deum, quod non implicat contradictionem, & quod euidenter cognoscitur non implicare contradictionem, euidenter cognoscitur esse possibile.

96 Primum argu. intellectus creatus potest euidenter cognoscere non implicare contradictionem Deum incarnari; ergo, &c. Antecedens probatur, nam tunc cognoscimus euidenter aliquid non implicare contradictionem, quando euidenter scimus soluere argumenta quę probant talem implicātiam; sed intellectus creatus per sua naturalia potest euidenter soluere omnia argumenta probantia talem implicantiam; ergo. Maior nota est, nam implicantia contradictionis infert duas contradictorias simul veras; qui autem soluit euidenter argumenta in contrarium, cognoscit non sequi duas contradictorias, simul veras, ac proinde non dari implicantiam contradictionis. Minorem docet S. Doctor 1. *p. q. 1. art.* 8. vbi docet, quod rationes quæ contra nostram fidē adducuntur, non sunt demonstrationes, sed argumenta solubilia. Tum quia argumenta quæ fiunt contra possibilitatem incarnationis habeat aliquem defectum, vel in materia, vel in forma, hoc potest intellectus cognoscere; ergo, &c.

97 Resp. distinguendo antecedens: intellectus creatus potest euidenter cognoscere non implicare contradictionē Deum incarnari, attendendo ad principia supernaturalia, negatur. Vt enim intellectus creatus cognoscat quod Deū incarnari non implicat contradictionē, oportet, quod non solum non inueniat repugnantiam ex principijs naturalibus, sed neque ex principijs supernaturalibus sibi incognitis. Deinde dico, quod licet intellectus creatus possit euidenter cognoscere incarnationem non implicare ex parte principiorum naturalium, quæ euidenter cognoscit, tamen potest dubitare, an omnia cognoscat, an aliqua sibi abscondantur, &c. Ad probationem distinguenda est maior: tunc euidenter cognoscimus aliquid non implicare contradictionem, quando euidenter scimus soluere argumenta in contrarium, positiuè, conceditur: negatiuè tantum, negatur.

98 Pro quo sciendum ex Caietanò 1. *p. q.* 1. *art.* 8. quod dupliciter solui possunt argumenta contra aliquam veritatem. Primò positiuè ostendendo euidēter, vel totum argumentum esse falsum, vel aliquam propositionem, vel ipsam illationem. Secundò negatiuè, negando aliquam propositionem, vel ostendo non quidem falsitatem, sed non conuincere intellectum. Primus modus contingit in materijs physicis, & naturalibus. Secundus in materijs supernaturalibus, & in mysterijs fidei. In istis namque licet non possimus euidenter per lumen naturale ostendere veritatem, vel falsitatem, possumus tamen habere fundamentum, quod oppositum non conuincat. Vndè si quis hoc modo arguat. Vbi multiplicantur supposita, debent etiam multiplicari naturæ; sed in diuinis multiplicantur supposita ergo etiam naturæ. Hoc argumentum non conuincit, & euidenter negatiuè solui potest,

non

non euidenter positiuè. Non hoc secundo modo, quia non habemus principia clarè ostendentia quod possint multiplicari supposita, & non naturę. Potest tamen solui euidenter negatiuè, negando maiorem quia licet conuincere possit quoad creata, non tamen quoad increata. Vndè distinguere possumus maiorem. Non possunt multiplicari supposita, quin multiplicentur naturæ, in creatis, conceditur: in diuinis, negatur. Ex hoc autem quod hoc modo negatiuè soluantur argumenta præbantia incarnationem, v. g. non esse impossibilem, non sequitur esse euidenter possibilem, sed solum sequitur non esse euidenter impossibilem.

99 Secundum argum. Intellectus creatus euidenter cognoscere potest nō implicare Deum incarnari, neque ex parte diuinæ subsistētiæ, neque ex parte naturæ; ergo nullo modo. Antecedens probatur, non implicat ex parte subsistentiæ diuinę, nam eo ipso quod intellectus creatus euidenter cognoscit diuinam subsistentiam esse infinitam in terminando, imò esse ipsam terminationem, quantum ad hoc, vt nullo indigeat vt actu terminet; euidenter cognoscit posse alienam naturam terminare; ergo, &c. Neque implicat ex parte naturæ humanę, nam intellectus creatus euidenter cognoscere potest tum quod dicta natura à propria subsistentia possit separari, cum ab ea realiter distinguatur; tum quod loco illius possit diuina subrogari.

100 Resp. negando antecedens, quoad vtramque partem. Ad probationem primę partis dico, quod eo ipso, quod intellectus creatus cognoscit subsistentiam diuinam esse infinitam in terminando, non cognoscit hanc infinitatem esse in ordine ad alienam naturam, sed tantum in ordine ad propriam. Sicut ex hoc quod idem intellectus creatus cognoscit essentiam diuinam esse infinitam in repræsentando, non cognoscit euidenter, quod possit vniri cum alieno intellectu per modum speciei impressę, sed solum quod hoc facere possit cum proprio intellectu; ita &c. Ad probationem secundę partis dicendum, intellectum creatum non cognoscere euidēter, quod natura humana possit separari à propria subsistentia, nam quod de facto separetur non oritur ex principijs naturalibus, sed ex principijs supernaturalibus ratione potentiæ obedientialis. Nec realis distinctio est signum euidens realis separationis: intellectus namque realiter distinguitur ab anima, & tamen non potest ab ea separari.

101 Sed dices 1. nam intellectus Angelicus comprehendit naturam humanam; ergo euidenter cognoscit, quod non habet intrinsecam, & essentialem connexionem cum propria subsistentia, ac proinde quod potest ab ea separari, & sic ab aliena suppositari; non ab alia quam à diuina; ergo, &c. Resp. concedendo antecedens; imò etiam consequentiam, quantum ad hunc sensum, quod Angelus cognoscit, quod dicta subsistentia non est prædicatum essentiale naturæ, sed solum modus, qui habet necessariam, & naturalem connexionem cum sua natura, & quod naturaliter non potest ab illa separari, quid autem fieri possit supernaturaliter, ignorat, cum hoc non pertineat, nec faciat ad illam comprehensionem.

102 Dices 2. cognoscit Angelus, quod natura humana non sibi determinat hanc numero subsistentiam; ergo cognoscit, quod potest ab illa separari. Antecedens probatur, nam ita se habet natura humana in ordine ad subsistentiam, sicut corpus in ordine ad figuram, sed corpus nullam sibi determinat figuram, sed potest Deus vt auctor naturæ tribuere quam maluerit; imò etiam secundum aliquos, nullam potest illi tribuere; ergo etiam Deus vt auctor naturæ, poterit naturæ humanæ tribuere quam subsistentiam voluerit, cum nullam sibi determinet, imò secundum aliquos poterit nullam tribuere, cum putēt non repugnare quod natura maneat sine

ne omni subsistentia, ac proinde, quod possit habere alienam, maximè diuinam. Resp. dato, quod natura humana nullam sibi determinet subsistentiam, sed quod ex tota illarum connexione possit quamcumque habere, tamen semper debet habere vnam. Imò dato, & non concesso, quod posset esse sine omni, adhuc non sequitur, quod possit habere diuinam, cum ista sit superioris rationis, & non respiciatur nisi per potentiam obedientialem, quæ naturali lumine non cognoscitur.

103 Tertium argum. nam si quid obstaret quominus intellectus creatus per sua naturalia cognosceret euidenter non implicare contradictionem, quod Deus posit incarnari, maximè esset supernaturalitas incarnationis; sed ista non obstat; ergo, &c. Minor probatur, nam intellectus creatus suo naturali lumine cognoscit de pluribus supernaturalibus non implicare contradictionem; vt quod posit fieri mortuorum resurrectio; quod accidens posit esse sine subiecto; quod ignis posit à sua actione impediri; ergo hoc idem cognosci poterit de mysterio incarnationis. Tũ quia intellectus creatus potest per suas vires cognoscere euidenter, quod non implicat ens supernaturale in communi; ergo etiam in particulari. Antecedens constat; nam intellectus creatus cognoscit euidenter per suas vires, quod Deus potest multa facere quæ excedunt totum naturæ ordinem. Conseq. etiam constat, quia ens supernaturale in communi, & in particulari pertinent ad eundem ordinem, ergo qui potest cognoscere primum, poterit etiam secundum.

104 Resp. negando minorem. Ad 1. probationem negatur antecedens; nullum namq; ens supernaturale est cognoscibile viribus naturæ. Vel dicas, quod licet detur, quod posit cognosci resurrectio, &c. non tamen incarnatio, nec alia supernaturalia quoad subsistentiam; illa autem sunt quoad subsistentiam entia naturalia, licet quoad modũ sint supernaturalia. Ad 2. probationem dico, quod intellectus creatus nec in communi, nec in particulari potest proprijs viribus cognoscere ens supernaturale maximè quoad subsistentiam: cum in natura nullum detur medium inducens in euidentem cognitionem supernaturalitatis, aliàs medium in plus induceret, quam esset. Deinde dato, & non concesso, quod posset cognosci supernaturale in communi, non tamen sequitur quod posit cognosci hoc, aut illud in particulari, quia ad cognoscendum primum sufficit cognitio diuinæ omnipotentiæ quatenus non est alligata naturæ, at ad cognoscendum secundum requiritur aliquod principium particulare inferens talem cognitionem, quod principium natura non habet.

§. IV. *An mysterium Incarnationis sit euidenter credibile.*

105 DE omnibus fidei mysterijs probauimus 2. 2. *disp.* 1. quod sunt euidenter credibilia, ac proinde etiam posibilitas incarnationis, & actualis incarnatio erit euidenter credibilis, & sic tradit S. Doctor *1. p. q. 32. art. 1. 2. 2. q. 1. art. 4. & 5. contra Gent. cap. 7.* Cum supra demonstrauimus, quod hoc mysterium non est euidenter imposibile, sequitur, quod sit euidenter credibile; ad euidentiam namque credibilitatis non requiritur euidentia veritatis, quæ ostendat connexionem prædicati cum subiecto, sed sufficit, quod non habeatur euidentia falsitatis, quæ euidentia falsitatis non habetur, cum non habeatur euidentia imposibilitatis; maximè quando vltra hoc habentur alia, quæ faciunt rem esse euidenter credibilem, de quibus loco cit. 2. 2.

106 Sed obijcies 1. nam si hoc mysterium esset euidenter credibile, esset etiam euidenter possibile; sed iam ostendimus non esse euidenter possibile; ergo neque est euidenter credibile. Maior probatur, nam iste discursus optimus est. *Hoc est euidenter impossibile; ergo est euidenter incredibile*; ergo etiam iste opti-

optimus erit, cum sit ex opposito antecedentis, ad oppositum consequentis. *Hoc est euidenter credibile, ergo est euidenter possibile.* Resp. negando maiorem, aliunde namque desumitur euidentia credibilitatis, & euidentia possibilitatis, euidentia credibilitatis desumitur ex principio extrinseco, & euidentia veritatis, & possibilitatis desumitur ex principijs intrinsecis rei. Ad probationem dico argumentum nõ procedere ab opposito antecedentis ad oppositum consequentis cum ambæ propositiones sint affirmatiuæ; vt enim argueretur ab opposito antecedentis ad oppositum consequentis, opporteret arguere à contradictoria in contradictoriam dicendo. *Hoc est euidenter credibile; ergo non est euidenter impossibile.* Plus namque requiritur vt aliquid sit euidenter possibile, quam vt sit euidenter credibile. Cum enim possibilitas rei contineatur in ipsa ratione rei, vt euidenter illa cognoscatur, oportet quod res ipsa cognoscatur euidenter, quod fieri nequit nisi per medium intrinsecum ostendens necessariã connexionem prædicati cum subiecto, quod de re entitatiuè supernaturali intellectus creatus non habet in linea naturali. At euidentia credibilitatis desumitur ex principijs extrinsecis, quæ faciunt rem esse credibilem, licet non ostendant connexionem prædicati, & subiecti.

107 Obijcies 2. nam hæc propositio. *Non constat incarnationem esse impossibilem,* æquipollet huic. *Constat euidenter incarnationem non esse impossibilem,* seu *esse non impossibilem*; solum enim differunt penes finitum, & infinitum; vndè ab illa prima, bene potest inferri secunda; ergo cum illa prior propositio sit contradictoria huic: *euidenter constat incarnationem esse impossibilem*, etiam illa secunda illi contradicet, scilicet: *euidenter constat incarnationem non esse impossibilem*, seu *esse non impossibilem*, ac proinde *possibilem*, quæ ex euidentia credibilitatis colliguntur.

108 Resp. negando antecedens. Ad probationem dicendum, quod illa regula Dialecticorum habet verũ, quando infinitatur totale prædicatum, ac proinde est solum vera in propositionibus de verbo substantiuo, de terminis rectis, non de obliquis: de terminis absolutis, non de respectiuis. Vnde non valet: *Ego non recito coronam: ergo ego recito non coronam*: in casu namque quo ego nihil recito, valet antecedens, & consequens est falsum, quia tunc non infinitatur totum prædicatum. Sicut neque infinitatur in illa propositione. *Non constat incarnationem esse impossibilẽ.* Tunc infinitaretur si diceretur. *Constat incarnationem non esse impossibilem*, sed tunc nihil sequitur contra nos, cum tunc non sequatur nec quod sit impossibilis, neque possibilis, sed solum quod sit non impossibilis.

109 Obijcies 3. nam licet non valeat: *Hoc est credibile fide humana, ergo est possibile*, quia fidei humanæ potest subesse falsum, & valet: *Hoc est credibile fide diuina, ergo est possibile*, cum fides diuina nonnisi ad verum inclinet. Tum quia arguitur ab eodem antecedẽti ad idem consequens cum eodem modo. Resp. quod licet fidei diuinæ non possit subesse falsum tamen ex ratione ipsa fidei non sequitur possibilitas, sed ex principijs intrinsecis rei, ac proinde illatio ista est falsa: *Hoc est credibile fide diuina; ergo est possibile*; cum possibilitas non inferatur ex credibilitate. Deinde quis sit attento lumine naturæ, quod hoc sit credibile fide diuina, seu quod hoc quod est incarnationem esse possibilem, cadat sub fide diuina, hoc enim nullus scire potest.

S. V. *An intellectus creatus possit lumine naturali cognoscere Deum posse incarnari, esse probabiliter possibile.*

110 Est prima aliquorum sententia, quod intellectus creatus potest viribus proprijs cognoscere esse probabile, quod Deus possit alienam

naturam terminare, licet hoc euidenter cognosci non possit. Licet namque intra naturæ terminos nullum detur medium ostendens euidenter dictam possibilitatem, vt supra vidimus, cum nullum detur medium naturale ostendens clarè necessariam connexionem inter prædicatum, & subiectum huius propositionis *Deum incarnari est possibile*. Datur tamen medium naturale ostendens probabilem connexionem inter prædicatum, & subiectum dictæ propositionis. Infinitas namque diuinæ omnipotentiæ probabilem potest inducere cognitionem huius mysterij, sicuti etiam infinitas diuinæ subsistentiæ in terminãdo potest eandem probabilitatem inducere.

111 Secunda sententia quæ magis placet M. Cipullo *hic dub. 4. n. 34.* distinguit nam aliud est habere rationem probabilem de possibilitate incarnationis via inuentionis, quatenus lumen naturale inueniat rationem, seu medium ostendens probabiliter possibilitatem incarnationis. Et aliud est via confirmationis, quatenus intellectus aliunde cognita possibilitate incarnationis illas confirmat rationibus probabilibus. Primum admittit Cipullus, secundum negat.

112 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Intellectus creatus siue non prius cognita possibilitate incarnationis, siue postea quam eam aliunde cognouit, non potest lumine naturali inuenire rationes, siue media probabilia, quibus ostendat possibilitatem incarnationis, siue quibus eam confirmet*. Prima pars huius concl. dependet ex secunda. Si enim intellectus fortificatus lumine fidei, non potest per lumen naturale inuenire media ostendentia probabilitatem positiuã incarnationis, multo minus ea poterit inuenire ante talem confortationem, seu fortificationem.

113 Secunda ergo pars probatur 1. nam licet intellectus sit fortificatus lumine fidei, tamen ista fortificatio ad nihil deseruit ad hoc vt inueniat media inducentia probabilitatem huius mysterij; ergo, &c. Antecedens probatur, nam medium probabile inducit euidentiam probabilitatis, sicut medium scientificum inducit euidentiam certitudinis, sed lumen fidei non inducit euidentiam probabilitatis; ergo, &c. Minor probatur, nam lumen fidei procedit per principia extrinseca, ac scientia, & opinio procedunt per principia intrinseca. Scientia namque per principia intrinseca ostendit intrinsecam, & necessariam connexionem prædicati cum subiecto; & opinio ostendit intrinsecam connexionem prædicati cum subiecto non necessariam, sed probabilem. Cæterum fides licet possit adiuuare certitudinem scientiæ, & probabilitatem opinionis quando supponuntur, non tamen potest deseruire ad inuenienda principia scientifica, aut probabilia, cum obscuritas fidei non inclinet ad euidentiã necessariam, neque probabilem.

114 Probatur 2. nam repugnat, quod in rerum natura detur medium ostendens necessariam, & euidentem connexionem prædicati cum subiecto rei entitatiuè supernaturalis; ergo etiã repugnabit, quod in eadem rerum natura detur medium intrinsecum probabile ostendens intrinsecam probabilitatem prædicati cum subiecto eiusdem rei entitatiuè supernaturalis. Antecedens constat ex dictis supra. Conseq. probatur, nam ideo implicat dari dictum medium scientificum, quia natura nihil dictat de rebus supernaturalibus, saltem in particulari, vt fatetur idem Cipullus in eodem dubio; sed si daretur medium naturale ostendens probabilem connexionem prædicati cum subiecto rei supernaturalis, natura aliquid probabiliter dictaret de rebus entitatiuè supernaturalibus; ergo, &c.

115 Probatur 3. nam passim Scriptura, & Patres vocant hoc mysterium incarnationis, inscrutabile, absconditum, inenarrabile, &c. ergo in rerum natura non possunt dari media ostendẽtia esse probabile; quod enim cognoscitur

tur

tur vt probabile, non poteſt dici inenarrabile, abſconditum, &c. aliàs omnes opiniones probabiles eſſent abſconditę, inſcrutabiles, inenarrabiles, &c.

116 Probatur 4. nam ſi intellectus lumine naturali, ſiue aliàs habeat fidem de hoc myſterio, ſiue non, poſſet cognoſcere poſsibilitatem intrinſecam huius myſterij, poſſet etiam illud euidenter cognoſcere; ſed hoc ſecundum non admittit Cipullus: ergo neque primum admittere debet. Maior probatur, nam id de quo haberi poteſt opinio, haberi etiã poteſt ſcientia, quantum eſt ex ſe, & ex proprijs principijs. Cum enim tam ſcientia, quam opinio ſint eiuſdem ordinis, vbi per ſe non repugnat opinio, neque repugnabit ſcientia.

117 Sed quæres, quid poſsit facere intellectus circa hoc myſterium ſuppoſita fide? Ex dictis 1. *p. diſp.* 12. *n.* 19. reſp. quod intellectus poteſt ſoluere argumenta in contrarium: poteſt hoc myſterium explicare, poteſt illud probare demoſtratione Theologica ex vno principio fidei, & alio noto lumine naturali: poteſt adinuenire congruentias ſuadentes non eſſe impoſsibile: poteſt etiam adducere rationes probabiles non in pura natura fundatas, cum in rerum natura, vt diximus, non detur medium intrinſecum oſtendens intrinſecam, & euidentem probabilitatem, ſi enim aliàs hoc eſſet, poſſet etiam non pręſuppoſita fide haberi, ſed fundatas in principijs fidei, ex quibus per diſcurſum Theologicum poſſunt deduci non ſolum concluſiones Theologicæ certæ, ſed etiam concluſiones probabiles, & in hoc ſenſu intelligi debent dicta loco citato.

DVBIVM IV.

An intellectus creatus poſſit naturæ viribus cognoſcere euidenter hoc myſterium Incarnationis, eius executione iam poſita.

118 PRima ſententia affirmat, quam ſequuntur Ioan. de Rada 2. *p. controu.* 8. *art.* 4. Phil. Faber. *in* 2. *diſt.* 36. *cap.* 2. *n.* 5. & alij Scoti diſcipuli, qui citant Scotum *in* 4. *diſt.* 46. *q.* 4. *ad* 2. *principale.*

119 Vera, & communis ſententia Theologorum ſequenti concl. explicatur. *Nullus intellectus creatus per ſua naturalia, poteſt certò, & euidenter cognoſcere exiſtentiam incarnationis iam factæ; quocirca nec Angelus, nec homo potuit cognoſcere quod Chriſtus D. eſſet Deus, & homo.* Colligitur hęc concl. ex illo Matt. 16. vbi Chriſtus D. interrogauit Apoſtolos quid de ipſo dicerent homines. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Reſponderunt. *Alij Ioannem Baptiſtam, alij Eliam, alij Hieremiam, aut vnum ex Prophetis.* At Dominus ad Apoſtolos. *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Petrus in perſona omnium dixit. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Quo reſpõſo audito dixit Chriſtus. *Beatus es Simõ Boriona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, &c.* Vbi Chriſtus D. patenter inſinuauit, quod hoc myſterium nonniſi per reuelationem cognoſci poteſt. Licet namque Apoſtoli adeo familiariter agerent cum Chriſto, licet tot miracula viderint, licet pluries audierint quod eſſet Filius Dei, tamen quandiu de hoc non habuerunt reuelationem, non cognouerunt.

120 Probatur 1. nam non poteſt certò, & euidenter cognoſci myſterium incarnationis iam factum, niſi certò, & euidenter cognoſcatur Verbum diuinũ, quod ſua ſubſiſtentia humanam terminat naturam; ſed Verbum diuinum à nullo creato intellectu certò, & euidenter cognoſci poteſt lumine naturali, & ex proprijs viribus: ergo neque hoc myſterium, &c. Maior nota eſt; cum enim incarnationis myſterium iam executum, conſiſtat in hoc, quod Verbum diuinum humanam terminet naturam ſua ſubſiſtentia, niſi Verbum hoc munus præſtans intelligatur, neque hoc myſterium intelligetur. Minor probatur, quia nullus poteſt clarè, & euidenter cognoſcere Verbum diuinum niſi per ſpeciem diuinæ eſſentiæ, quæ in hac vita non communicatur. Tum quia non poteſt cer-

tò, & euidenter cognosci Verbum diuinum, nisi hoc eodem modo cognoscatur mysterium Sanctissimę Trinitatis; est namque Verbum diuinum secunda huius mysterij persona, quæ sine prima, & tertia cognosci non potest; sed mysterium Sanctissimæ Trinitatis non potest naturæ viribus cognosci certò, & euidenter; ergo neque mysterium incarnationis. Tum etiam quia si mysterium incarnationis posset certò, & euidenter cognosci viribus naturæ, vel hæc cognitio haberetur à priori seu per causam, & hoc non, quia non habet aliam causam nisi diuinam voluntatem, seu nisi diuinæ voluntatis decretum, quod non potest cognosci certò, & euidenter nisi per diuinam essentiam, per suum decretum determinatam, & dirigentem in cognitionem talis decreti; non enim beati vident omnia diuinæ voluntatis decreta, sed ea solum, quæ ad illos diriguntur. Sicut Angelus non cognoscit omnes actus liberos alterius, sed eos tantum qui ad ipsum diriguntur. Neque hæc cognitio certa, & euidens cognosci potest per effectum, quia omnis effectus ad extra est indiuisæ Trinitatis.

121 Dices cognosci per effectus terminationis naturæ humanæ. Cum enim intellectus v. g. Angelicus, comprehendat naturam humanam, & videat eam carere propria subsistentia, & sciat, quod ea terminatio non potest esse à subsistentia creata, apertè cognoscit esse à subsistentia diuina. Sed contra, nam licet intellectus Angelicus videret naturam humanam Christi subsistere, cum videret eam operari; operationes enim sunt suppositorum, & non videret subsistere subsistentia propria, non ob id cognoscebat certò, & euidenter subsistentiam diuinam, sed vt aduertit Aluarez *disp. 1. ad 6.* iudicabat humanitatem Christi subsistere, cum videret eam operari, at de modo quo subsistebat, nihil iudicabat in particulari, sed Angelus bonus suspendebat actum, ne se exponeret errandi periculo. At Angelus malus sæpè præcipitabat iudicium, iudicans illam naturam esse purum hominem, & subsistere per subsistentiam creatam eiusdem hominis. Aliquando etiam iudicabat, quod fortè esset Deus ob mirabilia quæ faciebat, non tamen hoc certò, & euidenter cognoscebat, sed ex signis, & coniecturis colligebat, quomodo autem hoc esset, non cognoscebat certò, & euidenter.

122 Probatur 2. nam adhuc incarnatione peracta hoc mysterium erat entitatiuè supernaturale, ac proinde non habebat necessariam connexionem cũ aliquo medio naturali inferente necessariam connexionem inter subiectum, & prædicatum huius propositionis. *Verbum caro factum est*; ergo adhuc non poterat certò, & euidenter cognosci. Conseq. constat: nihil enim potest certò, & euidenter cognosci nisi per medium ostendens certam, & euidentem connexionem prædicati, & subiecti. Antecedens etiam constat, nam quod est entitatiuè supernaturale, nullum habet medium in rerum naturam ostendens connexionem prædicati, & subiecti. Vnde de facto datur gratia in multis, & tamen neque illi qui eam habent cognoscunt certò, & euidenter, cum nemo sciat an odio, vel amore dignus sit, & hoc non ob aliam rationem, nisi quia est entitatiuè supernaturalis, & natura nullum habeat medium per quod eam certò, & euidenter cognoscat: ita &c. Tum quia ex hoc quod incarnatio sit peracta, non intelligitur quin sit opus maximum, & summum diuinæ omnipotentiæ; ergo manet omnino absconditum vti prius.

Soluuntur argumenta in contrarium.

123 Primum argum. nam Angelus naturali lumine euidenter cognoscit, quod Christi D. humanitas subsistit subsistentia Verbi diuini; ergo euidenter cognoscit mysterium incarnationis iam per actum. Antecedens probatur, nam Angelus euidẽter cognoscit Christi humanitatem subsistere, non propria, nec aliena subsistentia creata; ergo increata. Cum enim Angelus cognoscat, quod subsistentia creata non possit alienam ter-

terminare, euidenter infert, quod ea terminatio fiat à subsistentia diuina. Resp. cum Aluarez loc. cit. cum Cipullo *hoc loco dub. 5. n. 5.* Orlando *q. 3.* & cæteris expositoribus D. Thomæ hoc loco, quod Angelus cognoscebat quidē Christi humanitatem subsistere, non tamen certò, & euidenter cognoscebat id per quod subsistebat, licet enim non videret propriam illius humanitatis subsistētiam, non tamen inde colligebat certò, & euidenter, quod diuina subsistentia subsisteret; poterat enim suspicari, vel quod subsistentia qua illa natura subsistebat, sibi à Deo occultaretur, ob suos fines, vel quod fortè subsisteret sine subsistentia, eo modo quo accidentia in Eucharistia manent sine subiecto.

124 Secundum arg. quoniam Angelus verè cognoscebat, quod Christi humanitas carebat propria subsistentia, & verè cognoscebat, quod non subsistebat aliena cum cōprehēdat, quod aliena nō potest alienam naturam terminare, ergo clarè inferre poterat, vel saltem de hoc poterat suspicari, quod subsisteret subsistentia diuina. P. Orlandus loco cit. vult, quod neque Angelus poterat suspicari, quod natura humana Christi D. subsisteret subsistentia diuina. Sed hoc non placet, nam cum Angelus tot mira videret, quæ non nisi à Deo fiebant in confirmationem diuinitatis Christi, quam sæpè Christus dixit se habere. Audierat Petrum dicentem: *Tu es Christus Filius Dei viui, &c.* potuit saltem suspicari, quod subsisteret subsistentia diuina per quam solam filius Dei esse poterat. Deinde Angelus bonus suæ naturæ relictus, ista omnia audiebat, & sciebat, quod non intercedebat mendacium, cū Deus non possit miracula facere in confirmationem falsi; ac proinde saltem de hac veritate poterat suspicari.

125 Hac ergo solutione relicta dico, quod licet Angelus non videret propriam subsistentiam dictæ humanitatis, non propterea poterat absolutè iudicare non ad esse, sed quod sibi occultabatur. Deinde dico, quod ex eo quod Angelus comprehendat alias subsistentias creatas, non ob id cognoscit quicquid Deus potest facere, cum Angeli comprehēsio solū se extendat vt cognoscat id, quod cōtinetur intra suum obiectum proportionatum, non id quod cōtinetur intra obiectum superexcedens, & in ordine ad quamcunq; potentiam Dei.

126 Tertium argum. quoniam carentia propriæ subsistentiæ dicit intrinsecum ordinem ad vnionem hypostaticam, & Verbum diuinum subsistens in natura humana, propria subsistentia carente; ergo si Angelus cognoscit carentiam propriæ subsistentiæ, cognoscit etiā vnionem Verbi diuini. Antecedens probatur, nam Verbum diuinum, eiusque subsistentia sunt terminus incompossibilis cum subsistentia creata, & terminus ex rei natura exigitus à carētia propriæ subsistentiæ, cum propriam subsistentiā nihil possit supplere nisi subsistentia diuina infinita: terminare namque alienam naturam soli subsistentiæ infinitæ conuenire potest; ergo eo ipso quod Angelus cognoscit carentiam subsistentiæ propriæ in humanitate Christi, debet necessariò cognoscere terminum exigitū. Resp. negando antecedens; carentia namque propriæ subsistentiæ solum dicit intrinsecum ordinem, & intrinsecam exigentiam propriæ subsistentiæ. Cum enim illa carentia sit formæ naturalis, non potest exigere nisi formam naturalem. Ac proinde Angelus cognoscens dictam carentiam, non potest cognoscere nisi exigentiam formæ naturalis.

127 Quartum argum. Angelus cognoscebat Christi humanitatem existere existentia diuina; ergo etiam cognoscebat subsistere subsistentia diuina. Conseq. constat; nam tam existentia, quam subsistentia diuina sunt entitatiuè entia supernaturalia, ergo si potest vna naturaliter cognosci, poterit, & alia. Antecedens probatur, supponēdo quod *infra q. 17.* ostendetur, quod Christi D. humanitas existat existentia diuina; nam Angelus intuitiuè cognoscebat illam humanitatem, sed non potuisset eam sic

cognoſcere niſi euidenter cognoſceret eam exiſtere exiſtentia diuina; ergo, &c. Cognitio namque intuitiua terminatur ad rem exiſtentem. Reſp. negando antecedens. Ad probationem dico, quod Angelus cognoſcebat quidem illam humanitatem cognitione intuitiua, ac proinde cognoſcebat illam exiſtentem, non tamen cognoſcebat exiſtentiam diuinã. De ratione namque cognitionis intuitiuæ non eſt, quod terminetur ad rem exiſtentem formaliter, ſeu reduplicatiuè vt ipſa exiſtentia cognoſcatur, ſed ſufficit quod terminetur ad rem exiſtentem ſpecificatiuè, abſque eo quod cognitio terminetur ad exiſtentiam. Conſtat in viſione corporali, quę eſt intuitiua, & tamen non attingit ipſam exiſtentiam ſubiecti cum ſit extra latitudinem ſui obiecti.

128 Quintum argum. Angelus lumine naturali ſui intellectus poteſt euidenter cognoſcere, quicquid cognoſcit Deus vt eſt auctor naturæ, ſed Deus vt eſt auctor naturæ cognoſcit myſterium incarnationis; ergo etiam Angelus ſuo naturali lumine. Minor conſtat, nam Deus vt eſt auctor naturæ cognoſcit Chriſti humanitatem ſubſiſtere, non propria ſubſiſtentia; ergo diuina. Tum quia Deus vt eſt auctor naturę cognoſcit quicquid cognoſcit vt eſt auctor ſupernaturalis, cum non ſit minus ſciens, & ſapiens ſecundum vnam, ac alteram rationem. Maior probatur, nam ea, quæ Deus cognoſcit vt eſt auctor naturæ nõ excedunt ordinem naturalem, ac proinde poſſunt ab intellectu Angelico participari. Reſp. 1. negando maiorem, nam Deus vt auctor naturæ cognoſcit futura contingentia, cogitationes cordium, &c. quæ ab Angelo non cognoſcuntur. Reſp. 2. data, & non conceſſa maiori, negando minorem; nam Deus vt eſt auctor naturæ ſolum cognoſcit ea, quæ pertinent ad ordinem naturæ, non ea quæ pertinent ad ordinem ſupernaturalem. Vnde Deus vt eſt auctor naturæ neſcit ea, quæ pertinent, quę fiunt, quę cognoſcuntur à ſeipſo vt eſt auctor ſupernaturalis.

129 Sextum argum. Dęmones cognoſcebant Chriſti D. miracula eſſe vera; ergo ex illis cognoſcebant eum eſſe Deum. Antecedens conſtat, nam cognoſcebant Lazari reſurrectionem eſſe verum miraculum, cum viderint illius animam re ipſa fuiſſe ſeparatam à corpore, &c. Conſeq. probatur, nam vera miracula non poſſunt fieri in confirmationem falſi. Tum quia cognoſcebãt ea miracula fieri à Chriſto D. in confirmationem ſuæ diuinitatis. Reſp. ex dictis de fide, quod veritas miraculorum inducunt euidentiam credibilitatis, non euidentiam rei in ſe ipſa. Tum quia licet Dæmones cognoſcerent ea eſſe vera miracula, non tamen habebant euidentiam finis pro quo fiebant.

DVBIVM V.

An fuerit conueniens Deum incarnari.

130 PRima ſententia ſeu potius error fuit quorumdam hæreticorum, qui docuerunt incarnationem non eſſe Deo conuenientem, ſed inconuenientem, incongruam, & indignam. Sic referunt Concil. Chalced. vbi fuerũt illi hæretici damnati. De illis etiam facit mentionem Theodoretus *lib. 6. de curandis Græcor. affect.* D. Athanaſ. *orat. ad Adelphium contra Arrianos*. N. S. P. Cyrillus *lib. 8 contra Iul. in fine*. Tertull. *lib. de incarnat. Chriſti in initio*, & alij.

131 Veritas catholica ſequentibus concl. explicatur. Prima concl. *Incarnatio fuit conueniens Deo*. Hanc concl. tradit S. Doctor art. 1. & omnes eius expoſitores. Eandem docent SS. Patres communiter citati, & colligitur ex ſacra Scriptura, quatenus eam magnificat, & laudat, vt ſummum, & maximum bonum. Cæterum antequam eam probemus, notandum 1. quod hoc myſterium accipit nomen potius à carne quàm ab anima, vel natura, & hoc quia caro eſt hominum oculis perſpicua, atque ita nobis commendatur, quod qui erat in forma Dei inuiſibilis, voluerit manife-

ſtus,

stus, & visibilis in carne apparere, iuxta illud 1. ad Timoth. 3. *Manifestum est in carne*. Vnde S. Leo serm. 2. de Natiu. dicit. *Inuisibilis in suis, visibilis factus est in nostris*. Tum ad commendandam nobis eximiam filij Dei humilitatem, quæ tantò maior apparet in assumptione carnis, potiùs quàm animæ, quantò minoris est dignitatis caro quàm anima, præsertim si carnem sumamus, vt communiter sumitur in scripturis, vt corruptioni, & morti obnoxiam. Aut quia caro si propriè dicta sit, & viua, habet animam, non enim est viua, nisi sit animata. Aut etiam dici potest, ne dum animatus diceretur Filius Dei sicut dicitur incarnatus, & incorporatus, eius substantia ab hæreticis diceretur corporea, propriè enim animari dicũtur corporea.

132 Notandum 2. quod conuenientis vocabulum non sumitur hoc loco pro eo quod dicitur bonum relatiuè, seu bonum alicui, quo sensu calor dicitur conueniens igni, & frigus aquæ. Neque sumitur pro eo quod est vtile ad aliquẽ finem obtinendum. Sed sumitur pro eo, quod alicui personæ consentaneum est, ac decens, habita ratione conditionis, & qualitatis eius, qua ratione munificẽtia, & liberalitas dicitur cõueniens Regi, & Principi. Vnde dubij sẽsus est, an fuerit Deo decens, conueniens, & consentaneũ vt fieret homo per assumptionem humanitatis ad hypostaticam vnionem.

133 Notandum 3. quod ista conuenientia adhuc est duplex. Externa scilicet, & interna. Externa est illa, qua aliquid dicitur conueniens ex eo præcisè quod sit à Deo factum, cuius sola voluntas est sufficiens regula conuenientiæ, cum nonnisi sapientissimè agat. Hæc cõuenientia vocatur externa, quia sumitur per ordinem ad diuinam voluntatem, vt causam efficientem, quæ est suo effectui externa. Interna est illa, qua aliquod opus faciendũ, vel factum dicitur conueniẽs ob speciales aliquot rationes sibi inexistentes in ordine ad consequendũ aliquem finem particularem, & hæc cõuenientia ad distinctionem præcedentis dicitur interna, quia secundum se totam attenditur penes ea quæ insunt obiecto, seu effectui producendo, seu producto. De hac posteriori procedit difficultas, non de priori, eo namque ipso quod incarnatio apprehenditur vt facta à Deo, vt opus Dei, statim intelligitur vt conueniens priori conuenientia.

134 Notandum 4. quod nomen Dei in titulo dubij, non accipitur vt supponit pro determinata persona filij, sed sumitur indeterminatè pro aliqua persona ex diuinis, siue in Deo sit vna tantum, vt imaginantur Ethnici, siue tres, vt nos profitemur. Aliàs præsens articulus non distingueretur ab 8. q. 3. sequentis, vbi S. Doctor quærit, an conuenientius fuerit personam Filij assumere naturam humanam, quàm personam Patris, aut Spiritus Sancti.

135 Notandum vltimò, quod cum incarnatio sit opus ad extra, eius interna conuenientia attendi potest penes tria. Primò penes Deum de quo iam conclusio posita procedit, non quidem præcisè in ordine ad eius voluntatem, vt diximus, sed in ordine ad alia eius attributa, vt in ordine ad bonitatem, misericordiam, iustitiam, sapientiam, infinitatem, &c. Secundò penes humanitatem. De qua erit secunda concl. Tertiò penes ipsum vniuersum, de qua erit tertia concl. D. Thomas solum primum caput explicat, quia est difficilius, & Gentiles totam incarnationis indecentiam, reprobant ex parte Dei, & perfectionum eius, vt colligitur ex epist. Volusiani ad S. Aug. & S. Augustini ad Volusianum, quæ est tertia.

136 Probat 1. S. Doctor in corpore art. quia summè se communicare alijs, est maximè Deo conueniens; sed per incarnationem Deus summè se communicat alijs; ergo incarnatio est summè Deo conueniens. Maiorem probat ex D. Dionys. quia bono conuenit se communicare cum sit diffusiuum sui; ergo summo bono conuenit se summo, & perfectissimo modo se communicare. Tum quia id quod cõuenit alicui secundum ratio-

rationem suæ naturæ, est ei valde conueniens, sed communicare se alijs summo modo conuenit summo bono secundum rationem suæ naturæ; ergo, &c.

137 Hæc ratio D. Thomæ conuenientiam incarnationis optimè probat, & continet quatuor argumenta optima, quæ ex illa sic confici possunt. Primum. Illud est conueniens vnicuique rei, quod ei conuenit secundum rationem propriç naturæ; sed propria natura Dei, est ipsa ratio, & essentia bonitatis; ergo est Deo conueniens quidquid cōuenit rationi, & essentię bonitatis. Secundum. Illud omne est Deo conueniens quod est conueniēs rationi, & essentiæ bonitatis; sed huic cōuenit se communicare; ergo etiam Deo id conueniet. Tertium. Sicut essentiæ, & rationi boni conuenit se cōmunicare, ita rationi, & essentiæ summi boni conuenit se summè communicare; sed Deus est ipsa ratio, & essentia summi boni; ergo Deo conuenit se summè communicare. Quartum. Summè se communicare conuenit Deo, sed per vnionem hypostaticam se summè communicat; ergo vnio hypostatica, est Deo summè conueniens, ac proinde incarnatio, quæ est vnio hypostatica.

138 Cœterum cum hæc ratio D. Thomæ fundetur in ratione, & natura bonitatis, notandum est, quod nomine bonitatis, non intelligitur bonitas relatiua, qua res aliqua, alteri bona dicitur, sed absoluta, quæ etiam entitatiua appellitatur, qua res aliqua, licet vnica, & simplicissima, præcisè in se, ac secundum se considerata, bona dicitur, dummodo integra, perfectaque sit, licet nulla alia res intelligeretur, cui bona esset. Ex quo colligitur, quod cuilibet rei est conueniens communicare se, cum quælibet res, eo ipso quod res est, participet naturam entis, & per consequens bonitatis entitatiuæ.

139 Probat 2. S. Doctor in argum. sed contra, nam illud opus est maximè conueniens Deo, per quod eius attributa, & perfectiones manifestantur: quicquid namque Deus facit ad extra, facit ad manifestationem suæ diuinitatis, & perfectionum; sed per mysterium incarnationis maximè manifestantur diuinæ perfectiones, & attributa, ipsaque diuinitas, ergo est maximè Deo conueniēs. Maior colligitur ex Apost. Rō. 1. Minor probatur, nam primò manifestatur Dei bonitas, quia Deus se se incarnando, nō despexit humanum lapsum, sed benignè ei manum porrexit, ad subleuandum. Secundò manifestauit iustitiam, quia per incarnationem Deo satisfactū est de rigore iustitiæ pro peccatis omnium hominum. Manifestauit sapientiam, quatenus per hoc mysterium inuentum est maximè decens, & plusquam sufficiens pretium debiti grauissimi, pro quo soluendo ad rigorem, nulla pura creatura poterat esse sufficiens. Manifestauit potentiam cum nihil maius ad extra dari possit, quam eleuare naturam humanam ad esse personale Dei, vt ratione talis vnionis per communicationem idiomatum, homo sit, & dicatur Deus, & Deus homo. Manifestauit charitatem, iuxta illud Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitum daret.* & Rom. 5. *Commendat charitatem suam, &c.*

140 Sed obijcies 1. nam Deus sufficienter communicat se ipsum ad intra per diuinas processiones, & ad extra per visionem beatam; ergo non fuit conueniens quod etiam se ipsum communicaret per vnionem hypostaticam. Resp. quod per communicationem ad intra non explicatur propriè natura bonitatis cum illa communicatio ad intra non sit libera, sed necessaria. Pater namque non potest non communicare se ipsum Filio, & Pater, & Filius non potuerunt non se ipsos communicare Spiritui S. Tum quia ista communicatio ad intra non est manifestatiua diuinarum personarum, sed est earum communicatiua; nos autem loquimur de communicatione, quæ fit ad extra manifestatiua diuinarum personarum. Communicatio quam facit Deus in visione beata, non erat omnino sufficiens. 1. Quia in visio-

ne

ne beata inducitur tantum quædam vnio accidentalis, non substantialis, & personalis: vnde non potest dici de beata simpliciter, quod sit Deus, & quod Deus sit homo, vel Angelus beatus. 2. Quia in visione beata non communicatur esse personale diuinum vt in vnione hypostatica. 3. Quia visio beata sequitur ad vnionem hypostaticam, quando natura assumpta est capax illius, vt est natura humana.

141 Obijcies 2. quia maius bonum communicaretur creaturæ si totæ tres personæ diuinæ incarnarentur, ergo adhuc non est plenè satisfactũ naturæ summi boni vt summè communicetur. Resp. negando antecedens. Ratio est, quia maius bonum debet attendi, & diiudicari penes quantitatem, & perfectionem suæ virtutis, seu intensionem eius, non autem penes nudam extensionem, quatenus scilicet idem bonum confertur à pluribus. At in incarnatione vnius personæ, tantum bonum confertur, ac si tres diuinæ personæ incarnarentur, cum perfectio in tribus personis reperta, reperiatur in vna, vt in tract. de Trinit. diximus.

§. I. *Soluuntur alia argumenta contra præcedentem conclusionem.*

142 Primum argum. Incarnatio nõ fuit Deo bona, ergo neque conueniens. Conseq. constat, quia bonum, & conueniens sunt idem, ac proinde quod non est alicui bonum, neque est illi conueniens. Antecedens probatur, nam si incarnatio esset Deo bona, deberet dicere illi perfectionem, seu deberet afferre illi perfectionem, sed incarnatio nullam affert Deo perfectionẽ, aliàs Deus ante incarnationem non fuisset infinitè perfectus; ergo. Tum quia, quod est Deo bonum, est illi necessarium; sed incarnatio non est Deo necessaria; ergo non est illi bona. Resp. negando antecedens. Ad probationem negatur maior. Pro quo nota, quod licet bonum, & conueniens sint idem, tamen tam bonum, quam conueniens, est duplex, nam aliquid potest dici bonum, & conueniens alicui, quatenus est ei cõmodum, & perfectio eiusdem, & hoc modo incarnatio non est conueniens, nec bona Deo, cum ex incarnatione nulla perfectio intrinseca Deo adquiratur. Deinde aliquid potest dici bonum, & conueniens alicui, quatenus est ei cõsentaneum, seu secundum eius inclinationem, licet nullam perfectionem adquirat. Et hoc modo incarnatio dicitur conueniens, & bona Deo, quia est secundum inclinationem bonitatis illius. Cũ enim Deus sit summum bonum, non solum debet habere, quod sit in se perfectus, sed etiam quod suam perfectionem alijs communicet, licet in se nullam perfectionem recipiat.

143 Secundum argum. nam falsum est, quod se alijs communicare pertineat ad rationem boni; ergo, &c. Antecedens probatur, nam pertinere ad rationem boni, est quædam perfectio, sed communicare se alijs nullam dicit perfectionem, aliàs debuisset esse in Deo ab æterno. Nec valet dicere, vt nu. præcedenti notauimus, quod se alijs communicare non dicat perfectionem de nouo aduenientem, sed de nouo se extendentem; nam actu se communicare, aliquid addit supra id quod est posse se communicare; hoc est noua perfectio; ergo, &c. Resp. negando antecedens, modo explicato nu. præcedenti. Ad probationem dico, quod se alijs communicare nõ est noua perfectio intensiua, sed extensiua. Nec actu se communicare dicit nouam perfectionem supra id quod est actu se communicare, quia in diuinis non datur posse se communicare per modum potentiæ, sed per modum purissimi actus, quatenus diuina subsistentia est secundum se actualis communicatio, non prout actualis communicatio dicit actuale exercitium cõmunicationis, sed prout dicit esse tantæ actualitatis, quod ad hoc vt actu communicetur, non requiritur aliquid ex parte ipsius diuinæ subsistentiæ vt actu còm-

communicetur: sed solum ex parte ipsius naturæ; vnio namque non perficit intrinsecè diuinam subsistentiam per quam trahatur ad hoc vt actu communicetur, sed solum perficit, & eleuat naturam humanam ad hoc vt fiat capax terminandi diuinam subsistentiã. Exemplo essentiæ diuinæ, quæ vt actu vniatur cum intellectu beati per modum speciei nihil ex parte ipsius requiritur, sed solũ ex parte intellectus, vt eleuetur, & proportionetur, &c.

244 Tertium argum. quoniam ex eo quod Deus est summum bonum solum sequitur, quod possit se communicare alijs per modum finis, vt enim probat idem S. Doctor 1.2. *q.1. art.1. & 2.* bonum, & finis sunt idem. Et 1. *p. q.5. art.4. ad 2. & q.2. de verit. art.1. ad 4.* bonum solum est diffusiuum per modũ finis. Resp. negando antecedens; de ratione namque boni est se communicare omnibus modis in quibus non inuoluitur aliqua imperfectio. Vnde Deus potest se communicare effectiuè per suã omnipotentiam: finaliter ratione suæ veritatis, & bonitatis: & terminatiuè, per suam personalitatem. Quocirca communiter dicitur, quod de ratione boni est se diffundere, & communicare tribus modis, scilicet effectiuè, finaliter, & formaliter, seu terminatiuè. Nec S. Doctor est in contrarium, nam loco citato 1.2. solum vult dicere, quod bonũ, & finis in ordine ad voluntatem, seu vt sunt obiectum voluntatis sunt idem. Et 1. p. &c. solum docet, quod primum mouens ad diffundendum, est ratio finis. Deus namque propter semetipsum omnia operatus est. Omnia namque fecit propter hominem: hominem fecit propter Christum, & Christũ propter Deũ.

145 Quartum argum. nam si incarnatio esset Deo conueniens, maximè ad redimendum hominem, sed ob hoc non fuit Deo conueniens, ergo nullo modo. Maior constat. Minor probatur, nam videtur derogare diuinę iustitię, cum iniustum sit obligare innocentem vt satisfaciat pro nocentibus, & reis, hoc currit in præsenti, nam Christus innocens, præcepto Patris fuit obligatus ad moriendum pro peccatoribus. Hæc autem obligatio fuit ante quamcumque voluntatem humanam Christi. Vnde ingrediens in mundum dixit. Ecce ego vt faciam Deus voluntatem tuam. Videtur etiam incarnatio derogare ordini charitatis, qui est quod plus ametur totum, quam pars; Deus autem plus amat illam humanitatem, quam totum mundum; cum illi contulit maiora bona, quàm toti mundo, scilicet vnionem hypostaticam. Resp. negando minorem. Ad 1. probationem dico, quod nulla sit iniuria innocenti, quando exponitur neci pro conseruatione, & pro bono totius communitatis. Vndè rectè Deus imposuit præceptum Christo vt vitam exponeret pro salute totius generis humani, maximè quia Christus D. non inuitus, sed libere, & cum gaudio tale præceptum suscepit. Ad 2. probationem dicendum, quod Deus magis amat totum vniuersum in quo includitur Christi humanitas, quam solam humanitatem, quæ est pars illius. Tamen si hæc pars consideretur in ordine ad reliquas partes, tunc Deus magis hanc amat, quàm cæteros omnes, cum maius bonum illi contulit, quam reliquis omnibus.

146 Sed dices, quod est maius bonum, bonum multitudinis, quam bonum vnius partis, ergo non potuit Deus congruè conferre maius bonum vni parti, quam toti multitudini. Resp. quod vna pars quandoque est maius bonum, & magis æstimatur quam bonum multitudinis, quando huius bonum à bono illius dependet, vt in nostro casu, nam à bono Christi, omnium aliorum bonum dependet, & ad illud tanquam ad finem ordinatur.

§. 2.

§.3. *Ponitur secunda conclusio, & probatur*.

147 SEcunda concl. *Incarnatio conuenit maximè humanæ naturæ licet non secundum suam conditionem*. Primam partem tradit S. Doctor *4. contra Gent. cap. 54. & opusc. 60.* Secundam tradit *hic art. 1. ad 2.* quem sequuntur omnes Theologi hoc loco. Prima pars probatur, nam illud conuenit humanitati, quod ei maximum bonum affert; sed incarnatio maximum bonum affert; ergò est illi maximè conueniens. Minor probatur, nam incarnatio confert humanitati gratiam vnionis, per quam personaliter coniungitur personæ Verbi diuini, ita vt homo sit Deus, qua ratione eadem natura humana eleuata est supra totam Angeli naturam, & taliter vt non habeat quo altius attollatur. Tot sunt naturæ assumptæ excellentiæ, vt nullus valeat recensere. Eo namque ipso quod est eleuata ad esse diuinum, sibi conuenit honor summus, honor latriæ, valor infinitus, infinitas in meritis, personæ sanctitas infinita; satisfactio infinita. Sibi conuenit sedere ad dexteram Dei, plenitudo gratiæ, & gloriæ, potentia ad miracula facienda, &c.

148 Probatur secunda pars, nam id non potest esse secundum conditionem naturæ humanæ, quod est supra ipsam naturam humanam; sed incarnatio, est supra naturam humanam; ergo non est secundum conditionem illius. Tum quia illud dicitur esse secundum conditionem alicuius, quod est ei proportionatum; sed incarnatio est improportionata naturæ humanæ, cum eam non respiciat secundum potentiam naturalem, sed tantum secundum potentiam obedientialem; ergo, &c. Tum etiam quia illud dicitur improportionatũ respectu alicuius naturæ, ad quod non habet appetitum, & inclinationem, sed natura humana non habet appetitum, & inclinationem naturalem ad vnionem hypostaticam; ergo non est illi proportionata, & conueniens, secũdum conditionem naturæ, cũ quo tamen stat, quod sit illi conueniens secundum inclinationem potentiæ obedientialis; quo modo gratia, & gloria sunt conuenientia naturæ eleuatæ, non secundum se, cum sint supernaturalia, & improportionata.

149 Sed obijcies 1. Illud non potest esse conueniens naturæ humanæ etiam secundum rationem potẽtiæ obedientialis, per quod frustratur suo naturali appetitu; sed humana natura per incarnationem frustratur suo naturali appetitu; ergo, &c. Minor probatur, nam natura humana per Verbi diuini incarnationem frustratur naturali inclinatione ad propriam subsistentiam, quæ est sua naturalis perfectio ad quam naturaliter inclinatur. Resp. pro nunc concedendo maiorem; & negando minorem. Cum enim natura humana per incarnationem, habeat subsistentiam nobiliorem, & nobiliori, superiorique modo terminata eadem, sequitur quod non inclinetur in propriam subsistentiam. Qui enim ad gradum superiorem peruenit, non curat de gradu inferiori.

150 Obijcies 2. nam secunda pars conclusionis videtur pugnare cum prima, nam non potest incarnatio esse conueniens naturæ, & non secundum conditionem eiusdem naturæ; ergo si incarnatio ponitur conueniens naturæ, debet poni conueniens secundum conditionẽ eiusdem naturæ; nihil namque perficitur, nisi per id quod est suæ naturæ conueniens. Tum quia quod conuenit humanitati secundum quod est rationalis, est conueniens secundum conditionem suę naturæ, sed incarnatio conuenit humanitati secundum quod est rationalis; ergo, &c. Resp. negando antecedens. nam incarnatio non dicitur conueniens absolutè, & non secundum conditionem naturæ secundum eandem rationem, & respectu eiusdem, sed secundum diuersam rationem, & respectu diuersorum. Est conueniens humanæ naturæ secundum potentiam obedientialem, & non

est conueniens secundum conditionem naturę, idest attenta inclinatione naturali. Per quod patet ad primam probationem. Ad 2. dicas, quod id, quod conuenit humanitati secundum quod est rationalis, est conueniens secundum cōditionem naturæ, quando esse rationale accipitur intra ordinem naturalem, secus si accipiatur vt dicit potentiam obedientialem.

§. III. Ponitur 3. conclusio, & probatur.

151 Tertia concl. *Incarnatio fuit conueniens toti mundo, sumpto etiam conuenienti pro utili.* Hanc concl. tradunt S. Doctor, Caiet. & omnes eius discipuli hoc loco. Ratio clara est, quia illud est conueniens toti mundo, seu toti vniuerso, quod illud complet, & perficit; sed incarnatio est huiusmodi; ergo, &c. Minor probatur, homo est paruus mundus per Arist. 8 *physic. cap. 1.* Est epilogus vniuersi per Philonem *lib. de mundi fabrica*. Continet omnes gradus entis per Magnum Greg. *hom. 2. in Euangel.* ergo perfecto homine, totus mundus perficitur. Sed in incarnatione homo perficitur; ergo in eo totus mundus perficitur. Hinc Apost. ad Ephes. 1. probè dixit, quod in Christo restaurarentur omnia, *quæ sunt in cælis, & in terra.* Tum quia per incarnationem vniuersum integratur per ordinē naturę, gratiæ, & vnionis hypostaticæ. Integratur per hoc, quod modo datur vna natura in tribus personis: vna persona in duabus naturis, & vna persona in vna natura. Primum datur in diuinis. Secundum in Christo. Tertiū in creatis. Vniuersum per Christum habuit, vt cum homines omnes generentur ex viro, & muliere, vnus esset, qui sine alterius hominis opera nasceretur ex integerrima Virgine. Item habuit, vt homo Deus speciali, eoque nobilissimo dominio sibi imperaret: Christus namque Dominus toti mundo imperat; totum mundum regit, & gubernat.

152 Sed dices, quod si incarnatio fuit conueniens toti vniuerso, sequeretur, quod etiamsi Adam non peccasset, incarnatio fieri debuisset, vt toti vniuerso tanta perfectio non deesset. Quicquid enim pertinet ad vniuersi perfectionem debet in eo reperiri, aliàs sua careret perfectione. Resp. negando sequelam. Ad probationem dico, quod quidquid pertinet ad vniuersi perfectionem naturalem, debet in eo reperiri, nō quod pertinet ad perfectionem super naturalem, hæc enim voluntaria est, & voluntariè ponitur, ex libero diuinæ voluntatis beneplacito quo voluit vniuersum eleuare ad ordinem indebitum gratiæ, & vnionis hypostaticæ.

153 Fuit etiam hoc mysterium cōuenientissimum, vt satisfactio fieret per naturam humanam assumptam; decebat namque quod peccatum ab homine commissum, per hominem expiaretur. Vnde rectè dicit S. P. Aug. lib. 13. de Trinit. c. 17. *Pertinebat ad iustitiam, bonitatemque Creatoris, vt per eandem rationalem creaturam superaretur diabolus, quàm se superesse gaudebat.* Et S. Bonau. in cap. 1. Luc. in illa verba. *In mense autem sexto*, sic loquitur. *Placuit Deo eodem modo, & ordine sibi reconciliare hominem, quo nouerat cecidisse. Primus homo sexta die est conditus, ideo & Christus venit sexta ætate: sexto numero annorum, & sexto mense conceptus* (scilicet à conceptione Ioannis) *& sexta feria passus, & sexta hora in cruce suspensus.* Adam sexta die est conditus, sexta hora est lapsus, & Christus D. sexta ætate venit; sexto annorum numero; sexto mense conceptus; sexta feria passus, & hora sexta in cruce suspensus. Primus homo peccauit appetendo æqualitatem Dei, & Christus venit in forma serui, *exinaniuit semetipsum formam serui accipiens.* Primus homo peccauit in ligno, & in ligno redemptus est. Sic enim canit Ecclesia. *Vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret; & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.* Primus homo, vt multi volunt, hora tertia creatus est, & Christus D. hora tertia damnatus est; ille hora sexta peccauit:

cauit: iste hora sexta crucifigitur: ille hora nona è Paradiso eicitur; iste hora nona sua morte Paradisum aperuit.

DVBIVM VI.

An fuerit conueniens, & decens Deum incarnari ob motiuum redimendi genus humanum.

154 Licet probauerimus incarnationem fuisse conuenientem secundum se, tum Deo, tum naturæ humanæ, tum toti vniuerso, non tamen adhuc probauimus, an fuerit conueniens ob istum finem specialem redimendi genus humanum. Prima sententia est aliquorum hæreticorum, quod licet incarnatio sit secundum se conueniens, nõ tamen ob istum finem reparandi genus humanum, seu soluendi, & liberandi homines à peccatis eorum, putant namq; istum finem esse Deo indecentem, & indignum, & quod non possit esse à Deo volitum, cum inuoluat imperfectionem, & quandam peccati volitionem.

155 Veritas catholica seq. concl. explicatur. *Fuit Deo valde decens incarnari ad saluandum genus humanum.* Constat ex pluribus sacræ scripturæ locis in quibus expressè dicitur, quod Deus venit, vt peccatores saluos faceret, & hoc etiã canit Ecclesia in symbolo dicens. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.*

156 Probatur 1. nam diuina voluntas cum sit prima, perfectissima, & infallibilis regula moralitatis, non potest velle nisi bonum, congruum, & decens, & nullo modo potest velle malum, dissonum, & indecens. sed diuina voluntas voluit mysterium incarnationis propter nostram salutem, ob reparationem, & liberationem generis humani à peccatis: ergo volitio incarnationis ob istum finẽ fuit consona, decens, & nullo modo indecens. Maior nota est, aliàs diuina voluntas non esset prima regula moralitatis, & omnino indeficiens. Minor etiam nota est ex sacra scriptura.

157 Probatur 2. nam Christus D. de facto mortuus est pro reparando genere humano; ergo ad hũc finem venit. Conseq. constat, quod enim est vltimum in executione, est primum in intentione; ac proinde si semel mortuus est pro reparando genere humano, hoc debuit esse in intentione, ac subinde debuit esse finis. Antecedens probatur, nã pœna non suscipitur nisi propter culpã; sed mors est maxima pœna; ergo ob maximam culpam inducta, & suscepta est, nõ ob culpam propriam, quia Christus D. nec peccauit, nec peccare potuit, cum esset prorsus impeccabilis. Maiorem tradunt S.D. 1.2.*q*.87.*art*.7.& 8. & 2.2.*q*.108.*art*.4. Sot. *de iust. lib*.1. *q*. 6.*art*.1, Sylu.*v.pœna n*.25. Couar. *var. lib*, 1. *cap*. 8. Menoch. *cons*. 626. *nu*. 16. Surd. *decis*. 277. *n*. 19. Gutier. *Canon. lib*. 2. *cap*. 30. *n*. 12. Minor nota est, nullus namque morti traditur nisi ob maxima delicta, cum mors sit vltimum, & maximum terribilium.

158 Probatur 3. nam non potest non esse maximè decens, & consentaneũ Deo id per quod Deus sua attributa manifestat: sed incarnatio ad finem reparandi genus humanum maximè manifestat diuina attributa; ergo incarnatio ad hunc finem debet esse valde decens, & consentanea Deo. Minor ostenditur, quoniam per incarnationem ad hunc finem factam manifestat Deus suã iustitiam, & misericordiam, nam iustitia exigebat iustitiam, & misericordia veniam, at per incarnationem ad eum finem factam vtrique attributo satisfactum est, nam & peccata sunt punita in Filio Dei, & misericordia est facta hominibus, ad quem sensum cecinit Propheta Dauid. *Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi, iustitia, & pax osculatæ sunt*; quia iustitiæ satisfactum est abundanter, & misericordiæ locus datus, cum tota pretij abundantia ad soluendum, misericorditer nobis data sit. Soluuntur argumenta in contrarium.

159 Primum argum. nam est indecens, & indignum Deo ordinare, & vel-

le rem supremi ordinis, ad rem inferioris ordinis; sed si incarnatio facta fuisset ad reparandum genus humanum, res ordinis superioris ordinaretur ad rem ordinis inferioris: ergo poneretur aliquid indecens, & indignum Deo. Minor constat, nam incarnatio est res ordinis supremi, scilicet hypostatici, & hominis reparatio est ordinis inferioris, vt patet. Maior ostenditur, quia rectus ordo postulat, quod inferius ordinetur ad superius; quod creatura ordinetur ad creatorem, & est ingens deordinatio, quod creator ordinetur ad creaturam; & in hoc est peccatum *vti fruendi, & frui vtendis*. Resp. quod licet sit magna peruersitas *vti fruendis, & frui vtendis*, seu quod idem est, ordinare Deum ad creaturam tanquam ad vltimum finem cuius gratia, hoc enim peruersissimum est, & Deo indecens, nec hoc modo Deus vult incarnationem propter reparationem generis humani, sed propter semetipsum, iuxta illud Prophetæ. *Propter semetipsum omnia operatus est Deus*. Non tamen est vlla peruersitas velle Deum propter creaturam, tanquã propter finem cui. Hoc enim modo per spem, volumus Deum nobis: & Deus voluit incarnationem Filij sui propter nos homines.

160 Secundum argum. nam indecens est Deum velle peccatum; ergo indecens est Deum velle incarnationem ad redimendum genus humanum. Antecedens notum est. Conseq. probatur, quoniam non potest Deus velle incarnationem ad redimendum genus humanum à peccatis, nisi prius velit peccatũ, occasione cuius vult incarnationem, qui enim vult aliquem finem efficaciter, vult etiam omnia illa quæ necessaria sunt ad ponendum in executione talem finem; sed ad hoc quod Christus vt Redemptor ponatur in executione, requiritur de necessitate peccatum; ergo non potuit Deus velle Christum vt Redemptorem, & Saluatorem à peccatis; absq; eo quod voluerit peccatum.

161 Resp. negando conseq. Ad probationem dico, posse Deum velle incarnationem absque eo quod voluit peccatum; imò absque eo quod prius voluerit permissionem peccati; Deus namque prius voluit Deum vt redemptorem, & Saluatorem à peccatis, postea voluit permissionem peccatorum, nõ tanquam media ad talem finem, sed tanquam materia destruenda per redemptionem. Eo proportionali modo quo voluit pænitentiam vt peccati destructiuam, postea voluit permittere peccata, quæ essent materia destruenda per eandem pænitentiam, non media ad illam habendam. Vnde ad illam propositionem qui vult finem, vult etiam ea quæ necessaria sunt ad talem finem, dico valere in ijs, quę se habent vt media, non quę se habent vt materia. Quæ enim se habent vt materia non est necesse quod sint volita, sed sufficit, quod permittantur, aut aliunde habeantur. Sed de hac re infra.

162 Tertium argum. nam potuit Deus alio modo liberare hominẽ, vt per alium purum hominem, vel per Angelum, aut sua voluntate sola, absque incarnatione; ergo non fuit decens, quod hoc faceret media incarnatione. Resp. negando antecedens si procedat de liberatione ex toto rigore iustitiæ, secus absolutè & ex pura condonatione, vel non attenta rigorosa satisfactione.

163 Dices 1. nam inter homines nobilior reputatur, qui nullam requirit satisfactionem, sed sola gratia offensam remittit; ergo etiam apud Deum; ergo non potuit non esse indecorum Deo requirere satisfactionem pro offensis sibi illatis. Certè non potuit non esse signũ demissi animi velle satisfactionem, & omnino rigorosam. Est enim viri magnanimi omnem offensam condonare nulla data satisfactione, imò eam oblatam reicere. Resp. Antecedens esse verum de personis priuatis, non de personis publicis, quæ bonum commune respiciunt. Quocirca iudex sic debet vti misericordia, vt non deroget iustitiæ. Cum ergo Deus sit supremus iudex

dex non debuit iustitiæ derogare, sed ita illi satisfacere, vt etiam locum relinqueret misericordiæ. Maximè quia iustitia in proprium filium exercuit, misericordiam in homines. Præterea ex iustitia, quæ in hoc reparationis modo resplendet, resultat maius bonum nostrũ, & melius fuit nobis, quod hoc modo iustitiæ satisfieret, quam si ex pura misericordia nostras offensas Deus nobis cõdonasset. Tum quia melius est nobis condigne soluere, quam sine pretio veniam recipere. Tum etiam quia illa Christi satisfactio fuit etiam meritum nostrum, tribuens nostris bonis operibus valorem ad vitam æternam promerendam, quem non habuissent, &c.

164 Dices 2. quoniam videtur omnino indecens, quod persona publica, v.g. remittat iniuriam, satisfactione accepta, exponendo maius bonum pro habendo minori; sed hoc contigit in nostro casu; ergo, &c. Minor probatur, nam vita Christi D. est maius bonum quam redemptio totius generis humani; ergo hanc exponere erit valde indecens. Resp. distinguendo maiorem: exponendo maius bonum pro habendo minori, quando minus bonum esset finis vltimus, & principalis, conceditur; quando est minus principalis, negatur. In nostro autem casu salus generis humani, quæ est minus bonum, quàm vita Christi, non est finis vltimus, principalis, & cuius gratia mortis Christi, sed tantum est finis cui. Finis autem principalis mortis Christi, est gloria Dei, iuxta illud Apostoli. *Omnia propter Christum, & Christus propter Deum.*

165 Quartum argum. quoniam, vt docet D. Anselmus *lib. Cur Deus homo cap.* 8. est contra iustitiam obligare innocentem, vt pro reis satisfaciat; sed hoc fecit Deus cum Christo, ipsum enim obligauit mori pręcepto imposito; ergo Deus egit contra iustitiam, quod non potest non esse indecens. Resp. esse contra iustitiam obligare innocentem ad satisfaciendum pro alio ob bonum particulare illius, & conceditur; ob bonum commune, & negatur. Maximè quia illud præceptum non fuit impositum contra Christi D. voluntatem, sed secundum illam.

166 Sed contra hoc dices, quod si illud præceptum fuisset secundum Christi D. voluntatem, non recusasset mori, vt de facto recusauit cum Matt. 26. dixit. *Pater si possibile est, transeat à me calix iste.* Nec valet dicere, quod Christus recusauit mori per actum inefficacem, & simplicis cuiusdam affectus partis inferioris; tamen per actum efficacem, mortem acceptauit, cum dixit. *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Prior tetendit in mortem, eam nude sumptam fugiendo. Secundus voluit mortem etiam præcepto circumstantionatam.

167 Nam contra hoc est, quia istæ duæ voluntates, seu inclinationes elicitæ sunt repugnantes, & contrariæ, ergo non potuerunt esse simul, ac proinde absolutè dicendum est, quod Christus D. mori recusauerit. Resp. sustinendo traditam solutionem. Ad probationem in contrarium dicas, quod illi duo actus non sunt contrarij, cum non sint de eodem, ac proinde possunt esse simul. Vnus namque tendit in fugam mortis secundum se, præcisam à circumstantijs, quatenus talis fuga apprehenditur, vt conueniens naturæ humanæ secundum se. Alter vero acceptat mortem, & est actus efficax, & prosecutionis, tendens in mortem vt hic, & nunc circunstantionatam, & quasi singularizatam, qui actus bene stare possunt simul.

DVBIVM VII.

An incarnatio sit simpliciter necessaria, vbi an Deus semper faciat quod melius est.

168 HOc dubium alij sic proponunt, an bonitas incarnationis sit tanta, quod Deus fuerit necessitatus

sitatus ad eam absolutè volendam supposito decreto creationis huius mundi. Tres sunt de hac re sententiæ. Prima est Raymundi Lulli, qui dicebat, quod incarnatio cum sit bonum infinitum necessitauit Deum ad eam volendam supposito decreto creationis huius mundi. Secunda sententia est P. Granado 1. *p. tract.* 2. *de volunt. Dei disp.* 3. *n.* 35. qui dicit, quod licet Deus non necessitetur physicè ad volendam infinitam bonitatem incarnationis, quia Deus ad extra non potest physicè necessitari, necessitatur tamen moraliter, nam necessitate morali inclinatur Deus ad volendum id quod sibi vt melius, & congruentius proponitur. Hæc sententia posset corroborari ex facto aliquorum Sanctorum, præsertim meæ Seraphicæ Matris Sanctæ Theresiæ, quæ per votum se obligauit ad faciendum id, quod melius cognosceret, quod votum non videretur bonum, & rectè factum, si Deus non semper faceret, quod melius est. Nam vel re ipsa Deus facit, quod melius, & perfectius est, vel non. Si primum, votum illud optimum erit, cum per illud Seraphica mea conaretur ad imitandam diuinam perfectionem, iuxta illud Christi D. *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est*. Si secundum, votum videtur præsumptuosum, cum per illud Seraphica conaretur ad id, quod neque Deus præstat.

169 Nostra sententia sequentibus conclusionibus explicatur. Prima conclusio: *Deus non fuit necessitatus incarnari, necessitate physica, etiam dato decreto de creatione huius mundi*. Hęc conclusio apertè colligitur ex Sacra Scriptura, quatenus docet, quod opus incarnationis sit opus benignitatis, liberalitatis, pietatis, & misericordiæ Dei erga homines. Vnde hanc conclus. docent omnes Theologi hoc loco. Videri possunt M. Cipullus, Lugo, Orland. Isambertus, & alij hoc loco.

170 Probatur 1. quia vt docet Sanctus Doctor 1. *p. q.* 19. quē omnes Theologi sequuntur, quidquid Deus operatur ad extra, liberè operatur, sed incarnatio est opus ad extra, ergo est opus liberum, non solum libertate morali, vt postea dicemus, sed etiam libertate physica. Maior constat; diuina namque voluntas solum necessitari potest physicè à suo obiecto adæquato, cum quo necessariam habet connexionem; cum autem diuina voluntas non nectatur necessariò cum rebus ad extra, sequitur, quod liberè eas velit. Tum quia si Deus necessitaretur ad extra necessitate physica, vel necessitaretur ab æterno, vel in tempore, non in tempore aliàs mutaretur, aduenta necessitate in tempore, cum eam in æternitate non haberet. Vel ab æterno, & neque hoc, aliàs ab æterno fuisset incarnatus.

171 Sed occurret aliquis ad rationem, quod solum illud opus ad extra est liberum ad quod Deus concurrit effectiuè, non illud ad quod Deus concurrit terminatiuè. Cum enim actio ad extra sit opus voluntatis, liberum esse debet, cum voluntas cum eo non nectatur necessariò. At pura terminatio, cum non sit opus voluntatis, sed subsistentiæ erit necessarium. Sed contra quia incarnatio non solum dicit terminationem, sed actionem ad extra productiuam vnionis ergo licet ratione puræ terminationis, quæ est à persona Verbi non dicatur libertas, tamen inuoluitur vera libertas physica in productione dictæ vnionis. Quare incarnatio absolutè dici debet libera, cum absolutè sit ab actione producente vnionem, ex qua sequitur terminatio.

172 Occurret alius probationi, quod necessitas incarnationis sit in tempore, nō ab æterno, nec ex hoc sequitur quod Deus mutetur, cum ista non sit necessitas absoluta, sed suppositionis, fundata in libero decreto de productione vniuersi, necessitas autem suppositionis nec absolutam tollit libertatem, nec absolutam inducit necessitatem, nec subinde mutationem. Sicut ex eo quod Deus supponitur aliquem elegisse ad gloriam, necessitatur ad prouidendum

illi

illi de medijs, quibus illam consequatur, ita ex eo quod Deus decreuit creare mundum, tenetur in eo ponere maximum incarnationis bonum, maximũque totius vniuersi ornamentum. Sed contra, nam si semel Deus necessitatur ad ponendam incarnationem etiam posito decreto de productione vniuersi, adhuc illa necessitas esset absoluta, ac proinde tollens libertatem; nam necessitas suppositionis propriæ, quæ non tollit libertatem, est necessitas quædam illationis, quando scilicet vno posito, per necessariam consequentiam infertur aliud; ac proinde si non poneretur, probè colligeretur, quod primum non fuisset efficaciter volitum; vt in exemplo electionis ad gloriam videre licet, si nãque Deus electis ad gloriam non prouideret de medijs quibus illam consequerentur, colligeretur apertè, quod illa electio non fuisset efficax; cum electio efficax inferat media. Cæterum in nostro casu decretum creationis mundi non infert incarnationem, nec habet necessariam connexionem cum illa. Cum enim vniuersum hoc, & decretum creationis illius pertineant ad ordinem merè naturalem, non possunt inferre positionem rei pertinentis ad ordinem hypostaticum, nec habere possunt connexionem cum eo, sicut non habent connexionem cum ordine gratię; aliàs Deus fuisset etiam necessitatus ad ponendum ordinem gratiæ, ex suppositione quod voluit ponere ordinem naturæ.

173 Probatur 2. nam incarnatio nõ est necessaria neque ad positionem vniuersi, neque ad eius conseruationem; ergo ex positione decreti de productione vniuersi non necessitatur Deus ad ponendam incarnationem. Conseq. constat, quoties enim aliquid non est necessarium ad positionem, vel conseruationem alicuius, sed se habet omnino disparatè, cum sit alterius ordinis, non sequitur, quod ex voluntate, seu decreto ponendi vnum, debeat poni aliud. Antecedens probatur; nam incarnatio supponit vniuersum, ergo non est necessaria ad positionem, & conseruationem vniuersi; conseruatio namque est continuata productio, ac proinde quod non requiritur ad productionem, neque ad conseruationem per se requiretur. Tum quia incarnatio est entitatiuè supernaturalis, ordinis hypostatici, & diuini, ergo non potest requiri ad positionem, & conseruationem ordinis naturalis, & inferioris. Soluuntur argum. in contrarium.

174 Primum argum. nam dato decreto de productione huius vniuersi non potuit Deus non velle totum illud, quod pertinet ad perfectionem, & ornamentum illius, sed incarnatio Verbi diuini pertinet ad maximam vniuersi perfectionem; ergo non potuit non illam velle Deus, eo ipso quod voluit vniuersum. Maior nota est. Minor probatur, nam vniuersum diuiditur in tres gradus, scilicet naturæ, gratiæ, & vnionis hypostaticæ, sed si deesset incarnatio, deesset iste gradus; ergo, &c. Resp. distinguendo maiorem: non potuit Deus non velle, quod pertinet ad perfectionem naturalem illius, conceditur: quod pertinet ad perfectionem supernaturalem, & non exigitam, & negatur. Incarnatio autem nõ pertinet ad perfectionem naturalem vniuersi, sed est alterius ordinis, vt res nõ exigita, nec illata, sed vt res misericorditer, & liberaliter concessa.

175 Secundum argum. Incarnatio est bonum infinitum, sed hoc infert necessitatem diuinæ voluntati; ergo, &c. Nec valet dicere, quod sit bonum infinitum ratione diuinitatis, & diuinæ personæ inclusæ, ac proinde solum diuinitas, & persona diuina necessitabunt diuinam voluntatem ad illã amandum. At humanitas, & vnio cum non sint quid infinitum non necessitabunt ad sui amorem, & volitionem, ac proinde liberè erunt volita. Sed contra, nam vnio ad minus est infinita terminatiuè quatenus terminatur ad personam infinitam, illamque nectit cum humanitate. Deinde in humanitate datur meritum infinitum,

tum, & satisfactio infinita, ergo horum ratione necessitabit ad sui amorem, & volitionem. Resp. sustinendo traditam solutionem. Ad illud quod de vnione dicitur, dico solum probare, quod illa vnio sit simpliciter finita, & secundum quid infinita, quo modo visio beatifica est simpliciter finita, & secundum quid infinita, quatenus terminatiuè se habet ad Deum: Nihil autem infert necessitatem diuinæ voluntati, nisi sit simpliciter bonum infinitum. Deinde dato, quod vnio esset simpliciter infinita sicut meritum, & satisfactio, adhuc non infertur, quod tria ista debeant necessariò esse volita à Deo. Nam illud solum bonum infinitum affert Deo necessitatem ad volendum, quod est infinitum in omni genere, & sibi est indispensabiliter cōnexum quod est bonum increatum. At quod est infinitum tantum in vno genere, vt in genere vnionis, in genere meriti, aut satisfactionis, non infert necessitatem diuinæ voluntati; aliàs si daretur infinitum in multitudine, magnitudine, in intensione, cogeretur Deus ad illius productionem, quod etiā tenentes sententiam, quod infinitum in actu dari possit, negant.

176 Secunda concl. *Deus non necessitatur necessitate morali ad incarnandum* Sic tradunt commumiter Theologi hoc loco, & adeo certa videtur M. Cipullo *hic q.1.art.2.dub.1.nu.3.* vt dicat. *Loquendo de necessitate morali esto non sit de fide, est tamen illi valde consona, quandoquidem ex testimonijs sacræ scripturæ satis probabiliter colligitur.* Cæterum quia huius concl. intelligentia pendeat ex solutione illius difficultatis, an Deus semper faciat id quod melius est, ideo operæ pretium duxi illam hoc loco exponere.

§. I. *An Deus semper faciat id quod melius est.*

177 HAnc difficultatem aliqui sic proponunt, an Deus morali quadam necessitate eligat id, quod magis decet suam gloriam, attentis omnibus circunstantijs, non quia semper eligat id quod melius est secundum se, sed quod comparatiuè est melius, seu decentius ad suam gloriam omnibus attentis. Eo proportionali modo quo oculus secundum se est melior aure, & pede, non ob id debuerunt omnia membra esse oculi, quia hoc non erat melius comparatiuè ad totum corpus, ac proinde neque comparatiuè ad decentiam diuinam, & diuinam prouidentiam, quę magis prouidet toti quam parti, Rem hanc sic explicatam tenent Granado super citatus, & Ruiz *disp.9.& 10. de volunt.* quos refert Ioan. à S.Tho. *1.p. qu. 19. disp.4. art.7.22.* cui refragantur Suarez, Vasq. & Alarcon apud eundem Ioann. à S. Tho.

178 Cæterum ipse Ioan. à S. Tho. putat, quod lis ista modica sit, eamque ex doctrina D.Thomæ putat reconciliare. Pro quo notat, quod sub duplici statu diuina voluntas considerari potest. Primò, supponendo aliquem determinatum finem, & statum rerum, quo volito, & amato iuxta suam sapientiam, reliqua omnia in pondere, mensura, & ordine decentissimo constituit ad maiorem suam gloriam, non absolutè, sed pro illo statu, & ad hoc tenetur debito morali iustitiæ suæ distributiuæ, seu prouidentiæ suæ, quæ rectissima est. Secundò potest diuina voluntas considerari absolutè antequam determinatum aliquem rerum statum, & finem eligat, & tamen intellectus diuinus proponit illi infinitos rerum ordines, & omnes diuitias suæ omnipotentiæ, vt ex infinitis rerum conbinationibus eligat, quod voluerit, ex quibus omnibus potest sua gloria resultare, licet extrinseca, & à qua nullo modo intrinseca, quia sine illis omnibus perfectissimam gloriam habet in se, & comparatione suæ gloriæ intrinsecæ, & substantialis, valde modicus est omnium creaturarum cumulus, & quod perfectiones, vel minus perfectæ eligantur à Deo, parui momenti gloria Deo accrescit, scilicet sola gloria extrinseca. In hoc

hoc ergo ſtatu, vel ſigno conſiderata diuina voluntate, nullo debito, aut neceſſitate morali, tenetur eligere id quod eſt maioris gloriæ extrinſecæ,ſed poteſt, quod minus eſt, iuxta ſuum beneplacitum, & liberrimæ ſuæ voluntatis conſilium eligere.

179 De hac ſecunda parte ſui dicti nulla eſt difficultas. Primum probat 1. ex D.Thoma *in 1.ad Anibald. diſt.44.q. vnic. art.3.* vbi ſic habet. *Modus quo Deus facit res poteſt intelligi dupliciter. Vno modo ex parte illa qua exit ab operãte,& ſic non poteſt Deus meliori modo facere res quàm facit, quia modus ille ſequitur bonitatem,& ſapientiam facientis,quæ eſt infinita. Alio modo ex parte facti, & ſic abſolutè loquendo Deus poteſt facere res meliori modo quàm facit, quia poteſt eis meliorem modum eſſendi tribuere, ſed ex ſuppoſitione diuini ordinis, quo vnicuique finem certum præfixit, non poteſt fieri meliori modo.*

180 Verum vt conſideranti patebit hoc teſtimonium D. Thomæ nil ſuffragatur M. Ioanni; nam non dicit S. Doctor, quod Deus non poſſit facere melius ſuppoſito aliquo determinato fine, & rerum ſtatu, ſed quod non poſſit facere res meliori modo, tum ex parte bonitatis, & ſapientiæ facientis; cum nulla res à Deo fieri poſſit meliori bonitate, nec ſapientia, ex eo, quod omnia faciat eadem bonitate, & ſapientia infinita. Tum ex parte rei factæ, quia poteſt ei abſolutè meliorem modum eſſendi tribuere, *ſed ex ſuppoſitione diuini ordinis, quo vnicuique finem certum præfixit, non poteſt fieri meliori modo*, ideſt, facta ſuppoſitione, quod Deus voluit hanc, vel illam rem, illique certum finem pręfixit, non poteſt facere meliorem. V.g. facta ſuppoſitione quod Deus voluit incarnationem, & illi talem finem præfixit, non poteſt facere meliorem, ſed debet eam facere ſecundum modum præfixum, aliàs diuina voluntas mutaretur, de quo nemo dubitat, nec de hoc altercantur Doctores. Sed de hoc altercantur, an antequam Deus prædefiniat incarnationem tali modo fiendam; ſi ſibi proponatur incarnatio vt fienda tali, vel tali modo, neceſſitetur ad eam ponendam. Deus ergo Thomas procedit, & loquitur de neceſſitate ſuppoſitionis, at difficultas procedit, ante ſuppoſitionem, an Deus ob bonitatem incarnationis fuerit neceſſitatus ad eam volendam, quia diuina voluntas ſemper vult melius. Et quia melius eſt velle vniuerſum cum incarnatione,quàm ſine ea, ideo ex ſuppoſitione quod voluit vniuerſum, debuerit velle cum incarnatione. Vel,cum incarnatio ſit maximum bonum, & ſit diuinæ voluntati propoſitum,fuit neceſſitata ad illam volendam. Eodem modo intelligendus eſt S.Doctor in alijs locis à M.Ioanne relatis.Vnde millies docet S.Doctor, quod licet non poſſit facere hoc vniuerſum melius, quoad modum quo eſt à Deo, quoad modum quo exit à Deo, quoad ordinem quem dicit ad Deum, quoad ordinem partium inter ſe;tamen poteſt facere melius quoad has, vel illas partes; poteſt facere melius addendo nouas partes, &c. ac proinde non eſt verum, quod volito aliquo rerum ſtatu, non poſſit rem hanc, vel illam intra eundem rerum ſtatum meliorem efficere, aut quod non poſſit intra eundem ſtatum minus bonam eligere, aut velle. Licet eo ipſo quod hanc voluit, non poſſit non velle eo modo quo voluit, non vt meliorem, aut peiorem.

181 Probat 2. quia quando Deus determinat aliquem finem, ſeu ſtatum rerum, tunc ſuppoſita hac determinatione tenetur diuina voluntas decentiſſimum ordinem eligere debito ſuæ prouidentiæ, & ſapientiæ, eo quod ordo ille rerum accipit totam decentiam ex reſpectu ad illum finem ſic regulatum per diuinam ſapientiam; ergo licet poſſint res abſolutè fieri meliores, non tamen intra talem ordinem,&c.

182 Sed neque hoc argum.probat, nam licet conuincat, quod ſuppoſita electione illius ordinis, non poſſit non amari, & exequi niſi ſecundum quod cadit ſub electione, tamen non probat,

quod intra eundem ordinem non possit non amari, & eligi quod est minus bonum, modo in particulari quod eligitur, & amatur non sit determinatè prius volitum, & amatum, tunc enim non potest eligi sub statu meliori, sed sub statu cadente sub electione, ex suppositione quod debeat executione mandari, ne in diuina voluntate ponamus mutationem. Multo minus probat, quod facta electione huius vniuersi, debuerit eligi, & amori incarnatio, & executione mandari, cum incarnatio non cadat sub electione, & amore huius vniuersi, cum non pertineat ad ordinem naturalem illius, sed ad ordinem alium supremum, scilicet hypostaticum.

§. II. Ponitur modus alius explicandi sententiam, quod Deus debeat semper facere, quod melius est, & impugnatur.

183 CArdinalis de Lugo *hic disp.2. sect.1. n.7.* (& alij communiter) sic proponit sententiam Granado, quod scilicet Deus semper velit id quod optimum est, in ijs rebus, in quibus optimum potest assignari, vt sunt incarnatio, & non incarnatio: illud enim non hoc, est optimum: prædestinatio, & non prædestinatio: creatio mundi, & non creatio, &c. Cæterum in ijs rebus in quibus optimum assignari non potest sed abitur in infinitum, vt est multitudo indiuiduorum intra aliquam speciem; vel specierum intra aliquod genus, &c. in his non potest Deus facere optimum, cum non detur; non enim potest Deus tot indiuidua, aut tot rerum species producere, & perfectiores, vt non possit producere plures, & plures, perfectiores, & perfectiores in infinitum. Addit Granado, quod in illo primo rerum genere in quo datur optimum, non solum Deus semper facit, quod optimum est, sed quod ad hoc faciendum, & volendum necessitatur à sua natiua bonitate, ingenio, & propensione, ita quod non possit illud non velle, licet habeat aliquam potentiam metaphysicam, vel physicam ad oppositum faciendum. Sicut cum auxilijs gratiæ ordinarijs potest homo, physicè loquendo, vitare omnia peccata venialia, non tamen moraliter. Et hoc modo laudatur Dei liberalitas in assumenda carne pro salute hominũ, licet moraliter, non potuerit relinquere opus illud excellentissimum, & medium congruentissimum ad reparandum genus humanum. De hac sententia sic explicata currit censura P. Cipulli n. 176. relati. Hanc sententiam impugnant cõmuniter Doctores, eamque nos sequentibus rationibus impugnabimus.

184 Prima ratio, nam omnes Catholici fatentur in Deo summam libertatem ad extra, in ordine ad opus extra Deum positum; sed data illa necessitate morali non datur in Deo summa libertas ad extra; ergo, &c. Minor probatur, nam necessitas moralis cum libertate physica, est minima libertas, & absolutè necessitas. Quocirca omnes fatentur, quod homo non habet perfectissimam libertatem ad vitandum omnia venialia collectiuè, sed solum secundum quid, & cum addito, scilicet physicè. Licet enim libertas physica cum necessitate morali possit esse sufficiens ad meritum, vel demeritum, tamen est in linea libertatis debilis, & imperfecta libertas, & in Concilijs, & à Patribus communiter non solet appellari libertas simpliciter, sed quædam impotentia. Cæterum quando Concilia, & Patres loquuntur de libertate Dei ad extra, & maximè de libertate qua misit Deus Filium suum in mundum, vocant hanc libertatem absolutè, & simpliciter, ac proinde non potuit esse tãtum physica, sed etiam moralis. Vnde S. P. August. lib.13. de Trinit. cap.10. ad rem sic fatur. *Parum est vt istum modum, quo nos per mediatorem Dei, & hominum Christum Iesum, Deus liberare dignatur, asseramus bonę, & diuinæ congruum dignitati, verum etiam vt ostendamus, non alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potestati cuncta æqualiter subiacent.* Vbi obser-

seruanda sunt illa verba, *cuius potestati cuncta æqualiter subiacent*, quibus patenter significat, quod æqualem libertatem habet Deus erga omnia, ac proinde erga nihil moralem habet necessitatem.

165 Secunda ratio, nihil, quod ad extra à Deo producitur, pertinet vt specificatiuum ad diuinam voluntatem; ergo nō habet cum ea talem connexionem, vt illud necessitate morali velit. Antecedens constat ex dictis 1. *p. q.* 14. implicat namque quod aliquid diuinum specificetur ab aliquo extra, quod potuit esse, & non esse. Conseq. probatur nulla potentia potest necessitari ab eo, quod non est specificatiuum illius, vbi autem non est necessitas specificationis, neque potest esse necessitas exercitij.

166 Occurrunt aliqui, quod necessitas specificationis, & exercitij ex duplici capite oriri potest, scilicet ex ipso obiecto specificante, vel ex his, quæ pertinent ad beatitudinem, vel ex ijs sine quibus beatitudo haberi non potest, vt est esse, viuere, &c. & hoc modo diuina voluntas à nulla re extra necessitari potest. Vel oriri potest ex ipsa natura, & conditione voluntatis, & hæc necessitas potest etiam esse erga obiecta materialia, & secundaria. Hoc secundo modo diuina voluntas necessitatur ad volendū id quod melius est. Cum enim sit infinitè bona, infinitam habet propensionē ad bonum, ac proinde vbi est maius bonum, ibi est magis propensa, & sic necessitata: maius namque bonum est magis volitum, magis amatum, ac subinde electum, & executum.

167 Sed contra, nam vel ista necessitas ad volendum melius quam dicis oriri ex ipsa natura voluntatis diuinæ, oritur ab illa vt est natura, aut vt est libertas: neutro modo oriri potest; ergo nullo modo. Maior constat, vt enim vidimus 1. *p. q.* 19. & tradunt omnes, voluntas quæcumque etiam diuina solum illis duobus modis considerari potest, scilicet vt natura, seu vt quædam necessitas est, secundum quam consideratione tendit in obiectum necessariò; & vt est libertas, secundum quam rationem tendit in suum obiectum liberè. Minor probatur, nam non oritur illa necessitas à natura voluntatis vt est natura, quia hoc modo tendit in obiectum suū necessariò tum physicè, tum moraliter: tum quia voluntas diuina vt natura non respicit nisi suum obiectum primarium, cum quo habet omnimodam necessitatem, ac proinde non respicit aliquid extra. Neque oritur illa necessitas à voluntate diuina vt est libertas, quia hoc modo non inclinat, nec propendit in aliquid nisi liberè; ergo, &c.

168 Tertia ratio, quoniam, vt infra probamus, & docent cōmuniter Theologi cum D. Thoma, incarnatio ita est à Deo volita, vt si homo non peccasset, incarnatio nō fieret; ergo huius mysterij summa dignitas, & excellentia non imposuit moralem necessitatem Deo, vt illud poneret, ac proinde Deus non necessitatur ad faciendum melius. Antecedens constabit infra. Conseq. constat. Cum enim hoc mysterium sit optimum, & melius sit incarnari, quam non incarnari: melior sit incarnatio, quàm eius carentia, sequitur, quod etiamsi Adam non peccasset, adhuc incarnatio fuisset, impellendo moraliter ad illius positionem maxima eius bonitas, & excellentia.

169 Quarta ratio est N. P. Thomæ Vvaldensis *to. 1. de doct. fidei lib. 1. cap.* 12. quam desumit ex illo Marci 14. *Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me*; sed Christus D. non loquitur solum de possibilitate physica, sed etiam morali; ergo potest Deus vtraque possibilitate non velle quod maius bonum est, scilicet mortem Christi, volendo vt non moriatur. Minor probatur, nam si Christus D. sciuisset non fore possibile moraliter, vt non moriretur ob maximum bonum mortis, frustra orasset, frustra namq; id aliquis petet, quod licet sciat esse physicè possibile, tamen moraliter est impossibile. Sicut ego frustra peterem à te, vt vitares omnia peccata

cata venialia collectiuè, cum sit moraliter impossibile.

170 Confirmatur 1. nam de facto Sancti Patres veteris Testamenti orabãt Deum, vt mitteret Verbum suum in mũdum, vt eos redimeret, & liberaret à peccatis eorum; sed ista oratio fuisset frustranea, si Deus necessitate morali debuisset incarnari; ergo, &c. nemo enim adeo enixè petit, quod de necessitate ponendum est. Antecedens constat ex toto officio Aduentus, in quo Sancta Mater Ecclesia repræsentat orationes, petitiones, & desideria Sanctorum Patrum, vt sic fideles ad idem excitentur. Clamabant enim. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Excita quæsumus Domine potentiam tuam, & veni, &c.* Sed dices, quod Sancti Patres non petebant substantiam incarnationis, sed accelerationem illius. Nam hoc dato, & non concesso, nihil contra nos, nam Deus non vtcumque voluit incarnationem, sed tali tempore ponendam, in quo eius positio erat melior; ergo adhuc eorum oratio esset frustranea, cum esset de re, quam Deus moraliter tenebatur ponere, & non poterat non ponere.

171 Confirmatur 2. nam libertas solum physica ad non incarnandum, ad non creandum mundum, ad non prædestinandum, &c. videtur inuoluere maximam imperfectionem; ergo non debet esse solum physica, sed etiam moralis. Antecedens probatur, nam ex opposita sententia sequitur, quod dentur in diuina omnipotentia aliqua possibilia à solo Deo dependentia, quæ moraliter à Deo extra causas poni non possunt; illa scilicet, quæ sunt minus bona. Item sequeretur, quod Deus respectu aliquorum possibilium non maiorem habet potentiam ad illud ponendum, quàm habeam ego ad vitanda omnia venialia collectiuè: sequeretur, quod non magis posset Deus aliquid creare, quàm dæmones, & damnati benè viuere: sequeretur, quod non omnia æquè subderentur diuinæ omnipotentiæ: sequeretur quod non haberet plenum dominium suorum actuum, &c.

§. III. *Soluuntur argumenta in contrarium.*

172 PRimum argumentum desumunt ex varijs testimonijs Sacræ Scripturæ. Eccles. 3. dicitur. *Didici quod omnia opera quæ fecit Deus perseuerant in perpetuum: non possumus eis quicquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus vt timeatur*; si non possumus eis quicquam addere, non possunt esse meliora, ac proinde Deus facit quod est melius. Et cap. 39. dicitur. *Opera Domini vniuersa bona valde*. Et Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*. Vnde S. P. August. lib. de quantitate animæ cap. 33. dicit. *Sic sunt omnia, vt omnino melius esse non possint*. Et S. P. N. Damasc. lib. 2. fidei cap. 29. sic habet. *Sic fieri omnia Dei prouidentia, vt meliori modo existere prorsus nequeant*. Addunt etiam Aristotelem 8. Phys. text. 56. sic dicentem. *Id quod præstat, in natura esse, modo possit, arbitramur.*

173 Resp. cum D. Thoma *in 1. dist. 44. q. 1. art. 2.* quod dicta testimonia intelligantur, vel quantum ad modum quo fiunt, scilicet quantum ad bonitatem, & sapientiam diuinam, & hoc modo non possunt meliorari, vel quantum ad ordinem vniuersi, quod etiam clarè docet 1. *p. q. 25. art. 6. ad 3.* vbi sic habet. *Vniuersum non potest esse melius propter decentissimum ordinem attributum istis rebus à Deo, in quo bonum vniuersi consistit. Posset tamen Deus alias res facere, vel alias addere rebus factis, & sic esset illud vniuersum melius.*

174 Secundum argum. quoniam inter creaturas vna est magis amabilis, quam alia, non solum physicè, quatenus vna est entitatis perfectioris, sed etiam moraliter, quatenus ex vna desumitur maior gloria Dei, quam ex alia; sed qui perfectè vult, & amat aliquem, vult illi quod melius est, quo modo iusti qui

in

in hac vita amant Deum, ei volunt quod est ad maiorem gloriam; ergo cum Deus velit, & amet se perfectissimè, debet sibi velle, quod est perfectissimum, & melius: & cum non possit non se diligere perfectissimè, non poterit non velle id quod est melius, & ex quo maior sibi gloria resultat.

175 Resp. 1. concedendo maiorem, cum enim vna creatura sit magis bona, quàm alia, vt homo est magis bonus quam Leo, & vnus homo est magis bonus, quam alius, cum vnus detur alio perfectior, sequitur, quod vnus sit magis amabilis quam alius. Deinde distinguitur minor: qui perfectè amat aliquem vult illi quod est melius, iuxta beneplacitum illius, conceditur: vult illi quod absolutè est melius, aut nobis melius videtur, negatur. Loquendo ergo de voluntate diuina, illud est illi melius, quod hic, & nunc est illi conformius, seu quod illi magis placet. Vel dicas quod Deus semper vult quod est melius formaliter, idest magis secundum suam voluntatem, seu quod maluit eligere, non materialiter, & secundum se. Eo namque ipso, quod Deus aliquid vult, & est id in quo suam implet voluntatem, & formaliter melius, & magis ad ipsius gloriam conducit. Hinc est, quod viri sancti non petunt quod fiat hoc, vel illud, sed petunt quod fiat voluntas Dei. *Fiat voluntas tua*. Nam tunc aliquis plus magis censetur aliquē diligere, cum omnia refert in alterius voluntatis arbitrium. Sic tunc magis Deum diligimus, quando optamus, vt omnem suam voluntatem adimpleat. Et tunc maiorem Dei gloriam volumus cum desideramus, quod suam faciat voluntatem sicut in cælo, & in terra, siue res sint in se meliores, siue non. Quocirca non tenemur conformare nostram voluntatem Deo quoad id quod iudicamus melius, sed quoad id quod est diuinæ voluntati conformius.

176 Resp. 2. distinguendo alio modo dictam minorem. Qui perfectè amat aliquem, vult illi quod melius est, quoad bona intrinseca, conceditur: quoad bona extrinseca, secundaria, & materialiter, negatur. Cum autem Deus amet se ipsum perfectissimè, & efficaciter, ac proinde necessariò amet se ipsum solum quoad bona intrinseca, necessaria, & proportionata, solum quoad ista vult sibi, quod melius, & perfectius est; at quoad bona extrinseca, materialia, secundaria, & improportionata, non amat se efficaciter, idest taliter vt non possit se amare: amat se cum indifferentia, vt possit non se amare, ac proinde quoad ista, sicut potest nullam creaturam amare, cum nullam potuerit creare, & omnes in statu possibilitatis relinquere, in quo Deus nullam amat, sic potest non amare meliorem.

177 Resp. 3. distinguendo eandem minorem. Qui perfectè amat aliquem, vult illi quod melius est necessitate illa morali, quando illud melius est de illis bonis sine quibus perfectissimè esse nequit, conceditur: sine quibus perfectissimè esse potest, negatur. Cum autem Deus perfectissimè esse possit sine quacumque creatura, quamuis perfectissima, & optima, sequitur, quod non necessitatur ad eam volendam. Tum quia omnis creatura quantumuis perfecta habet aliquam mali admixtionem, ac proinde habet quo respui possit. Tum etiam quia quod licet bonum creatum si necessitaret diuinam voluntatem opponeretur maximo bono diuino, quod consistit in exemptione diuinæ voluntatis ab omni creatura, & impediret maximam perfectionem diuinæ voluntatis, quæ in omnimoda indifferentia consistit respectu creaturarum. Denique nam peccator ardentissimè amat se ipsum, & tamen non vult sibi meliora, sed deteriora; ergo licet Deus ardentissimè amet se ipsum, potest non velle sibi ex bonis extrinsecis, quod melius est.

178 Secundum argum. nam creatura, quæ posset plura, & meliora facere in obsequium Dei, & non faceret minus perfectè diligeret Deum; ergo cum Deus potest facere aliqua, quæ maximè

ximè cedunt in eius gloriam, & in suæ bonitatis obsequium, si non faciat, minus se amare videretur, quod esse non potest. Resp. concedendo antecedens, & negando conseq. Ratio discriminis est, quia tunc creatura non faceret, quod posset, & quod scit, vel saltem præsumere potest Deo magis placere, & sic nolet strictius, & perfectius vniri cum Deo. Non sic in Deo, qui tunc magis strictè censetur sibi vniri, cum ea, quę suę voluntati placent, exequitur. Creatura ergo cum facit quod melius est, censetur conformari diuinæ voluntati, quæ à nobis exigit, quod sibi magis placet, & quod in eius maiorem gloriam redundat, & diuina voluntas tunc facit quod melius est, non quando facit, quod à parte rei iudicatur melius, sed quod magis sibi placet.

179 Tertium argum. nam Deus necessariò vult, quod per suum intellectum iudicat melius; sed diuinus intellectus iudicat melius, quod cedit in maiorem eius gloriam, & in maiorem suorum attributorum ostensionem; ergo, &c. Diuinus namque intellectus, non potest non iudicare esse melius, quod Deus ita se amet, vt sibi velit summam gloriã non solum internam, sed etiam externam, voluntas autem sequitur ductum intellectus. Resp. negando maiorem, loquendo de bonis externis, ista namque non possunt inferre necessitatem diuinæ voluntati. Vnde non necessitatur ad sequendum id, quod sibi per intellectum proponitur vt melius. Vel dices, quod in intellectu dantur duo iudicia saltem ex nostro modo concipiendi distincta, vnum per quod proponitur melius secundum se, & id quod secundum se non est melius, & hoc est iudicium speculatiuum. Et aliud practicum, per quod hic & nunc proponitur vt melius formaliter, quod aliàs entitatiuè non est melius: proponitur vt melius formaliter, vel ratione exercitij libertatis, vel ad ostendendum dominium plenissimum voluntatis suorum actuum vel ostendendum plenissimam indifferentiam, vel plenissimam exemptionem à creaturis, & in hoc sensu concedi potest, quod voluntas diuina semper facit quod melius est.

180. Quartum argum. nam beati in Patria semper faciunt, quod melius est, quod in maiorem Dei gloriam extrinsecam cedit; ergo id ipsum debet facere Deus. Antecedens constat ex dictis, & concessis n. 170. quod scilicet creatura, quę potest plura, & plura facere in obsequium Dei, & non faceret, non perfectè diligeret Deum. Tum quia amor tendit ad vniendam voluntatem cum re amata, tunc autẽ hęc vnio est perfectior, cum plura, & perfectiora fiunt pro re amata. Conseq. probatur, nam non minus amor diuinus tendit in vnionem diuinam, quàm creatus; ergo, &c. Hoc argumentum petit, vt explicemus, an beati semper faciant, id quod melius est.

§. IV. *An Beati velint, quod melius est.*

181 PRo quo sciendum, quod voluntas Beati ad duo bonorũ genera terminatur, scilicet ad bonum intrinsecum, & essentiale beatitudinis, seu ad Deum vt est bonus in se, & ipsi beato, quatenus scilicet correspondet amori charitatis, & spei. Et ad Deum vt est ratio diligendi alia, & ad alia bona secundaria dilectionis. Omnes conueniunt, quod in ordine ad bonum primo modo, beati non habent indifferentiam, nec libertatem siue moralem, siue physicam; necessitantur namque ad diligendum Deum vt est obiectum amoris beatifici, prout scilicet sequitur ex visione beata tanquam complementum quasi essentiale illius.

182 Quantum autem ad bonum secundo modo, aliqui putant beatos esse indifferentes non solum indifferentia physica, sed etiam morali, ac proinde posse non amare, & velle quod bonum maius est, sed sufficere, quod bonum velint, & ament. Pro quo notant, quod licet Deus clarè visus necessitet physicè volũtatem ad sui amorem, & per consequens

ad

ad concordiam voluntatis beati cum voluntate diuina: discordia namque voluntatis est quidam recessus, qui in beato esse nequit, cum in Deo nihil mali appareat, ratione cuius voluntas beati recedat, fugiatuè ab eo. Cæterum quando beati amant id, & volunt, quod Deo placet, licet non ament, & nolint quod illi magis placet, non recedunt à Deo, nec relinquunt Deum, sed potius illi adhærent, volendo id quod Deus vult, licet non accedant ad vnionem magis strictam, volendo id quod Deo magis placet.

183 Meum sit iudicium. Beati licet non physicè (quantum ad bonum secundi generis) moraliter tamen necessitantur ad volendum, & amandum quod Deo magis placet. Ratio est, quia visio beata, cum sit visio summi, & maximi boni rapit voluntatem ad omnimodam, & summam conformitatem cum diuina voluntate, eam quasi trahit ad volendam strictissimam vnionem cũ Deo, vt semper velit, quod videt sibi magis placere, & sic ad hoc necessitantur, necessitate quadam morali, non tamen physica, aliàs in beatis nulla esset libertas, nisi in ordine ad bona æqualia, quæ non sufficit ad fundandam laudabilitatem. Vnde ex visione beatifica duplex amor sequitur: vnus necessarius physicè, & moraliter ad amandum Deũ perfectè, & non peccandum. Alius ad amandum Deum strictissimè, seu ad volendum non solum id quod Deo placet, sed etiam id quod illi magis placet, & iste est liber physicè, & necessarius moraliter. Igitur beati necessitantur tam physicè, quàm moraliter ad volendum bonum Deo; at ad volendum maius bonum solum moraliter necessitantur. Cum enim beati necessitentur ad amandum Deum, necessitantur ad volendum illi bonum intrinsecum. At non necessitantur physicè ad volendum maius bonum, quia hoc non est amare, sed strictius amare, ad quod visio beatifica physicè non necessitat, sed tantum moraliter.

184 Non leuis difficultas est, an beati taliter necessitentur ad amandum Deum iuxta mensuram visionis, & meritorum vtraque dicta necessitate, vt licet non possint peccare; possint tamen non amare. Ad quod dico, quod loquendo de amore beatifico necessariò tam physicè, quam moraliter, ab eo cessare non possunt. Cæterum loquendo de perfectiori amore, possunt cessare physicè, non moraliter. Imò puto, quod quando proponuntur duo bona æqualia, non possint suspendere actum, sed debent in vnum, vel alterum prorumpere. Quia perfectius est sic agere, quam omnem actum suspendere.

185 Nec ex dictis inferas hoc idem dicendum esse de Deo, qui non solum se ipsum amat, sed perfectissimè amat, ac proinde necessitabitur tum physicè, tum moraliter ad amandam suam bonitatem secundum se. Necessitabitur moraliter ad volendum maius bonum nobis, quia hoc magis redundat in eius gloriam, magisque sua attributa manifestat. Ex duobus bonis æqualibus tenebitur alterutrum diligere, nec poterit vtrumque respuere, contra id quod diximus 1 *p. q.* 19. quod licet non possit diuina voluntas manere suspensa, potuit tamen aut velle, aut nolle, aut etiam non velle.

186 Resp. quod Deus solum necessitatur ad amandam suam bonitatem secundum se, non prout est ratio diligendi creaturas, nec necessitatur ad dilectionem absolutam earumdem creaturarum, aut perfectiorum, &c. Rationem discriminis iam supra tradidimus, quia beati per amorem inclinantur ad vnionem voluntatum, ac proinde ad volendum id, quod Deus magis vult; Deus autem à nobis vult quod perfectius est. At hæc ratio cessat in Deo, quia quicquid vult, optimum est, saltem practicè, & quicquid vult perfectissimè vnit sibi suam voluntatem, non enim sunt duæ voluntates vniendæ in Deo, sed est vna tantum, quæ per quodcumque volitum semper habet secum perfectissimam

mam vnionem. Quocirca licet Deus perfectissimè amet se ipsam, non ob id inclinabitur ad volendum quod perfectius est, sed quod magis sibi placet.

187 Quintum argum. in ordine, nam necessitas moralis ad faciendum quod melius est non inuoluit imperfectionem, sed potius affert perfectionem, iuxta illud D.Bernardi. *O felix necessitas, quæ ad meliora compellit*; ergo potest esse in Deo. Resp. negando antecedens; necessitas namque moralis oritur ex debilitate potentiæ, & ex maxima difficultate ad aliquid physicè possibile, quod nobis moraliter est impossibile, vel saltem difficillimum, quod respectu Dei esse non potest, cum Deus moraliter non possit cogi cedere alicui difficultati, quæ in alicuius rei consecutione, aut productione esse potest. Quocirca ad hoc vt aliquid sit moraliter impossibile duo requiruntur. Vnum, quod nunquam fuerit, aut futurum sit. Alterum, quod hoc oriatur ex summa difficultate, quam vincere, seu superare oporteret ad illud ponendum. Licet ergo respectu Dei maior aliqua difficultas obiectiua sit, respectu vnius rei, quã alterius, non tamen subiectiua, aliàs in Deo maxima imperfectio daretur.

188 Sextum argum. Deus habet inclinationem infinitam ad bonum, v.g. ad se incarnandum; ergo ad hoc fuit moraliter necessitatus. Antecedens constat, nam ad bonitatem sequitur inclinatio ad communicandum; ergo ad infinitam bonitatem sequitur infinita inclinatio; inclinatio namque sequens formam, commensuratur formæ ad quam sequitur, ac proinde inclinatio sequens formam infinitam, erit infinita. Conseq. probatur, nam quo maior est inclinatio ad aliquid, eo minor est libertas; ergo cum inclinatio sit infinita, nullam relinquet libertatem. Ad hoc argum. respondet M.Cipullus dupliciter. 1. quod tunc maior inclinatio tollit libertatem quoad aliquid, & infinita inclinatio tollit totam libertatem, quando inclinatio est ad bonum requisitum ad perfectionem ipsius volentis, non verò quando illud bonum non exigitur ad perfectionem illius; incarnatio autem non exigitur ad perfectionem ipsius Dei, nisi extrinsecam, ac proinde inclinatio ad incarnationem nec minuet, nec tollet libertatem, sed omnimodam relinquet indifferentiam. Respondet 2. illud esse verum quando inclinatio ad vnum bonum minuit inclinationem ad oppositum, quod non accidit, inquit, in nostro casu, quia licet Deus habeat infinitam inclinationem ad incarnationem, adhuc tamen conseruat infinitam inclinationem ad negationem illius, vt est manifestatio suæ libertatis, vel supremi dominij super creaturas.

189 Sed neutra responsio satisfacit. Non prima, nam quælibet inclinatio, siue sit ad bonum pertinens ad perfectionem ipsius voluntatis, siue ad perfectionem alterius, imò ad malum siue volentis, siue alterius, semper tollit indifferentiam ad oppositum iuxta maioritatem, seu intensionem illius. Vnde videmus, quod quo magis crescit inclinatio ad amandum amicum, eo magis minuitur indifferētia ad oppositum, v.g. ad odium. Et quo magis crescit inclinatio ad malum, v.g. ad fornicandum, tanto magis minuitur inclinatio ad bonum temperantiæ, ac subinde tanto magis minuitur indifferentia. Hoc namque est genium, & natura inclinationis in vnam partem, vt tollat indifferentiam ad oppositum: vnde inclinatio ad bonum perficiens volentem, tollit ad sui mensuram indifferentiam ad oppositum, & inclinatio ad bonum non perficiens volentem, tollit ad sui mensuram indifferentiam ad oppositum.

190 Neq; 2. responsio placet, nam implicat, quod ad augumentum inclinationis ad vnum v. g. ad amorem non minuatur inclinatio ad oppositum; quocirca ad mensuram qua crescit inclinatio ad volendam incarnationem, debet decrescere inclinatio volitionis eiusdem. Et implicat, quod crescat volitio vnius, nisi decrescat nolitio eiusdē.

Nam

Nam demus, quod intellectus diuinus proponat prius voluntati esse æquè bonum incarnari, & non incarnari. & sic voluntas æquè inclinet in incarnationem, & in negationem eiusdem. Postea proponat eandem incarnationem vt magis bonum quam oppositum, tunc non amplius æquè voluntas inclinabitur in incarnationem, & in eius oppositum; ergo signum est, quod inclinatio crescit ad incrementum bonitatis.

191 Respondent alij ad arg. *n.*188. propositum, quod licet Deus infinitè inclinetur in incarnationem, non tamen ob hoc necessitatur, quia infinita inclinatio non tollit rectum modum apprehendendi, & iudicandi de obiecto sicut est in se, ac proinde licet Deus infinitè propendat in incarnationem, adhuc tamen iudicat eam esse bonum finitum, ac proinde non necessitabitur, quia à bono finito, licet infinitè cognito non potest necessitas causari.

192 Hæc responsio nisi magis explicetur non potest sustineri, nam non est verum quod à bono finito non possit necessitas causari, modo proponatur bonum finitum sine aliqua ratione mali, vt contingit in motibus primò primis, in quibus nostra voluntas necessitatur, quia tunc proponitur bonum finitum, v. g. esus carnis in die veneris sine vlla ratione mali, aut prohibiti. Hoc etiam modo si incarnatio proponeretur diuinæ voluntati vt bonum finitum, sed sine vlla ratione mali, tunc diuina voluntas necessitaretur ad illam volendam, amplectendam, & exequendam.

193 Resp. ergo supponendo dari duplicem inclinationem, elicitam vnam, & innatam alteram. Inclinatio innata diuinæ voluntatis, est indistincta ab ipsa voluntate, & nil est aliud quàm ipsemet voluntas in actu primo ad volendum bonum sibi propositum eo modo quo propositum est, vt si obiectum propositum sit bonum infinitum, & nullam habens rationem mali, aut incommodi, voluntas in illud tendat necessariò per inclinationem elicitam, & si bonum est finitum, vel etiam infinitum, sed propositum cum aliqua ratione mali, aut incommodi, tunc voluntas per inclinationem elicitam tendat cum indifferētia. Inclinatio elicita, est ipsa actualis inclinatio voluntatis actualis, seu amor, aut desiderium rei v.g. incarnationis, quæ respectu boni infiniti, sine ratione mali, aut incommodi propositi est necessaria, & respectu boni cum incommodo propositi, est libera, & indifferens. Vnde illa inclinatio siue innata, siue elicita, licet sit infinita ex parte principij, ac proinde quasi materialiter respectu boni finiti, aut infiniti, sed cum aliqua incommodi ratione propositi. tamen non est infinita formaliter, nisi quando obiectum est infinitum, & sine vlla ratione incommodi propositum, ac proinde tunc solum affert necessitatem. Per quæ patet ad argum. *n.*188. propositum, cum enim incarnatio in quā propendit diuina voluntas sit quid finitum, & cum suis incommodis propositum, scilicet ingratitudinis hominum, &c. sequitur, quod diuina voluntas non necessitetur ad eam volendam, quia licet inclinatio ad illam sit infinita materialiter, & ex parte principij, non tamen est infinita formaliter, seu obiectiuè, & ex parte termini, ac proinde conseruat suam indifferentiam obiectiuam, ex qua sequitur formalis, cum inter vtramque non detur necessaria connexio.

§. V. *Soluitur argumentum propositum n. 168. de voto Teresiano.*

194 SVpra *n.*168. pro firmanda sententia P. Granado, quod Deus necessitetur necessitate morali ad faciendum melius, ac proinde ad se incarnandum adduximus argumētum ex voto quod fecit mea Seraphica Mater S. Teresia, de faciendo semper id, quod melius, & perfectius iudicaret. Sic enim dicitur in secunda lectione eius officij, quod de præcepto proponit, & celebrat Ecclesia 15. *Octobris. Eo consiliante*, scilicet Christo Sponso, *maximè arduum*

votum emisit efficiendi semper quicquid perfectius esse intelligeret. Nam si Deus non semper facit quod perfectius est, vt supra vidimus, quomodo potuit licitè Teresia se obligare ad id quod perfectius esset?

195 Quidam ex nostris concionatoribus ex hoc voto sumpsit occasionem laudis: sic enim argumentabatur. Deus nec semper facit, quod perfectius est, nec ad hoc se obligauit, & Teresia non solum facere voluit, quod esse perfectius cognoscebat, sed ad hoc voto se adstrinxit. Deus poterat facere hunc mundum perfectiorem, & non fecit, nec ad hoc se obligauit: Potuit plures saluare, quod non fecit: potuit plures prædestinare, quàm prędestinauit. Teresia semper perfectius fecit quod esse perfectius cognouit. Christus D. nos fuit hortatus vt essemus sancti sicut Pater cœlestis sanctus, & perfectus est: Teresia adeo altè volauit, vt non tantum faceret quod perfectius est, sed ad hoc voto se obligauit. Non nego quin nostra Seraphyca non expanderit suæ perfectionis alas multũ in sublimi, sed cauendum à nimijs exagerationibus vt nec Teresia, nec alius Sanctus extollatur supra Deum, vt exageratio illius concionatoris videbatur tẽdere, nam Teresia serua est Dei, infra Deum, infra Beatissimam Virginum Regina, infra Apostolos, & quem locum sanctitatis teneat, ignoramus. Sancti non gaudent de tantis exagerationibus, sed de simplici veritate. Quidã vel raptus in ecstasim vel verã, vel fictam, fuit, vt dicebat eleuatus in cælum in festo cuiusdam S. vidit omnes Sanctos, & non illum de quo festũ agebatur, interrogauit vbi esset ille, & non inueniebatur; tandem inuentus fuit absconsus, & interrogatus quare sic manebat, dixit, quia mei hodie tot mendacia dicunt, & tot exagerationes, quod erubesco illas audire. Nam re vera Sancti (quicquid sit de hac narratione simplici, aut quasi fabella) nostro modo dicendi, verecundantur de quorundam exagerationibus, quæ potius scandalum solent generare, quàm deuotionem.

196 Quidam alius respondit dicto argumento, quod possit quis se obligare ad aliquid, quod non facit, nec facere potest Deus; nam Religiosi se obligant ad votũ obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ad quę nõ potest se Deus obligare, imò nec facere; Deus namque vt subsistens in natura diuina nec obedire potest, nec ad obedientiam se obligare cũ non habeat superiorem cui se obliget; in natura tamen assumpta & obedire potest, & de facto factus fuit obediens vsq; ad mortem, & de hoc habuit à Patre præceptum, & vt alibi ostendo, voto ad hoc se abstrinxit.

197 Cœterum hæc responsio non satisfacit, nam licet possit homo se obligare per votum ad id, ad quod non potest se obligare Deus, vt ad obedientiam formalem superiori factam, ad castitatem, &c. quia nec istę virtutes, nec actus earum, nec materiæ istarum dantur in Deo, ob imperfectionem quam inuoluunt, tamen in ordine ad ea, quæ nullam inuoluunt imperfectionem, & possunt esse formaliter in Deo, imò perfectius esset esse, quàm non esse, non videtur hoc admittendum. Videtur namque incongruum, quod quis se obliget ad actũ perfectissimum charitatis quem scit viribus gratiæ posse producere, & Deus qui potest diligere Christi D. humanitatem, aut Beatissimam Virginem actu intenso vt mille, volendo illis gratiam vt mille, exaltationem vt mille, eligeret actum vt centum, conferendo solum gratiam vt centum; volendo exaltationem vt centum, cum ego si possem diligere Christum vt mille, exaltare eius nomen vt mille, facerem.

198 Alius respondit, quod Seraphyca Mater non se obligauit ad faciendum id, quod melius iudicaret, sed quod perfectius; Deus autem licet non semper melius faciat, facit tamen, quod perfectius est; quod autem non sit idem melius, & perfectius sic explicabat; nam melius respicit entitatem, & substantiam rei, at perfectius respicit modum, & circunstantias rei. V. g. melius est tempore

re

re quò alij comedunt, dormiunt, recreantur, ire ad orandum; cum oratio sit melior comestione, dormitione, recreane; non tamen est perfectius; nam perfectius est comedere cum alijs in Refectorio, dormire suo tempore, &c. quàm tunc temporis orare; aliàs Seraphica Mater debuisset tempore comestionis, dormitionis,&c. recedere,& ire ad orandum vt suo voto satisfaceret. Respectu autem Dei perfectius nō est idem, quod melius, nam perfectius denotat modum quo res est à Deo, vt bonitatem, sapientiam, &c. & hoc modo Deus semper facit melius.

199 Sed neque hæc responsio satisfacit, nam in casu nostro melius, & perfectius idem sunt;nam incarnatio non solum est melior, sed etiam perfectior; vnde quod est in entitate melius,est etiã in entitate perfectius;& quod secundum modum, & circunstantias est perfectius, est etiam secundum modum, & circunstantias melius. Quocirca comedere, dormire, recreari cum alijs & est melius, & est perfectius, quàm tunc temporis orare. Est quidem oratio secundum se melior, sed non tali tempore,in talibus circunstantijs.

200 Vera responsio,& magis facilis habetur ex dictis nu.175. quod scilicet Deus semper facit, quod melius est formaliter,licet non semper faciat id,quod melius est materialiter, ac proinde nostra Seraphica se obligauit ad id, quod melius erat formaliter, & ad hoc licet non debeat quis se obligare, nisi post multam, & valdè maturam deliberationem, & consilium,vt N.Seraphica fecit, tamen ad eam perfectionẽ debent omnes aspirare,cum eam quotidie petamus in oratione Dominica cum dicimus.*Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra*. Sancti namque in cælo quod melius, & perfectius est faciunt, vt supra vidimus *n.*183. ita & in terra à nobis fieri debet. Deinde dico, ex dictis *nu.*138. quod licet Deus non faciat semper, quod melius est, hoc tamen debet facere creatura rationalis, quæ debet semper conari ad strictiorem vnionem cum Deo, hoc enim vera charitas reposcit, Deus tunc sibi maximè vnitur cum suam voluntatem exequitur, ac proinde votum Theresianum fuit valde conforme inclinationi charitatis,quæ semper ad meliora, & perfectiora inclinat.

DVBIVM VIII.

An supposito hominum lapsu incarnatio sit simpliciter necessaria.

201 PRima sententia tenet,quod ex hypothesi lapsus humani generis à Deo permissi necesse fuit vt illud ipse repararet. Si enim Deus Adæ peccatum non permisisset, non fuisset, & in tantum fuit,in quantum fuit à Deo permissum,qui autem malum permittit, tenetur illud reparare. Sic tenere videntur aliqui moderni, & acriter defendebat quidam in suis conclusionibus, quod à fortiori tenere debet Raymundus Lullus, si enim data hypothesi de creatione mundi per Lullum tenebatur Deus velle incarnationem, à fortiori tenetur eam velle, ex hypothesi decreti de permissione peccati, cum incarnatio magis facta sit ad reparandum peccatum, quàm ad ornandum vniuersum.

202 Nostra, communis, & vera sententia sequenti concl.explicatur.*Supposito hominum lapsu, seu data hypothesi decreti permissiui peccati Adæ,adhuc Deus non necessitabatur incarnari*. Sic tradunt omnes expositores D.Thomæ hoc loco. Colligitur apertè ex Sacra Scriptura, quæ humani generis reparationem tribuit charitati, & misericordiæ Dei erga nos, vt ad Titum 3. *Secundum misericordiam suam saluos nos fecit*. Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*. Si autem Deus necessariò & non libera sua voluntate beneficium reparationis humano generi contulisset,non tribueretur Dei charitati,& misericordiæ.

203 Probatur 1.ratione D.Anselmi

H 2 *lib.*2.

lib.2. Cur Deus homo, nam si incarnatio Verbi diuini esset necessaria data hypothesi lapsus generis humani nullas nos deberemus gratias agere pro ipsa incarnatione, sed hoc est falsum; ergo, &c. Minor constat ex communi vsu omnium fidelium qui gratias Deo agūt pro Verbi diuini incarnatione. Maior probatur, nam nullus gratias agit pro eo quod ex necessitate, & non liberè facit. Tum quia quod liberè non confertur non habet rationem beneficij; illud namque pro beneficio reputamus, quod nobis gratis, & liberaliter confertur.

204 Occurrunt aduersarij, quod duplex datur necessitas, scilicet antecedens seu absoluta, & consequens, seu ex hypothesi existente in libertate eius, qui ista necessitate consequente agere dicitur. Prior tollit libertatem, non posterior; vnde quod ex ea fit, simpliciter, & absolutè dicitur liberè fieri, ac proinde ex charitate, & misericordia fieri potest, & sic pro eo gratiæ agi debent. In nostro autem casu incarnatio est solum necessaria ex hypothesi lapsus, non absolutè, ac proinde erit absolutè, & simpliciter libera, & pro ea gratiarum actiones referri debent. Poterat namque Deus hominem non creare, poterat lapsum non permittere, ac proinde poterat absolutè non incarnari.

205 Sed contra, quia loca citata Sacræ Scripturæ non denotat solum libertatem quantum ad hoc quod Deus potuit hominem non creare, & potuit lapsum impedire, & sic non venire, sed denotant libertatem excludentem quácumque suppositionem, ita vt data creatione mundi, & dato lapsu, adhuc ob nimiam charitatem suam, ob suam eximiam misericordiam, voluit venire, & carnem sumere. Non enim agimus gratias Deo quia potuerit mundum non creare, & lapsum impedire, & sic non venire. Sed agimus gratias Deo, quia postquam mundum creauit, & lapsum hominis permisit, poterat non incarnari, poterat pro sua iustitia hominem cōdignis pœnis afficere, & tamen pro sua misericordia, & charitate maluit ipsum reparare, modo isto excellentissimo.

206 Probatur 2. quoniam nullam maiorem necessitatem habuit Deus reparandi hominum lapsum post mundi creationem, post decretum permissionis peccati, quàm habuerit reparandi Angelos ex eadem hypothesi, sed Deus nullam habuit necessitatem reparandi Angelos, data illa hypothesi lapsus; ergo neque eam habuit reparandi homines. Maior constat ex paritate rationis. Si enim ex decreto permissiuo peccati hominis colligitur necessitas reparandi homines, etiam ex decreto permissiuo peccati Angeli debet colligi necessitas reparandi Angelos. Minor etiam constat; nam si Deus habuisset necessitatem reparandi Angelos, eos reparasset, & tamen nec reparauit, nec vnquam est reparaturus.

207 Probatur 3. nam id omne à Deo fieri potest, quod nullam inuoluit contradictionem, & quod si ab ipso fiat, nullam in eo arguit iniquitatem, vel imperfectionem, sed ex non reparatione generis humani ex hypothesi lapsus, aut decreti permissiui peccati nulla inuoluitur contradictio, vel imperfectio in Deo, nulla iniquitas; ergo potuit Deus data illa hypothesi non reparare genus humanum per incarnationem, aut alio modo. Maior constat. Minorem probo: nam nulla inuoluitur contradictio ex hoc, vt qui cecidit non resurgat, maximè quando ille qui cecidit sciebat quod ex se, suisque viribus resurgere non poterat, & nihilominus cadere, seu peccare voluit. Neque sequitur imperfectio, aut iniquitas; nulla namque imperfectio, aut iniquitas est, si Deus erga suam creaturam ita se se gerat, prout ipsa meretur. Cum ergo homo liberè peccauerit, & Dei mandatum non obseruauerit, & Deum ipsum contempserit, merebatur in perpetuum in suo peccato relinqui, & si Deus ipsum sic reliquisset, nec iniquitatem, nec imperfectionem egisset.

208 Probatur 4. nam id quod taliter

ter est à Deo vt potuerit non esse, non est necessarium, sed liberum; sed incarnatio potuit non esse: ergo liberè, non necessariò posita est. Maior nota est. Minorem ostendo, nam si Deus necessariò debuisset incarnari maximè vt dicunt aduersarij, ad reparandum genus humanum, sed ad hoc non fuit necessarium; tum quia poterat Deus pro sua voluntate dãnare homines pro suis peccatis, eosque in perpetuum sub diaboli potestate relinquere, iuxta illud Sap. 12. *Quis tibi imputabit si perierint nationes, quas tu fecisti?* Et huius dicti reddit rationem. *Non enim est alius Deus quàm tu.* Quasi dicat, cum tu solus sis Deus, & omnium Dominus potes liberè de omnibus nationibus statuere. Tum etiã quia gratis dato, & non concesso, quod data illa hypothesi, vel decreto permissiuo peccati teneretur Deus ad reparandum genus humanum, adhuc non infertur necessitas incarnationis; cum illa reparatio alijs modis fieri potuerit, vt dub. seq. videbitur. Soluuntur argum. in contrarium.

209 Primum argum. desumunt ex D. Athanasio *lib. de Incarnat. Verbi*, vbi disertis verbis asserit esse absurdum, indecorum, indignumque Dei bonitate, si humanum genus non reparasset; ergo ad hoc Deus fuit necessitatus, cum implicet Deum committere aliquid indecorum, absurdum, & se indignum. Resp. quod D. Athanasius illis verbis noluit significare re ipsa aliquid absurdi, indecentis, vel indigni de bonitate Dei futurum, si perpetuò relinqueret humanum genus in statu peccati, & damnationis, alioqui cur non sentiret absurdum, indecens, indignumq; Deo Angelos in statu peccati, & damnationis æternæ relinquere? Hoc ergo solum significare voluit, quod hominum infirmorum oculis, & debilium iudicijs id tale prima fronte appareret, licet re ipsa non esset. Quocirca Athanasij verba per exagerationem, oratorio more sunt dicta, ac proinde piè interpretanda. Alij dicunt Athanasium esse interpretandũ de indecentia negatiua, non positiua; quia si non redimeret hominem, non ageret ità decenter, & dignè sua bonitate, vide n. seq.

210 Secundum argum. desumunt ex auctoritate D. Anselmi *lib. 1. Cur Deus homo. cap. 16. & 17.* vbi clarè docet, quod non potuit Deus non reparare naturam humanam lapsam in peccatũ. Resp. mentem Anselmi esse, quod necessarium Deo fuit, quod Deus repararet genus humanum lapsum in peccatũ non simpliciter, & absolutè, nec ex hypothesi creationis mundi, nec ex hypothesi lapsus hominis; sed ex hypothesi decreti diuini, quod Deus fecerat ante hominis lapsum, quodque sua voluntate præfinierat certum quendam electorum & saluandorum numerum, ac proinde ex vi huius decreti necessitabatur ad redimendum mundum, vt illi electi saluarentur, quod si non fecisset, rem se indignam egisset, colligitur manifestè hæc solutio ex *cap.* 18. eiusdem libri, vbi eam fusè prosequitur. Ex quibus infertur, quod solutiones quæ ab aliquibus hoc loco adducuntur, præsertim à Suarez non sunt textuales.

DVBIVM IX.

An ex hypothesi, quod Deus voluerit humanum genus reparare, debuerit incarnari.

211 Prima sententia affirmat. Hanc docuit Abulensis *prolog. in Matt. q. 27.* Pro eadem sententia citantur à Vasq. *hoc loco disp. 1. cap. 2.* D. Anselm. & Ricardus de S. Victore. Secunda sententia tenet, quod neque de facto Verbi diuini incarnatio facta est pro liberando, seu reparando genere humano. Sic tenuit Petrus de Abailardo apud D. Bernard. *Epist.* 190. qui duo asserebat. Primum, quod diabolus non habuit aliquod dominium in hominem propter peccatum, sed solum Deo permittente fuit illius custos, tenendo ipsum quasi in carcere conclusum. Secundum,

dum, quod Verbum Dei non assumpsit carnem, vt hominem à peccato liberaret, sed solum vt tanquam Doctor ad salutem instrueret. Desumpsit hunc errorem Abailardus ex Basso Cherinthi discipulo apud Philestrum *in libello contra haeres.* Prateolum *in Elencho haeresum verb. Bassus.*

212 Nostra sent. duabus concl. explicatur. Prima concl. *Etiam data hypothesi quod Deus voluerit humanum genus reparare, non fuit necesse quod incarnaretur.* Hanc conclus. docent omnes Theologi hoc loco. Idem tradunt SS. PP. vt D. Athanas. *serm. 3. contra Arianos.* D. Aug. *lib. 3. de Trinit. cap.* 10. D. Leo I. *ser. 2. de Natiuit. D. & ser.* 12. *de Passione.* D. Bernard. *Epist.* 190. Magnus Gregor. *lib.* 13. *moral. cap.* 18. *& lib.* 24. *cap.* 2. Et alij passim.

213 Probatur 1. afferendo aliquos modos quibus Deus potuit hominem lapsum reparare absque eo quod incarnaretur. Primò namque poterat Deus hominem redimere remittendo omnino gratis, ex pura misericordia, absque aliqua satisfactione totum peccatum, tam quoad pœnam, quàm quoad culpam, tam vt erat primi parentis, quàm vt erat reliquorum hominum ab illo descendẽtium. Modus namque iste ex nullo capite implicat, non ex parte diuinæ voluntatis, nam cum iste sit aliquis effectus ad extra, & Deus sit maximè liber circa ea, quæ sunt ad extra, non repugnabit ex parte illius. Neque repugnat ex parte diuinæ iustitiæ, quia diuinæ iustitiæ nulla fit iniuria cum peccata à Deo volente condonentur, volenti autem nulla fit iniuria *l.* 1. *§. vsque adeo, ff. de iure iur. l.* 1. *ff. de action. empti l. nemo praesumitur, ff. de reg. iur. & cap. scienti, de reg. iur. in* 6. & tradunt Arist. 5. *Ethic.* 9. *&* 11. D. Tho. 2. 2. *qu.* 59. *art.* 3. Sot. 3. *de iust. q.* 3. *art* 3. Cęsar Angel. *de contract. legit. q.* 10. *n.* 66. *&* 97. Menoch. *consil.* 98. *n.* 39. Surd. *decis.* 194. *n.* 1. & alij. Tum quia Deus est supremus omnium Dominus, & Princeps, hęc autem est supremi Principis conditio, quod possit peccatum in se commissum remittere, absque inflictione alicuius pœnæ.

214 Neque etiam implicat ex parte generis humani, quia ista condonatio cederet in bonum eiusdem generis humani. Neque ex parte diaboli, nam licet totum genus humanum, vt postea videbitur, esset sub captiuitate diaboli, de cuius etiam inuiti potestate Deus hominem eriperet, hoc tamen Deus iustè faceret, nam Diabolus dolo, & iniuriosè hominem decipiendo, & alliciendo ad peccatum, eum vinctum detinebat, & tandiu solummodo, quandiu Deus illi permisit; vnde Deus nullam intulit iniuriam Diabolo, cum hominem eripuit ab eius potestate, & noluit amplius hominem esse sub iugo diaboli, remittendo illi peccatum tum quoad pœnam, tum quoad culpam. Sic nec Rex iniuriam facit tortori, si homicidam morti adiudicandum, & ei iam traditum ex abundantia suæ misericordiæ liberet.

215 Sed dices, quod iste modus sit impossibilis, nam impossibile est, quod peccatum mortale remittatur sine aliqua conuersione in Deum per actum doloris de peccato, per quem à creatura auertatur, eamque deserat, & ad Deum conuertatur, eumque sibi asciscat. Resp. quod hoc argumentum non habet locũ in infantibus, quibus peccatum remittitur sine vllo dolore, per solam gratiæ baptismalis infusionem. Nec habet locum in adultis, quia licet de facto adultis non remittatur peccatum sine aliquo actu, non tamen hoc repugnat vt tradidi in *tract. de iustific.* Vnde si Deus alicui peccatori dormienti infunderet gratiam, iustificaretur; vt loco citato explico.

216 Secundò, potest Deus absque incarnatione reparare hominem lapsum exigendo ab illo solum aliquam satisfactionem, quæ licet considerata secundum suum valorem esset insufficiens, inæqualis, & improportionata malitiæ, & grauitati peccati, tamen ex gratuita, & liberali acceptatione Dei, esset sufficiens, cum ea esset contentus, vt plerum-

rumque cõtingit in rebus humanis, cum venditor contentatur minori rei pretio, minori solutione.

217 Tertiò, posset hoc modo se Deus gerere; nam sicut de facto constituit primum parentem caput omnium hominum, quatenus eo manente in iustitia originali, omnes ab illo descendẽtes eam reciperent, & eo peccante, & illi peccarent, & gratiam amitterent. Sic potuit aliquem purum hominem sic constituere omnium aliorum caput, vt illo bene operante, ex gratia sanctificante, & suum meritum ordinante ad remissionem omnium peccatorum, & singulorum hominum, tale meritum acciperet, quod esset sufficiens ex diuina acceptatione, ad remittenda omnium peccata. Alij alios etiam modos referunt, quibus Deus absque incarnationis mysterio poterat humano generi prouidere. Hinc D. Anselm. in illud Roman. 5. *Commendat Deus charitatem suam* dicit, quod Deus innumerabilibus alijs modis potuit hominem à peccato liberare. Et Ecclesiæ lumen D. August. *lib. de agone Christiano cap.* 11. dicit, eos esse stultos, qui putant non potuisse aliter Dei sapientiam hominem à peccato liberare, nisi carnem sumendo.

218 Secunda concl. *De facto incarnatio facta est pro liberando genere humano à dominio, & captiuitate Diaboli, ex peccato*. Hoc tradunt omnes Catholici, & habetur ex Sacra Scriptura. 2. ad Timoth. 2. dicitur. *Ne quando Deus det illis pænitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius volũtatem.* Hoc testimonio vtitur D. Bernardus *Epist. illa* 190. vt Abailardum conuinceret, & inter alia dicit. *Audis ad ipsius voluntatem, & negas potestatem?* Qui namque detinetur in carcere sub alicuius voluntate, detinetur sub illius potestate, nec aliud est detineri sub alicuius potestate, quam detineri sub illius voluntate. Confirmat idem D. Bernardus ex illo Ioann. 14. vbi Christus D. vocat Diabolum huius mũdi, id est hominum mundanorum Principem. *Venit enim Princeps huius mundi, & in me non habet quicquam.* Et Luc. 22. *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*, scilicet dæmonum. Et ad Coloss. 1. dicitur. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum*. Vndè hæc veritas definita fuit contra Abailardum ab Innoc. II. *in Epist. ad Bernardum, & est Epist.* 194.

219 Qua autem ratione peccator sit sub potestate diaboli, & in quo hæc potestas consistat, non omnes eodem modo explicant. P. Suarez hoc loco *disp.* 4. *sect.* 3. dicit, quod per hoc peccator dicitur sub potestate diaboli, non quia dœmones habeant aliquod dominium ipsius, sed quia accipit potestatem puniendi illum, & in infernum detrudendi; & hoc modo dicuntur homines liberati per Christum à dœmonis potestate, quia ipse in se pertulit pœnas, quas homines merebantur, vt iam peccato remisso per gratiam Christi, non amplius puniantur. Hunc modum explicandi reicit Vasq. hic *disp.* 1. *cap.* 1. *n.* 3. & dicit incidere cum errore Abailardi, quia sic diabolus esset solum velut carceris custos, nec pro sua voluntate potestatem haberet in homines; nam quantum ad pœnam, quam damnati sustinent in inferno non pro dœmonis voluntate eam patiuntur, vt ab ea eos liberare possent, neque pro sua voluntate eos sic in carcere detinent vt eos liberare, & eripere possint. Consistit ergo hæc diaboli potestas, non solum in hoc vt possit in mortali existentes in infernum detrudere, & eos ibi punire, sed in libera potestate & facultate insidiandi, immittendi malas cogitationes, quibus ita fortiter ad peccata incitentur, vt facile peccarent, nisi Christi gratia præueniantur. Cum enim homo per peccatum victus sit à diabolo, fit seruus ipsius, quæ seruitus consistit in facilitate operandi ad ipsius suggestionem. Tum quia homo per peccatum priuatur vberioribus auxilijs, quibus vinceret diabolum, & sic facile ab ipso vincitur, & superatur, illiusque tentationibus cædit. Soluuntur argumenta in contrarium.

Pri-

220 Primum argum. nam Deus necessariò vult id, quod est conuenientius ad finem intentum, sed incarnatio est huiusmodi; ergo supposita voluntate reparandi genus humanum, debuit Deus incarnationem eligere. Maior probatur, nam Deus non potest imprudenter agere; sed si non vellet, quod est conueniẽtius ad finem intentum, imprudenter ageret eligendo medium minus conueniens relicto conuenientiori; ergo, &c. Resp. negando maiorem. Ad probationem dico, quod ille agit imprudenter, qui eligit medium minus conueniens relicto meliori, quando medium minus conueniens non est sufficiens ad consecutionem finis, secus quando est sufficiens. Licet ergo Deus non eligisset incarnationem, quæ est medium conuenientissimum ad reparandum genus humanum, & eligisset minus conueniens, fuisset tamen sufficiens ad finem intentum consequendum. Vnde neque in humanis imprudenter agit, qui medium conuenientius non eligit, sed sufficit, quod eligat medium conueniens; non enim homo tenetur agere quod est magis conueniens. Quod maximè currit respectu diuinæ voluntatis; tum quia eligendo minus conueniens non caret aliqua perfectione intrinseca, tum etiam quia sic eligendo ostendit suorum actuũ dominium, exemptionem à creaturis, suæ libertatis exercitium, & quod illud est melius saltem practicè, quod ipsa vult, cum sit ipsa prima moralitatis regula, cui omnia debent conformari, & ipsa diuina voluntas non nisi ipsimet cõformari, & vniri debeat.

221 Secundum argum. nam licet homo non peccet eligendo obiectum de se minus honestum, minus perfectum: eligendo medium minus conueniens, minus congruum, tamẽ inperfectè agit carens maiori perfectione; ergo idem de Deo dicendum est: sed hoc implicat: implicat namque quod Deus agat minus perfectè; ergo, &c. Antecedens constat ex dictis à nobis de Pœnit. *disp. 1. q. 6. verb. maior difficultas est de imperfectionibus*. Et *in 1.2. disp. 19. n. 5.* vbi obseruauimus, quod licet imperfectio sit actus moraliter bonus, non tamen in eo gradu quem perfectionis studium requirit, & sic hoc modo importat aliquẽ defectum maioris perfectionis. Conseq. constat ex paritate rationis. Resp. concedendo antecedens, & negando conseq. Ratio discriminis est, quia homo per actum imperfectum incurrit defectum moralem, qui consistit in hoc quod se priuat actu magis perfecto, ac proinde perfectione intrinseca, quæ confert ius ad habenda auxilia vbetiora. Cæterum Deus neque hoc lege studij maioris virtutis tenetur facere quod perfectius, & congruentius est, quia ob hoc non caret aliqua perfectione intrinseca; nam volendo oppositum obiectum v. g. non incarnari, quod de se est minus perfectum, habet actum intrinsecè eiusdem perfectionis. Et hoc agnouit Hugo de S. Victore in summa sentent. tract. 1. cap. 14. Litt. V. dicens. *Nihil ipse ex debito, sed sola bonitate facit. Homines ex debito faciunt, quia meliores inde fiunt, vel deteriores si non faciant.* Vnde actus Dei quo vult obiectum melius, non est melior alio actu, quo vult obiectum, vel medium minus perfectum, quia in vtroque continentur omnia diuina per modum transcendentis.

222 Sed contra hanc solutionem dices 1. quia negari non potest, quin etiam inter actus, & inter attributa vnũ non sit ex genere perfectius, nam attributum sapientiæ, est ex genere nobilius attributo scientiæ, & attributum misericordiæ, est ex genere nobilius attributo iustitiæ: vnde licet verum sit, quod si in Deo non fuisset actus misericordiæ quo per incarnationem vellet humani generis redemptionem, tunc fuisset alius actus, vel quo vellet salutem humani generis per aliud medium minus congruum, vel quo vellet hominum punitionem, tamen negari non potest, quin ille prior, sit istis perfectior ex suo genere, ac proinde si illo relicto, aliquem ex istis elegisset, minus perfectè ex genere

nere egisset, non solum quantum ad perfectionem extrinsecam, sed etiam quãtum ad perfectionem intrinsecam. Resp. quod omnes actus Dei sũt re ipsa æqualis perfectionis; licet enim vnum attributum, & vnus actus ex suo genere sit alio perfectior, quatenus vnus ex suo genere exprimit maiorem perfectionem alio, tamen re ipsa in vnoquoque est eadem prorsus perfectio, ratione transcendentiæ diuinæ essentiæ, ratione transcendentiæ attributorum ad inuicem, & ratione transcendentiæ actum. De qua re videantur quæ dicuntur à nobis 1. *p. disp.* 11. *à n.* 27.

DVBIVM X.

An incarnatio sit medium conuenientius pro reparatione generis humani.

223 PArtem negantem docuerunt omnes illi hæretici, qui vt referunt Tertullianus, Athanasius, & alij, dicebant non solum incarnationem non esse medium conuenientius ad reparandum genus humanum, sed quod diuina maiestas sordesceret ex coniunctione ad carnem.

224 Veritas catholica seq. conclus. explicatur. *Nullum inueniri potest medium conuenientius ad reparandum genus humanum, incarnatione.* Sic S. Doctor *hic & in 3. dist.* 20. *q.* 1. *art.* 4. quem sequuntur omnes Theologi hoc loco; sic tradunt Scholastici dicta *dist.* 20. & sic docent Sancti Patres D. August. *lib.* 13. *de Trinit. cap.* 10. S. Leo *ser.* 5. 12. *&* 24. *de passione* D. Irenæus *lib.* 5. *cap.* 1. D. Anselm. *lib.* 2. *Cur Deus homo cap.* 18. & alij passim.

225 Probatur 1. ratione D. Thomæ *hic art.* 2. nam illud medium est conuenientius ad reparandum genus humanum, per quod magis diuina attributa manifestantur, & per quod natura humana melius in dignitatem pristinam restituitur; huiusmodi est incarnatio; ergo, &c. Minorem quoad primam partem probat S. Doctor art. præcedenti, & supra declarauimus. Quoad secundam partem probatur, nam per incarnationem natura humana eleuatur ad esse diuinum, vnde S. Doctor opusc. 3. contra Græcos, & Armenos cap. 6. dicit. *Deum vnitum esse humanæ naturæ in Christo, vt humana natura esset quædam Filij Dei natura: & sic qualibet partes naturæ ipsius Filij Dei dici possunt Deus: Et quidquid agit, vel patitur qualibet pars humanæ naturæ in Filio Dei, potest attribui Vnigenito Dei Verbo. Vnde non inconuenienter dicimus animam, & corpus esse Filij Dei; sed & oculos, & manus, & quod Filius Dei corporaliter videat per oculi visionem, & audiat per auris auditum.* Vbi vt vides adeo eleuata est humana natura in Christo, quod & ipsæ operationes carnis, siue hominis vt propriæ habeantur, & dicantur Dei. Quocirca humanitas, quæ passim carnis appellatione censetur, deificata est, ac tota in diuinitatem velut absorpta, trãsijt. Hinc vim viuificandi, hoc est vitæ non solum corporeæ, sed etiam diuinæ, ac spiritualis impertiendæ cæteris, habet.

226 Probatur 2. nam omnia media quæ excogitari possunt pro reparando humano genere reducuntur ad illa tria n. 213. relata; sed incarnatio est conuenientior omnibus illis; ergo est absolutè conuenientior. In incarnatione namque coniunguntur iustitia, & misericordia in summo quodam gradu, quod non contingit in alijs modis, in quibus non reperitur condigna, & rigorosa satisfactio.

227 Probatur 3. elegantissimo N. Cyrilli testimonio *lib.* 10. *in Ioan.* vbi explicans illa verba. *Et ego resuscitabo eum in nouissimo die*, sic fatur. *Cum vnus sit cum propria carne Deus Verbum existens in ea, illud ego, dixit, idque rectè, non enim in filiorum binarium diuiditur Christus, neque porro alienum ab vnigenito corpus ipsius suspicetur aliquis: non secus atque alienum ab anima nostra nemo, vt opinor, corpus ipsius appellauerit.* Hæc præcipua sunt decora carnis à Verbo susceptę, quod sic eam assumpsit, vt suã, & pro-

gratia fuisset omnibus communis, nam omnes in iustitia nati fuissẽt;& iste status non fuit reparatus. In statu innocentiæ maior hominum pars saltem fuisset saluata, nũc maior pars damnatur, ergo, &c.

232 Resp. distinguendo maiorem. Deberet poni in statu pristino, aut in nobiliori, conceditur; in inferiori negatur. Status autem in quo homo ponitur per incarnationem est longè nobilior, quam erat status innocentiæ. Primò quia per incarnationem humana natura eleuata est ad gradum altissimum vnionis hypostaticæ. Secundò quia in hoc statu vberior, & abundantior gratia confertur, quapropter iste status vocatur status gratiæ. Quod autem immortalitas non restituatur, nec subiectio carnis spiritui, hoc fit ad maius meritum, ad maiorem coronam, vt postea perfectissimè concedantur in Patria. Ad illud, quod gratia esset communis, dico, quod etiamnum communis est per baptismũ, & abundantior datur quam tunc habuissent homines. An autem tunc plures an pauciores fuissent salui, nescimus. Hoc certò scimus, quod modo vnus qui saluatur cœteris paribus habet maiorem gratiam, & gloriam quàm plures qui tũc fuissent saluati, ob gratiam abundantiorem huius status. Vnde Rom. 5. dicitur, *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum: multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iustitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum Iesum Christum*. Et ad Colos. 1. Diuitiæ, quæ per Christum conferuntur, dicuntur superabundantes.

DVBIVM XII.

An Incarnatio fuerit simpliciter necessaria ad condignè satisfaciendum pro peccatis generis humani.

233 HOc dubium alij sic proponunt, an purus homo, vel Angelus, seu an pura creatura rationalis potuerit saltem de potentia absoluta, etiam Dei gratia adiuta, satisfacere ad æqualitatem pro peccatis generis humani. Nam si nulla potuit, sequitur manifestè, quod incarnatio fuerit simpliciter necessaria ad condignè satisfaciendum pro peccatis generis humani. Dicitur, an purus homo, vel Angelus, quia quantum ad hoc est eadem ratio. Sicut enim si Verbum diuinum naturã assumpsisset Angelicã, satisfecisset pro hominum salute, non minus quàm in assumpta humanitate. Ita si nec humanã, nec Angelicam assũpsisset naturam dubitari potest an purus homo, vel Angelus potuerit condignè satisfacere. Dicitur *condignè*, non de rigore iustitiæ, quia omnes ferè Theologi concedunt, quod purus homo, vel Angelus, qui scilicet simul Deus non sit, non possit de rigore iustitiæ satisfacere pro peccatis hominum; solum enim dubitatur de satisfactione condigna, seu quæ ad æqualitatem restaurat damnum per peccatum illatum, siue seruentur, siue non seruentur iustitiæ conditiones.

234 Pro quo notandum 1. satisfactionem esse triplicem. Prima vocatur exacta, seu de rigore iustitiæ, quatenus seruat conditiones perfectæ, & exactæ satisfactionis, quæ sunt vt sit ad alterum, vt sit ad æqualitatẽ, ex proprijs, & aliàs indebitis, de quibus infra. Secunda vocatur de condigno, seu ad æqualitatem. Tertia vocatur de congruo, seu imperfecta, quæ non seruat ęqualitatem solutionis, quatenus non tribuit æquiualens debito, & si acceptatur, solum est ex voluntate creditoris, liberaliter remittentis partem debiti.

235 Notandum 2. quod licet de facto nullus purus homo satisfecerit pro peccatis totius mundi etiam imperfectè, tamen Doctores communiter concedũt, quod de potentia absoluta possit purus homo satisfacere pro peccatis totius mundi imperfectè. Vnde S. Doctor *infra q. 64. art. 4.* rectè docet, quod potuit Deus communicare alijs virtutem iustificandi alios: v.g. constituendo aliquem caput aliorum, cuius meritum cooperaretur ad aliorum iustificationem. Non

§. II. *Quot sint in opere satisfactorio, seu in opere bono, vbi de valore operis.*

239 EX dictis de satisfactione in *tract. de pœnit.* & ex dictis de merito, in opere bono tria reperiuntur, scilicet impetratio, satisfactio, & meritum. Nam impetratio fundatur in quadam operis boni condignitate, vt per illud mereatur operãs obtinere quod petit. Satisfactio in ea condignitate fundatur, aut æquitate, quæ exigit, vt qui voluntariè peccata retractat, de illisque dolet, aut qui se pro illis castigauit, & pœnam laudabiliter sustinuit, iterum pati non cogatur, ne afflicto superaddatur afflictio. At meritum fundatur in ea æquitate, quæ postulat, vt operis bonitas præmietur, vt sic homines ad bene, & sanctè operandum alliciantur. Vnde meritum apud Deum non est dignitas gratiæ, licet illam supponat, sed est dignitas actualis premij orta ex opere præstito in obsequium, & seruitium illius. Cęterum satisfactio est condignitas remissionis peccati orta ex opere, quod assumptum est in eiusdem peccati destructionem, & illius castigationem. In hoc conueniunt omnes Theologi.

240 Maior difficultas est de valore operis. Pro quo nota ex dictis *de merito disp.* 19. *n.* 3. magnam esse differẽtiã inter valorem meriti, & valorem pretij nã valor pretij non solum inest hominũ actionibus, sed etiam brutorum, & rebus inanimatis; nam vinum, frumentum, pannũ, & huius generis cætera, sunt pretio æstimabilia, seu habent pretium, aut valorem. Cæterum valor premij nonnisi in actionibus humanis reperitur. Valor pretij fundatur in commodo, & vtilitate, ac proinde quo maius est commodum, & maior vtilitas, eo maius est valor pretij. At valor premij fundatur in bonitate, quæ quanto est maior moraliter, tanto est maior valor premij.

241 Pro quo nota pro maiori claritate, quod valor in sua amplissima significatione, est ea dignitas, & perfectio qua res est apta, vt vel tanquam pretium, vel tanquam compensatio, faciat aliquod iustum, vel iustum obtineat; v.g. aurum, argentum, & id genus alia, dicuntur habere valorem, quia ratione perfectionis in sua excellentia fundata, vel raritate, aut aliquo alio simili, sunt apta vt dari possint in compensationem, vel pretium aliarum rerum, quas volumus comparare. Cæterum dignitas, quæ reperitur in alijs rebus, quæ non sunt aptæ facere dictum iustum, non appellatur valor, sed retinet suum nomen dignitatis, perfectionis, & excellentiæ. Cum ergo iustum habeat locum etiam in merito, & satisfactione, illorum valor nihil aliud erit, quam moralis quædam dignitas, quatenus vt tali modo exercẽtur habent quod sint condigna ad compensandam offensam, vel iniuriam Deo illatam, vel ad bonum tale obtinendum.

242 His positis quæritur quid sit iste valor, an scilicet ens reale, an ens rationis, an denominatio extrinseca. Prima sententia est, quod valor satisfactionis, & idem est de valore meriti, sit ens rationis relatiuum. Sic aliqui Moderni. Sed hæc sententia reicitur. 1. Quia relatio rationis habet totum suum esse in intellectu, ens namque rationis in tantum est, in quantum cognoscitur; sed valor satisfactionis habet esse independenter ab intellectu, est enim realis quædam condignitas quę est apta ponere iustum pro offensa illata; ergo, &c. 2. Quia valor rerum, vt auri, argenti, &c. non est ens rationis, sed est aptitudo, dignitas, & excellentia, vt possit pro alijs rebus dari, vel vt possit deseruire ad comparandas alias res, quod est quid reale, vt patet; ergo, &c.

243 Secunda sententia est, quod sit denominatio extrinseca, desumpta à persona operante, ab obiecto, & circumstantijs. Hanc tenent Albertinus *in suis corollarijs coroll.* 8. *n.* 48. & alij. Sed hæc etiam sententia reicienda est, nam si valor satisfactionis esset denominatio extrinseca, deberet assignari forma à qua desu-

desumitur, sed non potest assignari; ergo, &c. Minor probatur, nam vel hæc est persona tantum, & hæc non, quia potest persona esse grata, & tamen opus non esse satisfactorium, vt si opus sit peccatum veniale ex obiecto, vel ex circumstantijs. Vel est obiectum, & circumstantiæ, & neque hoc, quia potest actus esse bonus ex obiecto, & circumstantijs, & non esse satisfactorius, quia persona non est grata: neque desumitur ex omnibus illis simul quia illa tria non tribuunt vnicam denominationem, sed tres; ergo, &c.

244 Vera, & communis sententia seq. concl. explicatur. *Valor satisfactionis, seu valor operum satisfactoriorum, est reale ens morale, non physicum.* Quod sit ens reale morale, probatur, nam id quod datur à parte rei, & est aptitudo, aut cõuenientia ad ponendum actum liberum qui ponat iustum inter personam offensam, & offendentem est ens reale morale; huiusmodi est valor satisfactionis; ergo, &c. quod enim sequitur ad libertatem, vt dignitas operis, vt aptitudo ad ponendum talem actum, qui ponat iustum modo dicto, non potest non pertinere ad genus moris. Tum quia offensa, & iniuria pertinent ad lineam moris; ergo etiam quod offensam compensat, & ius læsum resarcit, debet ad lineam moris pertinere. Quod autem non pertineat ad ens physicum, constat, quia effectus physicus, debet habere causam physicam; sed nulla assignari potest causa physica, quæ possit illum valorem producere; ergo, &c. Minor probatur, nam non potest causari ab intellectu, & voluntate, quia istæ potentiæ non causant effectum ad extra, vt plerumque est valor in opere, neque ab obiecto, quia hoc non causat physicè aliquid in actu interiori, vel exteriori meritorio, vel satisfactorio; ergo; &c.

245 Sed quæres 1. penes quid valor satisfactionis attendatur? Resp. quod ex duplici capite attenditur, scilicet ex parte obiecti, & subiecti, seu personæ operantis. Quod attendatur ex parte obiecti, patet ex dictis *in* 1.2. quod scilicet omnes actiones morales accipiant intrinsecam dignitatem per ordinem ad obiectum. Quod autem satisfactio accipiat valorem etiam per ordinem ad personam satisfacientem, tradunt etiam omnes, & infra dicemus, quod operationes Christi habent à supposito infinitum valorem ad satisfaciendum. Vnde Aristoteles 5. *Ethic.* agens de pœna talionis, & de iure contra passi, dicit quod non habet locum in satisfactione, quando persona offendens, & offensa sunt inæqualis dignitatis. Tene pulchra Aristotelis verba, quia faciunt ad rem pro infra dicendis. *Si quis Magistratum gerens, aliquem pulsauerit, non est resteriendus: & si quis eum qui Magistratum gerit pulsauerit, non modo verberandus, sed etiam castigandus est.*

246 Quęres 2. an peccatum eodem modo crescat ex conditione personæ offendentis? Resp. certum esse, quod peccatum crescat ex dignitate personæ offensæ, ob quam rationem diximus *in* 1. 2. & infra magis dicemus, quod peccatum habet malitiam absolutè, & simpliciter infinitam, non quidem ex obiecto, neque ex subiecto sed ex ratione offensæ, quatenus est offensa Dei. At quatenus consideratur ex parte personæ offendentis etiam crescit, eo namque offensa est grauior; quo persona offendens est vilior. Cæterum ex hac parte nunquam peccatum potest crescere in infinitum, cum non possit dari persona offendens quæ sit infinitæ vilitatis; crescit tamen ad proportionem, sicut crescit ad proportionem dignitatis personæ offendentis; quanto namque peccans est maioris dignitatis, tanto eius peccatum est peius, sed de hac re diximus *in* 1.2. & deducitur ex illo Psalm. 54. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique & si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: tu vero homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, &c.*

§. III.

§.III. An purus homo possit satisfacere ad æqualitatem pro suo peccato mortali, siue originali, siue actuali.

247 PArtem affirmantem docent Alensis 3. *p. q.* 1. *membro* 5. *art.* 2. *in corpore, & ad* 1. *&* 2. Richard. *in* 4. *dist.* 15. *art.* 1. *q.* 7. Palud. *in* 3 *dist.* 2. *q.* 2. *art.* 20. Ruard. *super art.* 6. §. 3. *Difficultas*, & alij. Secunda sententia est Aureol. *in* 4. *dist.* 15. *art.* 2. qui dicit posse dari hominem in gratia constitutum, qui pro suo peccato mortali possit Deo satisfacere ex perfecta iustitia. Cæterum ista sententia sufficienter explosa manebit si probabimus, quod neque possit satisfacere ad æqualitatem, licet satisfactio non sit ex perfecta iustitia. Quod spectat ad purum hominem solis naturæ donis exornatum, quamtumlibet perfectissimis, est omnino certum, non posse satisfacere, cum sine præueniente Spiritus S. inspiratione, atque adiutorio, nullus possit pęnitere peccati sicut oportet, vt gratia iustificationis ei conferatur vt definitur in Trident. *sess.* 6. *can.* 3. quod etiam statuerunt omnia Concilia contra Pelagium congregata. Difficultas neque procedit de homine qui simul sit Deus, sed de puro homine qui simul non sit Deus licet sit ornatus gratia, & cæteris donis supernaturalibus, & de hoc ponimus nostram sententiam, & concl.

248 Nostra sententia seq. conclus. explicatur. *Nullus purus homo potest satisfacere ad æqualitatem pro suo peccato mortali siue originali, siue actuali.* Sic S. Doctor *hoc loco, & infra q.* 85. *art.* 3. *& q.* 90. *art.* 2. *& in* 4. *dist.* 15. *q.* 1. *art.* 2. *&* 3. *q.* 2. quem sequuntur Theologi communiter, & docent Sancti PP. D. Ansel. *lib.* 1. *Cur Deus homo. cap.* 21. D. Basilius *in Psalm.* 48. *ad illud. Qui confidunt in virtute sua.* D. Ioan. Chrysost. *hom.* 80. *ad Populum*, & alij passim.

249 Hanc sententiam communem, non omnes eodem modo probant, aliqui namque probant 1. ex Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 8. nam in tantum satisfactio puri hominis, & in gratia constituti, est condigna pro peccato mortali, in quantum fundatur in meritis Christi D. cum Concilium velit quod omnis nostra sufficientia ad satisfaciendum pro nostris peccatis sit à Christo; sed in dato casu satisfactio puri hominis non fūdaretur in meritis Christi, vt patet, ergo non esset sufficiens ad fundandam condignam satisfactionem.

250 Ad hanc rationem aliqui respondent, quod Concilium loquitur tantum de nostra satisfactione, vt nunc de facto fit per gratiam nobis concessam ex Christi D. meritis, non de ea quæ potest possibiliter fieri, de qua nos modo disputamus. Cæterum dicta ratio optimè potest sustineri; nam licet Conciliū loquatur de facto, tamen modus loquēdi illius satis apertè significat quod satisfactio puri hominis non possit esse ad ęqualitatem, & quod hæc solum ab homine Deo esse possit, non solum in genere causæ meritoriæ, sed etiam in genere causæ formalis, quatenus solus Deus homo potest dare valorem, & sufficientiam nostræ satisfactioni. Sic enim significant illa verba Concilij. *In quo*, scilicet Christo, *satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent*, ac proinde sine illo vim non habent.

251 Probant 2. Durand. Maior, & Almayn. apud Vasquez *hic disp.* 2. *n.* 35. quia non est nobis minor obligatio reddendi gratias Deo pro acceptis beneficijs, quam satisfaciendi pro peccatis commissis; sed pro beneficijs acceptis non possumus æquales gratias agere, ergo neque pro peccatis commissis poterimus æqualiter satisfacere. Hanc rationem reicit Vasq. 1. assignando diuersam rationem actionis gratiarum, & satisfactionis, quia cum reddimus Deo gratias pro beneficijs acceptis, est nouū beneficium, pro quo non reddimus tunc gratias, sed denuò debitores cōstituimur pro nouo beneficio, at in satisfactione hoc

hoc non currit cum ipsa non sit nouum peccatum pro quo denuò debeamus satisfacere. 2. Quia etiam si in gratiarum actione nouum beneficium non includamus, ad hoc non sequitur quod possimus ęqualem satisfactionem exhibere, quia beneficia sunt in nostram vtilitatem, & commoditatem, & peccata in nostrum malum, & neque per gratiarũ actionem aliquid Deo conferimus, neque per peccatum aliquid inferimus, ac proinde sicut possumus Deo satisfacere, ita & gratias agere. 3. Quia sicut potest filius compensare offensam, & peccatum commissum erga Patrem, ita & erga Deum; & tamen non potest æquales referre gratias pro beneficijs acceptis, quia Dijs, & Parentibus non possumus reddere æquale. 4. Quia ideo potest filius satisfacere Parentibus quia peccatum in illos commissum cõsistit in transgressione legis, ita etiam quia peccatum in Deum consistit in legis transgressione, eodem modo poterit compensari.

252 Verum ratio Durandi optimè sustineri potest, occurrendo impugnationibus Vasq. Ad 1. dici potest, quod ita intercedit nouum beneficium in gratiarum actione, sicut in satisfactione, ac proinde optimè infertur, quod sicut nullus potest Deo agere gratias ad æqualitatem, ita non poterit satisfacere ad ęqualitatem. Imò est maius beneficium satisfacere pro peccatis, quàm agere gratias pro beneficijs, ibi enim est maius beneficium, vbi est maius debitum, sed est maius debitum ad satisfaciendum, cum hoc sit debitum iustitiæ, quam ad gratias agendum cum hoc debitum sit solius gratitudinis. Tum quia ad satisfaciendum plura requiruntur quam ad gratias agendum; si non potest homo agere gratias ad æqualitatem, neque poterit satisfacere ad æqualitatem. Tum etiam quia inæqualitas gratiarum actionis non rectè sumitur à nouo beneficio, sed ab eo pro quo gratiæ aguntur; frustra namque dicitur quod gratiarum actio pro beneficijs à Deo acceptis non sit ad æqualitatem ratione noui beneficij pro quo adhuc gratiæ non assumuntur, sed ratione illius quo referuntur.

253 Ad 2. dici potest, quod tam gratiarum actio, quam satisfactio sunt in nostram vtilitatem intrinsecam, & per neutram nihil Deo intrinsecè inferimus, bene tamen extrinsecè, quia tam gratiarum actio, quam satisfactio aliquid Deo inferunt, gratiarum actio infert gloriam, & satisfactio resarcit ius lęsum; quod est maius: quid autem per peccatum Deo inferamus, postea dicemus. Ad 3. probationem, seu impugnationem Vasquez. Dico 1. quod nec filius potest æquales gratias referre Parentibus cum ius altum pietatis non possit per ius bassum gratiarum actionis compensari; neque ob eandem rationem poterit resarcire ad æqualitatem offensam, & sic multo minus Deo. Dico 2. quod dato quod filius possit & ęquales gratias agere, & æqualem satisfactionem exhibere, non tamen poterit homo hæc præstare Deo, ob nimiam inæqualitatem, vt postea dicetur. Ad 4. dico, quod licet ex legis transgressione vtrumque oriatur, tamen diuersimodè, vt postea dicetur de offensa Dei.

254 Probant 3. alij ex eodem Durando, quia homo non potest Regi, aut Reipublicæ satisfacere pro delicto quo mortem merebatur corporis; ergo neque homo poterit satisfacere Deo pro peccato mortali pro quo meruit mortẽ animæ. Hanc rationem impugnat Vasq. vbi supra nu. 37. Primò, quia licet homo non posset se à morte corporali liberare per condignam satisfactionem, eo quod nihil esset æqualis valoris, quod pro debito mortis exhibere posset; nihilominus nisi aliud obstaret posset satisfacere Deo pro peccato mortali, quia cum contritio viuificet animam, ęqualis videtur ex hac parte ad compensandum malum mortis spiritualis, quod per peccatum merebatur. Secundò, quia qui pro suo peccato pœnam mortis meretur, potest tam insigne beneficium

in

in Regem, aut Rempublicam conferre, vt condignè mereatur mortis liberationem, vt si liberaret Regem, aut Rempublicã, ab imminenti aliquo periculo.

255 Sed hęc etiam ratio defendi potest. Vnde ad primam impugnationem dico, quod licet contritio viuificet animam, adhuc non est æqualis damno quod peccatum intulit, hoc enim infinitum est, vt postea videbimus, & sic licet viuificet animam, non tamen eam ita perfectè viuificat, vt resarciat æqualiter omnia damna ab illo Deo illata per peccatum. Ad 2. dico, quod nullum beneficium à reo mortis collatum Regi, aut Reipublicæ, potest esse æquale morti quam reus debet sustinere, sed semper aliqua misericordia intercedet in Principe, aut Republica liberante. Quocirca non obstante quocumque beneficio adhuc iustè potest morti adiudicari. Cum beneficium quodlibet in Principem, aut Rempublicam sit aliàs debitum titulo pietatis in Patriam, &c.

256 Probat 4. Capreolus, quem alij sequuntur, quoniam nemo potest suo creditori pro vno debito satisfacere; ex bonis alio titulo debitis eidem creditori, seu quæ creditor potest alio titulo exigere; sed omnis nostra operatio est Deo aliàs debita, & eam à nobis exigere potest alio titulo quam satisfactionis pro peccato; ergo per eam non possumus ad æqualitatem satisfacere. Minor nota est, omnis namque nostra operatio est Deo debita titulo creationis, conseruationis, gubernatoris, legislatoris, &c. Maior etiam est nota, qui enim alicui debet centum titulo donationis, aut emptionis, non potest extinguere debitum v.g. ex furto. Hanc rationem desumpsit Capreolus ex D. Anselmo *lib. 1. Cur Deus homo. cap.* 20. vbi petit à Bossone interlocutore, qui volebat posse quemque satisfacere pro suis peccatis. *Quid ergo solues pro peccato tuo?* Respondet Bosso. *Pænitentiam, cor contritum, & humiliatum, abstinentias, & multimodos labore corporis, & misericordiam dandi, & dimittendi, & obedientiam.* Sed obijcit Anselmus. *Quid in his omnibus das Deo? etiamsi non peccasti, non debes computare pro debito, quod debes pro peccato.* Idest, quod aliàs debebas Deo, etiamsi non peccasti, hoc est alio titulo, quàm satisfactionis pro peccato, non debes illud computare pro debito peccati, idest in satisfactionem illius. Deinde concludit D. Anselmus contra Bossom, quod si aliqui satisfecisse dicantur pro suis peccatis, intelligendum est factum fuisse ex fide, & meritis Christi, sine quibus pænitentia non sufficit ad plenam satisfactionem pro peccato.

257 Hanc etiam rationem impugnat Vasq. *dicta disp.* 2. *n.* 39. sic enim fatur. Prædicta ratio sumpta ex eo, quod operationes nostrę sint debitę alio titulo mihi non probatur, quia contritio, & pænitentia alio titulo à nobis exigi non potest, nisi quia peccauimus, vt reconciliemur cum Deo, & ei satisfaciamus pro culpa. Quod si quis respondeat illi, quod licet actus pęnitentiæ non possit esse in nobis nisi supposito peccato, tamen peccato iam commisso, potest à nobis exigi pænitentia titulo religionis, & gratitudinis. Tum quia valor contritionis prouenit ex affectu charitatis, actus autem charitatis à nobis exigi potest alio titulo quàm satisfactionis pro peccato. Hæc namque reicit ille, quia, inquit, impossibile est, quod actus pænitentiæ exigatur titulo religionis, cum in ipsa pœnitentia nullus sit cultus ad religionem pertinens: neque actus pænitentiæ potest esse actus gratitudinis, quia hæc mouetur ex memoria beneficiorum, illa ex memoria peccatorum. Neque actus charitatis in ipso contritionis actu inclusus potest alio titulo exigi, quam titulo reconciliationis, & satisfactionis, licet aliàs alio titulo exigi possit.

258 Verum ob ista non est relinquenda ratio D. Anselmi, Capreoli, Soto, & aliorum virorum doctissimorum, nam licet actum contritionis, non eliciat virtus religionis, gratitudinis, & charitatis, sed solum imperet, tamen adhuc

erit Deo debitus alio titulo quam satisfactionis, saltim ratione actus imperati, maximè charitatis sine quo actus contritionis esse non potest, nec verum est, quod dicit Vasq. quod actus charitatis vt inuoluitur in actu contritionis non possit alio titulo exigi quam titulo satisfactionis; quia actus imperans non descendit ad motiuum actus imperati; v.g. actus charitatis non descendit ad motiuum contritionis, sed eleuat actum imperatum v.g. contritionem ad proprium motiuum, vt scilicet fiat propter Deum summè dilectum: idem dicendum est de religione, & gratitudine.

259 Deinde Vasq. impugnat dictã Anselmi rationem alio modo, quia licet in satisfactione, & solutione debiti pecuniarij, ex re debita vno titulo, nequeat fieri solutio alterius debiti, tamen per operationem Deo vno titulo debitam, possumus satisfacere condignè pro peccato, quia hoc genus satisfactionis, est alterius rationis, quam solutionis in materia iustitiæ, quæ est secundum datum, & acceptum. Aliàs Christus D. non satisfecisset pro nobis, cum eius operationes essent Deo debitæ, titulo gratitudinis, &c.

260 Cæterum neque ob hanc impugnationem debet Anselmi ratio relinqui, nam si semel verum est, quod in solutione debiti ex iustitia non potest vno debito satisfieri, per rem alio titulo debitam, neque etiam poterimus satisfacere Deo, quia debitum pro peccato, est etiam ex iustitia, & omnes nostræ operationes sunt etiam Deo debitæ ex iustitia, sunt enim magis Dei quàm nostræ. Nec illud quod de Christo D. dicitur est ad rem, quia, vt infra dicemus, agentes de Christi D. satisfactione, an scilicet fuerit ex toto iustitiæ rigore, dicemus, quod de facto operationes Christi nõ fuerunt alio titulo exigitæ, nisi titulo iustitiæ, licet in actu primo, & secundum se potuerint alijs titulis exigi.

§. IV. *An P. Vasquez rectè probet, quod purus homo non potest ad æqualitatem Deo satisfacere pro suis peccatis.*

261 P. Vasq. postquam reiecit omnes aliorum rationes ad probandum, quod purus homo non potest perfectè, & ad æqualitatem satisfacere pro proprijs peccatis suam adducit in hunc modum, nam illa non est perfecta satisfactio, quæ non compensat totum debitum, sed vnam tantum partem, alia gratis condonata; sed satisfactio quam purus homo potest exhibere est huiusmodi; ergo, &c. Maior nota est. Minorem probat, supponendo, quod satisfactio quam purus homo potest exhibere non est ab eo elicita proprijs viribus, vt fides docet contra Pelagium, sed ex Dei auxilio gratis à Deo dato, quo posito sic arguit; nam carentia huius auxilij erat pars debiti, quod homo per peccatum contraxerat; peccando namque contrahit debitum carendi non solum gratia habituali, sed etiam quolibet auxilio efficaci ad actum contritionis, seu satisfactionis; sed homo non potest satisfacere pro carẽtia illius auxilij, quod est principium contritionis, seu eliciendi contritionem, cum dictum auxilium sit omnino gratis à Deo datum: ergo gratis condonatur debitum carendi illo, ac proinde per contritionem postea secutam non extinguit totum debitum, sed solum partem illius, priori illa parte gratis condonata.

262 Cœterum hæc ratio Vasq. cõmuniter ab omnibus impugnatur præsertim à Card. de Lugo *hic disp. 5. sect. 1. n. 6.* Primò. quia non disputatur, an purus homo possit ad æqualitatem satisfacere pro pœnis peccato debitis, sed an possit satisfacere pro culpa, & offensa ex qua pœnæ debentur; sed debitum carendi auxilio quod est principium contritionis, est pœna, non culpa; ergo licet purus homo per rationem Vasq. non possit perfectè satisfacere pro omni

ni pœna; non tamen ex hoc sequitur, quod non possit satisfacere perfectè pro culpa. Secundò, nam actus habens valorem sufficientem ad satisfaciendum pro culpa, debet etiam habere sufficientem valorem ad satisfaciendum pro pœna, quæ ex eadem culpa sequitur; quod enim est satisfactorium pro eo quo est plus, est etiam satisfactoriũ pro eo quod est minus, quando hoc sequitur ex illo, vt in nostro casu contingit; sed actus cõtritionis per Vasq. est sufficiens ad satisfaciendum pro culpa præterita; ergo etiam erit sufficiens ad satisfaciendum pro pœna, ex eadem culpa præterita cõsequente, quæ est carentia, seu debitum carendi diuino auxilio pro eliciẽdo actu contritionis.

263 Tertiò, quia ex illa ratione Vasq. sequitur, quod neque Christus D. potuerit satisfacere ad æqualitatem pro peccatis generis humani; sed hoc est falsum etiam in sententia illius; ergo, &c. Maior probatur; nam homo per peccatum incurrit debitum carendi non solũ auxilio sibi intrinseco, sed etiam extrinseco, ac proinde meruit homo per peccatum, quod Christus D. non incarnaretur, quod pro nobis non mereretur, quod sibi gratia non daretur, quod nullum auxilium conferatur; ergo, &c. Christus autem D. non extinxit hoc debitũ pęnæ, non enim Christus D. satisfecit pro omni pœna iuxta principia Vasq. Si enim peccator per actum contritionis subsequentem, non satisfacit pro debito carendi auxilijs, quia auxilia liberè conceduntur à Deo, & omnino gratis, sic etiam incarnatio omnino gratis facta est, nec fuit ordinata ad extinguẽdum debitum, quod homo per peccatum incurrit carendi eadem incarnatione, nec hoc debitum extinxit Christus D. & sic solum satisfecit pro parte debiti generis humani, non pro toto, ac subinde non ad æqualitatem.

§. V. *Probatur, quod purus homo non possit satisfacere ad æqualitatem pro suis peccatis, dato, quod peccatum mortale sit malitia simpliciter finita, & solum secundum quid infinita.*

264 Illi qui docent, quod peccatum non habet malitiam simpliciter infinitam in ratione offensę, probant, quod adhuc purus homo non potest satisfacere Deo pro suis peccatis ad æqualitatem, hoc modo, quia vt satisfactio sit ad æqualitatem, debet eius valor esse tantus, quanta est grauitas iniuriæ Deo illatæ; sed hoc esse nequit; ergo, &c. Confirmant, nam licet peccatum in ratione offensæ sit simpliciter finitum, tamen est in ordine superiori ad omnem satisfactionem; nam offensa habet suam grauitatem ex dignitate personæ offensæ, quæ in Deo est ordinis superioris, & satisfactio habet dignitatem, & valorem ex dignitate creaturæ satisfacientis, quæ est ordinis inferioris, ac proinde non poterit æquare offensam.

265 Vt autem hæc ratio melius intelligatur, & ab impugnantibus defendatur, notandum 1. quod hæc ratio fundatur in infinita dignitate Dei offensi, & in infinita vilitate creaturæ offendentis; quælibet enim creatura, quãtumuis in se perfecta, cum Deo comparata, est infinitè vilis, cum Deus sit illa infinitè dignior, perfectiorque. Quocirca licet peccatum mortale habeat malitiam simpliciter finitam, duplicem tamen habet infinitatem secundum quid: vnam petitam ex parte personæ offensæ, quæ est Deus simpliciter, & in omni genere infinitus; & ex hac parte non potest non deriuari in offensam infinitas saltem secundum quid; cum eò grauior sit offensa, quo dignior est persona quæ offenditur. Alteram petitam ex parte creaturæ offendẽtis, quia comparata cum Deo quem offendit est infinitè vilis, ac proinde ex hoc capite non potest non deriuari in offensam infinitas saltem secundum quid,

ex eo quod non tantum est grauior offensa quo est dignior persona quę offenditur, sed etiam quo est vilior persona quæ offendit. Quod vt clarius percipias finge personam infinitæ dignitatis, imò tantæ quantæ est Deus, quod esset si vna persona diuina per impossibile, offenderet aliam: tunc enim offensa ex parte personæ offēsę haberet saltem infinitam grauitatem secundum quid; non tamen ex parte personæ offendentis, propter æqualem dignitatem cum persona offensa.

266 Notandum 2. quod supposita illa duplici infinitate peccati de qua nu. præcedenti, non potest satisfactio puri hominis esse ad æqualitatem, vt enim esset ad ęqualitatem oporteret quod haberet duplicem infinitatem, in linea bonitatis, tum ex parte personæ satisfaciētis, tum ex parte personæ cui satisfactio facienda est. Neutram tamen habere potest. Non ex parte personæ cui satisfactio facienda est, quia licet Deus cui fit satisfactio sit infinitus, vt tamen est persona cui fit satisfactio, non refundit in satisfactionē infinitatem, cum ex persona cui fit satisfactio non redundet in satisfactionem dignitas, aut valor. Siue enim satisfactio fiat Regi, siue Duci, &c. actus quo fit satisfactio non fit dignior, vt omnes tradunt. Quocirca si actus quo fit satisfactio, sit v.g. charitatis, licet desumat ex Deo tanquam ex obiecto aliquam infinitatem secundum quid, non desumit tamen infinitatem tanquam ex persona offensa, cui fit satisfactio.

267 Neque satisfactio habet infinitatem ex parte personæ satisfacientis; nam valor satisfactionis crescit ex dignitate personæ satisfacientis, vt eo maior sit satisfactio, quo maior est dignitas satisfacientis, ac proinde vt satisfactio Deo exhibita esset infinita, oporteret quod persona satisfaciens esset infinita, vt contingit in persona Christi. Nulla autem pura creatura est huiusmodi, ac proinde satisfactio puræ creaturæ ex parte ipsius, nullam potest habere infinitatem. Deinde dato, quod satisfactio haberet infinitam dignitatem secundum quid ex parte creaturæ satisfacientis, adhuc non esset æqualis offensæ, cum adhuc esset ordinis inferioris.

268 Vnde hæc ratio quam tradunt etiā aliqui ex Thomistis, vt Cipullus hoc loco, & alij plures, & deducitur ex D.Th. *hic art.* 2. suas patitur difficultates, quare contra illam. Obijcies 1. nam ex ista ratione sequeretur, quod pura creatura non posset perfectè satisfacere pro suo peccato veniali, hoc est falsum vt postea videbimus; ergo, &c. Sequela probatur, nam peccatum veniale est propriè offensa Dei cum sit contra legem, & voluntatem Dei, producitur à creatura, quæ comparatiuè ad Deum est infinitè vilis, ergo nō potest pro eo cōdigna exhiberi satisfactio. Nec valet dicere, quod peccatum veniale non sit perfectè, & simpliciter peccatum, sed imperfectè, & secundum quid; vnde nonnisi offensam secundum quid causat. Nam contra est, quia quocumque modo peccatum veniale sit peccatum, & offensa, semper conseruat, quod est à persona infinitè vili, & quod satisfactio est inferioris ordinis Deo cui fit, ac proinde nunquam poterit esse æqualis.

269 Resp. 1. concedendo sequelā, ob rationem in argumento allatam. Resp. 2. negando sequelam, nam peccatum veniale nec est propriè peccatum, nec causat maculam simpliciter, nec causat offensam simpliciter, nec facit Deum auersum, ob quod dicitur veniale, quia non tollit principium veniæ scilicet gratiam, & charitatem, ac proinde potest pura creatura pro eo ad æqualitatem satisfacere. Cum enim peccatum veniale non sit contra Deum, nec contra legem, sed præter legem, & præter Deum vt *in* 1. 2. explicuimus, sequitur quod Deus non refundat in illud infinitatem, ex infinitate sua vt facit in mortale, neque etiam ex eo attenditur infinita vilitas personæ offendentis, cum non sit propriè offensa, ac proinde poterit

terit pro eo ad æqualitatem satisfieri.

270 Obijcies 2. quia ex dicta ratione sequeretur, quod si aliqua creatura exerceret plures actus satisfactorios in infinitum, adhuc non satisfaceret pro vnico peccato mortali: item sequeretur, quod si aliqua creatura haberet gratiam & charitatem infinitam, adhuc per actũ charitatis infinitum, non perfectè pro vno peccato finitæ malitiæ satisfaceret. Præterea sequeretur, quod si Deus crearet omnes Angelos, & homines possibiles, & omnes elicerent actus satisfactorios pro vno peccato, adhuc non satisfacerent ad æqualitatem, quia nunquam possent ęquare infinitam vilitatem, & distantiam creaturæ peccantis ad Deum. Resp. concedendo totum, tum quia semper illa satisfactio esset ordinis inferioris, ac proinde quantumcumque crescat, nunquam pertinget ad æquandam offensam Deo illatam, cum sit ordinis superioris.

271 Obijcies 3. nam si per impossibile vna persona diuina peccaret contra aliam, peccatum haberet malitiam finitam, & tamen ex dicta ratione non posset pro illa satisfacere condignè; nam illa satisfactio nullam acciperet dignitatem, nullum valorem à persona cui fieret satisfactio, cum tamen offensa ex persona offensa accipiat infinitatem secundum quid. Imò neque Christus D. satisfecisset ad æqualitatem pro peccatis generis humani, quia eius satisfactio licet habuisset infinitatem ex parte personæ satisfacientis, non tamen ex parte Dei cui facta est satisfactio; & sic peccatum habuit duplicem infinitatem, & satisfactio solum vnam, scilicet ex parte satisfacientis, non ex parte illius cui fit satisfactio. Vnde peccatum affert duo debita, & satisfactio solum vnum extingueret. Resp. quod licet in his duobus casibus satisfactio non accipiat dignitatem, & valorem ex parte personæ offensæ, & cui fit satisfactio, tamen accipit dignitatem, & valorem simpliciter infinitum, per quem perfectissimè compensatur infinitas secundum quid, quàm peccatum sumpsit ex parte personæ offensæ.

272 Obijcies 4. nam ratio dicta fundatur in duobus principijs non ita certis. Primum, quod eo est grauior offensa, quo dignior est persona quæ offenditur; hoc namque principium non est vniuersaliter verum, non est enim grauior offensa, & iniuria furari homini nobili, quam totidem minus nobili. Secundum, quod eo grauior sit offensa, quo vilior est persona offendens, hoc enim verum non videtur, quia non est grauius furtum Regi factum à persona vili, quã à nobili; tum quia sequeretur quod esset grauior ex genere, & per se loquendo offensa hominis, quam Dæmonis; plebeiorum, quam nobilium, cuius oppositum docent omnes, & nos docuimus *in* 1.2. nam grauiora sunt peccata, quæ à dignioribus committuntur. Vnde est grauius mendacium in Episcopo, quam in simplici clerico, & peccata Angelorum sunt per se grauiora peccatis hominum.

273 Resp. negando antecedens; illa namque duo principia si rectè intelliguntur sunt verissima, pro quo nota, quod illa principia non sunt vera in materia iustitiæ commutatiuè, seu quoad rationem offensæ, seu iniustitiæ, aut iniuriæ in materia iustitiæ commutatiuæ, vbi solum attenditur æqualitas dati, & accepti, & damni illati, vt in exemplis allatis de furto; non enim est grauius peccatum furtum quod fit nobiliori, quã ignobiliori, neque quod fit à vili, quàm à nobili, quia in istis conditio personæ non intrat; si tamen intraret, vt si quis furando tali, vel tali modo vltra furtum irrogaret iniuriam aliam contemptus Domino, tunc enim dignitas, vel indignitas personæ offensæ, & offendentis intrarent in actum furti, & tunc offensa esset maior, vel minor, &c. Duo ergo illa principia attenduntur, & sunt vera in illis peccatis, quæ, seu quatenus dicunt rationem offensæ, in quibus conditio personæ intrat offensam, vt contingit in peccatis quæ in Deum commit-

mittuntur, in quibus semper adest ratio offensæ, seu contemptus; contemptus autem eo est grauior quo persona contemnens est vilior, & cõtempta grauior. Contingit etiam in peccatis quæ fiunt in homines in quibus contemptus continetur, vt contingit in peccatis contra honorem debitum, contra debitam reuerentiam, &c. Cęterum de hac re omnino videnda sunt quæ trado *de pænit. disp. 2. q. 4. per totam*. Per quæ patet ad illud de grauitate peccatorum, &c. nam peccata in quibus vilitas personæ non intrat, sunt grauiora in Angelis, in Prælatis, &c. at illa in quibus intrat vilitas, & conditio persona, sunt grauiora in vilioribus.

§. VI. Probatur, quod purus homo non possit perfectè satisfacere pro suis peccatis, ex eo quod peccatum est simpliciter infinitum in ratione offensæ, quod fusè ostenditur.

274 Ratio sic solet proponi. Satisfactio cuiusuis creaturæ est dignitatis, bonitatis, & valoris finiti, & quodlibet peccatum habet malitiam infinitam, seu est infinitum in ratione offensæ; ergo per illam non potuit huic satisfieri ad æqualitatem. Conseq. constat, nam finiti ad infinitum nulla est proportio, multoque minus æqualitas. Quod peccatum sit simpliciter infinitum negant Vasq. Lugo, & alij plures hoc loco, admittentes solum quandam infinitatem secundum quid. Quod autem sit simpliciter infinitum tenent communiter Thomistæ hoc loco. Caiet. & Medina apud Aluarez *hic art. 2. disp. 3.* vbi pluribus alijs relatis hanc sententia doctè defendit. Eam defendunt Cipullus *hic art. 2. dub. 3. n. 12. &* 46. N. Orlandus *disp. 2. q. 2. post num. 5.* & alij communiter.

275 Probatur 1. supponendo differentiam inter offensam, & satisfactionem quod offensa crescit ex dignitate personæ offensæ, at satisfactio crescit ex dignitate satisfacientis, quod cognouit Aristoteles 5. *Ethic.* 5. vbi probat, quod pœna talionis non est semper iusta, dicens. *Si is qui magistratum gerit, alium percutit, non est repercutiendus, at si quispiam eum percusserit non solum repercutiendus est, sed etiam supplicio afficiendus.* Hoc posito sic formatur ratio, quæ est D. Anselmi *lib. 1. cur Deus homo*, & D. Thomæ *hoc loco art. 2.* Offensa crescit ex dignitate personæ contra quam fit, & satisfactio crescit ex dignitate personæ satisfacientis; sed Deus qui est offensus per peccatum, est infinitæ dignitatis, & homo satisfaciens est dignitatis finitæ; ergo offensa erit infinita, & satisfactio finita. Ex alia parte quia persona Christi satisfaciens est infinita, eius satisfactio est infinita: aliàs non esset paritas inter satisfactionem, & offensam, nec vtraq; eo proportionali modo cresceret.

276 Probatur 2. quia per peccatum mortale passio, seu offensa infertur Deo, quantum à creatura inferri potest, & eo modo quo Deus est capax passionis, & offensæ passiuæ: sed mensura passionis, seu offensæ non quidem re ipsa illatæ Deo intrinsecè, sed ex peccati conditione, & peccantis affectu, desumitur ex dignitate personæ passæ, seu offensę; ergo cum hæc sit infinita, etiam offensa peccati erit infinita. Ex passione namq; infinitæ personæ actu, & simpliciter infinitæ, deriuatur infinita quædam malitia in ratione offensæ in actionem malam, per quam illa quasi passio, seu offensa causatur. Sicut enim ex personæ agentis dignitate crescit dignitas actionis, ita ex dignitate pesonæ patientis crescere debet dignitas passionis; aliàs non esset verum commune dictum, quod sicut se habet actio ad agens, ita passio ad patiens.

277 His rationibus occurrunt 1. aduersarij, quod si quid probarent, vtique probarent, quod etiã peccatum veniale esset infinitæ malitiæ in ratione offensæ, cum omne peccatum etiam veniale sit contra Deum. Sed hoc nihil est; nam vt ostendimus in 1. 2. peccatum veniale

niale non est contra Deum, sed præter Deum; non est contra legem, sed præter legem: non est propriè peccatum, sed secundum quid, scilicet veniale, quia non tollit veniæ principium.

278 Occurrunt 2. quod cum à parte rei ratio offensæ sit idem cum ratione formali peccati, & hæc sit finita, etiam illa erit finita, imò dato quod distinguerentur, tamen vnius grauitas pari proportione crescit, ac decrescit, vt crescit, aut decrescit grauitas alterius. Sed contra, nam aliunde sumitur grauitas formalis peccati, seu grauitas malitiæ peccati, & grauitas offensæ, nam grauitas malitiæ formalis sumitur ab obiecto, vt omnes tradunt, & nos vidimus *in* 1. 2. At grauitas offensæ sumitur à dignitate personæ; eo autem grauior est offensa, quo dignior est persona quæ offenditur, vt iam diximus.

279 Occurrunt 3. quod si ex passione qua Deus est subiectum peccati resultat in actione mala malitia infinita, ita ex passione quæ est subiectum operis virtutis; ac proinde in opus virtutis deberet eodem modo redundare infinita bonitas. Sed contra, nullus namq; dicit, quod opus virtutis inferat passionem Deo, vt dicitur de opere peccati; in moralibus namque persona offensa dicitur pati per offensam, quia censetur esse subiectum offensæ, & non censetur esse subiectum actus virtutis, sed tantum obiectum: subiectum autem dat valorem formæ sibi quasi intrinsecè inexistente: non sic obiectum, cum comparetur ad formam ad se terminatam solum extrinsecè, ac proinde actus terminatus ad obiectum infinitum, vt est actus charitatis v. g. solum habet bonitatem infinitã extrinsecè, seu secundum quid; quomodo autem passio per peccatum inferatur Deo ex affectu peccantis, §. seq. dicetur.

280 Probatur 3. nam peccatum mortale pœnam æternam meretur, ergo ob malitiam infinitam. Conseq. constat, nam si haberet malitiam finitam, solum pœnam finitam mereretur; pœna namque debet commensurari culpæ, *l. sancimus 22. C. de pœnis. cap. non affe-ramus stateras in fin. 24. q. 1. cap. qua fuit de ijs quæ fiunt à maiori parte capit. cap. fœlicis, §. illud autem, de pœnis in 6.* Quocirca vbi delictum est paruum, pœna debet esse modica, tradunt Menoch. *Illustr. quæst. cap. 8 n. 51. & cap. 24. n. 17.* Menoch. *de arbitr. lib. 1. q. 90. nu. 38.* Farin. *in praxi crim. p. 1. q. 4. nu. 10. & q. 17. n. 9.* Tusch. *tom. 6. concl. 211. & per totã.*

281 Occurrunt aduersarij, quod peccatum mortale non meretur pœnam infinitam siue damni, siue sensus secundum intensionem, seu quantitatem, sed tantum infinitam secundum duratione, ac proinde absolutè finitam. Pœna nãque damni est finita cum sit carentia diuinæ visionis, quæ finita est. Et pœna sensus etiam finita est, cum sit quid receptum in substantijs damnatorum, vt *in* 1. 2. vidimus. Sed contra, nam licet probabile sit, quod pœna damnatorum, quam per peccatum merentur sit finita, quia pœna non correspondet offensæ, sed tantum malitiæ, quæ finita est, tamen est etiam valde probabile, vt cum N. Cornexo docuimus *in 1. 2. disp. 18. n. 70.* quod peccatum mereatur pœnam intensiuè infinitam ratione offensæ, sed de facto non datur, tum quia subiectum capax non est, tum quia Deus etiam erga damnatos vult suam misericordiam ostendere, minus puniendo quàm mereantur, seu eos puniendo citra condignum. Nam si malitia meretur pœnam, multo magis eam meretur offensa. Si Deus punit malitiam, quæ se tenet ex parte peccantis, multò magis debet punire offensam, quæ est iniuria Deo illata, destructiua Dei ex affectu peccantis, destructiua Dei in ratione vltimi finis, &c. Si Deus punit peccatum, vt deturpat ipsum peccantem, multò magis debet punire ipsum peccatũ vt ex affectu peccantis deturpat ipsum Deum. Si Deus punit peccatum secundum id quod minus est, multò magis debet illud punire secundum id quod pessimum est, & est ratio offensæ Dei. Vnde frustra dici videtur,

detur, quod Deus solum puniat peccatum secundum rationẽ malitiæ, cum nihil sit in peccato, quod pœnam non mereatur, ac proinde, quod non puniatur: nihil est autem in peccato, quod magis pænam mereatur, quam ratio offensæ Dei.

282 Probatur 4. nam tanta est peccati mortalis malitia, quantum hæc Deo displicet, cum non plus Deo displicere possit quam par est; sed peccatũ quoad malitiam, seu offensam displicet Deo infinitè; ergo habet infinitatem in ratione malitiæ seu offensæ. Minorem probo, quia peccatum tantum Deo displicet, quantum ei sua increata bonitas placet, sed hæc placet infinitè; ergo illud debet infinitè displicere. Cum enim peccatum opponatur diuinæ bonitati, sequitur, quod quantum vnum oppositum placet, tantum debeat displicere alterum; oppositorum enim, opposita est ratio, & disciplina. Tum quia peccatum ex affectu peccantis destruit Deum maximè quoad rationem vltimi finis; ergo cum vnusquisque odio habeat suum destructiuum ad mensuram qua amat suum esse, sequitur, quod Deus odio habeat infinitè peccatum, sui esse, quantum ad se, destructiuum, sicut infinitè amat se ipsum.

283 Occurrunt aduersarij, negando quod peccatum displiceat Deo infinitè, si sermo sit de displicentia ex parte obiecti, secus ex parte subiecti, nempe Dei, ex hac enim parte peccati displicentia est infinita, sicut & quilibet actus Dei. Ad illud quod de opposito diximus, dicunt quod peccatum nullo oppositionis genere opponitur Deo, sed tantum formæ qua priuat. Sed contra, nam licet peccatum quoad malitiam formalem, quam habet ex obiecto non opponatur directè Deo, tamen quoad rationem offensæ non potest non opponi; De ratione namque offensæ, est opponi personæ offensæ, & de ratione offensæ Deo illatæ, est opponi Deo, aliàs non esset destructiua Dei ex affectu peccantis, an autem opponatur positiuè, an priuatiuè, §. seq. dicetur. Quod autem Deo, modo dicto opponitur, vi quadam destructiua, non potest non displicere infinitè.

284 Probatur 5. quoniam peccatũ mortale priuat nos Deo, ergo est malitiæ infinitæ. Antecedens non negabunt aduersarij. Conseq. ostendo, nam tanta est malitia in priuatione, quanta est bonitas in forma qua priuat, sed peccatum priuat forma infinitè bona, scilicet diuina bonitate; ergo est infinitè mala.

285 Respondent contrarij, quod peccatum mortale priuat nos Deo tanquam fine, & obiecto, cui coniungebamur, aut coniungendi eramus mediante aliqua forma finita, & limitata, scilicet gratia, & charitate, non tamen priuat nos Deo vt forma opposita; eo modo quo cæcitas priuat cæcum colore, tanquam obiecto, cum quo ante coniũgebatur, aut coniungi poterat mediante aliqua forma, scilicet videndi facultate, & visione, non tamen priuat eodem colore vt forma opposita, sed videndi facultate, & visione. Quantitas autem priuationis non desumitur ex eo quo priuat vt obiecto, sed ex eo quo priuat vt forma; & sic peccatum cum priuet Deo solum vt obiecto, aut fine, & non vt forma; vt forma namque priuat gratia, & charitate, sequitur quod non habeat infinitam malitiam in ratione priuationis.

286 Sed contra, nam licet peccatum quoad malitiam formalem quam ex obiecto desumit non priuet nos Deo nisi vt obiecto, & fine, ac proinde secundum hanc rationem non habeat malitiam infinitam nisi secundum quid: tamen in ratione offensæ priuat Deo vt forma, ac proinde secundum hanc rationem habebit malitiam simpliciter infinitam, sicut forma qua priuat habet bonitatem simpliciter infinitam; peccatum namque vt est offensa Dei, destruit eius honorem, reuerentiam, bonitatem, & diuinitatem, totumque ipsius esse Dei ex affectu peccantis; ac proinde non potest non habere malitiam simpliciter

citer

citer infinitam, vt §. seq. magis explicabitur.

287 Probatur 6. quoniam tantò est maior malitia peccati, quoad scilicet rationem offensæ, quantò est maius malum quod peccando infertur; sed peccans mortaliter, quantum in ipso est, & quantum ex affectu illius, infert Deo malum infinitum; ergo peccatum mortale erit malum infinitum; maior constat ex dictis *in* 1. 2. grauitas namque peccati crescit etiam ex nocumento, quod alicui infertur. Minor ostenditur, nam peccans mortaliter quantum in ipso est priuat Deo ratione vltimi finis, cõstituendo rationem vltimi finis in creatura, ac proinde eripit à Deo rationem vltimi finis quæ in Deo est perfectio infinita, qua ablata ex affectu peccantis, destruitur Deus secundum hanc perfectionem, ac subinde secundum omnem rationem.

288 Respondent aduersarij, quod ex hoc argumẽto potius probatur, quod peccatum mortale nõ habeat malitiam infinitam, cum peccans mortaliter nullum inferat Deo damnum, iuxta illud Iob. 35. *Si peccaueris, quid ei nocebis? Et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?* Vnde licet peccans constituat vltimum finem in creatura, tamen diuinitatem non eripit à Deo, sed tantum se, suaque refert in creaturam; nullo secuto damno Deo.

289 Cæterum hæc solutio falsa est, cuius falsitas fundatur in ignorantia legum ciuilium, quæ non solum puniunt effectum, sed etiam affectum: non solum punitur damnum illatum, sed etiam intentatum, maximè in delictis grauioribus, vt constat ex *l. generaliter in principio, ff. de calumniat. ex l. quisque, ff. ad leg. Iul. Maiest. Ex l. is qui cum telo, C. ad leg. Cornel. de Sicar. ex l. si quis persuaserit, C. de furtis, ex l. si quis non dicam, C. de Episc. & cleric.* cum alijs cit. à Brunor. à Sole *in locis commun. verb. affectus*, vbi clarè decernitur, quod damnum solo affectu illatum, intentatum, & re ipsa non secutum, puniri debeat, etiam pæna mortis, quod maximè currit in delicto veneficij, assassinij, & in crimine læsæ maiestatis, vt est omne peccatum mortale respectu Dei, quod maius est, quam crimen læsæ maiestatis humanæ. Hinc *l. ante, §. si cum seruum, ff. de vi bonorum rapt. l. videamus, §. fin. ff. locati, l. nihil interest, ff. ad leg. Cornel. de Sicar. l. qui occidit, §. in hac, ff. ad leg. Aquil. cap. sanè dist.* 50. *cap fin. de iniur. cap. de cætero de homic.* & alibi dicitur, quod damnum dedisse videtur, qui quantum est de se, damni occasionem dat; sed peccator per peccatum quantum est de se, dat Deo infiniti damni occasionem, ergo eius peccatum ex hac parte habet infinitam malitiam.

290 Probatur 2. quoniam peccatum mortale non est committendum pro vlla re huius mundi, imo pro omnibus simul sumptis, & pro omnibus possibilibus, & pro omnibus quæ non sunt Deus, seu quæ sunt infra Deum, cum Deus sit super omnes res creatas possibiles etiam collectiuè sumptas; ergo signum est, quod peccatum sit malum infinitum. Hęc ratio est D. Anselmi *lib.* 1. *Cur Deus homo. cap.* 21. Adde quod peccatum mortale est tantę malitiæ vt committendum non sit pro habenda vnione hypostatica, ita quod si quis posset vniri hypostaticè Deo per vnum mortale, non posset illud committere, neque etiã pro habendis omnium virtutum actibus qui exerceri possent in natura Deo hypostaticè vnita.

291 Respondent aduersarij hanc rationem nihil euincere, cum neque peccatum veniale committi possit pro omnibus illis, cum tamen peccatum veniale non habeat malitiam infinitam, sed finitam tantum. Sed contra, nam ratio D. Anselmi probat de peccato mortali, non de veniali, licet ex alio capite neque peccatum veniale ob illa committi possit. Ratio namque D. Anselmi in hoc fundatur, quod peccatum mortale nõ possit committi ob nullam rem creatam, nec potest esse medium ad illam,

quia peccati malitia est tanta vt superet malitiam, & damnum, quod ex carentia omnium creaturarum euenire potest, ac proinde melius est subire carentiam omnium creaturarum, quam habere malum peccati, quod affert carentiam Dei, seu non esse Dei. At peccatum veniale, non inducit carentiam Dei, ac proinde comparatio inter hoc quod est carere creaturis, & carere Deo, non est ad rem cum non causet carentiam Dei, ob quam vitandam debeat homo carere creaturis potius quam venialiter delinquere. Ex alio tamen capite peccatum veniale committi nō debet pro illis habendis, ac proinde melius est omnibus dictis carere, quam venialiter peccare. Et ratio est, quia est contra regulam, & ordinem rationis eligere peccatum ad quamcumque rem obtinendam, etiam vnionem hypostaticam, & ipsam diuinitatem, quamuis enim ista plus longè habeant bonitatis, ac valoris, quam peccatum veniale habeat malitiæ, & indignitatis, tamen contra regulam, ordinemque rationis est, eligere malum etiā leue vt medium ad tantum bonum consequendum, cum nec sit medium ad illud, nec esse possit.

§. VII. *Quomodo peccatum mortale sit malum infinitum.*

292 IN peccato plura possunt considerari de quibus ago in meo *tract. de pænit. disp. 2. q. 4. per totam*, modo solum considero in peccato tria, scilicet rationem malitiæ, quæ ex obiecto sumitur, & hæc in omnium sententia finita est, deinde potest peccatum considerari vt est malum hominis, priuans ipsum gratia, charitate, visione beatifica, &c. Et etiam hoc modo est malum simpliciter finitum, cum nonnisi re finita priuet. Tertiò potest considerari, vt est offensa Dei, quæ ratio offensæ per omnia peccata mortalia diuagatur. Cum enim omnia peccata à Deo prohibeantur, & omnia sibi displiceant, maximè offenditur, cum in facie ipsius committuntur, non solum quia tunc contemnitur, sed & maximè quia per illa, quantum est ex affectu peccantis destruitur; dum enim peccator per quodlibet peccatum mortale Deum vltimum finem relinquat & alium, scilicet creaturam sibi constituat, & asciscat, quantum est ex parte ipsius, Deum deserit in ratione vltimi finis, & alium Deum sibi præstituit.

293 Tamen res ista aliquibus difficilis visa est, nec ad huc explicatur quomodo de vsu refundat in peccatum infinitam malitiam in ratione offensæ. P. Aluarez *hic disp. 3.* dicit, quod peccatum vt est offensa Dei, & malum diuinæ maiestatis, non quidem illatum, sed intentatum, habet malitiam infinitam, eo quod secundum affectum, peccatum mortale, quantum est de se, Deum perimit, & illum à suo regno deicere, & loco eius alium Deum subrogare contendit. Pro quo refert elegantissimum D. Bernardi testimonium serm. 3. Resurrect. D. dicentis. *Sed vtinam vel rebus istis esset contenta, nec in ipsum (horribile dictu) desæuisset auctorem. Nunc autem, & ipsum (quantum in ipsa est) Deum perimit voluntas propria: omnino enim vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut & nescire. Vult ergo eum non esse Deum, quæ quantum in ipsa est, vult eum, aut impotentem, aut insipientem. Crudelis planè, & omnino execranda malitia, quæ Dei potentiam, iustitiam, sapientiam, perire desiderat.* Cæterum ista potius probant, quam explicent caput à quo peccatum habeat infinitam malitiam simpliciter in ratione offensæ.

294 Pater Cipullus *hic q. 1. art. 2. dub. 3. nu. 46.* dicit, quod ratio offensæ, quæ est in peccato mortali consistit propriè, & formaliter, non in malitia auersiua, seu in auersione à Deo, neque in priuatione rectitudinis debitæ, neque etiam in conuersione ad obiectum dissonum rationi, sed in priuatione, non physica, sed morali diuinæ dignitatis, in quantum per ipsum peccatum mortale inho-

inhonoratur Deus, & secundum imputationem, & quantum est ex parte affectus peccatoris, tollitur ab ipso Deo ratio vltimi finis. Quod autem peccatum mortale, hoc modo explicata offensa, sit simpliciter infinitum, sic probat ille, quia priuatio semper est tanta, quanta est forma priuata, sed dignitas Dei est infinita simpliciter; ergo peccatum mortale, quod hac priuat, erit infinitum simpliciter.

295 Cœterum ista explicatio non placet, nam peccatum mortale non est priuatio diuinæ dignitatis, sed si aliquã priuationem moralem dicit respectu Dei erit priuatio honoris debiti, & diuinæ reuerentiæ, quæ cum in ipso actu fundetur, non potest esse malitiæ simpliciter infinitæ. Nam vel ista priuatio diuinæ dignitatis quam causat peccatum mortale, est in Deo, vel in ipso peccato. Si in peccato, non potest esse infinita, cum actus peccati sit finitus. Non in Deo, quia in Deo non datur carentia diuinæ dignitatis, neque carentia reuerentiæ, & honoris diuinæ dignitati debiti, hæc enim non est in Deo, sed in peccato. Dices, datur in Deo ex affectu peccantis carentia vltimi finis; ergo etiam potest dari carentia, seu priuatio diuinæ dignitatis. Ad hoc enim dicas, quod datur quidem in Deo carentia vltimi finis, sed in ea non consistit ratio offensæ, sed ex illa sequitur: ita licet admittatur ratio carentiæ diuinæ dignitatis, non poterit in ea consistere ratio offensæ, sed ex ipsa offensa sequitur. Ponat ergo Cipullus in Deo aliquid positiuum morale, quod causet illam carentiam, seu priuationem moralem, & dabimus manum, sed tunc non in illa carentia, sed in illo positiuo consistet ratio offensę infinitæ. Nisi enim in Deo ponamus aliquid positiuum ex quo carentia causetur, non dabitur per quod illa carentia causetur. Nam vel illa carentia causatur à peccato vt dicit conuersionem, & hoc non, quia conuersio, quæ est in peccato non respicit Deũ; sed obiectum. Vel causatur ab auersione, & neque hoc, quia auersio cum sit carentia, non potest causare, cum priuatio à positiuo, non ab alia priuatione causetur.

296 Pater Orlandus *hic disp. 2. q. 6. n. 46.* magis accedit ad veritatem, dicitque, quod Deus comparatur ad offensam, vt subiectum ipsam recipiens in genere moris, subiectum autem in esse moris verè influit refundendo totam suam dignitatem, in ijs quæ in ipso subiectantur, & sic cum Deus sit infinitus, totam suam dignitatem refundet in offensam. Sicut enim, inquit, vestibus sacris prout coniunctis personæ Christi, debetur eadem adoratio latriæ quæ debetur ipsimet personæ Christi, non alia ratione nisi quia sunt in ipsa, sic eodem modo à dignitate personæ offensæ, quæ se habet vt subiectum recipiens iniuriam, deriuatur in ipsam grauitas infinita. Hæc explicatio non adhuc satisfacit. 1. Quia non explicat an offensa recipiatur in persona offensa tanquam in subiecto, qua ratione reputatur læsa, & offensa, tanquam quid positiuum, aut priuatiuum. 2. Quia non explicat quomodo causetur.

297 Veram explicationem tradidimus 1. 2. *disp. 9. àn. 319.* vbi pro explicatione duas posuimus conclusiones. Prima est. *Peccatum secundum se, & ex propria sua ratione est contra Deum, eiusque offensa, quatenus ex affectu peccantis, saltem interpretatiuè inhonoratur, & contemnitur.* Secunda per quam præcedens explicatur, & tota difficultas præsentis §. absorbetur est. *Offensa actiua est in ipso peccato, at offensa passiua, seu formalis, non est in ipso actu peccati, sed est in Deo ex affectu peccantis, per modum quasi læsionis, vel contemptus moralis, à peccante intentati, à quo Deus quodammodo denominatur intrinsecè offensus. Vnde respectu Dei, offensa se habet veluti forma in eo, respectu peccati, & offensa actiua se habet vt terminus, & effectus.*

298 In peccato ergo mortali datur duplex offensa, actiua scilicet, & passiua. Actiua, est ipsa actio nociua, & inductiua mali, seu damni, aut quasi damni, &

contemptus, à quo aliquis denominatur offensus, & vocatur offensa causalis, & hæc est in peccato, ab eo indistincta. Offensa passiua, non est priuatio, seu carentia, sed est positiua, & est damnum, læsio, nocumentum, & contemptus illatus personæ offensæ, à quo denominatur formaliter offensa, & vocatur offensa formalis. Quod ista offensa passiua, seu formalis se habeat tanquam forma moralis respectu Dei, ac proinde sit in Deo moraliter, & secundum æstimationem, patet, quia offensa passiua, non est malum peccantis, vel actionis peccati, sed potius Dei, qui per peccatum offenditur, contemnitur, læditur, & quodammodo damnificatur. Quod autem sit infinita simpliciter, patet, quia subiectum refundit totam suam dignitatem in formam, vt iam diximus cum N. Orlando.

300 Sed quæres, quid in peccato habeat rationem offensæ actiuæ, auersio, an conuersio? Resp. quod vtraque, sicut vtraque habet rationem malitiæ, tamen quia conuersio non habet rationem offensæ, nisi prout est auersiua à Deo, & inducit ipsam formalem auersionem, & ea consumatur, & completur, idcirco ratio offensæ actiuæ, tribui solet potius auersioni, quam conuersioni.

§. VIII. *Soluuntur argumenta probantia peccatum non habere infinitatem in ratione offensæ.*

301 PRimum argum. nam ad hoc vt infinitas personæ offensæ refunderet infinitatem in offensam, oporteret, quod illa persona offensa infinitè cognosceretur, sed nulla creatura potest hoc facere; ergo, &c. Minor nota est, vbi enim tam potentia, quam lumen sunt finita, etiam cognitio erit finita; sed potentia, & lumen creaturæ sunt finita, ergo etiam cognitio. Tum quia Deus à nulla creatura infinitè cognoscitur; ergo, &c. Maior probatur, nam quo minor est cognitio dignitatis personę, eò minus offenditur, & si nulla, nullo modo offenditur.

302 Ad hoc argu. respondet P. Orlandus hoc loco *disp. 2. num. 7.* quod ad hoc vt persona offensa refundat infinitatem in offensam, non est necesse, quod cognoscatur tota dignitas personę offensæ, quia, inquit, Christus D. infinitè satisfecit, licet finitè cognouerit, & dignitatem suæ personæ, & Dei, cui satisfecit, ac proinde iniurians Deum, infinitè iniuriat, etiamsi finitè cognoscat infinitam dignitatem Dei. Tum quia per peccatum offenditur Deus quantū offendibilis est à creatura; ergo infinita dignitas Dei infinito modo attingitur per iniuriam. Si enim Deus videretur quantum visibilis est, visio illius esset infinita; ergo cum offendatur quantum offendibilis est, offensa erit infinita. Quod autem per peccatum offendatur Deus quantum offendibilis est, patet, quia secundum affectum peccantis, tollitur ipsa Deitas.

303 Verùm ista solutio nisi magis explicetur, non placet; nam tunc solum tota dignitas personæ refunditur in offēsam, quando tota cognoscitur; hinc videmus, quod ignorantia excusat à peccato, tollitque eius malitiam, ac subinde offensam ad sui mensuram; quocirca videmus, quod si ignorantia est totalis, excusat ab omni malitia, & offensa; si non est totalis, excusat à parte, vt faciendo quod mortale transeat in veniale. Pariformiter si quis habeat rem cum aliqua, & ignorat esse vxorem alterius, non excusatur à fornicatione, excusatur tamen ab adulterio, vnde non offendit tunc formaliter maritum illius, nec illi irrogat iniuriam. Præterea offensa passiua debet correspondere actiuæ, cum ista non causet nisi media cognitione, ac proinde vbi non adest perfecta cognitio offensæ actiuæ, neque aderit passiuæ, & è diuerso.

304 Resp. ergo, quod ad hoc vt dignitas personæ offensæ, v.g. refundat infinitam malitiam in offensam, requiritur quod cognoscatur, non per cognitionem infinitā, sed finitam. Cognoscimus namque, etiam cognitione naturali, quod Deus est infinitæ dignitatis, ac proinde

quod

quod per peccatum offenditur,& sic cognitio sufficiens ad peccatum mortale, sufficienter cognoscit practicè Deum esse infinitæ dignitatis. Sic Christi D. satisfactio recepit infinitam dignitatem ex infinita dignitate suppositi, quia intellectus Christi D. cognouit per cognitionem finitam, quod eius suppositum est infinitè dignum,ac proinde sufficiens ad refundendum infinitum valorem suis satisfactionibus.

305 Secundum argum. nam posito quocúque peccato mortali, Deus adhuc est magis, ac magis offendibilis per maiorem, & maiorem affectum prauum operantis, quo vellet infinitis modis eum offendere, eum non esse, &c. ergo per quodlibet peccatum mortale non offenditur quantum offendibilis est. Respondet P.Orlandus loco cit.*n.*48. quod quantitas iniuriæ non sumitur à proportione, & commensuratione ad quantitatem affectus, sed ex auersione à dignitate infinita Dei, quæ æqualis est in omnibus peccatis. Sed contra, nam Thomistæ defendentes infinitatem offensæ peccati non recurrunt ad auersionem, sed ad affectum peccantis, dum dicunt, quod peccatum est destructiuum Dei ex affectu peccantis,quod interimit Deum, quod destruit in ratione vltimi finis, & in hoc constituunt infinitatem offensæ Dei in peccato. Deinde non est verum quod auersio sit æqualis in omnibus peccatis; aliàs pœna damni, quæ correspondet auersioni, esset in omnibus damnatis æqualis, quod *in* 1. 2. reprobauimus.

306 Vera responsio vtitur distinctione: posito quocumque peccato mortali, adhuc Deus est magis, ac magis offendibilis formaliter, negatur: materialiter conceditur. Cum enim in quocumque peccato ratio offensæ sit infinita, & vnum infinitum non sit maius alio formaliter, sed tantum materialiter, sequitur, quod posito quocumque peccato Deus non sit magis offendibilis formaliter per maiorem affectum prauum peccantis, sed tantum materialiter, & hoc modo licet peccata possint esse differentia, vt vnum quoad malitiam formalem sit grauius alio, tamen quantum ad rationem offensæ, cum in omnibus sit infinita, sunt æqualia formaliter,licet materialiter possint esse inæqualia.

307 Tertium argum. ratio offensæ in peccato non distinguitur à ratione malitiæ; ergo non potest esse infinitum secundum rationem offensæ, nisi etiam sit infinitum in ratione malitiæ; sed in hac ratione non est infinitum; ergo neque in illa. Respondet P. Orlandus distinguendo antecedens; ratio offensæ non distinguitur realiter à ratione malitiæ, concedit: non distinguitur ratione negat. Sufficit enim, inquit, distinctio rationis inter offensam, & malitiam ad hoc, vt quod verificatur de vno formaliter sumpto, negetur de altero. Sed hæc solutio non est vera, etiam in sententia ipsius Orlandi, qui *nu.*46. admittit quod offensa est in Deo moraliter, seu quod Deus comparatur ad offensam vt subiectum illius. Nam si offensa passiua, & formalis, est in Deo, & malitia est in actu peccati, non possunt non distingui realiter moraliter, vna namque, & eadem res realiter, non potest simul esse in diuersis subiectis. Et licet verum sit, quod distinctio formalis seu rationis, sufficit ad hoc vt quod de vno verificatur formaliter, negetur de alio, quando sunt vna, eademque entitas in eodem subiecto, secus quãdo sunt in diuerso subiecto.

308 Quartum argum. quod dicit esse à priori Card.de Lugo *disp.*5.*sect.*3. *n.*26. est, quia malum simpliciter infinitum in ratione mali, est illud quo non potest excogitari aliud maius, continet enim in se omnem malitiam excogitabilem; sicut bonum simpliciter infinitum est illud, quod continet in se omnem bonitatem excogitabilem; sed nullum peccatum habet hoc; ergo nullum peccatum habet malitiam simpliciter infinitam. Nec valet dicere,quod vnum peccatum sit maius alio materialiter, nõ formaliter in ratione offensæ vt diximus

mus *n.*306. Nam contra est, quia licet, inquit, loquendo de infinito in quantitate possit forsitan intelligi vnum infinitum maius alio, hoc tamen locum non habet in infinito perfectionis. Ratio discriminis est, quod infinitum quantitatis continetur in ratione infiniti per carentiam termini intrinseci, quia non habet finem, seu terminum. At infinitum perfectionis constituitur præcisè per carentiam termini extrinseci, hoc est per hoc quod est non posse excogitari aliqua perfectio, quę ibi non reperiatur, alioqui cum illa entitas sit determinata per suam hæcceitatem, & non habeat extensionem partium, non assignabis, cur dicatur infinita; ergo repugnat assignare aliquam perfectionem simpliciter infinitam in ratione perfectionis, & habeat supra se aliam maiorem perfectionem.

309 Resp. sustinendo traditam solutionem, quod scilicet vnum peccatum sit maius alio materialiter, non formaliter. Ad impugnationem dico, quod si semel potest vnum infinitum esse maius alio in linea quantitatis, à fortiori in linea perfectionis. Si semel infinitum quod caret termino intrinseco potest esse maius alio, multo minus quod caret termino extrinseco. Illi enim qui admittunt mundum fuisse ab æterno, & quod Deus potuerit creare duos Leones qui alios generassent vsque modo, tunc præteriissent infinitæ generationes, & plures fuissent oculi Leonum, quam Leones, & eorum generationes, & tamen in eo casu infinitas oculorum esset maior infinitate Leonum, tantum materialiter, non formaliter, & tamen illæ infinitates non essent nisi per carentiam termini extrinseci, non intrinseci, puncti, lineæ, & superficiei. Tum quia negari non potest quin infra hominem non dentur infinitæ creaturæ possibiles, inuicem in perfectione se excedentes, & supra hominem aliæ infinitæ per maiorem, & minorem excessum vsque in infinitum, & tamen non habent nisi terminum extrinsecum scilicet Deum.

310 Quintum argum. nam malum simpliciter infinitum in genere mali, debet continere omnem malitiam omniũ malorum; sed nullum datur peccatum, quod contineat malitiam, & grauitatem, seu offensam omnium peccatorum; ergo nullum datur peccatum simpliciter infinitum in ratione mali, seu offensæ. Respondet Orlandus, quod malum simpliciter in genere entis, debet continere malitiam omnium malorum, non tamen malum infinitum in genere moris. Sed contra, nam est eadem ratio mali moralis, & mali physici, sicut est eadem ratio boni moralis, & boni physici, ergo sicut tam bonum morale, quam bonum physicum si essent infinita, deberent continere omne bonum morale, & omne bonum physicum respectiuè; ita malum morale, & malum physicum debent, si sunt simpliciter infinita, continere omne malum morale, & omne malum physicum respectiuè. Et si daretur aliquod malum physicum non continens omne malum physicum, inferemus non esse simpliciter infinitum. Ita si detur aliquod malum morale non continens omne malum morale, non erit infinitum simpliciter in linea mali moralis. Quocirca ideo dicimus, quod Deus est simpliciter infinitus tam in linea boni physici, quam in linea boni moralis, quia nullum est bonum physicum quod non contineat formaliter, aut eminenter, & nullum est bonum morale, quod ijsdem modis non contineat.

311 Resp. ad argum. concedendo maiorem, & negando minorem, loquendo de peccatis in ratione offensæ. Vnum namque peccatum in ratione offensæ, cum in hac ratione sit malum simpliciter infinitum, quoad hanc rationem continet virtute omnia alia peccata, quia quantum est ex affectu peccantis, idem quod facerent omnia si simul darentur, facit vnum tantum: nam sicut vnum opus Christi quoad valorem infinitum æquiualet omnibus, & omnia non habent maiorem valorem intensiuũ, quàm ha-

habeat vnum, aliàs non esset infinitum in valore; ita quia peccatum mortale est infinitum in linea offensæ, tantam habet infinitatem, quantam habent omnia alia, & è diuerso.

312 Sextum argum. nam peccata sunt inæqualia non solum in ratione malitiæ, sed etiam in ratione offensæ; ergo frustra dicitur, quod sint infinita in ratione offensæ. Conseq. constat. Antecedens probatur, quia pluris æstimatur vna offensa, quàm alia, vt v. g. odium Dei, quàm furtum. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico, quod omnes offensæ sunt æquè infinitæ formaliter, licet materialiter vna sit maior alia. Vnde licet odium, & furtum sint formaliter inæqualia quoad formalem rationem malitiæ, tamen rationis formalis offensæ, cum hæc ab eadem persona diuina sumatur, est formaliter in omnibus peccatis æqualis.

313 Septimum argum. nam offensa in ratione offensæ debet habere vim conseruandi indignationem Dei, posita qualibet satisfactione offendentis, vel cuiuslibet alterius, etiam Christi D. sed nostra offensa non habet hanc vim conseruandi indignationem Dei, posita satisfactione Christi; ergo non est infinita. Resp. 1. negando maiorem, licet enim offensa sit infinita, tamen non habet vim conseruandi indignationem Dei contra satisfactionem Christi, cum satisfactio Christi licet non sit magis infinita formaliter, est magis tamen infinita materialiter, infinitas offensæ est causata à creatura vilissima, & infinitas satisfactionis, ab ipso Filio Dei. Resp. 2. concedendo maiorem, & negando minorem, quia satisfactio Christi potuit non acceptari à Deo, ac proinde potuit offensa conseruare indignationem Dei etiam posita Christi satisfactione, poterat namque Deus exequi pœnam à se imposita pro peccatis.

314 Octauum argum. nam contritio effectiuè expellit totam peccati malitiam; ergo nullam dicit infinitatem. Antecedens ostendimus in tract. de pœnitentia. Conseq. probatur, nam actio non potest prouenire à proportione minoris inæqualitatis; ergo si contritio effectiuè expellit totam rationem peccati, debet esse potentior, aut saltem æquè potens, ac proinde cum contritio quippe actus hominis, sit virtutis finitæ, etiã peccatum debet esse finitum. Resp. quod contritio directè expellit peccatum quoad rationem malitiæ, quæ finita est, & ex consequenti expellit, & destruit offensam; cum enim offensa tametsi infinita, dependeat in fieri, & conseruari à malitia, ea destructa per contritionem, & ipsa destruitur. Cum enim, vt dicebamus, offensa passiua, seu formalis sit in Deo moraliter tanquam in subiecto, nõ potest à contritione in homine existente directè destrui.

315 Nonum argum. nam visio beatifica, & amor Dei habent Deum pro obiecto specificatiuo, & tamen non participant ab eo infinitatem simpliciter; ergo neque eam participabit peccatum. Resp. concedendo antecedens, & negãdo conseq. Ratio discriminis est, quia visio beatifica, & amor Dei solum extrinsecè attingunt Deum, ac proinde Deum solum extrinsecè refũdit infinitatem in illis. At offẽsa ex peccato in Deo orta est in ipso Deo moraliter, tanquam in subiecto, subiectum autem infinitum refundit in offensam grauitatẽ infinitã. Hinc est quod etiam ea peccata quę tendunt immediatè in Deum, prout respiciunt illum vt obiectum, habent solum infinitatem secundum quid, vt odium, & blasphemia; at in ratione offensæ, quæ est communis omnibus peccatis, habent malitiam infinitam.

§. IX. Soluuntur argum. probantia posse purum hominem satisfacere ad æqualitatem pro peccatis proprijs.

316 PRimum argum. Purus homo in gratia constitutus cum Dei auxilio potest tantundem honoris Deo reddere, quantum iniuriæ fuit ei illatum

tum per peccatum; sed hoc est satisfacere ad æqualitatem; ergo, &c. Minor constat. Maior probatur, nam tota ratio offensæ Dei in eo sita est, quod homo per peccatum derelinquit Deũ & creaturæ adhæret, iuxta illud Deuteron. 32. *Deum qui te genuit, dereliquisti.* Et iuxta illud. *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, &c.* Sed totum hoc restauratur per actum contritionis, & dilectionis Dei super omnia; ergo, &c. Minor probatur, nam per dictos actus homo auertitur à creatura, & conuertitur ad creatorem; ergo, &c.

317 Resp. negando minorem, nam licet homo per actum contritionis, & dilectionis auertatur à creatura, & conuertatur ad Deum, adhuc tamen non tantum confert Deo quantum abstulit, quantum damnificauit, quantum offendit. Quæ offensa non consistit in illa conuersione ad creaturam, & auersione à Deo, nisi causaliter, non formaliter, vt supra vidimus.

318 Secundum argum. nam ille ad æqualitatem satisfacit, qui pro sua offensa offert Deo aliquod bonum, quod illi tantum placet, quantum displicuit offensa; sed hoc facit purus homo per actum contritionis; ergo, &c. Si enim creatura per peccatum Deum offendit, per contritionem ei obsequitur, ei submittitur, & obsequium tale præstat, quale Deus exigit. Resp. negando minorem: nam offensa illi infinitè displicuit, obsequium autem, & subiectio quæ ibi præstatur per actum contritionis solum ei placet finitè.

319 Tertium argum. nam si purus homo non posset satisfacere Deo ad æqualitatem pro suo peccato mortali, maximè quia peccatum mortale vt est offensa Dei habet quandam infinitatem; sed hoc non obstat; ergo, &c. Minor probatur, nam infinitas peccati in ratione offensæ Dei se tenet ex parte obiecti, scilicet Dei, & est extrinseca ipsi actui malo; ergo per hominem purum poterit illi satisfieri. Conseq. probatur, nam vt quis satisfaciat ad æqualitatem sufficit, quod per actum suum ponat tantam bonitatem, quanta est malitia in actu malo; sed in actu charitatis est tanta bonitas, quanta est malitia in actu peccati; ergo, &c. Resp. negando minorem. Ad probationem dico, quod homo debet satisfacere Deo non solum pro malitia, quæ reperitur in actu peccati, sed etiam pro offensa quæ in Deo est causata, quæ cum sit infinita, per nullum actum hominis tolli potest.

320 Quartum argum. nam purus homo potest reddere Deo pro suo peccato, quod Deus ab illo ex iustitia exigere potest; sed tunc satisfacit ad æqualitatem; ergo, &c. Minor patet, ille enim satisfacit pro debito ad æqualitatem, qui tantum reddit, quantum creditor ex iustitia exigere potest. Maior probatur, nam Deus ex iustitia solum exigere potest, quod est possibile homini dare, iustitia namque non obligat ad impossibile, iuxta illud. *Ad impossibile nemo tenetur*; seu impossibilia non obligant *l. si quis in graui ff. ad Syllan. l. si stipulet, ff. de verb. obligat. l. Paulus, ff. quæ sentent. sine appellat. rescind. l. impossibilium; ff. de reg. iur. & cap. nemo potest, de reg. iur. in 6.* Resp. quod aliud est loqui de redditione, & aliud est loqui de debito. Reuera homo contraxit debitum reddendi æqualem satisfactionem, licet non habeat potestatem reddendi. Contraxit homo per peccatum debitum infinitum, quod nulla potentia potest proprijs viribus extinguere, sed ad hoc Verbi diuini incarnatio requirebatur.

DVBIVM XII.

An purus homo possit satisfacere ad æqualitatem pro peccatis mortalibus aliorum.

321 TOto dubio præcedenti explicuimus quomodo purus homo non possit ad æqualitatem satisfacere pro peccatis proprijs mortalibus. Modo

do inquirimus, an possit saltem pro alienis mortalibus satisfacere ad æqualitatem. Prima sententia est aliquorum recentiorum apud Vasq. *hic disp.4. c.1. n.2.* qui dicunt, quod possit dari purus homo ita sanctus, & innocens, qui licet non posset satisfacere de toto rigore iustitiæ, posset tamen ad æqualitatem. Huic sentētiæ adstipulari videtur Caiet. *in comm. huius art.2. §. Ad horum euidentiam, & §. Ad primi ergo.* Quatenus dicit, quod S. Doctor solum negauit satisfactionem condignam, & æqualem pro peccato, homini puro, hoc est secundum suas vires naturales solum considerato, non tamen prædito gratia Dei, etiamsi vnitus non esset Deo. Vnde sic interpretatur D. Thomā vt per purum hominem, intellexerit hominem sine vlla gratia, etiam adoptionis. Pro eadem sent. citatur Vega *lib.3. in Concil. cap.5.* vbi citat Sotum.

322 Vera, & communis sent. seq. concl. explicatur. *Non potest purus homo, qui scilicet non sit simul Deus, quantumuis purus, quantumuis sanctus, & quantalibet gratia præditus, satisfacere non solum de rigore iustitiæ, de quo nullus dubitat catholicorum, sed neque ad æqualitatem.* Sic tradunt omnes Theologi hoc loco, interpretantes eos qui in oppositum citari solent. Et ita intelligunt S. Doctorem, qui si attentè legatur videbitur clarè, quod non loquitur de satisfactione puri hominis in sensu prædicto à Caietano, sed de puro homine, qui scilicet non sit simul Deus, licet sit gratia ornatus, quod scilicet non possit condignè satisfacere nec pro peccatis proprijs, & multò minus pro peccatis totius generis humani. Pro hac sententia P. Cipullus citat plures Sanctos Patres, quorum verba refert Vasq. *supra cap.3.*

323 Probatur 1. nam non potest pura creatura quantacumque gratia prædita mereri alteri condignè primam gratiam, & remissionem peccatorum; ergo neque satisfacere. Consequ. constat, in tantum enim quis potest pro alio satisfacere, in quantum eius meritum, & satisfactio potest alteri applicare; maximè quia satisfactio pro alio poni non potest, nisi ille cui satisfit in gratia offensi ponatur. Cui namque non placet persona, nec satisfactio, nec opus satisfactorium placere possunt. Nam Deus prius respicit personam, postea opus, iuxta illud. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Prius ad Abel, postea ad munera. Antecedens tradunt omnes catholici, cum sit propriū Christi D. alteri mereri de condigno.

324 Occurrunt aduersarij, quod licet opus puri hominis non sit condignè satisfactorium ex se, sit tamen tale ex acceptatione Dei. Sed contra, nam quod ex se non est condignum, non potest fieri tale ex extrinseca acceptatione. Potest quidem extrinseca acceptatio facere quod creditor sit ea contentus, non quod satisfactio ex æquo, & sua natura sit condigna. Quod enim ex se non est æquale, per extrinsecam acceptationem non potest fieri æquale.

325 Probatur 2. ex dictis supra, & ratio est D. Bonauent. *in 2. dist.20. q.3.* Alex. *3. p.q.1. membr.7. art.2.* Richard. *in 2. dist.20.* Driedonis *de captiuit. & redempt. generis humani tract.2. cap.2.* & aliorum, nam peccatum contra Deum commissum est infinitum, ergo pro eo nulla pura creatura potest satisfacere. Antecedens constat ex dictis supra, & tradunt prædicti Doctores. Conseq. cōstat, quia nulla pura creatura potest infinitè mereri pro alia; ergo neque infinitè satisfacere.

326 Probatur 3. nam dato, quod peccatum non esset malum infinitum adhuc tamen pro eo non posset pura creatura perfectè satisfacere; nam peccati, & offensæ grauitas debet pensari ex dignitate personæ in quam committitur, at valor meriti, & satisfactionis, pensatur ex dignitate personæ merentis, & satisfacientis, sed Deus contra quem peccatum committitur, infinitè distat à pura creatura, quæ debet satisfacere, ergo quantitatem offensæ non potest satisfactio puræ creaturæ æquare. Pro hoc du-

dubio corrobando facere possunt omnes rationes quibus supra probauimus non posse purum hominem satisfacere pro peccatis proprijs ad equalitatem.

327 Pater Vasq. *dicta disp.4. cap.5.* propriam adducit rationem ad hanc veritatem firmandam quam solum putat esse efficacem. Sic enim arguit. Nam si pura creatura posset pro peccatis alterius condignè, & ad æqualitatem satisfacere, deberet condignè impetrare illi auxilia gratiæ quibus à peccato iustificaretur, si esset adultus, & si esset infans, impetrando ei gratiam qua iustificaretur; sed nulla pura creatura potest alteri auxilia gratiæ, aut ipsam gratiam condignè promereri; ergo neque condignè satisfacere. Maior patet, nam Christus D. non alio modo dicitur pro nobis condignè satisfecisse, nisi quatenus illa nobis promeruit. Minorem probat, nam talis creatura, vel illa posset impetrare proprijs viribus, vel ex gratia. Non proprijs viribus, vt ex se constat. Neque ex gratia, nam gratia, quæ esset fundamentum condignitatis ad dicta auxilia promerenda, vel esset gratia vnionis, & de hac non loquimur, non enim tunc esset pura creatura; neq; gratia adoptionis, seu sanctificans, siue sit habitus; siue actus, quia cum hac etiam gratia creatura debet habere auxilia ad bona opera; sed hæc gratia licet intensa, per quæcumque auxilia non potest esse principium condignæ satisfactionis; ergo, &c. Minor ista probatur, nam ea gratia esset eiusdem rationis cum gratia quam modo iusti habent, cum tamen nullus iustus modo possit condignè satisfacere, nec alteri primam gratiam mereri.

328 Hanc rationem impugnat M. Cipullus. 1. Quia non est certum, quod non possit dari alia gratia adoptionis diuersæ rationis, cum plures, & doctissimi Theologi partem sustineant affirmatiuã in materia de gratia. 2. Quia non videtur benè argui: iustus de facto non meretur condignè alteri primam gratiam; ergo neque potest illam promereri, cum posset quis dicere, quod iustus illam nũc non promeretur, non quia opera non habeãt condignum valorem, sed quia Deus ea non ordinauit ad hoc præmium, sed ad aliud, vt ad satisfaciendum condignè pro pœna temporali alterius, & tamen potuit Deus non acceptare satisfactionem vnius pro alio, vt dicitur de satisfactione Christi D. 3. Quia potest instari contra illam conseq. in merito de condigno circa bona temporalia, negari namque non potest, quod opera iusti nõ habeant condignitatem ad promerenda per se bona temporalia; cum habeãt valorem ad cœlestia, quæ multò plus valent: quocirca sicut non valet ista conseq. homo iustus nunc non meretur bona tẽporalia; ergo neque potest illa promereri; ita & illa, quæ est similis formæ.

329 Huius generis alia obijcit Cipullus contra rationem Vasquez, quæ vt consideranti patebit facilem habent solutionem, & ratio Vasq. optimè potest sustineri. Ad 1. obiectionem dico esse certum apud Theologos communiter, maximè illos, qui sequuntur doctrinam D. Thomæ, quod scilicet gratia sit formalissima participatio diuinæ essentiæ, secundum proprium, & formalissimum specificatiuum illius, vt ostendo in meo *tract. de gratia d. 1. q. vlt.* nam si daretur alia gratia adoptionis diuersæ rationis, vel esset formalissima participatio diuinæ essentiæ, secundum suum formalissimum constitutiuum, quod est diuinum intelligere, modo quo explico loco citato, vel non. Si primum, esset gratia eiusdem rationis cum nostra. Si secundum, non esset gratia, cum non haberet essentiam gratiæ, de cuius ratione est, quod participet essentiam diuinam secundum primum, & supremum conceptum illius, seu secundum suum esse, seu prout est, aliàs non esset primum esse in linea supernaturali.

330 Ad 2. probationem dicas, optimè valere illam conseq. Si enim iustus de facto quantum est ex natura, & conditione gratiæ non promeretur, neque illam vnquam potest promereri. Aliud

est,

est, quod iustus quantum est ex natura, & conditione gratię illam promereatur, & Deus non acceptet eam cum de hoc non detur pactum de illius acceptione, & aliud est, quod secundum se, attento illius valore eam non promereatur: si illam secundum se non promeretur, neq; dato pacto de acceptatione illius, eam non promeretur, licet posset Deus sic contentari. Ad 3. probationem dico instantiam non esse ad rem. Potest namque gratia habere cōdignitatem ad promerendam bona temporalia, cum sint ordinis inferioris, siue acceptetur, siue non: siue à Deo ordinetur ad aliud pręmium, siue non. Et aliud, quod gratia non habeat condignitatem ad promerēdam aliam primam gratiam, cum sit participatio nobilissima diuinæ essentiæ, de cuius ratione est, quod gratis detur à Deo, & quod solum possit promereri alijs ab ipso Deo propter tum dignitatē personæ, tum propter meritum infinitum, de quo infra de merito Christi dicetur. Soluuntur argumenta in contrarium.

331 Primum argum. nam plus non requiritur ad condignam satisfactionem pro peccato mortali, quàm ad merēdam condignam illius remissionem; sed Deus potest puro homini conferre tantam gratiam vt possit promereri alijs remissionem suorum peccatorum mortalium; ergo etiam conferre poterit tantam gratiam vt possit pro illis satisfacere. Maior constat, cum non minus ad vnum, quàm ad aliud requiratur. Minor probatur 1. ex D. Tho. *infra q. 64. art. 4.* vbi dicit, quod potuit Deus conferre suis ministris tantam gratiam, vt eorum merita cooperentur ad effectum Sacramentorum. Et in solutione ad 2. & 3. expressè docet, quod potuit Deus suis ministris cōmunicare virtutem iustificandi alios. 2. Nam potuit Deus conferre puro homini eandem gratiam, eandem virtutem, eadem auxilia, quæ contulit Christo D. tunc enim iste posset condignè satisfacere pro aliorum peccatis, & illis promereri remissionem peccatorum. 3. Qui potuit Deus constituere purum hominē qui esset caput omnium aliorum, illisq; mereretur remissionem omnium peccatorum, gratiam, &c. vt de facto constituit Adamum caput omnium ad transfundendam iustitiam originalem si in ea perseuerasset.

332 Resp. 1. negando maiorem, nam ad satisfaciendum pro peccatis requiritur, quod satisfactio sit infiniti valoris, vt sic deleatur peccati offensa, quæ in hoc genere est infinita, at gratia quę alijs promeretur non est formaliter, & simpliciter infinita, & sic quantum ad hoc non requiritur virtus infinita. Aliunde tamen requiritur in promerente infinita dignitas, seu virtus, vt explico in meo *tract. de merito disp. 20. n. 42.* cum enim gratia puri hominis sit gratia personalis, non habet influere in membra, hoc enim est proprium Christi capitis. Resp. 2. negando minorem. Cum enim offensa peccati sit infinita, nulla pura creatura potest promereri ipsius remissionem. Licet enim gratia habeat condignitatem cum gratia, non tamen quoad omnem affectum illius, qui est remissio peccati, quoad rationem offensæ.

333 Ad 1. probationem dico S. Doctorem non loqui de merito condigni, & ad æqualitatem, sed congrui, & imperfecti; vt enim supponimus in principio dubij pręcedentis, purus homo potest imperfectè satisfacere pro suis mortalibus, ac subinde pro mortalibus aliorum. Ad 2. probationem dicendum, quod licet possit Deus tantam gratiam conferre puro homini ac contulit Christo, de quo infra, non tamen potest illi conferre eum valorem, eam vim, ac dignitatem quàm habet in Christo ex dignitate suppositi. Ad 3. dicas, quod licet Deus constituerit Adam caput hominum quoad transfussionem iustitiæ originalis, non tamen quoad meritum, vt scilicet Adam condignè iustitiam meruerit posteris; sed erat pactum, quod si Adam non peccasset ipse Deus eam iustitiam transfudisset.

334 Secundum argum. quoniam purus homo gratia ornatus potest satisfacere de condigno pro pœnis peccatorum, non solum suis, sed etiam aliorum, vt explicuimus *tract. de satisfactione*; ergo etiam poterit satisfacere pro peccatis tam proprijs, quam alienis. Conseq. probatur, nam ideo iustus potest satisfacere pro pœnis aliorum peccatis debitis, quia potest offerre Deo aliquid æquiualens illis; sed etiam potest offerre aliquid æquiualens peccatis; ergo, &c. Minor ista ostenditur, nam tanta est bonitas actus charitatis, & contritionis, quanta est peccati malitia; ergo, &c. Resp. negando conseq. ad probationem negatur minor, nam vt ex dictis constat toto dubio præcedenti, peccatum habet malitiam infinitam, & actus charitatis habet bonitatem simpliciter finitam, & tantum secundum quid infinitam, scilicet solum obiectiuè.

DVBIVM XIII.

An purus homo possit satisfacere ad æqualitatem, seu condignè, pro peccatis venialibus, siue proprijs, siue alienis.

335 Prima sententia tenet, quod purus homo non possit condignè, seu ad æqualitatem satisfacere pro suo, vel alterius veniali. Hanc tenent M. Petrus de Soto *in institutione Sacerdotum lect.* 18. *de pænit.* Zumel. 1.2. *q.* 114. *art.* 3. *disp* 2. & alij Thomistæ, in quam sententiam magis inclinat M. Cipullus *bic q.* 1. *art.* 2. *dub.* 3. *n.* 55. Secunda sententia absolutè docet, quod purus homo possit condignè satisfacere tam pro suis, quam pro alienis venialibus sic aliqui moderni.

336 Pro vera intelligentia difficultatis nota, non procedere dubium de peccato veniali existentis in mortali, seu de veniali coniuncto cum mortali, hoc enim modo cum non possit remitti, nisi mortale remittatur, sequitur quod id ipsum requiretur ad remissionem venialis, quod requiritur ad remissionem mortalis. Vnde cum remissionem mortalis nullus mereri possit, neque remissionem venialis mereri poterit, idem est de satisfactione dicendum. Tum quia ad delendum, seu ad satisfaciendum pro veniali, requiritur exercitiũ alicuius actus virtutis supernaturalis in cuius exercitio charitas exerceatur; cum enim peccatum veniale opponatur feruori charitatis, per eum actum destrui debet per quem charitas dicatur feruere; sed hoc non potest esse in homine existente in mortali; ergo, &c. Quandiu autem manet peccatum, tandiu manet debitum illius, ac proinde non potest poni satisfactio. His positis.

337 Prima concl. *Nullus purus homo potest perfectè, seu ad æqualitatem satisfacere pro peccato veniali alterius.* Sic tradunt communiter Theologi hoc loco. Ratio est manifesta, nam debitum ex peccato veniali contractum, formaliter deleri non potest nisi per eam formam per quam deletur ipsa peccati venialis macula; sicut debitum contractum per peccatum mortale non deletur nisi per eam formam per quam ipsum peccatum mortale deletur, quæ est gratia, quæ ex meritis Christi habet vim delendi peccatum mortale secundum quamcumque rationem, etiam prout est offensa Dei, sed macula peccati venialis, sicut & mortalis, non potest formaliter deleri, nisi per formam oppositam: mortale per gratiam, & charitatem, & veniale per feruorem illius, ac proinde in eodem subiecto in quo est ipsa macula; ergo non in alio: aliàs mea gratia esset forma formaliter expellens peccatum alterius mortale, & meus feruor esset forma formaliter expellens maculam tui peccati venialis, quod esse nequit. Vnde nullus potest per actum alterius, quantæcumque bonitatis, & valoris, etiam infiniti, vt erant actus Christi D. pro alterius peccatis satisfacere.

338 Dices posse satisfacere merendo alteri feruorem, vel auxilia, quibus ad feruorem excitetur, & sic satisfaciat.

Sed

Sed contra,quia neque isto modo potest quis condignè satisfacere pro peccatis alterius. Pro quo nota, quod duobus tantum modis potest quis pro altero,seu pro alterius debito perfectè satisfacere. Primo sic, vt vis satisfactionis exhibitæ debeat formaliter debitum ab eo pro quo satisfacit, hoc modo in materia iustitiæ vnus pro alio perfectè satisfacit, vt cum Petrus debet centum Paulo, & Ioannes nomine Petri soluit Paulo. Et hoc modo nullus potest satisfacere pro peccatis alterius, cum nullus det alteri formam, qua formaliter macula, & debitum illius deleatur. Secundò sic, vt qui satisfacit,vi satisfactionis suæ formaliter ab eo pro quo satisfacit, non delet debitum, sed meretur condignè ab eo cui satisfacit, vt ei pro quo satisfacit,remittat debitum. Dico ergo quod neque isto modo potest quis condignè satisfacere pro peccatis venialibus alterius, ad hoc enim requirebatur, vel quod alteri de condigno mereretur feruorem gratiæ, & charitatis, vel auxilia quibus ad talem feruorem excitaretur; neutrum autem mereri potest. Colligitur hoc apertè ex definitione Adriani Primi Epist.ad Episcopos Hispaniæ, vbi dicitur. *Sicut peccata nostra non tolleret*, scilicet Christus D. *Si ipse peccatum haberet: ita nec adoptionis nobis gratiam tribueret, si gratiam adoptionis accepisset*. Idest si Christus D.solum fuisset filius adoptiuus & non naturalis: si solum gratiam adoptionis accepisset, non potuisset nobis eandem gratiam adoptionis promereri, ac subinde neque eius feruorem. Ex qua Adriani definitione patenter colligitur,quod purus homo quantacumque gratia sanctificante prædítus, si simul nō habet gratiam vnionis, non potest alteri gratiam promereri perfectè, & de condigno, nec illius feruorem; neque auxilia quibus habeatur, qui enim alteri gratiæ auxilia promeretur de condigno,ex consequenti, & ipsam gratiam promeretur.

339 Sed occurret aliquis, quod Pontifex in illa definitione loquatur solum de lege ordinaria, quod scilicet si Christus D. habuisset tantum gratiam adoptionis, illam non promeruisset nobis de potentia ordinaria, at de potentia absoluta illam promereri potuisset. Nam contra est, quia in tantum Pontifex definit, quod Christus D. per gratiam adoptionis non meruisset nobis eãdem gratiam adoptionis, quia cum ista sit gratia particularis, ordinatur ad sanctificationem subiecti, non ad merendũ alijs; ergo data quacumque potentia hoc idem conseruabit. Tum quia,vt supra dicebamus, gratia sanctificans puræ creaturæ est eiusdem rationis cum ea, quæ nunc iustis hominibus datur; sed natura gratiæ iustis hominibus datæ est vt sit personalis,& non sit principium operis quo vnus alteri, vel primam gratiam, vel illius augmentum, vel feruorem, aut auxilia ad illa necessaria, de condigno mereatur; ergo neque illa gratia dictæ puræ creaturæ concessa poterit esse principium operis quo alteri aut prima gratia mereatur, aut augmẽtum, aut feruor, vel auxilia, perfectè,& de condigno. Maior nota est ex dictis supra contra M.Cipullum, quia implicat,quod detur gratia,& non sit eiusdem rationis, & speciei, cum nostra, cum nō possit habere nisi idem specificatiuũ, & non possit esse participatio nisi diuinæ essentiæ secundum primum, & supremum conceptum illius. Minor probatur, nam de natura gratiæ, quæ nunc iustis hominibus conceditur est, vt non sit principium condignum nisi argumenti eiusdem, & gloriæ æternæ in eo subiecto in quo est, & non in alio, vt omnes Theologi tradunt. Nec vllus est qui dicat,quod vnus mereatur gratiam, aut gloriam alteri de condigno,cum hoc sit proprium gratiæ vnionis.

340 Secunda concl. *Purus homo iustus potest condignè satisfacere pro suo peccato veniali*. Sic tradunt communiter Theologi hoc loco, exceptis illis qui pro prima sententia citati sunt. Videri possunt Suarez, Vasquez, & alij quos refert, & sequitur P.Orlandus *hic disp.* 2. q. 5.

q.5.n.36. Ratio videtur clara, nam illa satisfactio est condigna, quæ est tantæ bonitatis, ac valoris, vt vi sua totam peccati venialis maculã dissoluat, absq; vlla gratuita condonatione Dei partem aliquam debiti condonantis; sed purus homo iustus, huiusmodi satisfactionem pro suo veniali Deo potest exhibere; ergo potest pro eo condignè satisfacere. Maior constat, illa namque est æqualis, & condigna solutio, quæ est tanti valoris, vt vi sua totum exhauriat debitum absque vlla cõdonatione creditoris, partem aliquam debiti remittentis: tum quia ideo non potest homo purus satisfacere pro suo peccato mortali condignè, & ad æqualitatem, quia in ea debet interuenire aliqua Dei condonatio; ergo si semel remissio peccati venialis fieri potest sine condonatione, condignè remitti, ac pro eo satisfieri poterit. Minor probatur, nam purus homo potest ex auxilio gratiæ concipere perfectam contritionem qua actu deleat maculam sui peccati venialis, & totum debitum ex eo ortum; ergo, &c.

341 Sed dices; quod deleta macula peccati venialis per contritionem, aut dilectionem perfectam, adhuc potest remanere aliquid pœnæ temporalis luendæ in hac vita, vel in purgatorio; ergo actus contritionis non delet perfectè totam maculam peccati venialis, nec totum debitum, quod ex illa consequitur. Resp. quod per contritionem, & dilectionem perfectam deletur tota macula peccati venialis, quod autem non deleatur semper tota pœna non officit perfectæ satisfactioni, quæ attenditur respectu maculæ, & debiti necessariò connexi cum illa; maximè quia deleta macula facile potest deleri ad æqualitatem pœna temporalis, dicto peccato veniali debita. Soluuntur argum. in contrar.

342 Primum argum. nam auxilium gratiæ necessarium ad eliciendam contritionem perfectam de peccato veniali, etiam dum confertur iusto, confertur non digno; ergo illa contritio non est condigna satisfactio. Antecedens probatur, nam licet peccatum veniale non reddet hominem indignum diuino auxilio ad dolendum de illo, tamen reddit hominem non dignum. Conseq. cõstat, nam vbi homo non est dignus diuino auxilio, debet intercedere aliqua condonatio. Resp. concedendo antecedens, & negando conseq. ad hoc enim vt satisfactio non esset perfecta, & ad æqualitatem, nõ sufficit, quod auxilium ad dolendum conferatur non ita digno, sed requiritur vel quod conferatur indigno, vel quod pars debiti gratis remittatur, quæ non contingunt in præsenti. Aliàs primum gratię donum, quod Deus contulit Angelis, & primis parentibus non potuisset deseruire ad merendum gratiæ augmentum, &c. cum fuerit collatum non dignis.

343 Secundum argu. nam aliquando homo est indignus cui dictum auxilium conferatur, ergo tunc saltem homo non satisfacit perfectè, & de condigno pro suo peccato veniali. Antecedens probatur, nam tunc homo est indignus diuino auxilio quando est in peccato mortali, ratione namque peccati mortalis homo meretur carere omni diuino auxilio. Resp. concedendo antecedens, & negando consequentiam; quod enim existens in peccato mortali non possit condignè satisfacere pro veniali non oritur ex ipsa natura venialis, sed ratione coniunctionis cum mortali. Vnde cum homo existens in mortali, & veniali elicit actum contritionis, non satisfacit condignè, & ad æqualitatem pro mortali, benè tamen pro veniali.

344 Tertium argum. nam si peccatum veniale per se, & ratione sui non redderet hominem indignum diuino auxilio ad eius satisfactionem necessariò requisitum requiretur, quod datio eiusdem auxilij non esset gratuita condonatio partis debiti per peccatum veniale contracti; sed hoc est falsum; ergo, &c. Maior constat, tum quia tunc gratia illa, vel auxilium nõ esset gratia redemptiua, seu regeneratiua, ac proinde non esset gratia Christi, collata ex meritis eiusdẽ,

cum

cum non daretur gratis, hoc est falsū; ergo, &c. Maior probatur; nam gratia quæ datur ex meritis Christi, est illa cuius debitū carendi homo contraxit per peccatum; ergo si peccatum veniale nō inducit debitū carendi gratia pro eius remissione, & satisfactione, gratia quę pro hoc effectu dabitur, non erit gratia redemptiua. Si autem das, quod sit gratia redēptiua, ac proinde quod supponat debitum carendi ea, remissio venialis non erit condigna, cum gratia, quæ datur pro remissione, seu satisfactione illius, non extinguat hoc debitum, sed omnino gratis detur. Resp. hoc argum. habere vim contra Vasq. cum hac ratione vtatur ad probandum, quod non possit purus homo satisfacere ad æqualitatem pro suis peccatis mortalibus; vnde cum currat eadem ratio de venialibus, videtur, quod conuincat illum auctorem. Cæterum contra nos qui eam rationem cum Lugo supra reiecimus, non habet vim. Dicimus ergo quod licet peccatum veniale inducat debitum carendi diuino auxilio pro ipsius remissione, sicut proportione seruata illud inducit peccatum mortale, tamen sicut gratia quę datur ad delendū mortale extinguit dictum debitum, ita & gratia quæ datur ad delendū veniale, cum enim illud debitū sequatur culpā, sequitur, quod id, quod extinguit culpam, debeat etiam extinguere omne debitum cum ea necessariò connexum.

345 Quartum argum. nam plus malitiæ est in quolibet peccato veniali, quā sit bonitatis in actu contritionis, aut in quolibet alio per quem veniale extingui potest; ergo per nullum potest satisfieri pro veniali. Conseq. constat, ad hoc enim vt pro eo satisfieret condignè oporteret, quod tanta esset bonitas actus per quem veniale deletur, quanta est malitia in eodem veniali. Antecedens probatur, nam malitia venialis est ordinis superioris quacumque bonitate cuiuscumque actus boni ab homine iusto eliciti. Turpius namque est, & indignius offendere Deum infinitæ dignitatis, & excellentiæ quomodolibet, quam sit honestum, & decens ei quolibet actu bono cultum, & honorem deferre, cum eo sit, & quolibet alio dignissimus.

346 Resp. 1. transeat antecedens, & negatur conseq. Ad probationem dico, quod ad hoc vt actus sit ad æqualitatem satisfactorius, sufficit, quod totum id quod reperitur in veniali deleat, siue aliàs actus sit in se tantæ bonitatis, quantæ est malitiæ ipsum veniale. Resp. 2. negando antecedens, aliàs Deus plus odisset peccatum veniale ratione suæ malitiæ maioris, & superioris, quàm amaret opus bonum iusti ob rationem suæ bonitatis minoris, & inferioris, & sic iustus plus Deo displiceret ratione venialis, quàm placeret ratione operis boni eliciti in statu gratiæ, quod est omnino falsum; est enim certum secundum fidem, quod iustus ratione operum bonorum, quæ in statu gratiæ exercet placet Deo, & meretur gloriam ęternam, cum tamē per peccatum veniale non ita displicet, vt per illud mereatur pœnam æternam; ex quo patenter sequitur, quod plus bonitatis sit in opere bono, per quam meretur gloriam æternam, quam sit malitiæ in actu veniali per quam non meretur pœnam æternam, sed tantum temporalem. Deinde si malitia peccati venialis esset ordinis superioris, vt putat M.Cipullus, sequeretur vlterius, quod plus malitiæ esset in vno veniali, quam esset bonitatis in omnibus actibus virtutum, & sic plus homo displiceret Deo per vnum veniale leuissimum ob suam malitiam superiorem, quam placeret ei per quodlibet opus bonum licet eximiū, vt est ingredi Religionem vouere extremam paupertatem, subire martyrium, &c. quia quantumcumque crescat opus ordinis inferioris, nunquam pertingere poterit ad minimum opus ordinis superioris. Imò sequeretur, quod vnum veniale non posset æquari per quodlibet opus bonum Christi D. secundum se, quia licet esset infinitæ virtutis, tamen semper conseruat, quod sit ordinis inferioris ipsa culpa veniali. Cum ergo omnia

nia

nia ista sint falsa, dicendum est, quod culpa pertineat ad eundem ordinem ad quem pertinet opus bonum per quod deletur, cum enim veniale opponatur, & destruat feruorem charitatis, & opposita sint eiusdem ordinis, sequitur, quod veniale pertineat ad ordinem actus per quem deletur.

347 Quintum argum. nam positis operibus bonis alicuius iusti, potest Deus non reddere gloriam, nisi dato pacto de eorum acceptatione; ergo etiam posita satisfactione peccati venialis, poterit Deus non eam acceptare, sed poterit conseruare iustam indignationem de illius punitione, ac proinde non erit ad æqualitatem, & condigna. Resp. 1. concedendo totum, nisi adsit pactum de illa satisfactione acceptanda; potest enim Deus absolutè velle punitionem pro veniali. Resp. 2. melius concedendo antecedens, & negando conseq. Ratio discriminis est, quia ad dandum præmium requiritur pactum de operis meritorij acceptatione. At ad satisfactionem non requiritur pactum de satisfactione acceptanda, quando est adæquata; cum enim satisfactio sit quædam debiti solutio, fieri potest sine pacto creditoris de ea acceptanda; imò tenetur eā acceptare, & si non acceptet, adhuc debitum extinguitur per adæquatam illius solutionem. Secus est quando non est adæquata.

348 Sextum argum. Satisfactio pro temporali pœna peccatis venialibus debita, est adæquata, & condigna, & tamen indiget acceptatione Dei volentis computare illam pœnam voluntariam pro pœna debita; ergo etiam satisfactio pro culpa indigebit acceptatione. Resp. concedendo antecedens, & negando conseq. ratio discriminis est, quia satisfactio cum sit adæquata non potest non acceptari, est enim solutio, & quædam debiti extinctio. At pœna quam ponit homo pro suo peccato veniali non est solutio, & debiti extinctio, nisi sit illa quam iudex infligit, non ea quam homo sua sponte subit, & sic hanc non tenetur iudex acceptare, sed potest illam suam infligere.

349 Septimum argum. nam peccatum veniale est vitandum, & fugiendum super omnia, quatenus pro nulla re sit admittendum. Vnde si Deus vellet dimittere humanitatem, & ego cum solo veniali possem impedire, non possem illud committere: si possem cum vno veniali assumi ad vnionem hypostaticā, non possem pro tanto bono illud committere: Si Deus vellet dimittere omnes beatos, & ego possem hoc impedire non possem hoc facere. Si ego possem facere cum vno veniali quod Deus eriperet omnes damnatos de inferno, eosque ad Paradisum transferret, non possem illud patrare; ergo signum est, quod non potest æquari vno dilectionis, aut contritionis actu. Resp. quod cum peccatum veniale sit culpa, & offensa Dei, ob nullum bonum potest committi, non quia sit maius malum in sua linea quam bonum quodlibet creatum, sed quia est contra rationem vti malo vt medio ad consequendum bonum, cum re vera non sit medium aptum, & proportionatum.

350 Octauum argum. nam si homo iustus posset perfectè satisfacere pro suis venialibus sequeretur, quod Christus D. non redemisset nos à venialibus; hoc est falsum; ergo, &c. Resp. negando maiorem. Tum quia nos per peccatum contraximus debitum carendi omni auxilio efficaci ad satisfaciendū pro venialibus, ac proinde indigemus liberari per Christum, etiam à venialibus, quatenus tollit debitum carendi auxilio, non per peccatum veniale sed per originale, & mortale actuale. Tum etiam quia nostri actus habent valorem ex meritis Christi. Verum circa hanc materiam non desinas videre quæ trado 1. 2. *disp. dub. 1. per totum*, vbi explico in quo subiecto ponatur offensa venialis, in quo consistat ratio offensæ venialis: an sit infinita, &c.

DVBIVM XIV.

An Christus D. satisfecerit ad æqualitatem pro omnibus peccatis generis humani.

351 DE sola satisfactione in hoc, & sequentibus dubijs disputabimus, non de merito, & redemptione Christi Domini. Pro quo nota, quod opera Christi Domini, & fuerunt satisfactoria, & redemptoria, & meritoria pro nobis. Fuerunt satisfactoria, quia cum nos non possemus reddere Deo æquale pro offensa sibi per peccatum illata, misit Deus Filium suum vt pro nobis satisfaceret, quod prædixit Dauid psal, 68. *Quæ non rapui tunc exoluebam.* Fuerunt redemptoria, quia cum essemus serui non solum peccati, iuxta illud Ioan.8. *Qui facit peccatum seruus est peccati.* Sed etiam diaboli, iuxta illud 2. Petri 2. *A quo quis superatus est, huius & seruus est*, & non possemus nos ab istis seruitutibus liberare, soluendo pretium, Christus Dom. hoc pro nobis præstitit, iuxta illud Apost. 1. Cor. 6. *Empti enim estis pretio magno.* Fuerunt meritoria, quia cum per peccatū amisissemus gratiam, & omnia auxilia quibus vitam æternam promereri possemus, Christus D. per sua opera sanctissima gratiā, & auxilia promeruit nobis, quibus vitam æternam consequi possumus. Vnde idem opus Christi, & fuit satisfactorium, prout reddidit debitum pro nobis, seu prout soluit debitum quod nos soluere debebamus. Fuit redemptiuum, prout fuit pretium per quod nos in libertatem restitueret. Et fuit meritorium, prout fuit tanti valoris, quod Deum constituerit debitorem dandi nobis gloriam ob merita. His positis.

352 Prima sententia, seu potius error est, quod Christus D. non satisfecit ad æqualitatem generis humani. Sic Abailardus, & Bassus relati à P. Cipullo *hic q.1. art 2. dub.3.* Deducitur ex errore Pelagij, cum enim negaret peccatum originale, ob quod potissimè delendum Verbum diuinum carnem assumpsit, sequitur, quod etiam negauerit redemptionem, ac subinde satisfactionem.

353 Veritas catholica seq. concl. explicatur. *Christus D. satisfecit ad æqualitatem, imò superabundanter pro peccatis generis humani.* Hæc concl. colligitur apertè ex sacra scriptura, Psalm.159. dicitur. *Copiosa apud eum redemptio.* Et 1. Ioan.2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam totius mundi.* Isa.40. *Dimissa est iniquitas illius, suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* Iob.6. *vtinam appenderentur peccata mea, & calamitas mea quam patior in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret*, quem locum de Christi satisfactione intelligit Magnus Gregor. 7. *moral. cap.2.* Et hæc veritas definita est nouissimè in Trident. *sess.6.cap.7.* Hanc veritatem docent SS. PP. Sanctus Athanas. *de passione D.* Sanctus Cyrillus N. Alex. *lib.1. de recta fide.* Sanctus Ioan. Chrisost. *ho. 10. in cap.5. Epist. ad Rom.* & alij passim.

354 Probatur 1. nam si Christus D. non satisfecisset ad æqualitatem, sequeretur 1. quod in aliquo puræ creaturæ peccato esset plus dignitatis, ac meriti ad perdendū nos, quàm in Christi operibus ad nos saluandos, & liberandos: sequeretur, quod peccatum primi parentis, nos condigno merito perdiderit, & nullum opus Christi ex se, suaque dignitate, nos liberare potuerit, sed hæc sunt absurda, & damnata à Clemente VI. *in extrauag. vnigenitus de pœnit. & remiss.* vbi dicitur. *Guttam Sanguinis Christi modicā, propter vnionem ad Verbum, sufficere potuisse pro totius humani generis redemptione.* Et Agapitus Papa *Epist.1.ad Anthimum*, comparans Christi meritum ad liberandum nos, cum Adami peccato ad perdendum, dicit inter cœtera. *Validius fuisse donum libertatis, quàm debitum seruitutis.*

355 Probatur 2. quia Christi D. satisfactio fuit infiniti valoris, & taliter infiniti vt nullus maior, nullus intensior, nullus perfectior, seu ordinis superioris,

aut altioris esse potuerit; ergo fuit condigna, perfecta, & superabundans. Cōseq. nota est, nam valor simpliciter infinitus, vt nullus eo maior excogitari potest, non potest non esse adæquatus pro offensa; aliàs posset alius maior excogitari. Antecedens probatur 1. quia Christi satisfactio ex natura rei procedebat à persona diuina; à qua percipiebat valorem infinitum, cum enim actiones sint suppositorum, à supposito infinito valorem percipiebant infinitū. Vnde sicut peccatum habet grauitatem infinitam ex infinitatę personæ offensæ, ita satisfactio habet valorem infinitum ex infinitate personæ satisfacientis. 2. Quia magis redundat dignitas satisfacientis in satisfactionem, quam dignitas personæ offensæ in peccatum, nam dignitas personæ satisfacientis se habet respectu satisfactionis vt principium operans, seu effectiuum, & dignitas personæ offensæ se habet vt subiectum, & vt quid passiuū; magis autem redundat ratio principij actiui in actionem, quàm ratio principij passiui in formam.

356 Probatur 3. nam vel Christus D. satisfecit ad æqualitatem, & perfectè, seu de condigno, vel imperfectè, & de congruo. Si primum habemus intentum, si secundum sequitur, quod Christus D. non fuerit necessarius pro satisfactione peccatorum totius generis humani: nam satisfactionem imperfectam poterat purus homo ponere, vt ex dictis supra colligitur. Vt autem rem hanc clarius habeamus pono sequentes §§.

§. I. A quo actiones Christi D. haberent infinitum valorem.

357 EX quatuor capitibus dubitari potest à quo esset infinitas satisfactionis Christi. Primò an ex ipsa natura, & conditione actuum quibus Christus D. satisfaciebat. Secundò, an ex coniunctione horum actuum cum internis actibus diuinæ voluntatis. Tertiò, an ex re quæ in satisfactionem offerebatur, ex proprio scilicet sanguine, & vita, infinitas valoris satisfactionis sumeretur, cum illa essent infiniti valoris, & dignitatis ratione hypostaticæ vnionis cum Verbo. Quartò, an ex ipsa personæ satisfacientis dignitate.

358 Conueniunt omnes catholici, quod infinitas satisfactionis Christi D. non sumatur ab actionibus Christi D. secundum se, quia actiones naturæ humanæ Christi secundum se erant eiusdē rationis cum aliorum hominum actionibus, sicut & ipsa Christi humanitas est eiusdem rationis, & speciei cum aliorum hominum humanitate. Ac proinde spectata natura illarum actionum, quibus Christus satisfecit, alius maior valor nō erat in eis ac potest esse in nobis, & sic sicut in nobis non possunt esse infiniti valoris, ita neque in Christo, secundum se, & earum natura secundum se spectata.

359 Conueniunt etiam Theologi, quod infinitas dictæ satisfactionis non possit desumi ex coniunctione actionum humanitatis quibus satisfaciebat cum actionibus internis diuinæ voluntatis; inter actiones namque humanæ, & diuinæ voluntatis Christi D. non datur talis connexio ratione cuius ex actibus diuinæ voluntatis possit infinitus valor deriuari: nam vel ista connexio esset physica, vel moralis. Physica non est, cum physicè non componantur, nec subinde nectantur, cum actus vitales diuersæ adeò rationis, & ordinis, diuersarumque adeò facultatum in physicam compositionem venire non possint. Maximè, quia actus humanitatis sunt essentialiter accidens, & actus diuinæ voluntatis sunt substantia. Neque possunt vniri vnione morali, nam hæc vnio vel in hoc consistit quod actus voluntatis humanæ subijciuntur volūtati diuinæ, proprijsque ipsius actibus, ab ijsque dependeat; & ex hac vnione non potest deriuari infinitas dicta, quia ex conformitate nostræ voluntatis cum diuina, non redundat infinitas valoris; aliàs actus voluntatis B. Virginis hanc infinitatem habuissent, cum essent diuinę voluntati con-

conformissimi, illi valde subiecti, & dependentes moraliter. Tum quia hæc subiectio, & dependentia à diuina voluntate, cum sit communis tribus personis diuinis non refunderet infinitatem propriam Verbi diuini, sed totius Trinitatis, quod est falsum. Vel certè hæc vnio moralis ex qua dicta infinitas desumitur consistit in hoc, quod vtriusque voluntatis actus concurrant in vnum actum meritorium, ita tamen quod totus valor, visque merendi, quæ est in actu humanæ voluntatis, desumatur ex actu diuinæ voluntatis; eo modo quo actus nostri interni, & externi concurrunt ad vnum integrum meritum, cum tamen vis merendi desumatur ab actu interno. Et neque hoc modo potest actus humanitatis Christi D. habere valorem, & vim infinitam satisfaciendi. Primò quia actus humanæ, & diuinæ voluntatis non possunt sic componi ad integrandum vnum meritum, & si componerent, iam illud meritum esset à tribus personis diuinis, non ab ipsa Verbi diuini persona, cum actus diuinæ voluntatis sint tribus personis communes. Tum quia diuina voluntas non concurrit ad actum meritorium nisi effectiuè, ac proinde per concursum tribus diuinis personis communem.

360 Dices, actus nostri externi habent valorem ab actibus internis, à quibus nonnisi effectiuè procedunt; ergo etiam eodem modo actus voluntatis humanæ Christi D. poterant participare valorem ab actibus internis diuinæ volũtatis, licet ab illis solum effectiuè procedant. Resp. quod si hæc ratio probaret, conuinceret, quod nostri actus meritorij, cum effectiuè procedant ab actibus diuinæ voluntatis, essent infiniti valoris, quod nemo dicit. Deinde dico, quod nostri actus externi participãt valorem ab actibus internis, non tamen actus Christi ab actibus diuinæ voluntatis; quia nostri actus externi non habent propriam libertatem, nec aliud esse morale, quàm illud quod participant ab actu interno, ac proinde potest concurrere ad componendum, & integrandum vnum quasi adæquatum actum meritorium. Cæterum actus voluntatis humanæ Christi habent propriam libertatem, & propriam moralitatem, ac subinde proprium meritum, proprium valorem, propriamque vim satisfaciendi, & sic nõ possunt integrare vnum, eundemque actum meritorium. Tum quia actus nostri interni, respectu externorum non sunt tantum principium effectiuum, sed etiam formale, non sic actus diuinæ voluntatis, respectu actuum voluntatis Christi D.

361 Neque ex tertio capite valor satisfactionis Christi D. oriri potest, scilicet ex infinitate rei oblatæ, vt sanguinis, & vitæ ipsius Christi, nam aliàs Beatissima Virginum Regina satisfecisset infinitè cum offerendo Deo Patri Filium suum, rem infinitam obtulerit. Item oblatio Sacerdotis in Missa esset infiniti valoris, cum res oblata sit infiniti valoris, corpus scilicet, & sanguis Christi sub speciebus panis, & vini. Et ratio à priori est, quia res oblata respectu oblationis habet rationem obiecti, obiectum autem quantalibet infinitate præditum non refundit in actum cuius est obiectũ infinitatem simpliciter, sed tantum secundum quid, & extrinsecam, vt patet in actu charitatis, fidei, spei, & visionis beatificæ, quorum obiectum est Deus omni infinitate præditus.

362 Ex solo ergo quarto modo *num.* 357. relato infinitas satisfactionis Christi D. desumitur, scilicet ex infinita dignitate Verbi diuini. Pro quo sciendum, quod personalitas duobus modis potest se habere ad satisfactionem, vel ad suas actiones, primo modo vt quædam circumstantia *quis*, secundum quã rationem persona non includitur in ipsa actione, sed est quædam illius conditio, vt quod operans sit Prælatus, aut subditus; nobilis, aut vilis; Senator, aut plebeius. Secundo modo potest se habere personalitas; seu persona ad suas actiones, tanquam aliquid in illis moraliter consideratis inclusum, quatenus ex

personalitate, seu persona, & ex actionibus coalescit totum quoddam morale quod offertur, quod subijcitur, quod datur in pretium, quod datur in redemptionem, quod datur in satisfactionem. Istæ actiones hoc modo consideratæ ad distinctionem præcedentium vocantur reflexiuæ, eo quod reflectant supra dignitatem suppositi, quasi submittendo suppositum cum sua dignitate. Hoc modo personalitas est aliquid intrinsecum dictis actionibus reflexiuis, & est veluti pars illius totius quod in pretium, in redemptionem, in satisfactionem offertur. Non sic est aliquid intrinsecum dictis actionibus priori modo consideratis.

§. II. *An Christi actiones essent infiniti valoris vt erant reflexiuæ supra suppositum, an etiam sine aliqua reflexione.*

362 Certum est, quod in Christo D. fuerunt aliquæ actiones reflexiuæ supra suppositum, in quibus suppositum intrinsecè intrabat tãquam pars totius oblati, vt videre est in actionibus meritorijs, seu quæ fiebant ob nostrum meritum, redemptorijs, & satisfactorijs, in istis namque suppositum ingrediebatur intrinsecè, submittendo se in illis, & de istis certum est, quod habebant dignitatem, & valorem infinitum, & sic satisfactio, redemptio, & meritum Christi fuit infinitum, quia in istis actionibus ipsum suppositum se submittebat, se subijciebat, intrabat, vt quædam pars rei oblatæ, & oblationis; nam dum Christus D. se ipsum humiliauit vsq; ad mortem, non tantum submisit Deo illam actionem, quam tunc exercebat, sed etiam propriam personam, vt docet Apost. ad Philipp. 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*. Et ad Hebreos 9. dicit. *Qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo*. In quibus verbis denotatur, quod etiam suppositum se subiecit.

363 Difficultas est de actionibus non reflexiuis, respectu quarum suppositum se habet quasi extrinsecè, cum non includatur moraliter in illis, sed solum se habeat vt circumstantia quis. Certum est, quod etiam in Christo D. dabantur huiusmodi actiones, in quibus suppositum formalissimè non intelligebatur subijci in illis, se submittere, se humiliare, hoc enim modo erant omnes illæ Christi actiones, quæ non erat directè factæ in obsequium Patris, in quibus non exprimebatur humiliatio, subiectio, &c. in quibus personalitas diuina potius se habebat vt principium suppositale efficiens, quam forma submissa, cuiusmodi fuerunt multiplicatio quinque panum, & duorum piscium; resuscitatio Lazari, filij viduæ, curatio Socrus Simonis, &c. vbi personalitas Verbi non se habebat vt pars in illis inclusa, & submissa, sed vt conditio, & modus illarum.

364 Prima sententia est, quod non omnes Christi actiones essent infiniti valoris, sed illæ solum quæ dicuntur reflexiuè, in quibus Verbũ diuinum simul cum illis se submittebat. Sic tenent aliqui moderni, inter quos est Mæratius *hoc loco disp. 6. sect.* 3. vbi ob hoc reicit hanc rationem, satisfactio tantò plus habet valoris, quantò persona satisfaciens est dignior, vt qua proportione crescit personæ dignitas, eadem proportione crescat valor satisfactionis.

365 Vera, & communis sententia seq. concl. explicatur. *Omnes Christi D. actiones siue essent reflexiuæ, siue non, erant infiniti valoris*. Sic tenent communiter Theologi, eamque omnes ferè supponunt SS. PP quatenus indistinctè de quacumque actione Christi D. dicunt, quod erat sufficiens ad redimendum totum genus humanum. Videatur Ysambert. *hoc loco disp. 5. art. 1. vers. contraria sententia*; vbi eam probat ex illo Gen. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*; vbi dignitas oblationis non solum attenditur penes excellentiam rei oblatæ, sed etiam penes conditionem, & dignitatem personæ.

Pro-

366 Probatur 1. nam actiones sunt suppositorum siue sint reflexiuæ, siue non, ergo omnes dignitatem recipiunt à supposito. Antecedens notum est. Conseq. probatur, nam suppositum dupliciter dignificat suas actiones. Primò, per modum quasi formæ, quatenus actiones reflectuntur supra suppositum, & suppositum intrat rationem illarum quasi forma moralis eleuans eas, & dignificas eosdem, iuxta ipsarum capacitatem, seu quatenus modo explicato se habet per modum quasi partis ipsius totius quod Deo submittitur. Humiliatio namque Christi duo includit, sicut & mors, scilicet ipsam actionem, & suppositum, quod simul cum dicta actione humiliatur, & submittitur. Secundò quatenus suppositum est quædam sanctitas personalis, quæ relucet in omnibus Christi actionibus. Sicut namque gratia sanctificans, quæ est sanctitas quædam formalis, & accidentalis sanctificat naturam sanctitate accidentali, seu formali, & subinde operationes quę ab eadem gratia procedunt. Ita quia personalitas diuina est sanctitas personalis, & substantialis, sanctificat eandem naturam sanctitate personali, & omnes actiones quæ ab illa procedunt.

367 Probatur 2. nam cum dicitur, quod Verbum diuinum influit in opera, seu Christi, aut humanitatis, non sic intelligendum est, quasi habeat aliquem influxum physicum in illa, distinctum ab influxu quo tota Trinitas concurrit ad actiones creaturarum, quia opera ad extra Trinitatis sunt indiuisa, sed in hoc sensu, quod cũ Verbũ diuinum sustẽtet, & terminet humanam naturam, & sit suppositum illius, ideo actiones naturæ sunt à supposito, & Verbo diuino vt *quod*, ac proinde dignificat illas; sed hoc conuenit omnibus Christi actionibus; ergo, &c.

368 Probatur 3. nam licet suppositum diuinum vt tale non habeat influxum physicum in actiones Christi, hic enim est à sola Trinitate, vt dicebamus, tamen negari non potest quin habeat influxum aliquem moralem, per quem eas dignificat, & vt quasi forma substantialis, vel quasi forma moralis eleuat ad hoc vt sint operationes *Theandricæ*, idest *Dei viriles*, hoc est procedentes ab homine Deo; procedebant namque à persona diuina per humanitatem sibi coniunctam.

369 Probatur 4. nam quod confert ad bonitatem operis, confert etiam ad eius valorem, sed suppositum Christi confert ad bonitatem operationum humanarum Christi; ergo etiam confert ad earum valorem. Maior nota est, nam bonitas operis, & valor ipsius sunt correlatiua, ac proinde crescente bonitate, crescit etiam valor: omnia autem opera Christi D. habent infinitam bonitatem ex infinita bonitate suppositi. Minor probatur, nam etiam in nobis bonitas subiecti confert ad bonitatem operis; vnde quantò persona est sanctior, cœteris paribus eo est magis bona.

370 Probatur 5. nam ita se habet satisfactio ad relaxandam offensam, seu iniuriam, sicut se habet opus bonum ad præmiũ; sed in Christo omnes actiones, seu operationes etiã non reflexiuæ erant meritoriæ secundũ dignitatem personæ; ergo etiam omnes erant satisfactoriæ secundum eandem personæ Christi dignitatem, ac proinde omnes habebant infinitum valorem. Maior videtur nota, nam satisfactio respicit debitum tollendum, & meritum respicit debitum dandum, quod est præmium seu corona. Minor etiam constat, nam etiam in creatis præmium datur secundum dignitatem personæ, vt constat in distributionibus quæ fiunt in bello, nam de spolijs plus datur Duci, quàm militi priuato, & Ducibus plus datur secundum eorum maiorem dignitatem.

371 Probatur 6. nam omnes, & singulæ circumstantię actuum malorum augent malitiam eorum; ergo etiam omnes circumstantiæ actuum bonorum augebunt bonitatem, & valorem eorundem. Antecedens docent Theologi omnes cum D. Thoma 1. 2. *qu. 7. art. 2. &*

q. 18.

*q.*18.*art.*10.*&* 11. *&* *q.*73. *art.*3. Conseq.constat, nam ita se habent circumstantiæ bonæ respectu boni actus, sicut circumstantiæ malæ respectu actus mali; ergo si istæ augent malitiam, etiam illæ debent augere bonitatem. Patet autem, quod dignitas personæ est circumstantia actus, ac proinde quando actus est bonus, debet bonitatem refundere.

372 Sed quæres 1. an omnes Christi D. actiones fuerint satisfactoriæ? Aliqui volunt quod licet omnes Christi actiones essent meritoriæ, & impetratoriæ etiam non reflexiuæ, tamen solum reflexiuè fuerunt satisfactoriæ. Rationem assignant, quia de ratione satisfactionis est, quod opus fiat in obsequium illius cui fit satisfactio, ac proinde illæ solum actiones erunt satisfactoriæ, in quibus suppositum, seu persona ingreditur, se ipsam dimittendo, humiliando, & subijciendo in obsequium Dei, quod solis actionibus reflexiuis competit. Nihilominus non videtur negandum, quod omnes Christi actiones non fuerint satisfactoriæ, cum omnes fuerint factæ in obsequium Dei, saltem virtute, & interpretatiuè, dato quod non ita formaliter, & expresè, vt erant actiones reflexiuæ.

373 Quæres 2. an satisfactio Christi ita habuerit valorem infinitum, vt non potuerit habere maiorem? Resp. affirmatiuè. Ratio clara est, quia dignitas, & infinitas Verbi diuini, est tanta vt non possit dari maior, ac proinde humanitas assumpta ita est sanctificata, vt non possit magis sanctificari, ex quo sequitur, quod eius actiones tantum habuerunt valorem, vt non potuerint habere maiorem, nec ordinis superioris.

374 Quæres 3. qua proportione personæ dignitas augeat valorem operis honesti? Resp. notando 1. quod personæ dignitas in Christo D. est duplex; vna substantialis, & alia accidentalis. Substantialis oritur ab ipso supposito, operanti intrinseco, cum enim actiones sint suppositorum; si hoc habeat substantialem dignitatem infinitam, eam refundet in actiones ab ipso profluentes. Accidentalis, est illa quæ aduenit per infusionem & inhabitationem gratiæ sanctificantis, vel etiam quę aduenit hominibus ex humana eorum deputatione ad quædam officia excellentiora, & eminentiora. Notãdum 2. quod dignitas personæ potest tribus modis considerari. Primò secundum se, vt persona dignificet in tanto gradu suam actionem, in quanto gradu est eius dignitas. Secundò, in ordine ad iudicium prudentis, quatenus actio huius personæ est tantæ æstimationis, & valoris in ordine ad præmium, vel ad soluendum debitum, quanti vir prudens debet illam æstimare. Tertiò, in ordine ad diuinam prouidentiam, quatenus Deus, qui est iustus distributor præmiorum determinauit singulis bonis operibus suam mercedem, & præmium, secũdum bonitatem tàm substãtialem, quàm accidentalem.

375 Dico 1. dignitas accidentalis personæ confert operi meritorio, & satisfactorio valorem nõ secundum ęqualitatem absolutam, sed respectiuam, per ordinem scilicet, seu comparationem ad iudicium viri prudentis in ordine ad nostram humanam Rempublicam, & per comparationem ad ordinem diuinæ prouidentiæ, quoad opera ordinata ad Rempublicam cælestem. Ratio est, quia dignitas accidentalis supponit dignitatem, & valorem substantialem operis boni, vt illum in sua specie relinquat, & tantum accidentaliter perficiat; hoc autem pendet vel ex recta æstimatione viri prudentis, vel ex ordine diuinæ prouidentiæ, taxantis valorem accidentalem ad proportionem augmenti accidentalis, attentis conditionibus loci, temporis, & circumstantiarum; quo modo in humana republica hoc modo distribuuntur officia, dignitates, &c.

376 Dico 2. dignitas substantialis personæ confert operi meritorio, & satisfactorio valorem, & dignitatem proportione sibi correspondente. Ratio est, quia dignitas substantialis, seu personalis tota se communicat immediatè humani-

manitati, quam terminando sustentat, & mediatè liberis,& honestis eius actionibus,quæ sunt aptè facere iussũ,&c proinde se totam refundit, & communicat, ac proinde secundum totum eius valorem,& dignitatem.

377 Quæres 4. à quo sit valor operum Christi, an à diuini Verbi personalitate, à natura diuina? Prima sententia est, quod valor operum Christi D. à sola natura diuina sumatur, & personalitas solum se habet vt conditio requisito, vt ille valor à natura diuina, ad humanam deriuetur, & sic à personalitate secundum se, & vt distincta à diuina essentia virtualiter, nullus valor descendit ad opera Christi.Sic tenet Vasq. *hoc loco disp.* 41. *cap.* 4. quem aliqui recentiores sequuntur. Nostra sent. duabus concl. explicatur. Prima concl. *Opera Christi D. accipiunt suum valorem immediatè à diuini Verbi personalitate*. Hæc concl. colligitur apertè ex extrauag. *Vnigenitus*, *de pœnit. & remiss.* vbi valor operum Christi repetitur ab ipsa vnione hypostatica, quæ soli Verbo vt à diuina essentia distincto competit. Et ratio est conuincens, nam inde Christi humanæ actiones suum accipiunt valorem, vnde humanitas accipit substantialem dignitatem; sed Christi humanitas suam accipit dignitatem substantialem, & sanctitatem substantialem à personalitate Verbi quæ eam terminat, ergo ab eadem personalitate suum proximè valorem accipiunt.

378 Sed dices, quod personalitas Verbi cum sit relatio, nullam dicit perfectionem, ac subinde nullam sanctitatem; ergo ab illa vt condistincta virtualiter à diuina essentia nulla dignitas, nulla perfectio, nullus valor, nulla sanctitas desumi potest. Resp. quod licet personalitas Verbi formalissimè non exprimat perfectionem, eam tamen dicit, cum includat omnia diuina per modum transcendentis; aliud ergo est, an personalitas exprimat perfectionem secundum suam formalissimam rationem relationis, & *Ad* illius, & aliud est, an illam habeat: habet, & non exprimit secundum suum expressum conceptum *Ad*. Cum autem non terminet humanitatem secundum illam expressionem, sed secundum se, qua ratione sancta est, ab ea & humanitas, & eius operationes participant sanctitatem, dignitatem, valorem,&c.

379 Secunda concl. *Præter valorem quem humana Christi actiones habent à personalitate diuini Verbi*, *habent alium à diuina natura vt mediatè vnita humanitati*. Probatur, nam actus à quo habent dignitatem, habent etiam valorẽ; sed actus humani Christi D. habent dignitatem ab essentia diuina, cui humana natura mediatè vnitur, ergo etiam ab ea hoc modo valorem accipient mediatè. Maior nota est. Minor probatur, cum natura humana specialem habeat coniunctionem cum natura diuina media Verbi personalitate, non potest non aliquam specialem dignitatem participare; actus autem procedentes à natura specialiter digna, specialem habebunt dignitatem. Argumenta quæ possunt fieri ad probandum, quod Christi D. satisfactio non fuerit ad æqualitatem, seu de condigno, soluentur dubio sequenti.

DVBIVM XV.

An Christi D. satisfactio fuerit condigna ex sua intrinseca ratione, an ab extrinseco Dei fauore, & acceptatione.

380 PRima sententia est, quod Christi D. satisfactio fuerit ad æqualitatem non per valorem, & condignitatem intrinsecam ipsorum operum Christi, sed solum per extrinsecam Dei acceptationem. Sic Scotus *in* 3. *dist.* 19. *&* 20. *& in* 4. *dist.* 15. *q.* 1. Durand. Gabriel, & Almayn. ibid. Ioan. Medina C. *de pœnit. tract.* 3. *q.* 1. & alij.

381 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Satisfactio Christi D. fuit condigna, ad æqualitatem, & superabundans,*

ex se, suaque intrinseca dignitate, & ex suo intrinseco valore. Constat ex locis sacræ scripturæ dubio præcedenti relatis pro nostra conclusione. Solum nunc adduco testimonium Apostoli ad Hebræ. 10. vbi ponens differentiam inter sacrificia legis veteris, & sacrificium nouæ, sic dicit. *Impossibile est sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata: ideo ingrediens mundum dicit, hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, &c.* Si enim sacrificium crucis Christi solum ex diuina acceptatione haberet condignitatem, non esset impossibile, quod sanguis taurorum, & hircarum remitteret peccata, cum posset Deus hunc sanguinem acceptare, sicut acceptauit sanguinem Christi.

382 Probatur 1. nam Christi D. satisfactio fuit elicita à persona diuina infinitæ, & immensæ dignitatis, ergo ex se, & ab extrinseco habet valorem, & condignitatem. Antecedens est de fide, est enim elicita ab homine Deo, seu à natura humana subsistente in persona diuina. Conseq. probatur, nam cum actiones sint suppositorum, ab eo debēt suum valorem recipere. Vt enim constat ex Philosophia actiones sunt à forma, seu à natura solum vt à principio *quo*, & à supposito vt à principio *quod*, ac proinde ab hoc principio debent habere valorem; & sic cum principium *quod* satisfactionis, seu actionum quibus Christus D. satisfecit sit infiniti valoris, debet illud refundere in actiones satisfactorias. Sicut enim offensa crescit ex dignitate personæ offensæ, sic satisfactio, dignitas, & valor operis crescit ex dignitate personæ satisfacientis, & sicut dignitas personæ offensæ ex se auget offensam, ita dignitas personæ satisfacientis ex se auget valorem satisfactionis.

383 Probatur 2. nam natura humana per vnionem ad Verbum dignificatur substantialiter; ergo etiam debent eius actiones dignificari. Antecedens est certum cum eleuetur ad esse diuinum, ad esse transcendens totam naturam creatam, & creabilem. Conseq. probatur, nam operationes prouenientes ab ista natura sic hypostaticè eleuata, sunt *Teandricæ*, seu Dei viriles, seu Dei hominis; ergo sunt taliter eleuatæ, & dignificatæ vt ab intrinseco habeant valorem, & dignitatem ad satisfaciendum. Posita namque vnione naturæ ad personam Verbi, non liberè, sed necessariò dignificatur; ac subinde non liberè, sed necessariò dignificabuntur illius operationes.

384 Probatur 3. quia, vt supra dicebamus, actiones Christi D. sunt ex se, & ex propria ratione meritoriæ, & non solum per Dei extrinsecam acceptationem; ergo etiam sunt ab intrinseco satisfactoriæ, & non solum per extrinsecam Dei acceptationem. Antecedens admittunt omnes Theologi, cum enim actiones nostræ in gratia factæ, si habent conditiones ad meritum requisitæ, sint ab intrinseco meritoriæ, aliàs non diceret Apostolus: *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ*, cum corona iustitiæ non detur operibus solum meritorijs per extrinsecam acceptationem; à fortiori idem dicendum est de operibus Christi D. Conseq. probatur ex paritate rationis, nam sicut meritum respicit præmium habendum, ita satisfactio respicit debitum extinguendum.

385 Probatur 4. Nam illa satisfactio est digna ab intrinseco, & ex sua natura, & non tantum per extrinsecam acceptationem, quę tantum placet Deo, quantum displicet ei offensa: sed satisfactio Christi D. est huiusmodi; ergo, &c. Minor ostenditur, quia Christus D. satisfecit Deo offerendo illi pro nostris peccatis proprium sanguinem, & propriam vitam; sed sanguis, & vita Christi non minus placent Deo, quàm sibi displiceant omnia peccata; ergo, &c. Dicere autem, quod Deo placeant vita, & sanguis Christi, & non per intrinsecam bonitatem, & valorem, est dicere falsum, & alienum à fide. Soluuntur argumenta in contrarium.

386 Primum argum. nam Christus D. satisfecit per humanitatem: ergo non ad

ad æqualitatem, ac proinde non per dignitatem intrinsecam saltem condignã. Antecedens est certum, satisfecit enim per mortem, & passionem. Conseq. probatur, nam humanitas non potest reddere æquale offensæ per peccatum illatæ, cum hæc fuerit infinita, & humanitas finita. Resp. distinguendo antecedens: Christus D. satisfecit per humanitatem Deificatam à personalitate Verbi cui est vnita, conceditur: seu satisfecit per humanitatem tanquam per principium *quo*, conceditur: satisfecit per humanitatem nudam, & tanquam per principium *quod*, negatur. Dignitas autem satisfactionis non præsumitur à principio *quo*, licet ab eo recipiat libertatem, sed à principio *quod*, quod est suppositũ.

387 Secundum argum. nam suppositum diuinum non influit in satisfactionem; ergo non se habet vt principiũ *quod*, ac proinde satisfactio non erit ad æqualitatem, sed debet intercedere extrinseca Dei acceptatio. Conseq. constat; in tantum enim satisfactio Christi est condigna, & ad æqualitatem, ac proinde non requirens extrinsecam acceptationem, in quantum Verbum diuinũ, seu suppositum Verbi influit, seu est principium *quod* illius. Antecedens probatur, nam si influeret, vel influeret physicè, & hoc non, quia omnis influxus physicus ad extra, est à tota Trinitate. Neque influit moraliter, quia cum influxus moralis sit verus, & realis, sicut ens morale est verum ens, non potest nõ esse indiuisus à tota Trinitate, aliàs ad extra daretur verum ens morale, & verus influxus moralis qui à tota Trinitate non sit. Tum quia ens morale fundatur in ente physico; ergo quod non attingit ens physicum, neque attinget ens morale.

388 Dices, quod influxus iste non est ens morale secundum rem, sed secundum prudentis æstimationem. Duplex namque ens morale datur: vnum, quod est verum, & reale, compositum ex vero genere, & differentia, ac proinde requirens veram causalitatem, & verum influxum, quod dicitur morale, non quia non sit verum, & reale, sed ad distinctionem entis physici, quia scilicet pertinet ad ordinem moralem, dicens consonantiam, aut dissonantiam ad regulas morum. Alterum, quod non est verum, & realiter ens, sed quædam moralis æstimatio, seu denominatio extrinseca, desumpta à prudenti æstimatione, qua prudenter æstimamus, quod actiones procedentes à natura terminata à Verbo diuino sint dignæ, quod infinitæ æstimentur, & appretientur.

389 Resp. quod licet aliqui velint, quod moralitas in actionibus satisfactorijs Christi D. non sit realis, sed solum quædam denominatio extrinseca, aut ens rationis. Tamen verior opinio de qua supra *dub.* 11. §. 2. (est enim eadem ratio de moralitate, & valore, & infra magis dicemus) est quod moralitas sit vera entitas realis moralis. Ad id quod contra hoc dicitur, dico quod re ipsa Verbum diuinum habet influxum non physicum quia iste est à tota Trinitate, sed moralem; non solum quatenus sustentat humanitatem, eamque terminat, sed quatenus simul cum humanitate constituit vnum principium operandi adæquatè, taliter quod operatio vt *quo* tribuitur humanitati, & vt *quod* Verbo diuino, seu eius subsistentiæ, & personalitati, nam personalitas sola, seu nuda non influit in operationes, sed simul cum humanitate cum qua vnum adæquatum principium constituit. Si enim operationes Christi tribuerentur supposito solum vt sustentat naturam humanam, vt volunt plerique Theologi, nominatim P. Orlãdus hoc loco *disp.* 2. *q.* 7. *n.* 80. natura humana esset principium operatiuum non solum vt *quo*, sed etiam vt *quod*, pro quo solum indigeret subsistentia vt sustentante, non vt operante vt *quod*. Igitur operationes ad extra quoad entitatem physicam sunt à tota Trinitate, & quoad entitatem moralem valoris sunt à supposito Verbi, influens dictum valorem in actiones morales, sed de hoc infra magis.

390 Secundum argum. nam Christus D. non potuit satisfacere ad æqualitatem pro beneficijs acceptis, & potissimè pro personalitate Verbi diuini collata suæ humanitati; ergo neque potuit satisfacere ad æqualitatem, sine extrinseca acceptatione Dei pro nostris peccatis. Conseq. constat ex paritate rationis. Antecedens probatur. Nam personalitas Verbi humanitati collata, seu vnita est infinita in omni genere entis physici, & valor operationum eiusdem non est infinitus in genere entis physici, ergo non potuit esse sufficiens pro gratiarum actione rei infinitæ, seu beneficij infiniti in genere entis physici. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico, quod licet Verbi diuini personalitas sit infinita in genere entis physici, tamen non fuit collata, seu vnita humanitati modo infinito physicè, sed tantum finito; non tota, & totaliter vt communicatur diuinæ naturæ, sed tota, & non totaliter, quo modo proportionali communicatur diuina essẽtia intellectui perfuso lumine gloriæ.

391 Sed dices 1. quomodo personalitas Verbi fuit vnita humanitati modo finito in genere physico, & moraliter modo infinito? Maximè cum humanitas quippe finita non sit capax recipiendi in se rem infinitam etiam in genere moris. Resp. quod licet humanitas non sit capax recipiendi in se rem infinitam physicè; est tamen capax recipiendi in se rem infinitam, seu modum, seu dignitatem, aut valorem infinitum, sicut & hunc recipiunt eius operationes, vt dubio seq. magis dicetur.

392 Dices 2. nam ipsamet gratiarum actio est nouum beneficium; ergo non potuit vnquam Christus D. agere gratias pro omnibus beneficijs, cum nõ potuerit agere gratias pro vltima actione gratiarum. Resp. quod cum gratiarum actio in Christo D. fuerit infiniti valoris, ac proinde non excedatur à beneficijs, potuit pro omnibus illis siue collatis, siue conferendis offerri, ac proinde potuit ad æqualitatem gratias agere. Tum quia vltima gratiarum actio, sicut & quælibet, & est gratiarum actio pro alijs beneficijs, & est gratiarum actio pro se ipsa, vt est reflexiua sui, saltem virtute.

393 Tertium argum. Si Christi D. satisfactio fuisset ad æqualitatem, ac proinde nulla intercederet acceptatio, Deus non posset aliam satisfactionem exigere pro nostris peccatis; hoc est falsum, & damnatum in Tridentino *sess.* 6. *cap.* 14. vbi decernitur, quod homo debeat satisfacere pro suis peccatis; ergo, &c. Vnde Apostol. ad Coloss. 1. dicit. *Adimpleo ea quæ desunt passioni Christi in carne mea*; si enim satisfactio Christi fuisset ad æqualitatem, & condigna, nihil Apostolus addere debuisset ad complendam Christi passionem. Resp. quod Deus non exigit satisfactionem pro nostris peccatis, quia satisfactio Christi nõ sit condigna, & ad æqualitatem, sed vt ea media satisfactio Christi nobis applicetur, & fiat nobis efficax. Christus ergo D. satisfecit pro nobis tam quantum ad culpam, & pœnam æternam, quam temporalem, quoad sufficientiam, cum quo tamen stat, quod vt suum sortiatur effectum, vult illam applicari nobis per Sacramenta, per contritionem, & dilectionem, per indulgentias, & per nostra opera pænalia; vt enim explicat S. Doctor *infra q.* 49 *art.* 1. *ad* 4. passio Christi operata est remissionem omnium peccatorum nostrorum tanquam causa vniuersalis, quæ non excludit consortium particularis, cum per operationem illius descendat ad effectum.

394 Quartum argum. Illa satisfactio non est condigna, & ad æqualitatem, excludens quamcumque extrinsecam Dei acceptationem, quæ ex se, suaque natura non extinguit totum debitũ, quod homo contraxit per peccatum maximè primi parentis; sed satisfactio Christi hoc non fecit; ergo, &c. Minor probatur, nam homo per peccatum, contraxit debitum mortis, contraxit fomitem peccati & alia cuncta quæ patimur, sed ista non sunt ablata per satisfactio-

factionem Christi; ergo, &c. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dico, quod Christus liberauit nos ab omnibus ærumnis, quas per peccatum incurrimus, non tamen voluit hanc liberationem concedere pro omni statu, sed solum pro statu beatitudinis, & voluit illas ærumnas nobis relinquere pro hoc statu ad agonem, ad meritum, ad exercitium virtutis, &c.

395 Quintum argum. nam satisfactio Christi non compensauit, nec satisfecit pro omni debito per peccatum primi parentis contracto; ergo non fuit cõdigna, sed inuoluit aliquam extrinsecam Dei acceptationem. Antecedens probatur, nam homo per peccatum contraxit debitum carendi redemptione, & redemptore, sed hoc debitum non extinxit Christus; ergo, &c. Maior constat, quia homo per peccatum contrahit debitum carendi omni beneficio; cum enim inciderit in Dei inimicitiam, contraxit debitum carendi omni beneficio, & maximè isto maximo. Minor probatur, quia Christus D. non meruit suam incarnationem, ergo non deleuit illud debitum. Tum quia principium satisfaciendi nõ cadit sub satisfactione, sicut nec principium merendi cadit sub merito, ergo Christus D. non meruit suam incarnationem; si non meruit suam incarnationem, ergo non meruit extinctionem debiti, quod homo contraxit vt incarnatio non fieret.

396 Resp. 1. negando antecedens. Ad probationem, negatur minor. Cum enim Christus D. extinxerit culpam, debuit etiam extinguere omne debitum, quod cum ea habet necessariam connexionem, vt est debitum carendi gratia, diuinis auxilijs, Redemptore, &c. Vnde falsum est, quod aliqui dicunt, quod hoc debitum fuerit extinctum gratis, seu gratis à Deo dimissum, sed fuit dimissum ex meritis Christi, sicut fuit dimissum debitum carendi gratia, auxilijs, &c. ex eiusdem Christi D. meritis. Neque ex hoc sequitur quod meruerit incarnationem, cum hoc debitum non fuerit extinctum ante incarnationem, sed post. Resp. 2. quod illud debitum fuerit re ipsa condonatum gratis; non tamen ex hoc sequitur, quod satisfactio Christi non fuerit condigna, quia licet de facto non extinxerit debitum carendi incarnatione cum iam fuerit gratis remissum, tamen quantum ad sui sufficientiam poterat illud extinguere, & de facto extinxisset nisi prius condonatum fuisset.

DVBIVM XVI.

An Christi D. satisfactio re ipsa fuerit infiniti valoris.

397 Licet solutio præsentis dubij satis clarè deducatur ex dictis duobus dubijs præcedentibus, tamen claritatis gratia distinctè proponitur. Pro quo supponendum est, ex dictis in præcedentibus, quod actiones Christi D. ex duplici titulo habent valorem; primò quatenus sunt reflexiuæ supra personam Verbi, seu prout includunt ipsam personam diuinã in sui submissione, humiliatione, oblatione, satisfactione, &c. Secundò, quatenus procedunt à supposito diuino, quod est infiniti valoris, & dignitatis. In primo modo suppositum habet quandam rationẽ formæ quasi informantis actionem, in secundò, habet rationem circumstantiæ *quis*, vt supra vidimus. Alij addunt alium titulum, quatenus scilicet suppositum ingreditur pretium, seu satisfactionem quæ offertur, veluti pars pretij, seu rei oblatæ. Cęterum ex hoc præcisè non desumitur infinitas formalis actionis, sed rei oblatæ, quæ in ipsam actionem solum extrinsecam infinitatem, seu obiectiuam refundit; quo modo fuit infinita oblatio B. Virg. cum in templo filium suum æterno Patri obtulit. Hic tamen modus rectè explicari potest, vt habeat verum, quod scilicet personalitas quasi informet actionem, & sic illi tribuat infini-

finitatem, ac proinde hoc modo fit pars pretij, & ipsius satisfactionis. Alij etiam addunt alium titulum, quatenus scilicet actiones humanæ Christi, ita sunt à supposito sustentante naturam humanam, quæ est principium efficiens illarum, vt etiam sustentet naturam diuinam, à qua dictæ actiones ratione vnionis cum natura diuina mediante vnione immediata cum humana, participant dignitatem. Cæterum ista dignitas, iste valor cum solum sit mediatus, & remotus, non fundat proprium titulum, de quo hoc loco controuertunt Theologi. Maximè quia illi, qui negant illos duos priores à nobis assignatos, negant à fortiori hunc posteriorem, & qui illos concedunt, & istum concedunt. His positis.

398 Prima sententia est, quod satisfactio Christi D. non fuit valoris infiniti intrinsecè, seu intensiuè, sed solum extrinsecè, quatenus Deus eam acceptauit non solum pro peccatis hominum, quæ commissa fuerunt, vel de facto cõmittentur, sed etiam pro remittendis illis omnibus quæ committi possunt. Sic Scotus *in 3. dist. 19. q. vnic.* Pethigran. *in 3. distinct.* 20. Rada *in 3. controu.* 13. *art.* 2. Durand. *in 3. dist.* 19. *&* 20. & alij.

399 Nostra sent. seq concl. explicatur. *Valor satisfactionis Christi D. est ex se ipso, & intrinsecè, seu intensiuè infinitus.* Sic S. Doctor *hic art.* 2. *& infra q.* 48. *art.* 2. *ad* 2. *&* 3. quatenus dicit, quod passio Christi fuit infinitæ dignitatis. Altisiodorensis *lib.* 3. *summ. tract.* 1. *cap.* 8. Alens. 3. *p. q* 17. *membro* 3. & omnes D. Tho. interpretes hoc loco. Hæc concl. videtur definita *in extrauag. Vnigenitus, de pænit. & remiss.* vbi tria dicuntur. Primum, *modicam guttam sanguinis Christi Domini per vnionẽ ad Verbum sufficisse ad redemptionem totius humani generis.* Secundum, *Christum Dominum acquisiuisse Ecclesiæ thesaurum infinitum, constantem suis meritis, & operationibus satisfactorijs.* Tertium, *non esse aliquatenus formidandum de consumptione, seu imminutione huius thesauri, propter infinita Christi merita.* Vbi, vt vides, non recurrit Pontifex ad extrinsecam Dei acceptationem, cum nullam de illa prorsus faciat mentionem, sed recurrit ad ipsam vnionem ad Verbum diuinum.

400 Respondent aduersarij, nominatim Pethigranicus, quod Põtifex vult Christi D. satisfactionem, & meritum esse infinitum ratione vnionis ad Verbum, quia iam supponitur Dei acceptatio, qua supposita, iam Christi satisfactio habet valorem infinitum. Sed contra, nam Pontifex ibi asserit aliquid, quod ita ratione speciali conuenit satisfactioni Christi, quod puræ creaturæ conuenire non potest, cum fundet suum assensum in vnione hypostatica; sed valor infinitus ex sola Dei acceptatione potest conuenire puræ creaturæ; potest enim Deus pro sua libertate acceptare actus puri hominis ad infinitum effectũ; ergo, &c.

401 Probatur 1. nam si loquamur de titulo valoris, qui sumitur ex actionibus Christi reflexiuis supra suppositum diuinum, non potest negari quin sit infinitus ex infinitate suppositi supra quod fit reflexio, vt supra explicuimus, cum hoc modo personæ dignitas ingrediatur rationem actionis; sed omnes actiones Christi satisfactoriæ sunt reflexiuæ supra subiectum, seu suppositum, cum in illis ipsum suppositum se ipsum subiecerit cum actibus, se ipsum obtulerit, humiliauerit, &c. ergo, &c. Hinc sacra scriptura actiones satisfactorias hoc modo explicat: *humiliauit semetipsum: tradidit semetipsum: oblatus est*, &c. in quibus modis dicendi aperte explicatur illa reflexio supra personam saltem virtualis:

402 Probatur 2. nam ille valor est infinitus intrinsecè, qui repetitur ex aliquo substantiali, & intrinseco actioni satisfactoriæ, sed valor satisfactionis Christi qui reperitur in dictis actionibus reflexiuis repetitur ex aliquo substantiali intrinseco, ergo est intrinsecus, ac proinde non solum per extrinsecam acceptationem. Maior nota est. Minor probatur, nam petitur ab ipsa persona Verbi

sub-

substantialiter, & intrinsecè vnita humanitati, à qua humanitate procedunt vt *quo*, & à persona Verbi, seu supposito procedunt vt *quod*. Tum quia ipsa persona Verbi est veluti forma dictę satisfactionis, est veluti pars totius pretij, ingreditur ipsam oblationem, ipsam solutionem pretij, &c. ergo.

403 Probatur 3. nam quod ab alio effluit, eius conditionem sapere debet, nisi ab alio limitetur, sed valor satisfactionis Christi effluit necessariò à persona Verbi hypostaticè vnita humanitati, nec est à quo limitetur; ergo cum persona Verbi sit infinita, valor ab ea procedens, debet esse infinitus. Maior nota est, quod enim ab alio profluit, debet sapere naturam eius à quo profluit, aliàs non censeretur necessariò profluere, nec responderet perfectioni eius à quo profluit. Minor etiam est nota, cum enim actiones sint suppositorum, ab eo debent effluere, ac subinde dignitatem recipere, & valorem. Quod autem nihil detur à quo ille valor limitetur, patet, cum nihil inferius possit limitare valorem, quē actio sumit à suo superiori.

404 Occurres pro aduersarijs limitari dictum valorem à libertate humanitatis actiones satisfactorias producentis; item limitari à modo quo producuntur, nam producuntur concurrente aliquo finito, vt intellectu, & voluntate. Item limitantur à subiecto, in quo recipiuntur, quod cum sit finitum, nisi finitum recipere potest. Sed contra, nam ille valor à nullo ex dictis limitari potest; non à libertate humanæ volūtatis Christi, qua actiones satisfactorias produxit; quia cum valor necessariò sequatur ex persona Verbi incarnati, non potest à libera voluntate limitari. Sicut enim posito fundamento, & termino, humana libertas non potest impedire relationem: & posita essentia non potest impedire refluentiam proprietatis: ita quia valor sequitur personam; ea posita non potest impedire quin sequatur, aliàs nō sequeretur necessariò. Neque limitari potest à modo quo producitur, scilicet medio aliquo finito, nam cum valor non desumatur per ordinem ad aliquid finitum non adæquans totam vim personæ Verbi diuini, non potest ab eo limitari. Tum quia vis communicandi valorem infinitum, communicatur humanitati finitæ, & tamen ab ea non limitatur, cum infinitè dignificetur, ergo neque limitabitur à quocunque alio. Quod autem neq; limitetur à subiecto, dicetur §. seq.

§. I. An valor infinitus operationum satisfactoriarum Christi sit in illis vt in subiecto.

405 SVpra *nu.* 242. explicuimus in quo consistat, seu quid sit ratio valoris in operibus bonis, & diximus, quod non est quid physicum, sed morale, & est dignitas, seu quædam æstimabilitas operis boni, quę non est ens rationis, neque denominatio extrinseca, sed modus quidam realis moralis. Hinc grauis oritur difficultas vbi iste modus subiectetur, cum enim sit infinitus in genere moris nō videtur quomodo possit subiectari in subiecto finito; subiectum namq; limitat formam: tum quia debet esse proportio inter subiectum, & formam, inter finitum autem, & infinitum non datur proportio.

406 Prima sententia est, quod iste valor non sit intrinsecè in actionibus Christi satisfactorijs, sed extrinsecè, volunt enim, quod nihil aliud sit nisi ipsa Verbi diuini persona, prout ab illa actiones satisfactoriæ procedunt, vnde erit sola denominatio extrinseca desumpta ab infinitate diuinæ personæ, humanitati vnitæ. Sed hæc sententia non videtur vera, nam valor finitus in actionibus humanis, est illis intrinsecus; ergo etiam valor infinitus; tum quia ipsa opera Christi intrinsecè erant digna ab intrinseco satisfactoria, vt dubijs præcedentibus vidimus; ergo per valorem intrinsecum.

407 Communis sententia est, quā post alios docet vir doctus N. P. Petrus Cornexus *hoc loco disp.* 5. *dub.* 6. *num.* 2. quod valor infinitus sit modus quidam in-

intrinsecus operibus Christi, & est quædam infinita æstimabilitas in ordine ad præmium, vt secundum moralē æstimationem actiones Christi iudicentur dignæ infinita mercede, infinito præmio, ac proinde sunt infiniti valoris ad extinguendum infinitum debitum, ad satisfaciendum pro infinitis peccatis. Hoc autem conuenit ipsis actionibus, & in illis reperitur, aliàs non fundaret prudens iudicium dictæ æstimationis. Constat hoc ex dictis, alias operationes Christi D. non producerēt effectum realem moralem, qui est redemptio generis humani, apertio Regni cælestis, collatio gratiæ sanctificantis, & auxiliorum, datio gloriæ, &c.

408 Modo difficultas est, quomodo iste modus cum sit infinitus possit subiectari in actionibus humanis Christi D. cum sint finitæ. Aliqui dicunt, quod iste modus habet subiectum infinitum, & sunt ipsæ operationes Christi prout prius natura dignificantur à persona diuina. Sicut enim persona diuina tribuit infinitam dignitatem humanitati, taliter vt velint, quod infinitas satisfactionis immediatè oriatur ab humanitate sanctificata infinitè, ita prius natura diuina persona sanctificat actiones ab ea vt *quod* procedentes, & in illis sic dignificatis infinitè recipiatur iste modus valoris infinitus.

409 Cæterum iste modus dicendi non est ad rem, nec est verus, quia non tribuit persona Verbi aliam dignitatem, aut infinitatem, nisi valorem satisfaciendi, nec valor satisfaciendi est aliud quā ista infinitas. Tum quia vel illa infinitas, est aliquid receptum in dictis actionibus vel non. Si primum currit idem argumentum quomodo possit illud infinitum recipi in subiecto finito. Si secundum, adhuc ille modus infinitus recipietur in subiecto finito. Nec verum est, quod actiones Christi recipiant immediatum valorem ab humanitate; & non à supposito, quod enim recipitur in humanitate, ad modum eius recipi debet, & sic cum humanitas sit solum principiū *quo* operationum, solum hoc modo poterit tribuere valorem operationis, vnde adhuc restabit locus principio vt *quod*, quod est potissimum.

410 Alij dicunt, quod licet modus infinitus non possit recipi in subiecto finito attenta potentia naturali, tamen recipi potest attenta potentia obedientiali, quæ non commensuratur cum capacitate subiecti, sed cum potentia operantis. Sed neque iste modus placet, nam licet potentia obedientialis attendatur per respectum ad operās, tamen subiectum recipiens non potest recipere formam infinitam. Vnde diximus 1. *p.q.* 12. quod Deus neque de potentia absoluta potest producere lumen gloriæ infinitum, quia deberet recipi in subiecto finito, ac proinde deberet limitari.

411 Resp. ergo cum N. Cornexo loco citato, quod iste valor licet sit infinitus, & modus infinitus, recipitur in humanis Christi D. actionibus, nec limitatur ab ijsdem actionibus secundum esse physicum finitis, quia tunc tantum aliquid potest limitari a subiecto, vel quādo ab eo producitur in genere causæ materialis propriè dictæ, vel quando recipitur in illo tanquam verum aliquod accidens physicum, tunc enim limitatur per concursum subiecti, & potentiam eius receptiuam, in nostro autem casu ille valor modalis nullo modo producitur etiam in genere causæ materialis ab actionibus liberis humanis, & satisfactorijs Christi D. neque est aliquod accidens reale physicum propriè dictum, ac proinde licet in dictis actionibus recipiatur, non tamen limitatur, sed semper remanet cum sua infinitate.

412 Sed obijcies 1. nam ille valor non est intrinsecè infinitus, cui forma infinitè dignificans est extrinseca; sed forma infinitè dignificans operationes Christi est illis extrinseca; ergo, & valor erit extrinsecus. Minor probatur, nam forma infinitè dignificans est diuina personalitas, sed ista est extrinseca dictis actionibus humanis; ergo, &c. Resp. negando minorem, ad probationem

nem patet ex dictis, quod personalitas diuina vt dignificat moraliter operationes Christi non est extrinseca, sed intrinseca.

413 Obijcies 2. nam iste valor modalis est entitas realis creata, ergo est finita, ac proinde valor satisfactionis Christi erit finitus. Respondet N. Cornexus loco citato, quod dictus valor est finitus in genere entis, seu in genere physico, at in genere moris est infinitus, quia ad hoc satis est, vt sit talis, quod secundum prudentem æstimationem sit dignus prĕmio infinito; vult dicere vir doctus, quod iste valor sit secūdum rem quid finitum moraliter, & solum sit quid infinitum quatenus fundat talem æstimationem qua iudicetur dignus prĕmio infinito, seu quod in se sit quid infinitum moraliter, vt sic fundet prudentem æstimationem, quod sit dignus præmio infinito.

414 Obijcies 3. & simul impugnatur præcedens solutio, nam iste valor secundum præcisam rationem secundum quam est ens morale, condistinctum ab ente physico, est ens creatum; ergo est quid finitum; finitas namque est ratio transcendens omne ens creatum. Antecedens probatur, nam illa moralitas valoris formalissimè est extra nihil; est existens in rerum natura, est entitas realis modalis moralis, non est increata, non est à se; ergo creata, & ab alio, ac proinde finita. Resp. quod ratio entis moralis vt sic, est communis Deo, & creaturis, & prout est sic communis, non dicit nec esse creatum, nec esse increatum, nec dicit esse finitum, nec esse infinitum, sed dicit conformitatem ad regulas morum, aut difformitatem, vt moralitas contrahitur ad differentiam mali; seu dicit talem conformitatem, aut deformitatem, quæ fundet prudentem æstimationem præmij, aut pœnæ. Quocirca quando hæc moralitas causabitur à virtute infinitè dignificatiua erit formaliter infinita, seu quando forma causans hanc conformitatem, seu condignitatem moralem est infinita, & hæc erit infinita, vt in nostro casu contingit; causatur namque dicta moralitas valoris à forma infinita, scilicet à diuina personalitate, & sic secundum hanc rationem non dicit esse creatum, nec proinde finitum, sed potius increatum, & infinitum, increatum quoad formam causantem, & infinitum, & quoad formam causantem, & quoad modum causatum, cum iste modus sequatur, quà moralis est, formam à qua causatur. Quod si iste modus consideretur per ordinem ad causam efficientem, tunc est quid creatum, & finitum, sed tunc non consideratur vt ens morale, sed vt ens physicum, vt ex se constat.

§. II. Soluuntur argumenta in contrarium.

415 PRimum argum. nam si satisfactio Christi esset infiniti valoris maximè quia actiones quibus satisfaciebat erant reflexiuæ supra suppositum, quatenus Christus D. non solum offerebat Deo suam operationem, sed etiam se ipsum; sed ex hoc non sumitur infinitus valoris operationis, & satisfactionis Christi; ergo ex nullo capite. Minor probatur, nam ex dicta ratione solum sequitur, quod operationes Christi fuerint oblatæ Deo simul cum persona Verbi, ac proinde, quod res oblata fuerit infiniti valoris, non ipsa oblatio. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dico, quod non solum ipsa res oblata erat infinita, sed etiam ipsa oblatio, quatenus, vt pluries notauimus, oblatio, seu operatio quodammodo informabatur moraliter à persona diuina.

416 Secundum argum. nam videtur falsum, quod Christus D. ratione cuiusdam reflexionis se subijceret Deo; ergo erit falsum, quod huius ratione operationes Christi essent infiniti valoris. Conseq. constat. Antecedens probatur, nā falsum est, quod Christus subijceret Deo non solum suam humanitatem, suum sanguinem, suas operationes,

sed

sed etiam seipsum, seu personam Verbi D. est enim maxima inordinatio, ac proinde peccatum, subijcere suppositum diuinum, personam diuinam nullo modo subijcibilem. Resp. negando antecedens, vt enim diximus, in tantum Christi D. satisfactio erat infinita; in quantum erat à persona diuina, quæ se in illa subijciebat, hoc enim erat infinitæ æstimationis, cum non possit excogitari maior honoris exhibitio, maior reuerentia, quàm quod ipsa persona diuina se ipsam subijciat pro nobis Deo. Ad probationem dico, quod licet suppositum diuinum vt subsistens in natura diuina non possit subijci, hoc tamen facere potest vt subsistens in natura humana, iuxta illud Apostoli. *Humiliauit semetipsum*, &c. Non enim sola natura humana se humiliauit, nec solum suppositum, sed Christus, qui dicit vtramque naturam scilicet, & suppositum.

417 Tertium argum. nam valor satisfactionis Christi non potest esse maior, quàm sit bonitas operum illius: sed hæc non est infinita; ergo nec ille valor. Minor probatur, nam si opera Christi haberent infinitam bonitatem moralem, sicut dicuntur habere infinitum valorē, sequeretur, quod Deus ita amaret vnum opus Christi, sicut amat suam infinitam bonitatem. Item sequeretur, quod Deus necessariò diligeret opera Christi, cum bonitas infinita necessitet voluntatem ad sui amorem: vbi enim est infinita bonitas clarè cognita, ibi nulla apparet ratio mali, vbi autem nulla apparet ratio mali, ibi necessaria dilectio ponitur. Respond. concedendo maiorem intellectā de bonitate quæ desumitur ex circunstantia personæ; deinde negatur minor. Ad probationem dico, quod Deus magis amat suam infinitam bonitatē, quàm opera Christi, quia ista habent infinitatem tantū in esse moris, non in esse physico; at diuina bonitas habet infinitatē etiam in esse physico. Ad aliud dico, quod Deus non necessitatur ad amanda opera Christi, quia non sunt infinita in omni genere, sed tantum in genere moris, ac proinde non habent tantam infinitatem bonitatis, quæ adæquet diuinā voluntatem, & diuinum velle: diuina autem voluntas solum necessitatur à bonitate sibi omnino adæquata.

418 Quartum argum. nam si satisfactio Christi D. fuisset infiniti valoris, maximè quia procedebat à persona diuina, à qua infinitum valorem recipiebat; sed hoc est falsum; ergo, &c. Maior probatur, nam persona Christi ad hoc vt tribueret valorem infinitum deberet illū tribuere vt subsistit in natura diuina, quia prout subsistit in natura humana, seu prout est persona quedā humana non potest tribuere nisi valorem finitum: nā persona Verbi vt humana, operatur per naturam humanam, & per potentias illius, quæ finitæ sunt. Resp. negando minorem. Ad probationem dico, quod persona Verbi non tribuit valorem vt subsistit in natura diuina, sed vt subsistit in natura humana, cui licet tribuat esse personam humanam, etiam tribuit esse personam diuinam.

419 Quintum arg. quia persona diuina solum tribuit valorē Christi D. operibus vt est circunstantia *quis*, sed circumstantia *quis* non tribuit valorem secundū totam personæ dignitatem; ergo, &c. Minor constat in gratia habituali, nā habens gratiā habitualem vt 8. dignificat personam vt 8. non tamen in actu auget valorem vt 8. aliàs si habēs gratiam habitualem vt 8. & eliciat actum intensum vt 4. iste actus deberet habere bonitatē vt 12. scilicet 8. à dignitate personæ, & 4. ex sua intensione. Resp. dato, quod valor operum Christi desumeretur solum à persona diuina vt est circunstantia *quis*, tamen adhuc refunderet valorem infinitum, vt supra explicuimus. Ad illud, quod de gratia habituali dicitur, dico, quod gratia habitualis cum supponat intrinsecam bonitatem actus, auget illius valorem ad proportionem bonitatis suppositæ, & non secundum totam latitudinem suam. Cœterum persona diuina tribuit primā bonitatem essentialem, ac proinde secundum totam suam latitudinem. Vel

dicas

dicas differentiam esse quod cum actiones sint suppositorum, debet suppositum refundere suam dignitatem in illas; non sic gratia, quæ solum se habet concomitanter ad operationes, cum non sit operatiua, nec dignificatiua, nisi accidentaliter. Vel etiam dicas cum M. Victoria *in relect. de augum. charitatis*, quod etiam opera procedentia à persona sanctiori, & digniori, sint æquè digna, ac proinde crescat eorum valor ex circumstantia personæ, ad mensuram dignitatis illius, licet ex parte subiecti sit maior, aut minor, iuxta maiorem, aut minorem intensionem.

§. III. *Soluuntur aliqua argumenta ex inconuenientibus desumpta.*

420 SI satisfactio Christi, vel si operationes Christi D. essent infiniti valoris, sequeretur, quod non plus satisfecisset, vel meruisset in tota sua vita, quam in prima actione meritoria, aut satisfactoria, nec magis nos redemisset sua passione, & morte, quam alia sua præcedenti actione, puta ieiunio, prædicatione, &c. Cum enim prima hæc actio fuerit infinitè satisfactoria, & infinitè meritoria, eo quod fuerit à persona infinitè digna, debuit illi correspondere infinita remissio, & præmium infinitum; sed hoc videtur contra Sacram Scripturam, quæ passim nostram redemptionem tribuit passioni, & morti Christi D. *ad Rom.* 3. 4. & 5. *Ad Galatas* 3. *ad Hebræos* 2. 9. & 11. ergo, &c. Resp. cum N. Cornexo *hic disp.* 5. *dub.* 5. & alijs communiter, concedendo maiorem, loquendo namque intensiuè Christus D. non plus meruit in tota vita, quam per primam operationem. Cum enim omnes essent infiniti valoris, & vnum infinitum non sit maius alio nisi materialiter, sequitur, quod intensiuè loquendo, satisfactio, & meritum Christi ex operum multiplicatione non creuit intensiuè, sed tantum extensiuè. Deinde dico, quod quantum ad sufficientiam omnia opera Christi fuerunt sufficientissima ad satisfaciendum infinitè pro peccatis totius generis humani. Tamen de facto non omnia opera Christi fuerunt ad hoc applicata; non omnia efficaciter nostram redemptionem causarunt, sed sola passio, & mors Christi.

421 Pro quo nota, quod ad hoc vt de aliquo opere Christi dicatur, quod efficaciter nostram redemptionem causauerit, duo requiruntur, vnum ex parte Dei cui fiebat satisfactio, & est pactum de danda mercede tali operi, eidem condigna, & erat remissio omnium peccatorum. Sicut enim homo non tenetur rem suam alteri diuendere oblato quouis pretio competenti, & condigno, sic Deus non tenetur dare alicui præmium boni operis, nisi hoc promiserit, nec obligatur admittere satisfacientem pro altero, nisi sibi placuerit. Alterum est ex parte merentis, seu satisfacientis, & est eius ordinatio, qua sua bona deputat ad satisfactionem, & meritum. Cum enim satisfaciens, & merens sit Dominus suæ satisfactionis, & meriti, potest pro sua libertate vel nolle ordinare ad meritum, vel ad debitum resarciendum, maximè pro alio. Igitur licet omnia opera Christi fuerint sufficientia ad satisfactionem, tamen de facto non fuerunt efficacia, quia nō omnia habuerunt has duas conditiones; istæ namque duæ conditiones, vt ex Sacra Scriptura colligitur, fuerunt solum de passione, & morte Christi. De istis fuit Dei pactum de remittendis hominum peccatis, & ista Christus D. ad hunc effectum ordinauit. Sic enim canit Ecclesia. *Qui salutem humani generis, in ligno Crucis constituisti.*

422 Secundum inconueniens, nam si omnia opera Christi essent infiniti valoris, sequeretur, quod non plus meruisset nobis omnibus suis operibus simul quam vnico dumtaxat, & consequētur frustra Christus D. posuisset tot opera, cum iam, dempto vno, fuissent frustranea, & otiosa. Respondet N. Cornexus, quod si loquamur de merito quasi in actu primo, seu de actione merito-

ria quantum est de se, & ex parte suæ dignitatis, Christus non plus meruit omnibus simul, quam quolibet seorsim, cum vnum opus secundum se sit sufficiens ad merendum omne præmium possibile. Cæterum si loquamur de merito in actu secundo, idest vt nobis applicato, plus meruit nobis suis operibus omnibus simul sumptis, quã quolibet seorsim, quia meritum in actu secundo pendet ex voluntate, qua operans offert illud ad consequendum præmiũ. Christus autem D. non obtulit de facto singula opera pro nostra redemptione, sed omnia simul. Sic, per Cornexum, Christus D. ordinauit omnia opera sua ad merendum, & ad satisfaciendum pro nobis, vnde debuit adesse pactum acceptandi omnia dicta opera simul, & nullum in particulari pro merito, & satisfactione. Cæterum quantum ad meritum hæc sententia mihi placet, quod scilicet omnia opera simul fuerit à Christo D. ordinata ad meritum eorum omnium, quæ meruit, licet etiam placeat, quod aliqua fuerint ordinata ad merendum aliquid determinatum, vt prædicationem, ad conuersionem peccatorũ, ieiunium, & solitudo deserti, ad recessum religiosorum, &c. Tamen quantum ad satisfactionem videtur verius quod pactum fuerit de passione, & morte, saltem expresè, ac proinde hoc modo Christus passionem, & mortem ordinauerit ad nostram redemptionem, vt sic ordinatio correspõdeat pacto. Quod autem pactum fuerit saltem expresè de passione, & morte, constat ex illo Isa. *Si posuerit animam suam, &c.*

423 Tertium inconueniens est, quia sequeretur, quod Christi D. merita non obtinuerint æquale præmium, æqualemuè remunerationem, nam quicquid sibi, & nobis obtinuit finitum fuit; hoc est falsum, ergo & id vnde sequitur. Plus namque Christus D. meruisset, quam Deus sua absoluta potentia possit ei in mercedem rependere, ac proinde sequeretur, quod omnipotentia Dei esset minus infinita, quam sit Christi meritum, cum non possit habere præmium sibi proportionatum, nisi infinitum, quod Dei omnipotentia dare non potest; ergo, &c.

424 Resp. 1. distinguendo antecedens. Non habuisset æqualem remunerationem quantum ad substantiam, conceditur; quantum ad modum, negatur; remuneratio namque quantum ad modum fuit infinita, & æquè correspondens merito, & satisfactioni. Nam infinito Christi merito, & satisfactioni correspondet remissio peccati generis humani, quod saltem quoad modum quo facta fuit, scilicet ex rigorosa iustitia, est merces infinita. Ad eum modum quo potentiæ creatiuæ Dei correspondet creatura, quæ quantum ad modum fiendi est effectus infinitus, fit enim ex nihilo. Resp. 2. & magis conformiter ad nostram sententiam, quod satisfactioni Christi infinitæ correspondet effectus infinitus, & est remissio peccati, quæ est infinita non tantum quoad modum, verum etiam quoad substantiam, cum peccatum sit simpliciter infinitum.

425 Quartum inconueniens, nam licet ex dictis nu. præcedenti soluatur, quod infinitæ Christi satisfactioni sit data merces infinita, scilicet remissio peccati, quod est simpliciter infinitum, tamen non saluatur, quod merito Christi sit datum præmium infinitum, & sic quod Christus plus meruit quàm Deus dederit, aut quam dare potuerit. Resp. 1. non esse inconueniens admittere, quod meritum Christi fuerit maius, quam tota merces sibi data, imò quam Deus potuerit reddere, quia hoc non prouenit ex defectu potentiæ Dei, sed ex infactibilitate præmij, cum præmium infinitum non sit factibile, eo modo quo diuina omnipotentia est infinita, & tamen non potest producere creaturam infinitam, non ex defectu sui, sed ex defectu creaturæ cui infinitas in actu repugnat.

426 Resp. 2. cum N. Cornexo, & alijs, quod licet de facto Deus non tribuerit infinitum prçmium operibus meritorijs Christi D. quia nec intercessit

pa-

passum, nec Christus sua opera ad hoc ordinauit, tamen potuit illud mereri, & quantum est de se meruit, & Deus posset, de potentia absoluta illud conferre; cum posset incarnationem primæ, vel tertiæ personæ diuinæ ordinare in præmium actionum meritoriarum Christi D. hoc enim potuisset Deus promittere, & Christus potuisset suas actiones meritorias ad hoc ordinare; cum autem incarnatio primæ, vel tertiæ personæ sit res infinita, fuisset condignum præmium meritorum Christi.

427 Sed contra hanc solutionem obijcies 1. nam facta incarnatione Patris, & Spiritus S. adhuc non absorberetur totum meritum Christi; ergo non stat doctrina præcedentis solutionis. Antecedens probatur; nam incarnatio illarum duarum personarum ad summum absorberent meritum duarum operationum Christi, & non omnium; ab instanti namque suæ incarnationis plures, & plures habuit operationes, & omnes infiniti valoris; ergo licet per incarnationes illarum personarum absorberetur meritum duarum operationum, non tamen omnium. Resp. quod licet incarnatio illarum duarum diuinarum personarum non extingueret totam infinitatem extensiuam meriti Christi, extingueret tamen totam dignitatem intensiuam; vt autem extingueretur tota dignitas extẽsiua, oporteret quod tot naturas assumerẽt siue ex natura Angelica, siue ex humana, quot actus produceret Christus, quod quantum ad possibilitatem, nemo dubitat esse possibile.

428 Obijcies 2. nam non videtur possibile, quod meritum Christi secundum se extingui posset per incarnationẽ alterius personæ diuinæ, v. g. Spiritus S. quia hæc incarnatio non videtur possibilis posita incarnatione Verbi, quod sic explico. Nam dato quod etiam incarnaretur Spiritus S. & quod Verbum incarnatum applicaret sua merita ad obtinendam sanitatem vnius ægroti, & Spiritus S. incarnatus applicaret sua vt illius ægroti sanitas non poneretur, tunc meritum vnius impediretur per aliud, & sic, & non esset infinitum, & afferret impossibilitatem incarnationis alterius personæ. Resp. dato casu incarnationis Spiritus S. tunc cum voluntas humana naturæ assumptæ à Verbo, & voluntas humana naturæ assumptæ à Spiritu S. debeant concordari cum diuina non posset vna velle efficaciter sanitatem ægroti, & alia non. Dico efficaciter quia voluntas inefficax vnius non repugnat cum voluntate efficaci alterius, vt patet in Christo D. dum inefficaciter recusabat mortem, contra voluntatem Dei efficacem de morte.

429 Obijcies 3. nam vt præmium sit adæquatum merito, debet dari ipsi personæ merenti, non alteri; sed si Spiritus S. incarnaretur hoc præmium non daretur personæ merenti, sed esset fauor & gratia naturæ assumptæ; ergo tunc per incarnationem Spiritus S. non extingueretur, aut præmiaretur meritum infinitum Christi. Resp. quod licet tunc fieret maxima gratia naturæ assumptæ, tamen cum fieret intuitu meritorum Christi, ea extingueret. Sicut etiam modo, redemptio generis humani resultat in bonum hominum, & est maxima gratia illi concessa, & tamen correspondet infinitæ satisfactioni Christi.

430 Quintum inconueniens, nam si meritum Christi fuisset infiniti valoris, superflueret nostra satisfactio; hoc est falsum; ergo, &c. Antecedens probatur, nam satisfactio infinita debet tollere omne debitum; sed si satisfactio Christi esset infinita, tolleret omne debitum nostrum, ac proinde nihil nobis remaneret satisfaciendum. Resp. negando antecedens; licet enim Christi satisfactio sit infinita, tamen, vt supradiximus, se habet vt causa generalis, quæ non excludit causas inferiores, imò earum concursum requirit, vt eo medio suum producat effectum. Christus ergo satisfecit infinitè pro nobis, sed noluit eam nobis prodesse, nisi medijs nostris operationibus, ex gratia ab ipso promerita dimanantibus, & sunt receptio Sa-

cramentorum, actus dilectionis, contritionis, &c. Igitur Christi satisfactio potest duabus modis considerari. Primò secundum valorem tantum; deinde secundum applicationem, seu vt habet aliquem effectum circa nos, & hoc modo noluit Christus eam nobis prodesse, nisi per Sacramenta, & nisi per nostras actiones applicetur.

§.IV. Ponuntur aliqua quæsita scitu dignissima.

431 QVæres 1. an infinitum Christi D. meritum fuerit sufficienter extinctum, seu præmiatum per institutionem Sacratissimæ Eucharistiæ. Seu an Eucharistia fuerit condignum præmium, & condigna merces omnium meritorum Christi, ita quod si Pater æternus nullum aliud præmium dedisset Christo, nec sui, & aliorum hominum resurrectionem, nec gloriam corporis, nec sui nominis manifestationem, &c. Sola Eucharistia fuisset adæquatum suorum meritorium præmium, & merces? Alicui videbitur negatiuè respondendũ. Primò, quia Eucharistiæ institutio potius est bonum nostrum, quàm Christi, in nostram namque vtilitatem data est, non Christi. Secundò, quia in Eucharistia duo sunt, vnum finitum, & hoc meruit Christus, & sibi in præmium datum est, sed cum sit finitum non extinguit totum meritum. Aliud infinitum, & non meruit Christus. Hoc sic explicari potest. Finitum, quod meruit Christus, & sibi datum est, est specialis concursus, quem Deus certò, & infallibiliter promisit, dat, dabitq; semper vsque ad finem mundi omnibus Sacerdotibus ritè consecrantibus, vt vi, & efficacia verborum formæ, corpus, & sanguis Christi ponatur sub speciebus panis, & vini, per veram conuersionem substantiæ eiusdem panis, & vini in ipsa, & hoc meruit Christus, sed finitum est, vt patet, ac proinde non exhauriens infinitatem meriti. Infinitum, quod est in Eucharistia, & non meruit Christus, est ipsemet Christus, qui est valoris infiniti, est vnio hypostatica qua humanitas singulari modo cum personalitate Verbi copulatur, & hoc non meruit Christus, aliàs se ipsum meruisset, & suam vnionem hypostaticam.

432 Nihilominus omnino dicendum est, quod totum meritum Christi intensiuè exhaustum est, per institutionem venerabilis Sacramenti Eucharistiæ, quia non solum meruit dictum concursum finitum, sed etiam meruit se ipsum infinitum, non quidem quoad modum essendi naturalem, sed quoad modum essendi sacramentalem: meruit suã vnionem hypostaticam, sed sub modo essendi sacramentali: meruit ex consequenti, quod in Eucharistia ponatur per concomitantiam diuinitas; quod ponatur per concomitantiam, vel vt alij dicunt ratione connexionis tota Trinitas. Dixi ex consequenti, quia cum diuinitas, & Trinitas ponantur per concomitantiam, aut identitatem, non ponuntur liberè nisi ratione positionis Christi.

433 Quæres 2. an ad completam rationem meriti, & satisfactionis Christi fuerit necessarium pactum, & promissio Dei de dando præmio, & de remittenda iniuria, seu offensa Deo per peccatum illata? Certum est, quod de facto pactum intercessit inter Deum, & Christum D. de acceptanda eius satisfactione, pro humani generis redemptione, vt habetur Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, &c.* quem locum intelligunt communiter SS.PP. de pacto inito cum Christo. Est etiam certum ex dictis supra, quod hoc pactum non fuit necessarium ad dignitatem, & valorem operum Christi, cum hunc haberent quocumque pacto seclusо. Solum difficultas est, an hoc pactum fuerit necessarium ad hoc vt Deus teneretur acceptare Christi satisfactionem pro nostris peccatis? Resp. affirmatiuè, nam opera Christi D. habuerunt sufficientem valorem ad merendam hypostaticam vnionem alterius personæ diuinæ, & tamen de facto non meruit, quia pa-

ctum

ctum de hoc non intercessit, ergo signú est, quod ad completam rationem meriti requiritur pactum, licet non requiratur ad intrinsecam rationem dignitatis & valoris. Tum quia ad completam meriti rationem in actu secundo, requiritur, quod ille apud quem meretur constituatur debitor, sed sine pacto, aut promissione non constituitur quis debitor; ergo, &c. Vnde vt quis per opera sua inducat debitum in alio ad præmiandum illa, non sufficit, quod sua opera faciat in gratiam alterius, sed vlterius requiritur pactum, seu promissio de illorum operum acceptatione, quod etiam de satisfactione dicendum est, quod scilicet ad completam illius rationem in actu secundo requiratur pactum, seu promissio de acceptatione illius pro alio. Hanc rem fusè explico *de merito disp. 19. qu. 7. per totam*.

DVBIVM XVII.

An satisfactio Christi D. fuerit de toto rigore iustitiæ.

434 Aliqui hoc dubium sic proponunt, ex qua virtute Christus D. & cui virtuti satisfecerit. Si enim semel virtus læsa per peccatum est iustitia, debuit Christus huic satisfacere, & ex motiuo illius. Conueniunt omnes, quod in satisfactione Christi plusquam æquiualens fuit redditum, quod apertè docet Apost. Rom 5. vbi comparans peccatum primi parentis cum satisfactione, & merito Christi, dicit hæc superare peccatum illius: *sed non sicut delictum, ita & donum*. Tum quia actio debet esse à proportione maioris inæqualitatis, ergo si Christi satisfactio extinxit peccata, debet esse illis potentior, ac proinde eius vis debet superare totam malitiam peccatorum omnium hominum. Hac ratione vocatur copiosa: *Copiosa apud eum redemptio*.

435 Sed dices, quod vbi est eadem æqualitas personæ offensæ, & satisfacientis, non potest satisfactio esse maior offensa; sed hoc currit in nostro casu; ergo, &c. Deus enim vt est persona offensa, non est minor persona Christi vt satisfaciente; sed æqualis, ac proinde satisfactio erit prorsus æqualis offensæ, non superabundans, aliàs persona satisfaciens excederet personam cui fit satisfactio. Resp. quod licet offensa qua ratione est infinita, non sit minor satisfactione, loquendo de infinitate morali, tamen loquendo de infinitate materiali, est minor, nam in offensa Deus se habet quasi terminatiuè: at persona Verbi satisfaciēs tota se submittit in obsequium Dei, cui fit satisfactio. Tum quia infinitas actiua est maior longè, quā infinitas passiua, quæ minimam habet resistentiā respectu infinitatis passiuæ. Tum etiā quia infinitas offensæ est tantum in vno genere, at infinitas satisfactionis est in omni genere, quatenus tota persona Verbi se in illa submittit. At Deus respectu offensæ non se submittit, sed solum ex affectu finito peccantis submittitur offensæ, quasi illius subiectum in genere moris; patet autem quod affectus malus peccatoris non est tantus, quantus affectus personæ diuinæ se submittentis Deo in satisfactione.

436 Modo quæritur, an satisfactio Christi D. fuerit opus iustitiæ. Pro quo sciendum, quod ad hoc vt satisfactio sit opus iustitiæ debet obseruare conditiones illius, quæ sunt sequentes. Prima, quod sit ad alterum, sui enim ad se ipsum non datur propria iustitia, nec satisfactio. Secunda, quod non possit non acceptari. Tertia, quod satisfactio ex iustitia debet fieri ex proprijs bonis non ex bonis ipsius creditoris. Quarta debet satisfactio ex iustitia fieri ex bonis aliàs indebitis. Quinta, non debet fieri ex acceptis ab ipso creditore.

437 Prima sententia est, quod licet satisfactio Christi sit ad æqualitatem, & condigna pro debito, quod genus humanum contraxit propter peccatum, non tamen fuit ex iustitia, cum non seruet dictas conditiones, nec alias quæ ad illas reuocantur. Sic Vasquez *hic disp. 7.*

disp.7.& 8. Loca disp.8. Lugo disp.3.sect. 9. & alij moderni.

438 Nostra sententia seq. conclus. explicatur. Satisfactio Christi D. non solum fuit ad æqualitatem, sed etiam fuit ex vera, & rigorosa iustitia. Sic tenent S. Doctor *hic art.2.ad 2.* Vega *lib.7. in Trident.cap.8. & 9.* Abul. *paradox.1. cap. 41.* Driedo *de captiuit. & redempt. tract.2.c.2.art.2.* D.Bonau. *in 3.dist.20. q.3.* omnes discipuli D.Thomæ hoc loco, Aluarez, Cipullus, & alij, N.Cornexus, Orlardus, Suarez, Valentia, & alij hoc loco.

439 Probatur 1. nam satisfactio Christi fuit condigna, & ad æqualitatē, vt fatetur Lugo *disp. 3. sect.10. & disp.4. sect.2.* & Vasq. 1.2. *disp.223.n.55.* quos omnes ferè Patres Societatis sequuntur & merito, aliàs non diceretur copiosa. *Copiosa apud Deum redemptio*; ergo etiā fuit de toto rigore iustitiæ. Probatur conseq.nam satisfactio elicitur à iustitia, ergo vbi est æqualis, & condigna debet esse actus condignus, & proprius iustitiæ. Antecedens ostenditur, quia de ratione satisfactionis est, quod ponat æqualitatem inter debitum, & solutionem: & in nostro casu est ponere ęqualitatem inter offensam Deo illatam per peccatum; & obsequium per quod illa offensa tollitur; sed ponere æquale offensæ illatæ est officium iustitiæ; ergo, &c.

440 Occurrit Vasqu. loco cit. quod satisfactio Christi ponit æqualitatem per modum meriti, non per modum iustitiæ, aut secundum propriam iustitiam. Sed contra, quia id quod se habet per modum meriti non habet rationem satisfactionis, sed satisfactio Christi, est vera, & propria satisfactio, ergo non se habet per modum meriti. Maior probatur, nam ratio meriti, seu meritum fundatur, & sequitur opus quod exhibetur in Dei reuerentiam, & honorem: & satisfactio est opus quod exhibetur in Dei obsequium: meritum est in bonum merentis, & satisfactio est in bonum illius cui fit satisfactio. De ratione satisfactionis est, quod ipsum suppositum diuinum se submittat per actionem satisfactoriam, se subijciat, se humiliet, vt sic quanto homo superbiuit peccando, tantò Deus homo se exinaniuit humiliādo se, se submittendo, se subijciendo. Hinc diximus supra, quod Sacra Scriptura ponit satisfactionem solum in illis operibus in quibus Christus D. se exinaniuit; at meritum ponit in omnibus vt in prædicatione, in ieiunio, &c.

441 Probatur 2. nam satisfactio Christi licet fuerit imperata à charitate, fuit tamen elicita à iustitia, ergo fuit opus iustitiæ. Antecedens probatur, nam satisfactio debuit elici ab aliqua virtute speciali non ab alia quam à iustitia; ergo, &c. Minor probatur, nam resarcire iniuriam alteri illatam, non potest alteri virtuti speciali conuenire, quam iustitiæ, non charitati, quia hæc non respicit destructionem iniuriæ, aut offensæ, sed bonum dilecti, scilicet Dei vt est bonus in se. Non Religioni, quia hęc respicit nō resarcire offensam, sed cultum: non pœnitentiæ, quia hæc nec fuit, nec esse potuit in Christo, vt tradunt omnes Theologi, & ego ostendi in meo *tract. de pœnit.disp.1.q.5.* ergo restat vt conueniat iustitiæ.

442 Occurrit 1. Vasq. quod satisfactio Christi non fuit actus alicuius virtutis specialis, sed fuit omnium virtutum opus. Sed contra, nam vbi est speciale motiuum bonum, & rationi consonum, non potest non conuenire virtuti speciali, sed compensare iniuriam, vel offensam Deo illatam est motiuum speciale, ergo debet conuenire virtuti speciali, ac proinde non poterit esse opus omnium virtutum. Tum quia omnium virtutum opera sunt materia satisfactionis, ac proinde debuerunt ad vnum finem satisfactionis, & resarciendi iniurias ordinari ab aliqua virtute speciali.

443 Occurrit 2. Lorca, quod satisfactio fuit actus Religionis, quatenus Christus D. per hanc virtutem intendebat cultum, & honorem Dei, per quem resarciretur inhonoratio per peccatum

Deo

Deo illatum? Sed contra, nam aliud est reddere debitum cultum, & honorem, & aliud est satisfacere pro iniuria, aut offensa illata, sed Religio primum respicit, non hoc secundum; ergo, &c. Tum quia Religio fuisset in statu innocentiæ, vbi non fuisset satisfactio pro debito ex peccato contracto. Religio datur in Beatis vbi nõ datur satisfactio, ergo satisfactio non potest esse motiuum à Religione inspectum.

444 Probatur 3. nam illa satisfactio est de toto rigore iustitiæ, quæ seruat omnes conditiones iustitiæ, sed satisfactio Christi seruat omnes conditiones propriæ, & rigorosæ iustitiæ; ergo est de rigore iustitiæ. Maior constat. Minor probatur, nam fuit ad alterum: Non potuit non acceptari, supposito pacto, de quo supra, fuit ex proprijs, fuit ex aliàs indebitis; nec fuit ex acceptis ab ipso creditore. Cœterum quia res celebris est, & multis implicata difficultatibus, per sequentes SS. conabimur eam explicare.

S. I. *An Deus ex vi pacti, seu promissionis, possit obligari ex iustitia, seu dare ius creaturæ, quod sine iniuria violare non possit.*

445 Prima sententia tenet, quod dato quocumque pacto, & facta quacumque promissione, numquam Deus obligatur ex iustitia ad dandum, quod promisit, ac proinde Deus non potest creaturæ conferre ius aliquod, quod sine iniuria non potest violare. Sic Vasq. 1. *p. disp.* 85. *&* 86. *&* 1. 2. *disp.* 223. *& hoc loco disp.* 7. Molina 1. *p. q.* 21. *art.* 1. Lorca 1. 2. *disp.* 43. *membr.* 2. *& disp.* 44. Lessius *lib.* 10. *de perfect. diuin. c.* 6. *n.* 61. Lugo *disp.* 3. *sect.* 1. *n.* 4. vbi dicit esse communem inter recentiores suæ Societatis.

446 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Deus posito pacto, seu promissione potest obligari ex iustitia ad dandum id, quod promisit.* Sic S. Doctor 1. *p. q.* 21. *art.* 1. vbi Caiet. & alij, *& in* 2. *dist.* 27. *q.* 1. *art.* 3. vbi Capreolus, & alij. Suarez *opusc. de iust. Dei, & reuiuiscentia meritorum, & in præsenti disp.* 4. *sect.* 5. Bellarm. 5. *de iustific. cap.* 14. 16 *&* 17. Ledesm. 2. *parte* 4. *p.* 16. *art.* 14. *dub.* 7. Rebell. *de obligat. iust.* 1. *p. q.* 4. *sect.* 3. Zumel. 1. 2. *q.* 114. *art.* 1. *disp.* 1. *diffic.* 2. *& art.* 2. *disp.* 1. 2. *&* 3. & tenent omnes, qui docent, quod Christi satisfactio fuit ex rigorosa iustitia, vt N. Cornexus, Orlandus, Capullus, Aluarez, & alij hoc loco.

447 Hanc concl. fusè probaui in meo *tract. de merito disp.* 19. *q.* 8. *per totam*, vbi plura adduco Sacræ Scripturæ testimonia, hoc loco refero solum testimonium Concil. Trident. *sess.* 6. *cap.* 16: vbi hæc habentur. *Bene operantibus vsque in finem proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filij Dei per Christum Iesum misericorditer promissa: & tãquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis reddenda. Hæc est enim illa corona iustitiæ, quam post suum certamen, & cursum, repositam sibi esse aiebat Apostolus.* Hæc Tridentinum.

448 Occurrit Lugo dicta *disp.* 3. *sect.* 2. *n.* 35. quod cum Scriptura, & Patres ponunt in Deo iustitiam ex diuina promissione, non intelligunt iustitiam propriè dictam, sed latè, qua ratione venit fidelitas; fidelitas namque dicitur iustitia, quia ponit æqualitatem cum promissione, & in hoc etiam sensu Deus dicitur debitor, scilicet ex fidelitate, quàm si violaret, esset iniustus, iniustitia latè sumpta, prout opponitur ad iustitiam latam. Sed contra, nam licet promissio possit dici iustitia lata, & iustitia latè possit stare pro promissione, non tamen quando iustitia ponitur sub illis verbis. *Iustus iudex*, vt loquitur Apostolus; neque id quod datur vi simplicis promissionis dicitur dari vt corona, & à iusto iudice, vt vult idem Apostolus ad Timoth. 4. *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Deus iustus iudex*, quis vnquam rem datam in vim simplicis promissionis vocauit coronam iustitiæ, quam dat iustus iudex? Debent ergo hæc duo distingui etiam in

Deo,

Deo, simplex promissio, & hæc solum obligat sub fidelitate, & ex iustitia lata, & promissio stricta, seu pactum, vtrimque obligationem includens: in vno dandi mercedem, in alio ponendi opus laboriosum. Deus obligatur ex vi pacti ad dandam coronam laborantibus, & ponentibus opera laboriosa in sua vinea. Promissio quam facit Deus operantibus & bene agentibus non est liberalis, sed onerosa, includens strictum contractum *do, vt facias*, scilicet dabo coronam gloriæ, si ritè operaberis.

449 Probatur 1. nam vt docent cõmuniter Sancti Patres, & Scholastici, & Theologi, & colligitur ex locis Sacræ Scripturæ, quæ adduco loco citato, maximè ex illa parabola de vinea vbi Christus sub nomine Patris fam. promittit operarijs in ea laborantibus mercedem: *ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit dabo vobis*; inter Deum, & homines intercessit pactum, in quo Deus se obligauit dare mercedem laborantibus: *Et quod iustum fuerit dabo vobis*; sed pactum inducit obligationem propriæ iustitiæ; ergo, &c. Minor in quo est difficultas, quamque negat respectu Dei Lugo, & alij pro prima sententia citati, sic probatur 1. ex *l. 1. §. si conueniat, ff. de positi, & ex l. 1. ff. de pactis, & ex l. iurisgentium, §. Prætor ait, ff. eod. ex l. 1. ff. de constitut. pecun. ex l. cum amplius, ff. de reg. iur. & ex cap. 1. de pactis*, vbi expressè traditur, quod pacta obligant ex iustitia. Vnde Neuizan. *consil.* 12. *n.* 23. inter consilia Bruni, dicit, quod illa verba *pacta conuenta seruabo*, procedunt de ore Dei, ideo etiam Deus ligatur pacto, & Diabolus, & Princeps, & quod nulla maior iustitia est, quam pacta seruare. Plat. *consil.* 11. *in princ.* dicit, quod pacta nedum obligant priuatos, sed etiã Papam, & Imperatorem. Moron. *de tregua, & pace q.* 17. *n.* 2. ait, quod est iuris naturæ, quod pacta seruentur. Roland. à Valle *consil.* 100. *num.* 20. *lib.* 3. habet, quod nulla est maior iustitia, quam illa quæ ex pacto oritur, quia obligat secundum ius commune etiam apud Deum. Quocirca Gama *decis.* 276. *n.* 2. Surd. *decis.* 24. *à princ.* & alij dicunt quod & ipsa præscriptio in tantum obligat ex iustitia, in quantum habet vim pacti.

450 Probatur 2. ex definitione iustitiæ quam tradit Vlpianus *in l. iustitia, ff. de iustitia, & iur.* Iustinian. *in princ. Instit. eod. tit.* & ex illis omnes, tum Iuristæ, tum Canonistæ, tum Theologi, & Scholastici, scilicet. *Iustitia est constans, & perpetua voluntas, ius suum vnicuique tribuens*, sed Deus sine vlla imperfectione potest rem quam stricta promissione, & pacto promisit tribuere; ergo in Deo iustitia dari potest, & obligatio, non tantum fidelitatis ex simplici promissione, sed etiam ex rigorosa iustitia.

451 Occurrit Lugo *loco cit. nu.* 44. quod etiam Deus dat ius suum vnicuiq; non ex iustitia, sed ex liberalitate, dare namque ex iustitia imperfectionem importat: ius autem propriè dictum dari potest ex liberalitate; certum namque est, quod non omnis datio iuris, est actus iustitiæ, nam etiam testator dat ius hæredi in bonis hæreditarijs, & tamen ille non est actus iustitiæ, sed liberalitatis. In creatura autem non potest reperiri ius, quod Deus seruet, cum etiam omne illud ius esset Dei, propter supremum dominium, quod habet in creatura.

452 Sed contra, nam non stat, dare ius suum vnicuique, & non esse actum iustitiæ, aliàs dicta definitio non esset recta, qui enim liberaliter dat, non dat ius, seu non extinguit ius, licet possit transferre ius, qui enim alteri donat aliquid, transfert ius quod donans habebat in rem, in donatarium, non tamen dicitur dare ius in sensu dictæ definitionis, qui est dare quod debebat, ad quod alter habebat ius exigendi. Neque est imperfectio in hoc quod creatura habet ius exigendi à Deo v.g. gloriam, quam Deus illi ex pacto promisit, si rectè egerit, nec sequitur in Deo aliqua imperfectio. Nec ratio illius auctoris, quod in creatura non potest dari ius, quod Deus debeat seruare, eo quod illud ius est

Dei

Dei propter supremum ipsius dominiũ, aliquid valet, nam illud ius, cum sit quid creatum, & in creatura existens, est Dei secundum dominium altum, & supremum, est tamen creaturæ secundum dominium bassum. Peterem enim à Lugo an quando Deus dedit Adæ dominium super ista inferiora: *Dominamini piscibus maris, &c.* an reuera dederit homini aliquod ius super animalia, seu an abdicauerit à se aliquod dominium, vel non. Si hoc secundum, frustra dixit Deus *dominamini*. Si primum, fatendum est, quod abdicauit dominium bassum, non altum, quod est inabdicabile, idem dicat in nostro casu.

453 Probatur 3. nam si ob aliquam rationem Deus nõ posset obligari creaturæ v.g. homini; maximè ob fundamẽtum Cardin. de Lugo dicta *disp. 3. sect. 1. n. 5.* quia scilicet si Deus maneret obligatus creaturæ ex iustitia, non esset essentialiter, & perfectè Dominus vniuersorum; nam non haberet tunc Deus perfectum dominium, cum careret plena potestate morali vtendi re sua ad omnem vsum; dato namque quod Deus obligetur ex iustitia erga suas creaturas, non potest eis vti ad quemcumque vsũ: si enim creatura habet ius vt habeat à Deo v.g. gloriam; non potest ea vti non dando ei gloriam. Sed hæc ratio est nulla; ergo Deus potest obligari ex iustitia suis creaturis. Minor ostenditur, nam vt fusè probo. *De iustitia, & iure disp. 3. q. 2. S. vnico*, plenum, & perfectum dominium Dei, non tollitur ex eo, quod Deus à se abdicet dominium bassum, cum hoc de facto à se abdicauerit cum dixit Gen. 2. *Dominamini piscibus maris, & volatibus cæli, & ecce dedi vobis omnem herbam*, & iuxta illud. *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues, &c.* sed tolleretur si à se abdicaret dominiũ altum, vt probo loco cit. Atqui ex eo, quod Deus obligetur homini ad dandũ præmium si ritè agat, & operetur, non abdicat à se dominium altum, sed ad summum bassum, ergo sine vlla imperfectione potest creaturæ ex iustitia obligari. Minorem probo argumento euidenti, quod Lugo negare non poterit; nam quando respublica vendit bona sua communia alicui particulari, transfert in emptorem particularem ius bassum, quod in illa bona habebat, non tamen transfert ius altum quod habebat in illa eadem bona, vnde tempore necessitatis, belli, pestis, &c. potest illis vti absque iniuria emptoris; ergo pariformiter potest Deus se obligare homini v.g. ad dãdum illi gloriam si rectè operetur, & eam sibi per opera bona promereatur, vt tamen non abdicet à se dominium altũ, quo vti possit de potentia absoluta, eodem homine ad quoscumque vsus à sua prouidentia bene visos, si necessitas id reposceret. Vnde licet de potentia ordinaria non possit Deus sine læsione iustitiæ non conferre gloriam laborantibus promissam, id tamen facere posset de potentia absoluta, quia per illud pactum se obligauit Deus ad conferendã gloriam laborantibus secundum potentiam ordinariam, & non attentis, vt ita dicem, necessitatibus de potentia absoluta occurrentibus. Ad eum modum, quo respublica dum vendit sua bona alicui particulari se obligat ad non vtẽdis illis de potentia ordinaria, & extra casum necessitatis, non tamen se obligat ad non vtendum illis de potentia absoluta, & in casu necessitatis, cum per talem venditionem non se priuauerit dominio alto, sed tantum basso. Soluuntur argum. in contr.

454 Primum argum. in quo maximè fũdatur Lugo dicta *disp. 3. sect. 1. n. 22.* est, quia si Deus obligatur ex iustitia creaturæ, resultaret in creatura aliquod ius aduersus Deum, sed hoc repugnat dominio perfectissimo, quod seruus adquirat aliquod ius, quod ius non adquiratur Domino; ergo si creatura acquirit sibi aliquid, quod nõ acquiratur Deo sequitur, quod Deus non habeat perfectissimum dominium illius. Sicut si seruus acquireret aliquod ius, quod non acquireret Domino, argueretur quod Dominus non haberet perfectum dominium

nium illius. Explicat hoc exemplo Religiosi, qui cum per votum paupertatis transferat omnia sua in Religionem, nō potest postea obligare sibi eandem Religionem ex iustitia etiam sub conditione operis onerosi.

456 Resp.concedendo maiorem,eo namque ipso, quod Deus aliquid promisit creaturæ, sub contractu, vel pacto, aut conditione onerosa, & creatura purificat conditionem, resultat in creatura ius aduersus Deum vt seruet pactum, vt stet promissioni onerosæ, conferendo quod promisit. Deinde negatur minor, stat enim perfectissimum dominium Dei cum iure isto basso creaturæ. Perfectissimum namque Dei dominium non est bassum, sed altum, quod stat, stante illo iure basso creaturæ, quod Deus liberè, & volens per suum pactum quod pepigit cum creatura. Ad illud exemplum de seruo dico,quod stat perfectum dominium Domini in seruum, licet seruus habeat aliquod ius in Dominum, vt explico in meo *tract.de iustitia, & iure disp.3.q.8.* Deinde dato, quod non staret perfectum dominium in Domino respectu serui, adhuc staret in Deo respectu creaturæ. Ratio discriminis est,quia in Deo datur dominium altum, quod est ipsius proprium, quod durat ablegato basso, at Dominus non habet in seruum nisi dominium bassum, quod si ablegetur vel in toto, vel in parte, non manet perfectum. Ad exemplum de Religioso dico eodem modo, quod Religio non habet dominium altum in Religiosum, sed tantum bassum,ac proinde vt sit perfectum non potest conuenire Religioso contra Religionem. Deinde dico,quod inter Religionem, & Religiosum datur perfectus contractus, & perfecta vtrimque obligatio ex vi professionis qua Religio obligatur Religioso ad illum alendum, sustinendum, ad illi prouidendum iuxta proprium institutum,& Religiosus obligatur ad inseruiendum Religioni, iuxta talenta propria, & Prælati rectam dispositionem, vt alibi trado.

457 Secundum argum. eiusdem Card.de Lugo *loco cit. n.24.* est, quia si Deus posset obligari ex iustitia per contractum, aut promissionem suam,sequeretur, quod Deus ex suo pacto,aut promissione posset fieri seruus suæ creaturæ, sed hoc est falsum; ergo, &c.Minor nota est, nam aliàs Deus non esset perfectissimus Princeps, & Superior,si posset esse seruus, subditus, & vasallus alicuius sui subditi, & vasalli, & ob hanc rationem omnes tradunt, quod in Deo non potest esse obedientia,cum non possit habere superiorem, cui debeat obedire. Maiorem sic probat, quia sicut Deus potest per te obligari ex iustitia ad vnum opus faciendum volente Petro; ita poterit obligari ad duo, vel centum, vel mille, eadem enim est ratio. Poterit item obligari ad sternendum ei lectum, ad condiendos cibos, ad ministrandum in mensa, ad alia denique opera præstanda, quæ Petrus voluerit. Quid tunc deerit Deo ad veram seruitutem? Cum hæc vt dicimus,constituatur essentialiter per iustitiam, qua seruus ex iustitia debet suam operam exigente Domino. Hæc Lugo. Postea subdit.Hęc autem ratio non solum probat, non posse Deum obligare se ex iustitia cum tanta vniuersalitate ad omnem suam operam præstandam in omnibus ministerijs, sed etiam probat, non posse se obligare ad aliqua etiam parua opera, nec ad vnum quidem ex iustitia, quia sicut seruitus totalis conflatur ex obligatione ad omnia opera in vniuersum præstanda: ita seruitus partialis consistit in obligatione ex iustitia ad aliqua, vel ad aliquod opus præstandum.

458 Resp.negando sequelam maioris. Cum enim Deus ex suo pacto, vel promissione, qua se obligat creaturæ ex iustitia non se priuet, nec priuare possit dominio alto, quod habet in creaturam, non sequitur, quod fiat seruus suæ creaturæ. Sicut ex hoc, quod respublica per aliquem contractum obligatur suo subdito, non sequitur, quod fiat illius seruus: sicut neque ex eo quod Papa, Imperator, Rex,&c.per contractum aliquem

quem obligetur subdito, sequitur, quod fiant illius serui, quia semper retinent dominium altum in subditum. Deinde tunc quis fit alterius seruus, quando obligatur ad illi inseruiendum in ministerijs bassis, & proprijs seruorum, non quando obligatur ad aliquid, quod non repugnat dignitati, & conditioni ipsius. Deus autem cum se obligat creaturæ, se obligat ad id quod decet suam maiestatem, bonitatem, sapiētiam, & dominium altum, quod habet in suas creaturas.

§. II. An homo aliquid debeat Deo ex iustitia, seu an hominis ad Deum detur iustitia.

459 PRima sententia tenet, quod hominis ad Deum non detur iustitia, ac proinde, quod homo numquam possit violare aliquod ius in ordine ad Deum quod homo teneatur resarcire. Sic Vasq. *1.p.disp.85.cap.4.n.2. & hic disp.7.per totam*, & alij quos citat, Et sequuntur multi recentiores ex Patribus Societatis, vt testatur Lugo *hic disp.3.sect.3.n.54.*

460 Nostra sententia seq.concl.explicatur. *Homo potest aliquid Deo debere ex iustitia, ac proinde potest ipsum contra iustitiam offendere, vt peccatum habeat veram, & propriam rationem iniuriæ.* Sic tradunt communiter Thomistæ *1.p.q.21.* & hoc loco, quatenus volunt, quod Christi satisfactio fuit ex toto rigore iustitiæ.

461 Aliqui ita ampliant hanc conclusionem, vt velint quod omne peccatum inferat propriè dictam iniuriam Deo, ac proinde quod in peccatore resultat vera obligatio iustitiæ ad satisfaciendum Deo, ex propria iustitia. Vnde cum homo non potuerit hāc rigorosam satisfactionem ponere, venit Christus D. qui eam pro homine posuit. Hinc dicunt, quod Christus D. ex virtute iustitiæ, sicut & quilibet homo fuit obligatus ad non peccandum, & ad seruanda Dei præcepta, & insuper ad satisfaciendum pro nobis, cum ad hoc vltrò se obligauerit, sicut vnus homo potest se obligare ad soluēdum debitum alterius. Sic cum alijs tenet Suarez hoc loco *disp.4.sect.5. & tom.4.disp.2. sect.3. num.6. & disp.15.sect.3. & in opuscul.de iust.sect.2. n.9.* Addens, quod pœnitentia per quā nitimur compensare iniuriam Deo illatam, est vera, & propriè dicta iustitia, licet distincta ab ea qua hominibus satisfacimus. Et sic peccatum quodlibet est contra iustitiam pro quo nos satisfacimus per pœnitentiam, seu contritionem, eo tempore quo eius præceptum obligat. Addit præterea, quod Religio qua Deo debitum reddimus cultum, est propria, & rigorosa iustitia, & sic blasphemia, periurium, & omnia peccata contra Religionem, sunt contra iustitiam.

462 Cæterum hanc doctrinam non fuimus secuti, sed eam impugnauimus in nostro *tract.de pænit.disp.2. q.4.per totam*. Pro quo notauimus, quod eodem modo proportionabiliter loqui debemus de peccatis quæ committuntur in Deum, ac de illis quæ committuntur in homines. Vnus namque homo quantum ad præsens iustitiæ pertinet, potest alium offendere vel in rebus exterioribus, vt cum furatur, vsurpat, detinet rem illius, & ista offensio est vera, & propria iniuria, opposita iustitiæ commutatiuæ, & hæc tolli debet per actum iustitiæ commutatiuæ, quæ restitutio appellitatur, nam tantum reddit, quantum abstulit, vel quantum læsit, aut damnificauit. Vel potest homo offendere alium in actionibus, & passionibus, vt verberando, iniuriando, contumeliando, & offendendo in ijs, quæ ad materiam honoris pertinent, & horum damnorum reparatio, dicitur satisfactio. Est autem discrimen inter restitutionem, & satisfactionem, quod in restitutione attenditur res ablata, vt tantundem restituatur, quantum fuit ablatum. Cum enim hæc læsio non fuerit in persona,

sed in bonis externis, ponetur æqualitas, si tantum detur, quantum fuit ablatum. Vnde qui 100. furatus fuit, satisfacit, si 100. restituat, quando aliud damnum non fuit secutum. Qui læsit in fama, suæ satisfacit obligationi, si tantundem famæ restituat, quantum abstulit.

463 At in satisfactione attenditur conditio, & respectus personæ offensæ. Cum enim offensa non attendat res externas, sed personam offensam, quæ moraliter est subiectum offensæ, ideo satisfactio attēdere debet conditionem personæ offensæ: & sic cum per offensam persona contemnatur, & vilipendatur, debet hæc læsio resarciri per suum oppositum, scilicet per reuerentiam, per obsequium, per honorationem, per submissionem personæ offendentis, personę offensæ. Quocirca, quando persona offendens, est vilis, est ordinis, & conditionis inferioris, & persona offensa è cōtra, est ordinis superioris, æqualitas poni non potest, sed vltra obsequium datur veniæ petitio, per quam condonatur, quod per obsequium, submissionem &c. non extinguitur. Vnde notat S. D. 5. *Ethic. lect.* 8. quod quando nocumentum attenditur circa subtractionem rei exterioris, competit iustitiæ contrapassum; secus quando nocumentum attenditur secundum rationem, & conditionem personæ, vt supra vidimus. Et hæc etiam satisfactio ad iustitiam commutatiuam pertinet; cum enim fuerit lęsum ius personæ particularis, & hoc non pertineat ad iustitiam distributiuam, nec ad legalem, debet ad cōmutatiuam pertinere, quæ habet compensare ad æqualitatem vel absolutam, vel proportionis, secundum quod rei natura exigit.

464 Eodem proportionali modo discurrere possumus de peccatis in Deum commissis. Potest namque Deus offendi in bonis externis, v.g. in fama, vt cū quis murmurat, vel detrahit Deo, auferendo famam illius apud alios, dicendo illum esse inuidum, maleuolum, personarum acceptatorem, iniustum, immisericordem, &c. & hoc peccatum prout formalissimè est *iniuria*, & læsio famæ, per restitutionem compensatur, & quātum ad hoc præcisè sufficit, quod tantum restituatur, quantum fuit ablatum. Potest etiam Deus offendi in actionibus, & passionibus, vt eius imagines conculcando, blasphemias, contumelias, & conuitia in eum iactando; & hæc peccata non per restitutionem, sed per satisfactionem, seu per obsequium, per submissionem, per honorationem tolluntur; vbi non attenditur læsio, seu nocumentum in se, sed personæ conditio, quæ cum sit infinita, infinitam refundit iniuriæ grauitatem in peccatum, ac subinde satisfactionis inęqualitatem, quam subinde purus homo tollere non potuit, sed ad hoc necessarius fuit homo Deus, qui per actiones Teandricas, seu Dei viriles, seu Dei, virique, satisfaceret. Et sic cum tam restitutio, quàm satisfactio pertineant ad iustitiā, à iustitia poni debent, quæ alia esse non potest respectu Dei, nisi iustitia commutatiua infusa, ad quam pertinet tollere suo modo dictas inæqualitates. Vnde quando dicitur, quod inter Deum, & hominem: Dominum, & seruum: Patrem, & Filium non datur iustitia, intelligi debet secundum illas formales rationes hominis, & Dei; Domini, & serui, &c. secus quoad alias rationes, vt ostendo *de iustitia, & iure*.

465 Deinde, sicut apud homines vltra iniuriam in bonis externis, quæ restitutione compensatur; & vltra iniuriā consistentem in actionibus, & passionibus ad honorem pertinentibus, quæ tollitur per satisfactionem, datur ratio offensæ, quæ iniuria propriè dicta non est, nec iniustitia, vt cum quis sciente, & vidente Principe, eius leges transgreditur, eius mandata non seruat; tunc enim Princeps offenditur, & nulla ei iniuria irrogatur, nulla in eum iniustitia committitur, licet offendatur. Quod iniustitia non committatur, patet, cum non lædatur in bonis externis, vt in rebus, in fama; neque in persona, cum eius honor non lædatur verbis contumeliosis, blasphemijs, gestis irreuerētibus, &c. neque

etiam

etiam animo ipso, cum subditus transgrediens superioris mandatum, non habeat animum eum inhonorãdi, sed propriè inclinationi satisfaciendi. Ita apud Deum vltra iniuriam explicatam, datur offensa, quæ per omnia peccata diuagatur. Cum enim omnia à Deo prohibeantur, omnia sibi displiceant, maximè offenditur, cum in facie ipsius committantur, non solum quia per illa contemnitur, sed quia per illa ex affectu peccantis, destruitur, vt supra explicuimus.

466 Sed dices 1. nam non potest non esse contra iustitiam affectus destructiuum Dei, quem habet peccans dum peccat, peccans namque, vt supra vidimus, vellet Deum non esse, destruit Deum in ratione vltimi finis, constituẽdo sibi creaturam vltimum finem, ergo malè dicimus, quod non omne peccatum sit contra rigorosam iustitiam erga Deum. Antecedens admittunt omnes, nam affectus quo quis vellet Petrum inimicum occidi, opponitur iustitiæ sicut homicidium. Et affectus quo quis vellet furari, opponitur iustitiæ, sicut opponitur furtum; ergo etiam affectus quo peccator vult Deum non esse, opponitur iustitiæ, non minus ac si re ipsa peccator, per impossibile Deum destrueret, & faceret non esse. Tum quia est contra iustitiam velle Deum non esse vltimum finem, & ab eo auferre rationem vltimi finis, quæ ex rei natura sibi maximè competit.

467 Resp. ex hoc argumento solũ haberi, quod omnia peccata sint contra iustitiam Deo debitam vt non dextruatur ex affectu peccantis; vt sibi non auferatur ratio vltimi finis, &c. non tamen probat, quod omnia peccata sint formaliter, directè, & proximè contra iustitiam, & ex suo obiecto, vt sunt illa quæ Deum offendunt in bonis externis, v. g. in fama, & quæ Deũ offendunt in actionibus, & passionibus, vt cum positiuè contemnitur, cum eius imagines conculcantur, cum blasphemiæ, & conuitia in eum iactantur; ista namque peccata veram iniuriam contra iustitiam Deo debitam continent. Cœterum alia peccata, quæ in proximum, & in se ipsum committuntur, licet habeant rationem offensę, non tamen iniurię propriè dictæ, nisi ex consequenti, & secundariò, quatenus ex affectu peccantis Deum destruunt, ab eoque potissimum eius decorem, & perfectionem tollunt, quæ est ratio vltimi finis. Licet enim in foro hominis affectus non respiciatur, nec puniatur, nisi effectus sequatur, *l. cogitationis, ff. de pœnis, l. 1. in fin. ff. quod quisque iuris*, & tradunt ibid. Iuristæ, punitur tamen conatus in delictis atrocissimis læsæ maiestatis, veneficij, & assassinij, per Farin. *in praxi crim. p. 5. q. 122. n. 14. & 77.* tamen in foro Dei affectus punitur, respicitur, & attenditur, ac proinde offensam infert.

468 Dices 2. quod ex nostra doctrina, & sententia sequitur, quod satisfactio Christi saltem quoad illa peccata, quæ directè, & formaliter dicunt rationem offensæ, quæ propria iustitia non est, non fuerit de toto rigore iustitiæ, vbi enim in peccato non est propriè iniustitia, neque in satisfactione, iustitia, & rigor illius attendi debet. Quod si dicas, satisfecisse de toto rigore iustitiæ, pro illis peccatis, quæ propriam iniustitiam contra Deum continent; contra est, quia sola ratio offensæ vt supra vidimus, est infinita, non ratio iniustitiæ, nam Deus respectu offensæ tribuit infinitatem, quia illius respectu habet rationem subiecti moraliter. At respectu iniuriæ, habet rationem obiecti, quod nonnisi infinitatem secundum quid tribuit.

469 Resp. quod licet offensa directè non sit iniustitia, vt vidimus, nec inferat directè iniuriam, eam tamen infert, & est cum illa connexa, & quatenus cõnexa cum illa, sapit illius conditionem, connexorum enim idem est iudicium, *l. 3. §. iudicio contrario, ff. de contrar. act. tutel. l. proinde ff. ad leg. Aquil. l. cum actum ff. de negot. gestis. cap. translato, de constit. & cap. præterea, de offic. delegat.* Tum quia connexa moraliter reputantur idẽ, per

per Ligism. Scaciam *de appellat. qu.* 17. *limit.*21.*n.*26. Anchar. *consil* 160.*num.* 2. Crauet. *consil.* 275.*n.*4.*&* 5.*& consil.* 461. *n.*50. Surd. *decis.* 169.*n.*13. & alij. Igitur Christus D. satisfecit de toto rigore iustitiæ pro illis peccatis quæ directè iniustitiam dicunt, & satisfecit de toto rigore iustitiæ pro illis quæ iniustitiam inferunt. Et satisfecit de toto rigore iustitiæ pro ratione offensæ quæ in omnibus peccatis diuagatur, non solum quatenus ad æqualitatem eam abstulit, sed etiam quatenus homo tenebatur eam auferre. Licet enim offensa formalissimè, & directè non opponatur iustitiæ, & non sit formalissimè iniuria, sed offensa, quam nos per pœnitentiam debemus, non per iustitiam, non quidem ad æqualitatem, & perfectè; sed imperfectè, vt loco citato de pœnit. vidimus, tamen tenebamur ex iustitia auferre cum prout infert damnum iniuriæ contra iustitiam, tum prout est præcisè offensa, quæ licet directè nõ opponatur iustitiæ, ex iustitia tamen tenemur eam conferre, & hoc ius exigebat Deus à nobis, vt scilicet eum redintegraremus restituendo ei rationem vltimi finis, &c. Licet enim quis non habeat ius ad aliquid v. g. ad beneficium, habet tamen ius vt non impediamus, & vt tollamus impedimenta ad illius consecutionem; multò magis Deus habet ius vt tollamus offensam quæ est impedimentum ad consecutionem rationis vltimi finis, quæ est sibi debita à creaturis. Dici etiam potest, quod offensa, licet non sit iniustitia rigorosa bassa, est tamen iniustitia rigorosa alta, destruens rationem altam, & supremam Dei, quæ est ratio vltimi finis. Licet enim inter Deum, & hominem non sit ius bassum, est tamen ius altum, & iustitia alta. Sicut inter Deum, & hominem non est amicitia bassa, est tamen vera amicitia alta, vt in *tract. de iustitia, & iure* vidimus, quàm violat homo per peccatum, & ad quam resarciendam tenetur, ita datur iustitia alta, & propria Dei ad hominem, ad quam resarciendam tenetur homo, qui cum non possit eam ad æqualitatem ponere, eam posuit Christus ratione æqualitatis personæ cum Deo.

§. III. *An Christi D. satisfactio seruauerit primam iustitiæ conditionem, quod fuerit ad alterum.*

470 Non omnes illi, qui dicunt satisfactionem Christi D. non fuisse de rigore iustitiæ negant non fuisse ad alterum, quia hæc conditio non est ita propria iustitiæ quin etiam possit alijs virtutibus conuenire; nam distinctio, & alietas requiritur ad obedientiam, ad cultum, ad orationem, &c. quæ certum est fuisse in Christo, nam & obediuit, & coluit, & orauit frequenter Deum, ac proinde si fuit in Christo sufficiens distinctio, & alietas ad ista, potuit etiam esse ad satisfaciẽdum, ac proinde quantum ad hanc conditionem iustitiæ, dicunt eam non repugnare in Christo. Nihilominus tamen, quia aliqui negant rigorosam iustitiam in Christo D. etiam ex hoc capite, ideo hanc difficultatem excitamus, maximè quia sunt aliqua argumenta non leuia, quæ indigent discussione.

471 Communis ergo sententia est, quod *satisfactio Christi D. sit propriè ad alterum*, ac proinde ex hoc capite erit ex propria, & rigorosa iustitia. Hanc conditionem fusè explico *de iust. & iure q.* 5. *per totam*, vbi explico hanc distinctionem, & alietatem in Christo D. Ratio potissima constat ex dictis nu. præcedenti, nam non magis requiritur distinctio ad iustitiam, quàm ad obedientiam, ad cultum, ad orationem; sed in Christo D. fuit sufficiens distinctio, & alietas ad obedientiam, ad cultum, ad orationem; ergo etiam ad iustitiam. Minor nota est, constat namque ex historia Euangelica, quod Christus D. obediuit, coluit, & orauit Deum. Maior probatur, nam obedientia est inferioris ad superiorem, ac proinde ad alterum: cultus est alterius, non sui, & oratio non est ad se, sed ad alterum.

Sed

471 Sed dices, esse diuersam rationem, quia in prædictis sufficit distinctio naturarum, at ad iustitiam requiritur etiam distinctio suppositorum; nam ad obediendum sufficit voluntatum distinctio, idem dicendum de cultu, & de oratione; & dato, quod etiam requiratur distinctio suppositorum, hæc habetur inter Patrem, & Filium; at in offensa non habetur, quia in offensa etiam suppositum Verbi fuit subiectum offensæ, non solum quia per peccatum tota Trinitas offenditur, ac proinde etiam ipsum suppositum Verbi, à quo non distinguitur suppositum Christi; sed etiam quia in aliquibus peccatis, & potissimè in peccato primi parentis, pro quo delendo maximè venit Verbum diuinum, fuit specialiter secunda persona offensa, cum fuerit offensa sapientia, quæ secundæ personæ tribuitur, & sic cum secunda persona fuerit offensa, non potuit esse satisfaciens sibi ad æqualitatem, & ex iustitia, cum persona offensa, & satisfaciens non distinguantur, nec habeant alietatem inter sese.

472 Pro huius difficultatis intelligentia sciendum, quod licet peccata aliqua per quandam appropriationem diuinis personis in se tribuantur, tamen omne peccatum primò & directè est cōtra Deum vt vnum: Deus namque quatenus est vnus, primò, & per se offenditur, nam offenditur, quatenus peccata prohibet, quatenus eius præcepta aliqua lege, siue naturali, siue alia, ab eo nobis imposita, violantur; leges autem, & præcepta nobis imponuntur à Deo, vt est vnus, ac proinde hoc modo immediatè offenditur, licet mediatè, & secundariò, offendatur etiam vt trinus. Cum ergo satisfactio correspondeat offensæ, oportet, quod immediatè, & directè fiat Deo vt vno, licet mediatè, & secundariò fiat diuinis personis. Hoc posito, dico, quod Verbum diuinum vt subsistens in natura humana habet sufficientem alietatem, & distinctionem, vt satisfaciat ex iustitia, primò, & immediatè Deo vt vno, & in eo tribus diuinis personis, vt sunt vnum, deinde secundariò etiam illis, & sibimetipsi vt ab alijs personis distinguitur, & prout fuit subiectum offensæ, quod apertè colligitur ex doctrina S.P. August. *lib.* 10. *de ciuit. c.* 20. vbi apertè tradit, quod Christus D. obtulit sacrificium suum non solum Deo vt vno, sed etiam Patri, Spiritui S. & etiam sibi. Primo toti Trinitati, seu Deo vt vno, postea diuinis personis sigillatim. Quod primò Deo, vt vno, docet Apostolus 1. ad Tim. 2. dicens. *Vnus Deus, vnus mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus*. Quod secundò etiam sibi, docet idem Apost. 2. Cor. 5. ibi. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.*

473 Deinde probatur, & explicatur magis distinctio, & alietas in Christo ad satisfaciendum de rigore iustitiæ, ex dicto testimonio Apostoli ad Tim. 1. nam ea distinctio sufficit in Christo ad satisfaciendum de rigore iustitiæ, quæ sufficit ad rationem mediatoris, seu vt sit mediator Dei, & hominum; sed in Christo datur sufficiens distinctio, seu alietas, vt sit verè, & propriè mediator Dei, & hominum; ergo etiam dabitur sufficiens distinctio, & alietas, vt sit propriè satisfaciens, ac proinde de rigore iustitiæ.

474 Occurret aliquis dari in Christo sufficientem distinctionem vt sit propriè mediator apud Deum, non vt sit mediator apud se ipsum vt eius suppositum subsistit in natura diuina. Sic etiā dabitur in Christo sufficiens alietas vt in natura humana satisfaciat Deo vt vno, Patri, & Spiritui S. non tamen vt satisfaciat sibi vt subsistenti in natura diuina, prout etiam hoc modo, saltem mediatè fuit subiectum offensæ. Sed contra, quia Christus D. non solum fuit mediator respectu personę Patris, & Spiritus S. sed etiam respectu sui vt Dei, vt clarè colligitur ex citato Apostoli testimonio. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, dicitur namque Christus mediator, quatenus moriendo per nobis, nos Deo reconciliauit. Si ergo suppositum Christi vt subsistens in natura hu-

humana habet sufficientem distinctionem, & alietatem, vt petit esse mediator, & reconciliator, etiam sibi, etiam habebit sufficientem alietatem vt sibi ex iustitia satisfaciat.

475 Demum probatur, & explicatur sufficientia distinctionis, & alietatis, ad satisfaciendum de toto rigore iustitiæ, nam ad sufficientiam huius alietatis, sufficit vt qui exercet actum satisfactionis habeat distinctum ius, distinctum dominium, distinctamque naturam liberè operantem, à iure, dominio, & natura eius cui fit satisfactio, vel ius iustitię redditur. Sed in Christo D. pro nobis satisfaciente datur distinctum ius, distinctum dominium, distinctaque natura, distincta à se ipso vt est persona cui fit satisfactio; ergo, &c. Maior constat ex dictis à nobis dicta *disp.* 1. *q.* 5. *de iust.* & alibi, nam ratio, & necessitas alteritatis, seu alietatis in materia iustitiæ, est vt vtrinque mutua resultet obligatio: vt vtrinque sit ius disponendi de eo quod datur in compēsationem: vt vtrinque ius seruetur, & vtrinque iustum constituatur per iusti, & debiti restitutionem; sed vbi dantur distincta dominia, distincta iura, ista dantur; ergo, &c. Vbi namque dantur duæ naturæ realiter distinctæ, vbi dantur earumdem naturarum diuersæ actiones liberæ, ibi vtrinque possunt esse diuersa iura, diuersi contractus constitui possunt; ibique iustum vtrinque potest constitui; ergo, &c. Tum quia proprium est liberæ voluntatis posse se ipsam obligare, & vbi sunt duæ liberæ voluntates, habentes speciale ius, poterunt se inuicem obligare, quoad propria iura, de quibus possunt disponere. Minor probatur, nam in Christo D. datur speciale ius, & speciale dominium in eius liberas actiones. Sunt in Christo duæ naturæ impermixtæ, diuina scilicet, & humana, & non satisfecit per actiones diuinæ, sed humanæ naturæ, quæ diuersæ sunt, & fundant diuersum ius ab illis. Sunt in Christo duæ voluntates, diuina, & humana, habentes diuersa iura, diuersaque dominia suarum operationum; ergo, &c. Et hæc magis explicabuntur in solutionibus argumentorum.

476 Primum argum. Christus D. vt satisfaciens, non est propriè alter ab eo, cui satisfecit, ergo eius satisfactio quantum est ex hac prima conditione non fuit ex perfecta, & rigorosa iustitia. Antecedens probatur, nam Christus D. satisfecit Deo, sed non est propriè alter à Deo, cum ipsemet sit Deus, & satisfecit vt Deus homo, & per actiones *Teandricas*, idest Dei, virique; ergo, &c. Resp. distinguendo antecedens, non est propriè alter formaliter realiter ratione diuersi suppositi, conceditur: virtualiter, & ratione eiusdem quidem suppositi, sed prout fundat diuersa iura, per diuersas naturas, per diuersas voluntates, & per diuersas actiones earum, negatur. Ad veram, & propriam iustitiam sufficit distinctio suppositi virtualis cum reali distinctione iurium, dominiorum: naturarum, voluntatum, & actionum, sicut sufficit ad veram, & propriam rationem mediatoris, vt diximus. Benè verum est, quod Aristoteles, qui neque hoc, neq; alia nostræ fidei mysteria cognouit, ad veram, & propriam iustitiam requirit etiam realem suppositorum distinctionem, quia non cognouit quod possit dari diuersitas naturarum, iurium, & dominiorum, voluntatum, & actionum sine diuersitate suppositorum. Si enim hanc veritatem cognouisset veram iustitiam admisisset in nostro casu. In tantum enim requirebat distinctionem suppositorum, in quantum requirebat distinctionem iurium inter quæ iustitia exercetur.

477 Secundum argum. nam si vna, eademque anima rationalis duas haberet voluntates habentes diuersa iura, diuersa dominia, diuersas actiones, non possent fundare sufficientem alteritatem ad iustitiam, ergo neque in Christo fundabitur. Ad hoc argumentum respondet Card. de Lugo *hic disp.* 4. *sect.* 1. *n.* 4. quod inter duas illas voluntates in eadem anima, non posse esse sufficiens alteritas ad fundandam iustitiam, quia licet,

Licet, inquit, voluntas ponatur distincta à substantia animæ, adhuc debet concedi influxus immediatus ipsius animæ in operationes, quia operationes animæ non sunt liberæ formaliter prout à volũtate, sed prout ab anima, quæ sola determinat cætera principia ad operandũ, voluntas verò concurrit cum anima sicut concurrit habitus infusus non liberè, sed determinatus per concursum ipsius animæ. Quare sicut duplex habitus iustitiæ in eadem voluntate non sufficeret ad iustitiam vnius ad alium, sic nec duplex volũtas in eadem anima, nec enim vna posset alteri resistere propter subordinationem ad eandem animam liberè operantem per vtramque voluntatem.

478 Verum hæc responsio plura continet, quæ longa indigerẽt impugnatione, sed non est huius loci, ne extra chorum saltemus. In primis namque falsum est, quod anima habeat immediatum influxum in operationes voluntatis, suarumque potentiarum, vt enim rectè ostendunt N. Complut. in Physica ex D. Thoma, substantia non est immediatè operatiua, taliter quod neque essentiæ diuinæ hoc concedatur, quæ neque ad intra, neque ad extra sit immediatè operatiua. Vnde ab omnibus reprobatur vt parum tuta sententia Durandi, qui voluit, quod diuinæ processiones non sint operationes intellectus, & voluntatis, sed emanationes immediatè ab essentia. Secundò falsum est, quod operationes non sint liberæ, prout à voluntate, sed prout ab anima. Anima namque est solum principium liberum radicaliter, non formaliter, & proximè, nec indifferentia operationis, quę ad libertatem requiritur, est in anima, sed in voluntate, vt omnes tradunt, & nos aduertimus in 1.2. *cum N. Salmant.* Tertiò falsum est, quod voluntas solum concurrit cum anima sicut concurrit habitus infusus, non liberè, sed determinatus per concursum animæ, nam hinc sequeretur, quod voluntas non esset potentia libera animæ, sed habitus illius, non data ad operandum, sed ad determinandam animam ad operationem. Hinc etiam sequeretur, quod voluntas non esset appetitus, motus per obiecti propositionem ab intellectu factam, sed anima ipsa esset appetitus, esset voluntas, moueretur ab intellectu, imò moueretur à se ipsa, cum id quod dicit de voluntate, dici debeat de intellectu.

479 Resp. ergo 1. ad argum. concedendo antecedens, & negando conseq. Ratio discriminis est, quia distinctio solarum voluntatum in eadem anima non videtur sufficiens ad fundanda diuersa iura propriè dicta, & diuersa dominia, quia dominia propriè dicta debent esse diuersa non solum in actu secundo, sed etiam debent supponi diuersa in actu primo, quod non contingit quando est tantum vnum principium *quod*, & vnum principium *quo*, scilicet vna natura, seu vna anima. At quando sunt duæ naturę etiam in vno supposito, in vno principio *quod*, saluatur diuersitas principij *quo* radicalis, ac proinde diuersitas iurium. Vnde si in eodem supposito humano essent duæ naturæ Petri, & Pauli, posset esse vera iustitia, ratione diuersorum principiorum *quo* formalium, tunc enim vna natura posset contradicere alteri, media propria voluntate, & posset etiam aliã offendere, illique satisfacere, quod proportione seruata cõtingit in Christo.

480 Resp. 2. negando antecedens, dato namque quod in eodem homine essent duæ voluntates, tunc vna posset alteri contradicere, alteri se opponere, & repugnare, aliam offendere, illique satisfacere. Cum enim illæ duæ voluntates essent formaliter liberæ, essent dominæ suarum operationum, ac proinde possent fundare diuersa iura, diuersaque dominia illarum; vbi enim est diuersa libertas, potest esse diuersitas iurium, & dominiorum, cum iura, & dominia in libertate fundentur. Dominium namque vt trado *de iust. & iure disp. 2. q. 1. per tot. est ius vtendi re in proprium commodum, modo iure non prohibeatur*; quod in libertate fundatur, cum ius vtendi sit voluntatis, & prohibitio liberæ voluntati fiat.

Tum quia actus iustitiæ consistit in obligatione, & iure disponēdi de suo, quodcumque illud sit; vnaquæque autem illarum voluntatum posset disponere de suo, v.g. de suis actionibus quomodo vellet; vnde posset disponere in commodum alterius, in obsequium illius, & etiā in incommodum.

481 Tertium argum. quoniam quo minor est alteritas, eo minus perfecta est iustitia, sed in Christo D. alteritas est minor quam sit vnius hominis ad alium; nam ista est alteritas suppositorum realiter distinctorum, quæ non reperitur in Christo vt sibi in natura diuina satisfaciente; ergo, &c. Deinde neque reperitur alteritas respectu suppositi Patris, & Spiritus S. nam inter supposita diuina potius reperitur *alietas*, iuxta illud D. Athanasij in symbolo. *Alia est persona Patris, alia Filij, & alia Spiritus S.* nec Filius dicitur *alter* à Patre, quia hæc particula *alter* præter distinctionem personalitatis, importat etiam distinctionem in natura. Resp. quod alteritas propriè requisita ad iustitiam; non est alteritas suppositorum, sed naturarum, iurium, dominiorum, operationum: alteritas namque suppositorum in tantum requiritur, vt dicebamus, in quantum requiritur alteritas naturarum, iurium, &c. Hæc autem alteritas naturarum, iurium, &c quæ ad iustitiam requiritur, est perfectissima. Nos autem hoc loco pro eodem accipimus alteritatem, & alietatem, cum non loquamur de alteritate suppositorum diuinorum vt affert diuersitatem naturarum, quod in diuinis esse non potest, sed de alteritate vt ad naturas applicatur.

§. IV. An Christi D. satisfactio habuerit secundam conditionem n. 436. relatam, quod non potuerit nō acceptari.

482 CErtum est ex dictis supra, quod satisfactio Christi D. antecedenter ad pactum de illa acceptāda, potuerit non acceptari, iudex enim in exercendo actu iustitiæ vindicatiuæ, seu punitiuæ, non obligatur ad illum exercendum circa aliam personam distinctam ab ea quæ re ipsa deliquit, seu quæ crimen commisit; ergo neque Deus tenebatur acceptare satisfactionē Christi D. pro nobis qui deliquimus, & peccata commisimus; ea namque acceptatio est quidam actus iustitię vindicatiuę, quo Deus vindicat peccata omnium hominum in ipso Christo. Tum quia non magis obligatur Deus admittere commutationem nostræ satisfactionis, seu quam nos tenebamur ponere, in eam quam pro nobis posuit Christus, quàm teneatur quilibet homo rem suam alteri vendere pretio æquiualenti: imò longè minus, cum Dei dominium sit absolutissimum, & nulli subiectum, vt est dominium cuiuslibet hominis priuati.

483 Nec valet dicere 1. quod quoties satisfactio est æqualis debito, non potest non acceptari à quocumque offeratur; sed satisfactio Christi est ęqualis nostro debito; ergo non potuit non acceptari. Resp. maiorem esse veram quando satisfactio offertur ab eo, qui eam debet, non quando offertur ab eo, qui eam non debet, maximè quando qui eam non debet est longè superior debitore, & satisfactio est capitalis. Vnde si filius Principis vellet subire mortē, quam aliquis reus vilis subire tenetur, non tenetur Princeps eam acceptare.

484 Nec valet dicere 2. quod quilibet actus satisfactorius Christi sit potentior quolibet peccato mortali, imò omnibus simul; sed vt peccatum mortale inducat priuationem gratiæ, obligationem subeundi pœnam æternam, &c. nullum requiritur pactum; ergo vt satisfactio Christi extinguat nostrū debitum, nullum requiretur pactum. Resp. concessa maiori, & minori, negando conseq. Est enim excellentior, & potentior Christi satisfactio quolibet peccato, sed posita conditione, quod sit satisfactio, non est autem satisfactio nisi pactum intercedat, antecedenter namque ad pactum, est opus bonum, infiniti valoris, sed non est satisfactorium. At peccatum

ratum ex se, suaque natura nullo posito pacto, illos producit effectus.

485 Sed quæres 1. quo tempore fuerit hoc pactum initum? Ratio difficultatis est, quia non potuit fieri ante incarnationem, quia ante hanc non erat voluntas Christi, quæ in hoc pactum consentiret, pactum namque est quidam contractus vtrimque obligatorius, ac proinde requirens vtriusque existentiã. Si dicatur quod fuit factum in ipsa incarnatione, seu peracto mysterio incarnationis, adhuc est difficultas, quia satisfactio Christi cœpit habere effectum ab ipsa mundi origine cum cœpit gratia redemptiua hominibus conferri, qua ratione Christus D. Apocal. 13. dicitur: *Agnus occisus ab origine mundi*, non potest autem antecedenter ad pactum satisfactio Christi habere valorem. Resp. quod hoc pactum prout dicit actum voluntatis Dei fuit ab æterno; & prout dicit actum voluntatis humanæ Christi fuit peracto hoc mysterio, cum dixit per Apostolum. *Ingrediens mundum dicit: Ecce ego vt faciam Deus voluntatem tuam*. Ad illud quod in contrarium objicitur, dico, quod Deus non conferebat ab origine mundi gratiam redemptiuam in virtute pacti iam positi ex parte vtriusque voluntatis, sed ponendi.

486 Quæres 2. an pactum Dei cum Christo inito de eius satisfactione pro nobis acceptanda, minuat rationem rigorosæ, & perfectæ iustitiæ? Resp. negatiuè. Constat in omnibus ferè contractibus onerosis, & perfectæ iustitiæ, in quibus pactum intercedit, vt quod pretium non soluatur in pecunia, sed in alia re, quod expectetur solutio pretij, quod postea fiat retrouenditio, &c. quod maximè verum habet in pactis extrinsecis, quæ scilicet non minuunt valorem pretij. Vnde in nostro casu licet fuerit gratia quod Deus pacisceretur de acceptanda Christi satisfactione pro nobis, tamen hæc gratia cum sit extrinseca, scilicet non minuens satisfactionem, nec qua contentaretur minori quam sit debitum, non minuit rigorem iustitiæ. Sit exemplum. Petrus habet equum quem non vult vendere, rogatus tamen ab amico vendit illum iusto pretio, tunc vẽditio est contractus onerosus, & ex rigorosa iustitia. Secus esset si in gratiam amici venderet minoris, tunc enim non esset contractus ex rigore iustitiæ, cum gratis pars valoris æqui remitteretur.

487 His positis pro faciliori intellectu difficultatis propositæ, dico, quod posito eo pacto Dei de acceptanda Christi D. satisfactione non potuit resilire, seu recedere, & non acceptare, ac proinde etiam quantum ad hanc conditionem, satisfactio Christi D. fuit ex perfecta, & rigorosa iustitia. Ratio est, quia est de ratione satisfactionis vsquequaque completæ, & perfectæ, quod nõ possit non acceptari, sed dato diuino pacto, diuinauè acceptatione, satisfactio Christi est vsquæquaque completa, & perfecta; ergo non potest non acceptari, antecedenter namque ad diuinam acceptationem opera Christi habent valorem, & condignitatem adæquatam debito, imò & superexcedentem, non tamen in actu secundo: completur namque valor operum Christi in ratione satisfactionis per pactum, & acceptationem.

S. V. An Christi D. satisfactio habuerit tertiam conditionem nu. 436. relatam, quod scilicet fuerit ex proprijs.

488 PRima sententia est, quod non fuit ex proprijs ipsius Christi, ac proinde cum non seruauerit hanc cõditionem ad perfectam, & rigorosam iustitiam, non fuit ex rigorosa iustitia. Sic tenent Ioan. Medina *C. de pænit. tract.* 3. *q.* 1. Vasq. *hoc loco disp.* 7. *cap.* 5. & *disp.* 8. *cap.* 3. & alij ex PP Societatis.

489 Nostra, communis, & vera sententia seq. concl. explicatur. *Satisfactio Christi D. fuit ex proprijs ipsius*. Sic tenent N. P. Cornexus, Orlandus, & omnes discipuli D. Thomæ hoc loco. Capreol. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 1. *art.* 3. Ferrarien-

riensis 4. *contra Gent. cap.* 54. & alij cōmuniter. Hanc concl. explicui in meo *tract. de iustitia, & iure disp.* 1. *q.* 5. §. 1. *à n.* 85. Pro quo notaui, quod Christi D. actiones prout erant satisfactoriæ includebant personam Verbi diuini, à qua accipiebant infinitatem valoris, quam valoris infinitatem participabant ratione cuiusdam reflexionis supra eandem Verbi personam, supra suppositum, secundum quam rationem, ita erant propriæ Verbi incarnati, vt nulli alij diuinarum personarum conuenirent; nam à nulla valorem accipiebant, à nulla sustentabantur, neque ab ipsa Verbi persona vt subsistebat in natura diuina, sed solum ab ipsa persona Verbi vt subsistebat in natura humana. Quocirca in actionibus satisfactorijs Christi D. duo considerari possunt. Primum est illarum entitas, substantia, seu essentia. Secundum earum reflexio supra personā Verbi, earum submissio eidem personæ, eiusdem personæ inclusio per modum quasi formæ; ratione quorum, vt supra vidimus, infinitum valorem, infinitamque dignitatem participant.

490 Ex dictis duobus, quę in actionibus satisfactorijs Christi reperiuntur, primum fundat titulum dominij toti Trinitati communem, cum tota Trinitas ad entitatem, & substantiam dictarum actionum concurrat, & ab illa vt sic dependeant. Ad hunc titulum potest etiā reuocari ratio libertatis, quæ in Christo fundat specialem dominij titulum, sicut & in nobis, qui ratione libertatis dicimur Domini nostrarum operationum liberarum. Per neutrum ex istis titulis Christus satisfecit pro nobis. Non per primum, quia est communis toti Trinitati, nec vt sic est proportionatus ad ponendam satisfactionem. Nec per alium, quia licet ad satisfaciendum requiratur ratio libertatis, in ea tamen non fundatur, sed in valore, & dignitate. Solum secundum fundat rationem satisfactionis, nam valor operum Christi fundatur in ipsa actuali submissione personę Christi medijs dictis actionibus satisfactorijs, desumitur etiam ex illa reflexione actionum super personā Christi, & istę actiones secundum hanc rationem cum sint propriæ Christi, sequitur, quod eius satisfactio verè, & propriè fuerit ex proprijs.

491 Ex istis sic suppositis non erit difficile probare nostram conclusionem 1. quia illa satisfactio est ex proprijs, quæ fit per id quod est solius satisfacientis proprium, & taliter, quod non possit alteri conuenire, sed actiones Christi per quas satisfecit, secundum valorem, & dignitatem quam habebant erant solius Christi satisfacientis, taliter, quod non possent conuenire vlli personæ diuinæ, neque Verbi vt est suppositum naturæ diuinæ, ergo Christi satisfactio fuit ex proprijs ipsius Christi. Maior patet, eamque concedunt aduersarij, solumque negant minorem, quam sic probo ex dictis, nam actiones satisfactoriæ Christi suum valorem accipiebāt ex persona Verbi, non vt est suppositum naturæ diuinæ, sed vt est suppositum naturæ humanæ modo explicato; ergo, &c.

492 Probatur 2. satisfecit per actiones liberas, ac proinde quarum dominium erat proprium, licet enim libertas nuda non sit fundamentum valoris, & dignitatis infinitæ, tamen, vt dicebamus *n.* 490. ad eam supponitur; ergo cum libertas ad satisfactionem supposita sit sub dominio Christi, etiam valor qui postea sequitur in actionibus liberis erit sub dominio eiusdem Christi. Confirmatur, nam satisfactio Christi D. in tantum fuit talis, in quantum personalitas Verbi se submittebat in actionibus liberis Christi, se in illis humiliabat, se exinaniebat, & dimittebat; sed hoc modo fuit ita propria Christi, vt nullo modo posset conuenire nec toti Trinitati, nec personæ Patris, aut Spiritus S. nec ipsi personę Verbi vt subsistit in natura diuina; ergo illa satisfactio fuit propria Christi, ac proinde Christus Dominus satisfecit ex proprijs, & sic ex rigore iustitiæ. Soluuntur argumenta in contrarium.

Pri-

493 Primum argum. nam ille satisfacit ex proprijs, qui ex eo satisfacit de quo habet plenum, & perfectum dominium, vt possit in omnem vsum lege non prohibitum disponere, vt vidimus *de iust. & iure disp.* 1. *q.* 1. Sed in Christo non fuit hoc dominium, ergo non satisfecit ex proprijs. Minor probatur, nam dominium fundatur, in voluntate, propterea probauimus *in d. tract. de iustitia disp.* 3. *qu.* 1. quod creaturæ irrationales sunt incapaces dominij, quia carent voluntate, quæ est fundamentum illius; sed in Christo dominium non fundatur in voluntate diuina, nec in humana; ergo, &c. Non in diuina, quia cum hæc sit communis tribus personis diuinis, facit dominium esse commune eisdem personis diuinis. Neque in humana, quia quicquid est sub dominio voluntatis humanæ, sicut etiam cuiuscumque alterius creaturæ, est sub dominio Dei, ac proinde Christus D. satisfaciendo per id, quod est sub dominio suæ voluntatis humanæ, non satisfecit ex proprijs.

494 Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dico, quod dominium fundatur in voluntate tanquam in principio *quo*, non tanquam in principio *quod*. Vnde in nostro casu humana Christi voluntas est principium *quo* eliciciuum actionis liberæ ex qua, vel in qua postea ponitur valor, & dignitas ad satisfactionem condignam, tamen dominium vt *quod*, est suppositi Verbi vt in natura humana subsistentis. Dominium namque vt *quod*, est suppositi, licet supponatur voluntas ad illud. Vel dicas quod humana voluntas habet dominium actionũ Christi quoad entitatem, quoad substantiam, & quoad libertatem, & hoc modo hoc dominium est etiam proprium Dei. Tamen dominium valoris infiniti, & infinitæ dignitatis, est suppositi à quo causatur, à quo habetur. Vel etiam dicas, quod actiones satisfactoriæ Christi qua ratione egrediuntur ab humana eius voluntate sunt sub dominio Dei sicut & ipsa natura humana. Cæterum vt à supposito sustentantur, vt ab eo quasi moraliter informantur, vt ab eo dignitatem accipiunt, &c. sunt sub dominio eiusdem suppositi. Vel demum dicas, quod actiones satisfactoriæ Christi, quæ à voluntate humana eliciebantur tantum erant sub dominio Dei prout Deus sua efficientia, & concursu concurrebat, non tamen secundum quod à supposito sustentabantur, & dignificabantur, ad hoc enim non se extendebat Dei concursus effectiuus, sed quasi passiuus suppositi Verbi diuini.

495 Secundum argum. per quod solutio præcedens impugnatur est, nam actiones Christi non possunt esse satisfactoriæ nisi fiant, & sint; sed vt fiant, & sint requirunt necessariò concursũ Dei, ratione cuius sunt sub dominio Dei; ergo vt sint meritoriæ debent esse sub dominio Dei. Resp. distinguendo maiorem: non possunt esse satisfactoriæ nisi fiant, & sint, ita quod ab eo à quo sunt, & fiunt accipiant suum valorem, & dignitatem, negatur: vt accipiant solum fieri, & esse, conceditur. Ratione ergo concursus Dei quo fiunt, & sunt, sunt sub dominio Dei, at ratione valoris, & dignitatis quam accipiunt à Verbo diuino, sunt sub illius dominio.

496 Tertium argum. nam Verbum diuinum ita habet esse à Patre, vt etiam ab eo habeat vim sustentandi naturam humanam, & eius actiones satisfactorias dignificandi; ergo actiones Christi satisfactoriæ sunt Patris etiam quoad earum valorem, & dignitatem. Resp. distinguendo antecedens. Verbum diuinum habet esse à Patre, vt etiam ab eo habeat vim sustentandi naturam, &c. vt maneat sub dominio Patris, & negatur; vt non maneat sub dominio Patris, &c. conceditur. Igitur Verbum diuinum ita habet esse à Patre, vt non maneat sub dominio Patris, sed manet suum, ac proinde dignitas, & valor quem tribuit humanitati, & actionibus illius, non erit Patris, sed erit suus, scilicet Verbi diuini, ac subinde actiones satisfactoriæ erunt propriæ Verbi humanitatem sustentantis.

ſtentantis, non Patris. Aliàs ipſa vnio hypoſtatica eſſet Patris, non Verbi. Sicut enim filius in creatis habet eſſe à Patre, non tamen id quod facit filius, maximè in genere cauſæ, aut quaſi cauſæ formalis, facit Pater; ita in diuinis Verbum accipit eſſe à Patre, quaſi in genere cauſæ efficientis demptis imperfectionibus, non tamen totum id quod facit Verbum, maximè in genere cauſæ formalis eſt Patris, & facit Pater.

497 Quartum argum. nam ſatisfactio de rigore iuſtitiæ, ita debet fieri ex proprijs, vt non ſit ex bonis ab ipſo creditore acceptis, ſed ſatisfactio Chriſti eſt ex bonis à Deo acceptis; ergo, &c. Minor probatur, nam ſatisfactio Chriſti eſt ex vnione hypoſtatica, quam à Deo accepit; ergo, &c. Reſp. negando minorem. Ad probationem dico, quod gratia vnionis conceſſa fuit humanitati, non Chriſto; non enim Verbum diuinum vt ſubſiſtens in natura humana gratiam vnionis recepit; nec ex eo, quod eſt facta humanitati, ſequitur quod ſit facta Verbo, nec Chriſto; ſicut nec ex hoc quod humanitas fuit aſſumpta, fuit Chriſtus aſſumptus.

498 Quintum argum. nam ad rigoroſam ſatisfactionem requiritur, quod ſatisfaciens ponat aliquid ſub dominio ſatisfacti, quod aliàs non erat, ſed Chriſti ſatisfactio nihil ponit ſub dominio Dei quod prius non erat; ergo. Minor probatur, Chriſtus vt ingreditur ſatisfactionem tribuendo ei valorem, & dignitatem, non poteſt poni ſub dominio Dei, cum ſit Deus. Reſp. negando maiorem, ad ſatisfactionem namque ſufficit (quando ſatisfactio eſt pro iniuria, vel offenſa) quod aliquid fiat in obſequium illius qui iniuriam paſſus eſt: neque requiritur, quod aliquid detur, quod reſultet in commodum illius cui fit ſatisfactio, ſed ſufficit quod reſultet in obſequium, vt etiam contingit in humanis; nam veniæ petitio v.g. non reſultat in commodum offenſi, ſed in obſequium, honorem, & reuerentiam.

499 Sextum argum. per quod tradita ſolutio impugnatur, eſt; nam ſatisfactio, quæ eſt actus iuſtitiæ licet ſit pro offenſa, vel iniuria, ſeu in materia honoris, & non verſetur in datis, & acceptis; eſt vera reſtitutio, cum ordinetur ad reparandum damnum illatum offenſo; ergo etiam in iſta debet dari aliquid quod tranſeat in dominium, & commodum offenſi. Conſeq. probatur ex differentia quæ eſt inter reſtitutionem in datis, & acceptis, & reſtitutionem in iniurijs, & offenſis, quæ contra honorem, & reuerentiam fiunt, quod reſtitutio in datis, & acceptis fit in pecunia. At in iſta, reſtituitur honor, ac proinde requiritur, quod honor qui redditur non ſit ſub dominio offenſi, ſed debet ab offendente dari offenſo, vt ſub illius dominio poſtea cedat, & in eius commodum reſultet. Reſp. concedendo antecedens, & negando conſeq. nam de ratione ſatisfactionis vt ſic, ſicut etiam de ratione reſtitutionis, vt ſic, non eſt, quod fiat ex rebus quæ non ſint ſub dominio morali creditoris, etiam quando reſtitutio eſt in datis, & acceptis, ſed ſufficit quod ſit ex rebus quæ non ſunt ſub dominio phyſico; vt contingit in eo qui furatus eſt veſtem, aut librum, ſufficit enim, quod rem ablatam reſtituat, quæ adhuc erat ſub dominio morali ſui domini, licet non eſſet ſub dominio phyſico. Sic in reſtitutione honoris, dato quod ille idem reſtituatur, reſtituitur ille qui eſt ſub dominio Domini moraliter, non phyſicè. Dixi dato quod ille idem reſtituatur, quia vt alibi oſtendo reſtituitur ſolum æquiualens.

500 Septimum argum. nam ſatisfactio ſecundum ſuum valorem eſt aliquid creatum, ergo eſt ſub dominio Dei. Conſeq. nota eſt, eo namque ipſo quod aliquid eſt creatum, titulo ſaltem creationis debet eſſe Dei, magis namque creatura eſt creatoris, quàm ſit ſua. Antecedens probatur, nam valor, & dignitas ſatisfactionis non eſt ipſa perſonalitas Verbi, ſed aliquid ab ea diſtinctum, & inhærens ipſis actionibus ſatisfactorijs, quod autem inhæret actionibus

crea-

creatis debet esse creatum, ac proinde sub dominio Dei. Tum quia dato quod valor ille esset ipsa Verbi diuini personalitas, adhuc per illam non potest fieri satisfactio ex proprijs, quia licet personalitas Verbi non sit sub dominio Dei, est tamen verè, & propriè ipsus Dei per identitatem, esse autẽ alterius per identitatem, est esse illius, seu sub eius possessione modo quodam altiori, & digniori. Resp. ex dictis supra, quod re vera valor satisfactionis est aliquid creatum, est enim quidam modus actionis, resultans in illa ex dignitate personæ, ac proinde cum ipsa personæ dignitate commensuratur, & sic est infinitus ex infinitate diuinæ personæ. Tamen qua valor formalissimè non dicit esse creatum. Pro quo nota, quod ille modus potest considerari duobus modis. Primò vt respicit suam causam efficientem, & hoc modo est quid creatum, & est sub dominio Dei. Secundò prout respicit, vel includit suam causam formalem, scilicet Verbi diuini personalitatem, à qua recipit suam dignitatem, & ęstimabilitatem, seu valorem, & hoc modo non dicit esse quid creatum, licet aliàs sit quid creatũ.

§. VI. An satisfactio Christi D habuerit 4. conditionem nu. 436. relatam, quod fuerit ex proprijs bonis, & non ex bonis aliàs debitis, seu quod fiat ex indebitis.

501 DE ratione satisfactionis, vt ostendi *de iust. & iure disp.* 1. *qu.* 5. §. 2. est, quod fiat ex indebitis; qui enim debet centum alicui titulo donationis, & alia centum titulo emptionis, non satisfacit vtrique titulo dando centum, nam per dationem centum, solum extinguit debitum vnius tituli, non vtriusque cum pro vno titulo nihil redderet. Sed dices, quia potest quis vno opere satisfacere pluribus obligationibus, & præceptis, vt si in eadem die contingat esse vigiliam, & esse tempus quadragesimę, vel quatuor temporũ, &c. quod etiam currit in rigorosa iustitia vt cum quis accepit pecuniam à Petro vt eat Bononiam ad eius negotium peragendum, potest etiam accipere pecuniã à Paulo, vt sibi in eadem ciuitate negotium gerat, quando æquè vtile est vtrique opus illius. Resp. posse quidem quẽdam satisfacere vno opere duobus, quando illud opus est æquè vtile vtriq; non tamen potest centum dare vtrique, nec per centum extinguere duplex debitum non solum respectu eiusdem, sed neque respectu diuersorum, cum sint de illis centum duo tituli diuersi, & datio centum non est æquè vtilis pro duobus titulis ac pro vno, vt ex se liquet.

502 Igitur prima sententia est, quod satisfactio Christi D. non fuit ex indebitis, sed ex alijs titulis debita, ac proinde non seruauit hanc quartam conditionẽ, ad rigorosam iustitiam necessariam. Hanc sententiam tenet Vasq. *hoc loco disp.* 8. *cap.* 2. Medina *C. de pœnit. tract.* 3. *q.* 1. & alij.

503 Nostra, & communis sententia seq. concl. explicatur. *Christi D. satisfactio fuit ex indebitis, ac proinde fuit de rigore iustitiæ.* Sic tenent omnes, qui docent, quod satisfactio Christi fuit de rigore iustitiæ, videantur discipuli D. Th. hoc loco, & omnes quos §. præcedenti citauimus pro nostra concl.

504 Hæc sententia non eodem modo ab omnibus defenditur. Aliqui namque dicunt, quod licet opus finitum, & limitatum non possit dissoluere duplex debitum, tamen opus infiniti valoris potest pro multis, & infinitis debitis satisfacere. Et sic cum opera Christi essent infiniti valoris, per illa poterat æquè satisfacere omnibus debitis, & sic satisfecit debito obedientiæ, debito gratitudinis, Religionis, charitatis, &c. Cœterũ hũc modum dicendi impugnant aliqui, quia licet opus valoris infiniti possit adæquare plura debita finita, non tamen plura debita infinita; sed debita Christi ex titulo satisfactionis pro nostris peccatis, ex titulo gratitudinis pro beneficio incarnationis, & alijs; ex titulo Religionis, &c. sunt infinita, ergo vnico opere

non

non potuit æquè pro omnibus satisfacere. Nihilominus iste modus dicendi optimè potest sustineri; nam satisfactio Christi non habet tantum vnicam infinitatem, sicut nec persona Verbi, sed infinitas infinitates, ac proinde potest extinguere infinita debita; Vnde dum Christus D. satisfecit pro vno debito, per vnam v. g. infinitatem, satisfecit ex indebitis.

505 Potest hic modus dicēdi explicari ex eleganti doctrina P. Nazarij hic circa explicationē tertiæ conditionis rigorosæ iustitiæ, nam tanta erat dignitas personæ Christi vt ex illa deriuarentur plures infinitates, ad merita, ad satisfactiones, ad gratiarum actiones, ad Religionis actum, ad obedientiam, & taliter, quod vna, eademque operatio, omnes illas haberet infinitates. Sicut enim vna, eademque operatio plures habere potest rationes formales in genere moris, puta meriti, satisfactionis, gratiarum actiones, obedientiæ, &c. vt etiā in nobis contingit: possumus namque vno, eodemque opere mereri, satisfacere, obedire, gratias agere, seu in gratiarum actionem referre, &c. ita & in Christo: vnde idem opus Christi potuit habere plures infinitates, pluribus dictis rationibus, & pluribus operationibus correspondentes. Quocirca per infinitatem quam habebat illud opus in ratione meriti, meruit infinitè. Et per infinitatem quam habebat ad satisfaciendum, satisfecit infinitè. Et per infinitatem quam habebat in ratione gratiarum actionis, infinitas gratias egit pro omnibus beneficijs acceptis, &c. & sic ad satisfaciendum, suam tantum applicuit infinitatem, non alijs titulis debitam, cum alijs titulis sua corresponderet infinitas, qua illis satisfieret.

506 P. Suarez *hic disp. 4. sect. 6. §. tertia conditio* dicit, quod satisfactio de rigore iustitiæ debet esse ex alijs indebitis eodem titulo iustitiæ, licet possit esse debita ex alijs titulis, vt gratitudinis, obedientiæ, misericordiæ, &c. sæpè namque videmus in humanis aliquem soluendo debitum iustitiæ, adimplere præceptum superioris, exercere actum misericordiæ, gratitudinis, &c.

507 Hunc modum dicendi impugnant Lugo *disp. 4. sect. 3. n. 27.* Orlandus *disp. 2. q. 10.* Cornexus *disp. 5. dub. 7.* Cipullus *dub. 6. n. 49.* & alij. Nam satisfactio ad æqualitatem, & de rigore iustitiæ, non debet esse alio titulo debita, aliàs non esset ad æqualitatem. Præterea, quia vt arguit Orlandus si quis vouisset dare calicem alicui Ecclesiæ, & postea ex contractu, aut furto alium eiusdem pretij, & valoris eidem deberet, non posset solo vno calice vtrique obligationi satisfacere, cum tamen vna obligatio esset ex religione, seu voto, alia ex iustitia. Alia adducit Lugo contra Suarez vt quod etiam vterque titulus sit ex iustitia; nam debitum pro peccato est ex iustitia, & opera Christi debentur Deo ex iustitia, quia ea ex iustitia exigere poterat vt Dominus. Et per oppositum probat, quod vna actione potest quis satisfacere duplici titulo ex iustitia, vt cum quis promisit Bertæ, & Patri eius se velle eam ducere in vxorem, vnico actu vtrique obligationi satisfacit, eam ducendo, sicut vtramque violat si eam non ducat.

508 Verùm modus dicendi P. Suarez potest optimè defendi. Et incipiendo ab isto vltimo, dico quod non semper vno actu potest quis duplici, aut pluribus obligationibus satisfacere, sed tunc tantum quando vterque actus iustitiæ est de eodem opere, vt cum quis eandem rem promisit duobus vt in casu promissionis factæ Bertæ de ea ducenda, & Patri eius. Aut quando idem actus est æquè vtilis vtrique, secus non, vt in casu debiti pecuniarij; solutio namque centum non est æquè vtilis pro debito ducentum, nec vtrumque æquat centum. Dictum autem Suarez loquitur in hoc casu, & in casu satisfactionis pro iniuria, aut offensa, quia iniuria vt 10. non extinguitur per obsequium vt quinque. Neque verum est, quod vterque titulus sit ex iustitia, cum antecedenter

ad

ad pactum Christus D. de iustitia ad nihil teneretur, neque pro nostris peccatis. Ad illud de vouente calicem, & debente alium ex furto, aut contractu, dico quod per dationem vnius non satisfacit; sed debet duos dare: vnum pro furto, aut contractu, & alium ratione voti. De primo nulli dubium est: de secundo etiam patet, quia aliàs votum non seruaret, cum Deo promiserit dare eum calicem Ecclesiæ. At in casu satisfactionis Christi non extat promissio de satisfactione applicanda pro gratitudine, pro gratiarum actione, &c. Si enim hæc promissio supponeretur, deberet pro illa applicari, etsi applicaretur ad satisfaciendum ad pro peccatis nostris, non esset de rigore iustitiæ, cum esset per promissionem ad alium titulum applicata.

509 Modus communis quem communiter sequuntur Theologi hoc loco, & maximè Lugo, Cipullus, & alij locis citatis est, quia licet opera satisfactoria Christi D. essent Deo debita innumeris titulis remotè, & quasi in actu primo, non tamen proximè. Pro quo notant, quod duplex obligatio considerari potest in creatura ad aliquid satisfaciendum: remota, & proxima. Remota est illa qua creatura secundum se considerata debet aliquid alicui v.g. Deo etiam secundum se considerato. Et ista non fundat titulum actualis exigentiæ, sed quod possit exigi, & si exigatur, debet reddi. Proxima est actualis exigentia, qua Deus vult opera Christi v.g. sibi offerri pro hoc, aut illo titulo, vt dominij, & tunc quando exiguntur v.g. titulo dominij, non possunt deseruire ad extinguendum titulum rigorosum iustitiæ, cum alio titulo debeantur, & exigantur. Cum ergo opera Christi non sint Deo debita alijs titulis, cum ob istos non exigantur, sequitur quod possint optimè deseruire ad extinguendum titulum iustitiæ, satisfaciendo rigorosè pro nobis, quia licet dicta opera possent exigi alijs titulis, & sic remotè essent multis modis debita, tamen proximè non erunt debita, & sic proximè satisfecit ex indebitis.

510 Iste modus dicendi licet sit communis, sua tamen non caret difficultate, nam frustra dicitur, quod Deus non exigat dicta opera Christi ob alios titulos, constat enim quod passionem, & mortem exigebat Deus à Christo D. titulo obedientiæ, quod maximè verum est in via D.Thomæ, de quo infra, quod scilicet Deus exegit dictam passionem, & mortem medio præcepto obedientiæ. Et dato quod Christus nō habuerit præceptum moriendi, adhuc Deus exigebat ab eo mortem, aliàs non orasset in horto: *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*, scilicet mortis. Nec bene diceret Apostolus, *Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem*. Si enim Pater non exegisset mortem titulo obedientiæ, non diceretur obediens moriendo.

511 Nec valet respondere, quod licet mors fuerit debita titulo obedientiæ tamen alia Christi opera fuerunt libera, ac proinde per illa potuit ex indebitis satisfacere de rigore iustitiæ. Nam contra est, quia de alijs Christi operibus quid Deus exegerit nescimus. Tum quia opus redemptionis in sola passione, & morte, maximè fuit executum, ac proinde si ista fuerunt alijs titulis debita, vt titulo obedientiæ, non potuit per illa satisfieri de rigore iustitiæ cum non fuerint omnino indebita, sed alio titulo debita.

512 Alij alium modum dicendi adducunt, quod scilicet quando multiplicatis titulis multiplicantur etiam debita, non potest eadem solutione illis satisfieri, ac proinde si opus applicetur ad extinguendum vnum debitum, vel illud solum extinguit, cæteris remanentibus, vel nullum rigorosè extinguit, cum opus sit alijs titulis debitum. Cæterum quando ex multiplicatione titulorum non multiplicantur debita, tunc per vnū opus potest rigorosè debitum extingui licet ex pluribus titulis debeat illud opus poni. Sit exemplum. Petrus de-

bet 100. Paulo ratione contractus, tenetur ex iustitia illa centum soluere; tenetur ex obedientia, quia superior præcipit illam solutionem; tenetur titulo charitatis, & misericordiæ cum sit in necessitate, & tamen vnica solutione extinguit debitum, omnibus illis titulis satisfaciendo.

513 Neque iste modus satisfacit, nam licet vnico opere, vnica solutione possit quis extinguere debitum rei, ad quod quis tenetur pluribus titulis, & sic etiam illis satisfacere. Cæterum quando debitum non est de re, sed de ipsis operationibus, non potest satisfieri vnica operatione. In nostro autem casu debitum non erat de re, sed de ipsis operationibus. Nam Christus D. tenebatur agere gratias Deo pro beneficio incarnationis: tenebatur amare Deum summo modo: tenebatur Deum colere: tenebatur actus obedientiæ elicere: tenebatur pro nobis satisfacere ratione pacti initi, & videtur quod non vnum actum ad extinguendum vnum debitum ordinauerit: alium ad extinguendum aliud, &c. sed quod singulos actus, ad extinguenda omnia illa debita ordinauerit. Hoc enim est maioris perfectionis, vt etiam patet in nobis: maioris namque perfectionis est tribuere singulis actibus omnes perfectiones, quam vnum tantum: maioris perfectionis est ponere actum ex motiuis plurium virtutum, quã vnius tantum. Cum ergo singuli actus Christi essent ordinati ad extinguenda debita plurium titulorum, respectu vnius non poterat esse ex indebitis. Tenendus est ergo primus modus dicendi. Soluuntur argum. in contrarium.

514 Primum argum. nam potuit Deus exigere omnia opera Christi titulo v.g. gratitudinis, ergo non satisfecit de rigore iustitiæ, & ex indebitis. Resp. quod cum in quocumque opere Christi essent tot formalitates, quot motiua correspondentia omnibus titulis quibus Christus intendebat satisfacere, & ad singulas formalitates, seu motiua descenderet ex Verbo diuino infinita perfectio, infinitans valorem illarum singularum formalitatum, seu motiuorum, sequitur quod prout actus habebat infinitum valorem gratiarum actionis, pro hoc debito satisfaciebat ad æqualitatẽ: prout habebat infinitum valorem gratitudinis, pro hoc debito satisfaciebat: prout habebat infinitum valorem secũdum motiuum amoris, pro hoc debito satisfaciebat: prout habebat valorem infinitum satisfaciendi, pro hoc debito satisfaciebat, & cum quantum ad hoc motiuum, & quantum ad infinitatem valoris, & dignitatis illius non esset alijs titulis debitus, cum per alias infinitates esset debitus, erat ex indebitis.

515 Secundum argum. nam potest Deus exigere à Christo titulo gratitudinis omnes actus illius, & cum cunctis eius formalitatibus, motiuis, valoribus, & dignitatibus, quas ex infinitate personæ Verbi participant, ergo tunc non esset actus satisfactorius ex aliàs indebitis. Resp. quod propriè loquendo pro titulo gratitudinis nonnisi infinitas gratitudinis exigi potest, cum per hanc perfectissimè, & adæquatè illi satisfiat. Quod si Deus cunctas infinitates exigeret, cum non essent debitæ, non tolleretur quin satisfactio non esset ex aliàs indebitis.

§. VII. An satisfactio Christi D. habuerit 5. conditionem, n. 436. relatam, quod non fuerit ex acceptis ab ipso creditore.

516 HVius difficultatis resolutio ferè constat ex dictis, claritatis tamen gratia distinctè eam proponimus. Dicendum ergo, quod Christi satisfactio habuit etiam hanc conditionem ad rigorosam iustitiam, quod scilicet non fuit ex acceptis ab ipso creditore, scilicet à Deo, sed facta fuit ex bonis proprijs ipsius Christi D. Licet enim, vt supra dicebamus, persona Verbi à qua operationes Christi satisfactoriæ suã accipiebant dignitatem, & valorem esset à Patre, in ratione principij, seu tanquam à principio productiuo, tamen in ra-

ratione causæ quasi formalis intrinsecæ absque vlla imperfectione suam accipiebant dignitatem, & valorem, ac proinde Christi satisfactio erat ex bonis proprijs ipsius Christi, non ipsius creditoris, scilicet Dei, quod magis ex solutionibus sequentium argumentorum colligetur.

517 Primum argum. nam vna ex conditionibus ad rigorosam satisfactionem est, quod non sit ex gratuito acceptis ab ipso creditore, sed satisfactio Christi D. fuit huiusmodi; ergo, &c. Minor probatur, nam quicquid habuit Christus ad satisfaciendum, habuit à Patre, iuxta illud Christi D. ad Patrem. *Pater omnia mea tua sunt.* Resp. 1. ex dictis n. præced. quod licet Christus D. omnia acceperit à Patre vt à principio, tamē personalitate iam accepta, & sibi appropriata, & non manente sub dominio Patris, cum vna persona non sit sub dominio alterius, de suo satisfecit, & de suo actionibus satisfactorijs tribuit dignitatem, ac proinde non satisfecit formalissimè ex bonis à Patre acceptis, sed ex proprijs. Resp. 2. quod licet ad rigorem satisfactionis requiratur, quod non fiat ex acceptis à creditore, tamen hoc non intelligitur de acceptis quocumque modo, sed de acceptis formaliter supra æqualitatem contractus, seu satisfactionis, quatenus ex gratia creditoris acceptatur vt æquiualens, & adæquata cum non sit. Resp. 3. quod licet ad rigorem satisfactionis, vel restitutionis requiratur quod non fiat ex bonis creditoris, quæ maneāt sub dominio eiusdem creditoris, tamen potest fieri ex bonis, quæ aliàs erant creditoris, sed iam translata sunt sub dominio ipsius debitoris, tunc enim si ex illis satisfaciat, satisfacit de rigore iustitiæ, quia licet illa bona essent prius creditoris, modo tamen sunt propria ipsius debitoris. Bona autem Christi licet fuerint Patris, modo tamen sunt ipsius propria. Licet vnio hypostatica, gratia, & alia dona acceperit Christus à Deo; tamen sunt antecedentia contractum, ac proinde non impediunt rigorosam iustitiam, cum gratia non fiat satisfactioni.

518 Secundum argum. nam satisfactio facta fuit medio Dei auxilio, ad satisfactionem concurrente, quod auxiliū aliqui vocant gratiam concomitantem, ergo non fuit ex bonis proprijs, sed à creditore acceptis; auxilium namque seu concursus Dei est gratia sine qua Christi satisfactio non fuisset posita. Respond. quod Dei auxilium, seu concursus est gratia respectu satisfactionis vt actio quædam est, vt entitas, &c. non tamen est gratia respectu actionis satisfactoriæ ratione valoris, & dignitatis, quam recipit à personalitate; ad hanc namque concursus non datur, cum ea dignitas habeatur in genere causæ formalis absque informatione, non absque terminatione. Concursus autem pertinet ad genus causæ efficientes. Vel dicas quod concursus requiritur ad satisfactionem materialiter, non formaliter, vt ex dictis constat.

519 Ex dictis in præcedentibus §§. clarè colligitur, quod Christi D. satisfactio fuerit de toto rigore iustitiæ. Cum enim obseruauerit omnes conditiones iustitiæ, & satisfactionis rigorosæ, vt hucusque vidimus, sequitur, quod fuerit de toto rigore iustitiæ. Tum quia illa satisfactio est de toto rigore iustitiæ, quæ ius propriè sumptum seruat; sed in Christi satisfactione ius propriè sumptum seruatur, ergo, &c. Christi namque satisfactio tantum reddit Deo, quantum nos reddere debebamus, licet impotentes essemus. Nostra tamen impotentia ad satisfaciendum ex stricta iustitia, non tollit, quo minus debitum non esset satisfaciendum ex stricta iustitia; sicut ex eo quod fur est impotens ad satisfaciendum, non sequitur, quod debitum non sit ex perfecta iustitia, & quod ex perfecta iustitia non exigat tolli. Sequitur tamen, quod sicut fur ob impotentiā excusatur ad restitutionē, & quod non peccet nouo peccato. Ita homo ob impotētiam excusabatur à satisfactione, non tamen ob hoc à peccato contracto liberabatur.

§.VIII. Cuius iustitia actus fuerit Christi satisfactio.

510 IVstitia vt trado in meo *tract. de iust. & iure disp. 9. 17. & 18.* diuiditur primò in generalem, quæ alio nomine vocatur legalis, & in particularem, quæ postea subdiuiditur in distributiuam, & commutatiuam, ad quam reuocatur iustitia vindicatiua, vt ostendo loco citato à *nu. 364.* Conueniunt omnes, quod satisfactio non sit actus iustitiæ legalis, seu generalis, quia ista iustitia est in Principe iustum, seu ius debitum communitati respiciente, vt scilicet communitas seruetur illæsa. Cæterum Christi satisfactio respicit primò, & per se ius Dei læsum, quod resarciat: non respicit communitatem vt seruetur, sed Principem totius communitatis iam læsum, vt in integrum restituat per satisfactionem perfectam: satisfactio Christi respicit reparationem iuris læsi, & iustitia legalis obseruantiam legum per quã communitas conseruatur, procurat. Vnde licet Christi satisfactio secundariò cedat in bonum humanæ communitatis, quatenus à peccatis liberatur, tamen hoc per se primò non inspicitur; & si inspiceretur adhuc satisfactio non esset actus iustitiæ legalis, cum hæc per se primò non respiciat liberationem communitatis, sed eius conseruationem per legum obseruantiam. Vel dicas solum ex hoc sequi, quod communitas humana sit id pro quo fit satisfactio, non persona cui fit satisfactio.

521 Conueniunt etiam plerique Theologi, quod satisfactio non sit actus iustitiæ distributiuæ, nam iustitia distributiua consistit in distributione bonorum communitatis, attenta dignitate, necessitate, meritis, & conditione personarum quibus bona distribui debent. Christi autem satisfactio non respexit bonorum distributionem, sed iustam Dei à nobis offensi compensationem. Difficultas tantum est de iustitia commutatiua, an scilicet Christi satisfactio fuerit actus iustitiæ commutatiuæ.

522 Prima sentẽtia est, quod Christi satisfactio non fuerit actus iustitiæ commutatiuæ. Ita tenent omnes, qui volunt, quod Christi satisfactio non fuerit de toto rigore iustitiæ, vel etiam nullo modo. Hanc tenent Vasquez hoc loco *disp. 7. & 8.* Suarez *hic disp. 4. sect. 5. §. Tertius modus*, vbi vult, quod fuerit actus virtutis Religionis. Lugo *disp. 3. & 4.* per totas, & alij extra Scholam Diui Thomæ.

523 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Christi D. satisfactio fuit actus veræ, & propriæ iustitiæ commutatiuæ.* Sic tenent discipuli D. Thomæ. Caiet. 2. *Cor. 5.* circa finem. Medina, Aluarez, Nazar. Cipullus, & alij hoc loco. Colligitur ex Sacra Scriptura, quatenus Christi satisfactionem vocat redemptionem, emptionem, solutionem, &c. quæ verba sonant actum iustitiæ commutatiuæ. Imò Psalm. 88. vocatur commutatio, quam exprobrauerunt Iudæi. *Exprobrauerunt commutationem Christi tui*, vt ibidem explicat Ecclesię lumen S. Pater August.

524 Ex quibus sic probatur 1. conclus. Vbi est emptio, & venditio, redemptio, & commutatio, ibi est perfecta iustitia commutatiua; sed satisfactio Christi D. est emptio generis humani. 1. Cor. 6. ibi. *Empti enim estis pretio magno*. Est redemptio, & commutatio, vt patet; ergo est perfecta iustitia commutatiua. Nam Christus redemit nos sanguine suo, illum namque pro nobis effudit Matth. vlt. *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Nos eodem sanguine emit, & suum sanguinem in nostram salutem commutauit.

525 Probatur 2. nam ibi reperitur iustitia commutatiua, vbi seruatur æqualitas dati, & accepti, cum pacto de dando, & accipiendo; sed in satisfactione Christi D. reperitur perfecta æqualitas dati, & accepti, scilicet datæ iniuriæ, & acceptæ satisfactionis, seu acceptę iniuriæ, & datæ satisfactionis, cum pacto de acce-

acceptanda satisfactione, pro iniuria à nobis data; ergo in satisfactione Christi reperitur iustitia commutatiua. Maiorem docent omnes, & constat in omnibus humanis commutationibus. Minor etiam constat ex dictis, nam Christi satisfactio fuit omnino æqualis offensæ, & intercessit pactum inter Christum D. & Deum de danda, & acceptanda satisfactione, vt supra vidimus, ergo, &c. Soluuntur argumenta in contrarium.

526 Primum argum. nam iustitia cõmutatiua est inter æquales, sed Christus D. vt satisfaciens non est æqualis Deo cui fit satisfactio; ergo, satisfactio Christi non est ex iustitia commutatiua. Maior nota est, vt enim vidimus *de iust. & iure* iustitia legalis est partis ad totum; iustitia commutatiua est totius ad partem, vel partes, & iustitia commutatiua est partis, ad partem, seu est inter partes, ac proinde inter æquales. Minor probatur, nam Christus D. vt satisfaciens se habet vt se submittens, vt se subijciens Patri, vt se humilians: *Exinaniuit semetipsum vsque ad mortem*, ac proinde se habuit vt inferior, non vt æqualis; ergo, &c. Resp. negando minorem; licet namque Christus D. quoad naturam humanam esset inferior Deo, tamen quoad suppositum, erat æqualis. Vel dicas, quod dato, & non concesso, quod Christus D. esset inferior Deo, tamen adhuc daretur iustitia commutatiua, quia in tantum inter inæquales non datur iustitia commutatiua, in quantum non potest esse æquale; nam si inferior det ęquale, potest habere iustitiam commutatiuam cum superiori, vt patet in contractibus qui exercentur inter Principem, & subditum.

527 Secundum argum. nam satisfactio Christi D. fuit actus elicitus à Religione; ergo non fuit actus elicitus à iustitia commutatiua. Antecedens colligitur ex illo Apostoli ad Ephes. 5. *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorẽ suauitatis.* Et tradit S. Doctor *infra q. 48. art. 3.* Resp. quod satisfactio Christi fuit actus iustitię commutatiuæ, & etiam pertinuit ad Religionem prout ordinabatur ad cultum Dei. Vnus enim, & idem actus potest elici ab vna virtute, & imperari, seu fieri ex motiuis plurium.

528 Tertium argum. Ad merendũ in Christo D. non requiritur, nec ponitur virtus specialis; ergo neque ad satisfaciendum. Conseq. constat, est enim eadem ratio meriti, & satisfactionis. Antecedens probatur, nam in nobis nulla ponitur virtus ad merendum, cum meritum sequatur quemcumque virtutis actum; ergo neque in Christo. Resp. negando consequ. Ratio discriminis est, quia satisfactio non est cuiuscumque virtutis actus, sed ponens æqualitatem inter datam offensam, & satisfactionem, ac proinde respicit proprium, ac speciale motiuum, & meritum, nullum sibi speciale motiuum determinat, sufficit quod sit opus bonum ex gratia proueniens, cuiuscumque virtutis.

529 Quartum argum. nam peccata pro quibus Christus D. satisfecit, non sunt solum contra vnam virtutem, sed contra omnes, ergo etiam satisfactio debuit ab omnibus virtutibus poni. Resp. quod reuera ad satisfactionem ponendam concurrerunt omnes virtutes, cum fuerit ex motiuis omnium virtutum, potissimè tamen, & elicitiuè à sola iustitia commutatiua fuit, vt iam ostendimus.

530 Quintum argum. nam satisfactio debuit esse actus illius virtutis contra quam homo peccauit; sed homo nõ peccauit contra iustitiam commutatiuã; ergo satisfactio non fuit ex iustitia commutatiua. Maior constat ex illo. *Per quæ quis peccat, per hæc & punitur*, ac proinde qui non peccat contra iustitiam, per illum punire non debet: satisfactio namque est quædam punitio, vel est quædam restauratio illius quod per peccatum est læsum, vel deperditum; vnde videmus quod qui peccauit furando, punitur per restitutionem, non per veniæ petitionem; ergo si semel peccatum non est contra iustitiam, satisfactio non debet esse opus iustitiæ. Minor etiam

etiam constat, quia inter Deum, & hominem non datur propria iustitia commutatiua, ac proinde peccata non sunt contra hanc iustitiam. Resp. negando minorem; iam enim vidimus supra, quod omnia peccata quatenus sunt offensa Dei, cum ex affectu destruunt ius vltimi finis corrumpunt, &c. sunt contra ius Dei, ac proinde contra iustitiam commutatiuam, quæ requirit compensationem ad æqualitatem.

531 Sed quæres 1. an iustitia commutatiua per quam Christus D. pro nobis satisfecit, sit virtus infusa, & supernaturalis? Resp. affirmatiuè, nam eius obiectum specificatiuum est supernaturale; restaurat namque hæc virtus ius Dei læsum quod est supernaturale. Omne namque peccatum destruit ex affectu peccantis, Deum est noster vltimus finis supernaturalis. Virtus autem quæ habet obiectum entitatiuè supernaturale est supernaturalis, & per se infusa, vt in 1.2 vidimus.

532 Quæres 2. an in nobis detur aliqua iustitia commutatiua infusa, quæ sit eiusdem speciei cum illa per quam Christus D. pro nobis satisfecit. Prima sententia est, quod ista virtus in nobis non detur. Hanc sequitur M. Cipullus *hac q.1. art.2. dub.7. n.10.* quia, inquit, licet gratia Christi sit eiusdem speciei cum nostra, tamen in Christo potest esse radix alicuius virtutis, cuius non est radix in nobis, & è contra, ratione capacitatis, vel incapacitatis subiecti; nam in nobis est radix virtutis fidei, spei, & pœnitentiæ, non in Christo, ratione incapacitatis subiecti. In nobis est radix virtutum moderantium passiones, non in Angelis. Sic ergo in Christo ratione capacitatis subiecti est radix iustitiæ cõmutatiuæ in ordine ad Deum, & non in nobis.

533 Cæterum ego puto verius cum Cabrera *hic disp.8. n.52.* quod in nobis detur iustitia commutatiua eiusdẽ speciei cum illa quæ erat in Christo, licet in Christo haberet vim, & dignitatem infinitam satisfaciendi pro nostris peccatis, ex dignitate personæ, non in nobis, alios tamen habet effectus. Primus est inefficax, & est complacentiæ de satisfactione Christi. Secundus est efficax ad satisfaciendum pro illis peccatis quę sunt directè contra iustitiam commutatiuam erga Deum in bonis dati, & accepti, vt si quis furetur rem, quæ quoad dominium bassum esset ipsius Dei. Tertius est ad satisfaciendum, & conseruandum ius proximi ex motiuo supernaturali.

534 Nostram sententiam contra Cipullum sic probo, nam non implicat dicta iustitia in nobis quoad tres dictos effectus, ergo datur. Antecedens probatur, & primò quod non implicet quoad primum effectum, nam quilibet homo potest complacere de satisfactione Christi pro nobis, quam ex perfecta iustitia commutatiua posuit; sed iste actus complacentiæ reuocatur ad speciem iustitiæ commutatiuæ, ergo iustitia commutatiua in nobis datur, à qua dictus actus complacentię eliciatur. Maior nota est. Minorem probo, nam actus inefficax, & complacentiæ ex solo defectu aliquarum conditionum, ex parte subiecti, vel obiecti, est eiusdem speciei cum actu efficaci circa idem obiectum; sed actus efficax quo Christus D. re ipsa satisfecit, & actus inefficax & complacentiæ quo nos complacemus de tali satisfactione, habent idem obiectum, idemque motiuum, solumque differunt quod noster actus complacẽtiæ est inefficax ad re ipsa satisfaciendum ex defectu conditionis personæ quæ cum finita sit, non potest refundere infinitam vim ad reipsa satisfaciendum; ergo sunt eiusdem speciei, ac proinde in nobis dabitur virtus infusa à qua ille actus eliciatur.

535 Neque implicat iste habitus infusus, quoad secundum effectum qui est satisfacere Deo pro illis peccatis, quæ violant iustitiam commutatiuam quoad dominium bassum, nam si quis furetur rem, quæ quoad dominium bassum esset Dei, vt si quis furatus fuisset pal-

passium Christi, vel si quis furetur calicem quem quis donasset Eucharistię Sacramento, &c. re ipsa satisfaceret illum restituendo, & tunc illa restitutio esset actus iustitiæ commutatiuæ infusę, & poneret æqualitatem dati, & accepti; ergo, &c.

536 Demum non implicat quoad tertium effectum, qui est ponere æqualitatem inter homines ex motiuo supernaturali. Nam licet materia huius virtutis esset eadem cum materia iustitiæ cōmutatiuæ acquisitæ, tamen motiuum esset supernaturale. Nec refert dicere cum Cipullo loco citato *n.12.* quod non possit dari vna virtus secundum speciem quę respiciat ius diuinum, & humanum, cum ius diuinum potioris ordinis sit quā humanum; sicut non datur vna virtus reuerentiæ ad Deum, ad parentes, & ad superiores. Nam resp. hoc esse falsum, quia eadem charitas respicit Deum, & proximum. Eadem Religio requirit cultum Dei, & creaturæ. Eadem virtus pietatis respicit Deum, Patriam, & Parentes, & idem dicas de reuerentia.

537 Sed obijcies 1. quoniam virtus est dispositio perfecti ad optimum; sed actus inefficax, seu complacentiæ quem habent homines in gratia de satisfactione Christi, ex eodem motiuo illius, quod est ponere iustum, & æquale inter Deum offensum, & satisfactionem, non est optimus; ergo non est actus virtutis. Resp. quod dupliciter actus potest dici inefficax. Primò ex parte subiecti, & est simplex quædam velleitas, & hic actus est imperfectus, & non pertinet ad virtutem, quo modo non est actus de quo nos loquimur, cum sit absolutus. Secundò dicitur inefficax ex parte obiecti; & materiæ sufficientis in operante ad illum ponendum, & iste non dicit imperfectionem in suo conceptu, & potest ad virtutē pertinere, & hoc modo est actus iustitiæ commutatiuæ quem nos ponimus in iustis, quia solum est inefficax ex defectu conditionis, seu dignitatis, quam non in nobis, sed in Christo habet.

538 Obijcies 2. nam virtus non est ad actus otiosos, sed actus ille complacentiæ de hoc quod strictè Deo satisfactum est ad æqualitatem, est otiosus; ergo non actus virtutis. Minor probatur, nam ille actus est otiosus qui nihil ponit in re; sed iste actus complacentiæ non ponit æqualitatem, nec ponere potest; ergo, &c. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dico, quod ille actus etiamsi non habeat efficaciam quoad positionem æqualitatis satisfactionis ex incapacitate subiecti, cui deest infinita dignitas, habet tamen suam efficaciam disponendo subiectum ad promerendam satisfactionem sibi possibilem.

539 Quæres 3. an virtus per quam homo resarcit ius læsum Dei per sua peccata prout sunt offensa Dei sit dicta iustitia commutatiua? Resp. negatiuè, vt enim vidimus *in tract. de pænit.* virtus per quam homo resarcit ius læsum Dei quantum potest, est virtus pœnitentiæ infusæ, non iustitia commutatiua. Hæc enim respicit perfectam æqualitatem, non sic pœnitentia, vt loco citato *disp. 2. q. 4. per totam*, diximus.

540 Quæres 4. an iustitia commutatiua per quam Christus D. pro nobis satisfecit, sit idem quod iustitia punitiua, seu vindicatiua? Hanc difficultatem explicuimus de *iust. & iure disp. 1. q. 18. §. vnic. à n. 364.* vbi probauimus, quod iustitia punitiua, seu vindicatiua, non distinguitur à iustitia commutatiua; hæc enim seruat æqualitatem non solum dati, & accepti, sed etiam æqualitatem satisfactionis, & offensæ. An autem Christus D. satisfecerit iustitiæ vindicatiuæ vt tali, *in seq. §.* explicabimus.

§. IX. *An satisfactio Christi fuerit actus rigorosæ iustitiæ vindicatiuæ.*

541 Resolutio istius difficultatis cōstat ex dictis n. præcedenti, si enim semel verum est, quod iustitia vindicatiua non distinguitur à iustitia commutatiua, & satisfactio Christi fuit actus rigorosæ iustitiæ commutatiuæ, sequitur,

quitur, quod etiam fuerit actus rigorosæ iustitiæ vindicatiuæ, tamē claritatis gratia eam distinctè excitamus.

542 Prima sententia est, quod licet satisfactio Christi fuit actus iustitiæ vindicatiuę, & rigorosa quoad ęqualitatem, & condignitatem pretij soluti, non tamen fuit rigorosa quoad modum solutionis, sed indiguit aliqua gratia libera Dei. Sic Card. de Lugo hoc loco *disp. 3. sect. 10. n. 138.* Et *n. 143.* quærit an saltem posita Dei acceptatione dici possit, quod Christus satisfecit de rigore iustitiæ vindicatiuæ. Respondet, quod sine inconuenienti concedi potest, quia, inquit, solum significatur, quod posita Dei acceptatione, Christi opera exhibita sufficiunt ad extinguendum ius Dei circa hominis punitionem; quod verissimum est. Nam licet illud ius Dei non extinguatur per sola Christi opera, sed etiam per liberam Dei acceptationem; cœterum posita Dei acceptatione, nihil requiritur vt extinguatur, nisi ipsorum operum exhibitio. Hæc ille. Vbi vt vides, vult, quod acceptatio non solum sit conditio vt satisfactio Christi esset de rigore iustitiæ punitiuæ, sed quod etiā sit quædā remissio gratuita debiti soluendi, & sic absolutè loquēdo satisfactio Christi secundum id quod habet de suo, supposita diuina acceptatione, non totum debitum extinguit, sed solum partem, & aliam partē extinguit diuina acceptatio.

543 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Satisfactio Christi fuit actus rigorosæ iustitiæ punitiuæ, taliter quod ipsa totum debitum extinxit, & licet supposuerit diuinam acceptationem, non tamen vt extinguentem partem debiti, sed vt conditionem, vt satisfactio illud extingueret.* Colligitur hęc conclusio ex dictis supra: nam licet gratia intrinseca contractui tollat rigorem iustitiæ illius, non tamen gratia extrinseca, & præsupposita; acceptatio autem non est gratia facta contractui, sed præsupposita ad illum. Fuit maxima Dei gratia, quod Deus contentaretur satisfactione Christi, seu quod ipse satisfaceret pro nobis, sed non fuit gratia facta ipsi satisfactioni. Est gratia quod quis vendat tibi domum pro quo rogasti eum, cum eam vendere nollet, sed hæc gratia non tollit rigorem propriæ venditionis si soluas pretium legitimè conuentum, quia illa gratia non tollit, cum sit extrinseca, rigorem veræ venditionis. Tolleretur rigor iustæ venditionis, si gratia fieret contractui, & remitteret partem pretij, aut ob gratiam tui, contentaretur minori pretio, quam valet, & per hæc manet probata, & explicata nostra conclusio.

544 Probatur etiam, quia acceptatio satisfactionis, seu solutionis siue pœnæ, siue pecuniæ vnius pro alio non est neque punitio, neque solutio, neque satisfactio, sed est istorum acceptatio. Sicut enim acceptatio ad seruitium, non est seruitium: acceptatio dilationis solutionis, non est solutio, nec pars solutionis: acceptatio ad cœnandum cum aliquo, non est cœna, nec pars cœnæ, ita acceptatio quod Christus satisfaciat pro nobis, non est satisfactio, acceptatio quod Christus D. puniretur pro nobis, quod ipsa nostra peccata portaret, quæ ex parte Dei facta est ab æterno, & ex parte Christi, peracto incarnationis mysterio, non fuit punitio, non fuit satisfactio, quia hæc passioni, & morti maximè alligata erat. Soluuntur argum. in contr.

545 Primum argum. est, qui debet alteri librum, & quia ęgrè fert illum reddere, soluit pecuniam libro æquiualentem, satisfacit rigorosè, si attendas ad valorem rei debitæ, non tamen si attendas ad modum, quia nisi creditor acceptet gratiosè illum modum solutionis, lex iustitiæ obligat debitorem ad reddendum librum. Sic etiam in materia iustitiæ vindicatiuæ philosophādum est; si enim aliquis ita peccauit, vt iustè puniatur exilio vnius mensis, & velit redimere pecunia illud exilium, offeratque summam æquiualentem, imò excedentem, non dubium quin satisfiat rigori iustitiæ vindicatiuæ, si attendas ad mensuram pœnæ, non tamen satisfit, si attendas ad modum: si enim iudex gratiosè

tiosè non admittat illam compensationem, ius habet ex rigore iustitiæ punitiuæ ad exigendum exilium, quantumuis alia æqualis, & longè maior pœna offeratur.

546 Resp. hoc argum. solum probare, quod debitori siue libri, siue pœnæ fiat gratia antecedenter ad contractum, qua creditor contentatur de valore libri, & iudex, de pecunia æquiualente exilio, non tamen probat quod fiat gratia ipsi contractui, ratione cuius extrahatur à ratione iustitiæ rigorosæ. Nam data illa acceptatione æquiualentis siue libri, siue exilij: solutio pecuniæ æquiualentis pro vtraque est ex rigorosæ iustitiæ titulo. Vnde illa acceptatio supponitur quidem ad rigorosam illam solutionem, non tamen est pars solutionis. Ac proinde cum non sit pars solutionis, non potest dici, quod tollat rigorem iustitiæ punitiuæ.

547 Secundum argum. nam in materia iustitiæ punitiuæ, seu vindicatiuæ, quantumuis alius se pro alio offerat ad subeundam pœnam, non solum æqualem, sed etiam maiorem, non satisfit rigori iustitiæ, nisi iudex velit gratiosè pœnam alienam acceptare locô pœnæ personæ delinquentis. Accedente verò hac iudicis acceptatione delictum punitur de rigore iustitiæ quoad quantitatē pœnæ, non tamen quoad modum executionis illius. Quare quod de Zeleuco narratur, qui ne violaret legem, vtriusque oculi imponētem amissionem adulteris, cum eius filius esset adulter, voluit filio vnum, sibique ipsi alterum oculum erui, vt duplici oculo eruto, legi satisfieret; hoc enim non videtur factum sine aliqua gratia, & dispensatione, saltem quoad modum.

548 Resp. negando antecedens. Licet enim antecedenter ad acceptationem, satisfactio vnius pro alio non sit de rigore iustitiæ punitiuæ, tamen posita acceptatione, est talis, non quia acceptatio sit aliqua pœnæ remissio, rationi cuius contractus non sit de rigore iustitiæ, sed quia est conditio sine qua contractus non induceret obligationem. Vt enim diximus supra, & in tractatu de merito, requiritur pactum ad hoc vt Deus teneatur acceptare opera nostra ad gloriam, & est maxima gratia quam Deus nobis facit, acceptando opera nostra ad gloriam, tamen posito eo pacto, & conditione supposita, Deus de rigore iustitiæ debet nostra opera bona prēmiare gloria, aliàs gloria non daretur adultis per modum coronæ. Ad illud, quod de Zeleuco dicitur, dico, fuisse gratiam quod acceptaretur punitio Patris in vno oculo pro filio, tamen data hac acceptatione, quam Pater vt Princeps, & legislator poterat facere, rigorosè lex fuit obseruata.

DVBIVM XVIII.

An Deus esset homo, si non peccaret homo, seu an si Adam non peccasset, Deus incarnatus fuisset.

549 Conueniunt omnes, quod Verbum diuinum potuisset carnem assumere in virtute alterius decreti, nullo peccato existente, quod etiam fatetur S. Doctor hic *art.* 3. in secunda concl. vbi dicit, quod nullo peccato existente, potuisset Deus si voluisset, carnem assumere. An autem Adamo non peccante Deus habuisset hoc decretum, & sic carnem assumpsisset, nescimus, cum ex Sacra Scriptura nihil de hoc habeatur. Dubium ergo in alio sensu excitatur, an scilicet Deus carnem assumpsisset in virtute præsentis decreti, seu an iuxta hanc seriem & rerum dispositionem quam Deus ab æterno selegit, & quam de facto executioni mandauit à mundi exordio, mandabitque vsque ad mundi consumationem, tota, & sola ratio incarnationis fuerit ipsum peccati remedium. Hoc alijs verbis alij sic proponunt, an finis, seu motiuum incarnationis, fuerit solum remedium peccati.

550 Prima sententia est, quod Verbum diuinum Adamo non peccante foret incarnandum, ex vi dicti decreti, quo

hanc rerum seriem selegit, voluitque. Hanc sententiam sequuntur Alens. *3. p. q. 2. memb. 13.* Albertus Magn. *in 3. dist. 10. q. 5* Scotus *in 3. dist. 7.* quem omnes eius discipuli sequuntur. Hanc sent. defendit etiam Suarez *hoc loco disp. 5.* & alij. Pro huius sententiæ, & argumentorum eius intelligentia, imò etiam pro intelligentia nostræ sententiæ quam postea subiungemus, notandum 1. quod in Verbo diuino vt incarnato secundum præsens decretum plures rationes obiectiuæ, etiam in ordine ad diuinam voluntatem considerari possunt, scilicet ratio Ducis, & Legislatoris, ratio aduocati, & mediatoris, ratio datoris gratię, & gloriæ, ratio sponsi Ecclesiæ, ratio capitis hominum, & Angelorum, ratio redemptoris, & Saluatoris, &c. quæ omnes rationes ex Sacra Scriptura colligũtur. In sententia Scoti, omnes istæ rationes fuerunt motiuum sufficiẽs ad hoc vt Verbum diuinum incarnaretur ex vi præsentis decreti, ac proinde cessante ratione redemptoris à peccato, si peccatum non fuisset, adhuc venisset ob rationem Ducis, & Legislatoris, &c. At secundum sententiam D. Thomæ motiuum incarnationis fuit solum ratio redemptoris, & aliæ rationes fuerunt secundariæ, & ex consequenti, ac supposita illa, ac proinde illa non posita, ob alias non venisset.

551 Notandum 2. quod licet Deus omnia velit vnico, & simplicissimo actu, tamen quia actus Dei æquiualet pluribus nostris, sequitur quod sit virtute multiplex, quatenus, quod nos facimus pluribus actibus Deus facit vnico, pluribus nostris correspondente; vnde in eodem actu Dei nos cum fundamento in re, distinguimus diuersas rationes volẽdi, vt aliquæ sint priores, aliæ posteriores alijs, non solum secundum ordinem intentionis, & executionis, sed etiam in eodem ordine intentionis, & in eodem ordine executionis. Notandum 3. quod ordo intentionis absolutè est prior ordine executionis; vnde ordine quodam rationis prius intelligimus Deum efficaciter velle gloriam electis, quam vellit illis hæc, aut illa media in particulari, quibus illam assequantur; cum tamen ordine executionis, media præcedant gloriam. His positis,

552 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Si Adam non peccasset, Deus incarnatus non fuisset*, ex vi scilicet præsentis decreti. Hanc tradit S. Doctor hic *art. 3.* quem sequuntur omnes eius discipuli, vt Caiet. Medina, Aluarez, Cipullus, N. Cornexus, Orlandus, Valentia, Vasq. & omnes ferè moderni vt videre est apud Lug. *disp. 7. sect. 1.* vbi relata sententia Scoti, ponit sententiam D. Thomæ his verbis, *Negat S. Thomas, & communiter maior, & melior Theologorum pars, quos adducit Vasq. quam sententiam amplectuntur nostri recentiores, &c.*

553 Probatur 1. Sacræ Scripturæ testimonijs. Ioan. 3. dicitur, *Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam: non enim misit Deus Filium suum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Et cap. 10. dicitur. *Ego veni in mundum vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Et 1. ad Timoth. 1. Legitur. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores saluos facere.* Ad Galat. 4. sic scribitur. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret.* Idem habetur alibi sæpè. Idem habetur in symbolo Nicæno, vbi sic canitur. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est.* Et de B. Virgine canitur. *Peccatores non abhorres, sine quibus nunquam fores, tanto digna filio?* Ex quibus locis sic formatur ratio, nam cessante fine propter quem de facto Deus voluit incarnari, non fuisset incarnatus; vt enim habemus etiam ex legibus ciuilibus, cessante fine, cessat actio, *l. in omni*, vbi Bart. *ff. de adoptionibus. l. quod dictum, ff. de pactis. l. fin. ff. ad Syllan. l. si maritus, ff. ad leg. Iul. de adult.*

S. Scri-

§.scripti. l. adigere §.quamuis. ff. de iure-patron. & cap. si Christus, de iure iur. Sed finis ob quem voluit Deus incarnari, fuit redemptio à peccatis, ex dictis Sacræ Scripturæ testimonijs, ergo illis non datis incarnatio non fuisset.

554 Occurrit 1. Suarez, quod Deus voluit incarnari ex duplici motiuo totali. Primum fuit complacentia mysterij incarnationis ante præuisum peccatum. Secundum post peccatum præuisum, & ex affectu nostræ salutis. Loca Sacræ Scripturæ procedunt non de primo, sed de hoc secundo. Per primum finem voluit totaliter, & sufficienter incarnationem, præscindendo à carne passibili, vel impassibili. At per secundum determinauit carnem passibilem. Sed contra, quia ex dictis locis Sacræ Sripturæ satis apertè colligitur, quod ita Christus venit propter nostram redemptionem, vt solum ob illam venerit, vt clarè docent Sancti PP. in secunda probatione adducendi.

555 Occurrit 2. Suarez, quod primum motiuum, seu primum decretum quo voluit incarnationem ante præuisum peccatum, terminatur ad incarnationem, non vtcumque sed congruentiori modo exequendam, tum quia per scientiam conditionatam præuidebatur homo peccaturus: tum quia incarnatio facta in hominis redemptionem erat excellentior, quam sine redemptione. Vnde posito eo decreto, & posita ea scientia conditionata de hominis peccato, verissimum esse Christum non venturũ ex hoc decreto, homine non peccante. Vult dicere Suarez, quod Deus venisset in vim decreti quo absolutè voluit incarnationem secundum se, tamen data scientia conditionata de hominis peccato, voluit venire modo perfectiori, & congruentiori. Sed contra, quia Scriptura, & Patres, vt postea videbimus, volunt, quod Deus venit ob solum motiuum redemptionis, absolutè, & simpliciter, & nullus est, qui recurrat ad decretum conditionatum, & scientiam conditionatam: ergo frustra Suarez rem adeo grauem fundat in dicta scientia conditionata, & decreto conditionato, quę adeo ignota fuerunt Patribus, vt testatur Molina in sua concordia, vt se ipsum inuentorem facit scientiæ suæ cõditionatæ.

556 Probatur 2. nostra concl. testimonijs SS. PP. Sanctus Irenæus aduersus hæres. cap. 4. dicit. *Si enim non haberet caro saluari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset: & si non haberet sanguis iustorum inquiri, nequaquã sanguinem habuisset Dominus.* S.P. Aug. ser. 8. de verb. Apost. sic habet. *Venit enim Filius hominis quærere, & saluare quod perierat: si homo non perijsset, Filius hominis non venisset.* Videat Suarez quomodo isti duo Patres excludant incarnationem in casu quo homo non peccasset. Et serm. 9. sic habet idem S. P. *Nulla causa veniendi fuit, nisi peccatores saluos facere: tolle morbos, tolle vulnera, & nulla causa est, &c.* En quomodo Aug. bene pungit Suarez. Audiat Magnum Gregor. 4. Reg. 1. vbi sic dicit. *Si ergo pro peccatoribus venit, si peccata deessent, venire non oporteret.* N. S. P. Cyrillus 5. Dialog. de Trinit. ante medium hæc habet. *Sciat autem, quod humanitatis crimina, illi diuinitatis gloriæ occasio fuerint; nam si non peccassemus, nec factum nobis esset similis, neque sustinuisset.* Idem tradunt S. Leo, S. Athanasius, & alij plures apud Vasq. hoc loco, apud Cipullum, aliosque.

557 Occurrunt aduersarij, quod dictis testimonijs solum probatur, quod Adamo non peccante Verbum non venisset in carne mortali, & passibili, non tamen quod non venisset in carne immortali, & impassibili, vt Dux, vt Legislator, &c. Sed contra; nam Sancti Patres dum negant Filium Dei assumpturum carnem si Adam non peccasset, loquuntur de ipsa substantia incarnationis, non de aliqua eius circunstantia vt in carne passibili, & mortali; absolutè namque negant incarnationem, & non tantum circũstantiam vt syncerè eos legentibus constabit. Tum quia valde mi-

rum est, eos existimasse, quod si Adam non peccasset, Verbum non fuisset venturum in carne passibili, bene tamen in carne impassibili, & quod nullus eorum id vnquam vel leuiter indicasset; quod profecto ob rei grauitatem, si res ita habuisset, non prætermisissent, cum tam sæpè, tamque prolixè de Filij Dei incarnatione, deque fine ob quem naturam nostram assumpsit, disseruerint.

558 Probatur 3. nam decretum de incarnatione Verbi diuini non habet alium finem nisi humani generis redemptionem, ergo si Adam non peccasset Verbum diuinum carnem non assumpsisset. Conseq. nota est. Antecedens probatur, nam si venit ob alium finem præter illum quem Christus Luc. 19. manifestauit cum dixit. *Venit Filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat,* vel iste finis est adæquatè distinctus ab isto, ita quod darentur duo fines adæquati, vt sic cessante vno, maneret alter, in cuius virtute veniret: vel est inadæquatus cum præsenti fine vnum adæquatum componens: vel finis præsens est adæquatus, & ille alius secundarius; solum hoc vltimum potest esse verum, & non duo priora dicta; ergo, &c. Maior constat ex sufficienti partium narratione. Minor probatur, decretum incarnationis non potuit habere duos fines adæquatos, vt scilicet veniret vel in carne passibili, vel in impassibili, nam si re ipsa darentur isti duo fines adæquati, de illis aliquam mentionem faceret sacra scriptura, de ijs namque quæ pertinent ad liberam Dei voluntatem, maximè in re tam grandi, nil asserere debemus nisi ex diuina reuelatione habeatur. Finis namque incarnationis quem Deus sua libera voluntate sibi præfixit, aliter cognosci nequit, quàm ex diuina reuelatione, ex ea autem nullum alium cognoscimus, quàm humani generis redēptionem, & alium velle proferre, diuinare est. Tum quia voluntas siue diuina, siue humana potest simul, & semel habere duos fines adæquatos, de ratione namque finis adæquati, est totaliter mouere, & sibi subdere voluntatem; ac proinde nullum reliquit locum alteri fini, aliàs non esset adæquatus. Quod si dicant esse duos fines inadęquatos, tunc sequitur, quod vnus non moueat, nisi alius etiam moueat. Vnde restat, quod solus finis redemptionis sit adæquatus, & adæquatum motiuum mysterij incarnationis.

559 Probatur 4. nam vel decretum quod Deus habuit de incarnatione si Adam non peccasset, fuit efficax, vel non: neutrum dici potest; ergo. Maior nota est, nam omne decretum Dei vel est efficax, & ponit rem quam decretat, vel non est efficax, & non ponit rem quam decernit. Minor probatur, nam non fuit efficax, cum de facto non posuerit incarnationem in carne impassibili. Neque fuit inefficax, quia iam ex vi illius Verbū venisset si Adam nō peccasset. Dices, fuit efficax ex suppositione, nam si Adam non peccasset, posuisset Verbi incarnationem in carne impassibili, & sic fuit efficax conditionatè, & re ipsa posuisset effectum si conditio fuisset purificata, quod scilicet Adam non peccasset. Nam contra est, quia Deus debuit habere decretum absolutum de substantia incarnationis, sed secundum hanc sententiam Deus nullum habuisset decretum de substantia incarnationis absolutè, sed tantum conditionatè, quod est falsum; ergo, &c. Maior patet, nam decretum de aduentu in carne impassibili non erat de substantia incarnationis, sed in carne impassibili, si Adam non peccasset. Decretum de aduentu in carne passibili Adamo peccante, non fuit de substantia incarnationis, sed tantum de circunstantia in carne passibili; ergo. Quod autem hoc sit falsum, probo, nam videtur incongruum, quod diuina voluntas decernat de circunstantijs incarnationis, & prætereat illius substantiam. Tum quia sequitur nos non teneri Deo gratias referre pro incarnatione Filij sui, sed tantum pro eius circunstātia, scilicet passibilitate, sed hoc est falsum, cum maximè diminuat

nuat

nuat incentiuum amoris erga Deum; ergo, &c.

560 Probatur 5. nam si Adam non peccasset Verbum ex vi præsentis decreti quo voluit hanc rerum seriem, seu in hac rerum serie venisset; vel venisset passibilis, vel impassibilis: vel venisset in carne gloriosa, vel non gloriosa; neutrum dici potest; ergo, &c. Minor probatur, nam non venisset in carne passibili, quia passibilitas supponit peccatum, quod tunc non fuisset. Non in carne impassibili, quia in decreto de Verbo incarnando non includebatur impassibilitas, nec per tale decretum decernebatur, aliàs cum illud decretum esset efficax venisset in carne impassibili; quod si dicas Adamo nō peccante Verbum fuisset venturum in carne impassibili, & eo peccante in carne passibili, contra est, quia ex hoc vnum ex duobus sequitur, vel quod in eo decreto aliqua mutatio facta est, vel aliquid postea habuit, quod per decretum non fuit pro illo priori decretatum, vt scilicet esse in carne passibili.

561 Occurrunt aduersarij, quod Adam non peccante Verbum in hac rerum serie venisset in carne impassibili, quia tunc carnem assumpsisset, secundam conditionem secundum quam homines essent in illa serie, cum esset earum caput, & inter corpora, & membra debeat esse conformitas. Sed contra, nam adhuc non soluitur nostrum argumentum, quod scilicet per tale decretū non decernebatur vt veniret in carne impassibili; ergo non venisset in carne impassibili; etsi dicas quod decernebatur, sequitur, quod dicebamus, quod scilicet venisset in carne impassibili, cū id quod per decretum Dei efficax vt erat illud, decernitur, non possit non poni, aliàs Dei decretū posset frustrari.

562 Ad hoc respondebunt aduersarij, quod Deus in illo signo rationis, quod antecessit præuisionē peccati Adę, decreuit solummodo efficaciter substātiam incarnationis, & in signo sequenti præuisionem peccati, decreuit conditionem illius, quod scilicet incarnatio fieret in carne mortali. Sed contra, nam iam fuissent duo decreta, vnum decernens substantiam incarnationis antecedenter ad præuisionem peccati, & aliud post eiusdē peccati præuisionem, decernens incarnationem in carne mortali, seu decernens illius conditionem. Deinde quia quando Deus efficaciter aliquid decernit, ita decernit vt ex vi illius decreti simul decernat omnia, quæ ad naturalem eius conditionem, & statum spectant, iuxta omnes, & singulas eius conditiones in particulari, aliàs res illa decreta poni posset à parte rei absque suis naturalibus conditionibus. Demum iam Deus pro illo priori decerneret aliquid cuius exitum nesciret, sed euentus esset expectandus, vt eius conditio decerneretur. Et sic quando Deus decreuit incarnationem quoad substantiam, & non conditionem, sic egit quia adhuc nesciebat sub qua conditione poni debebat, sed attendendum erat ad id quod faceret Adam, an scilicet peccaret, nec ne, vt sic decerneretur conditio Incarnationis cum ex vi illius primi decreti non esset determinata.

563 Probatur 6. nam si ob aliquam causam Adamo non peccante Verbum adhuc carnem assumpsisset, maximè ob eius excellentiā, ratione cuius hoc mysterium fuit maximè expetēdum; vel vt hoc vniuersum constaret omnibus rerū gradibus, naturæ, gratiæ, & vnionis hypostaticè; sed ob nullam istarum conueniens erat vt Verbum naturam humanam assumeret; ergo ob nullam. Maiorem docent aduersarij. Minorem probo, quod primam causam, nam cum incarnatio includat humiliationem; & estimationem diuini Verbi, nullo modo est per se expetenda, sed solummodo ob aliam causam extrinsecam, quæ sit tanti momenti, vt aliter non potuerit ei consuli; est enim ex natura sua indecorum, quod creator fiat creatura, quod Dominus fiat seruus; sicut esset indecorum quod Rex fieret rusticus, aut mancipium; vel quod Rex accipiat in

vxo-

vxorem mulierem mendicam, vilem, & infimæ conditionis, nisi ob aliquam causam extrinsecam, quæ sit tanti momenti, cui aliter prouideri non possit. Sed in nostro casu sola excellentia incarnationis, & solum bonum vniuersi non sufficiunt; ergo, &c. Non sola excellentia; qui hæc non præponderat exinanitioni Verbi diuini, sicut sola excellentia, quod Rex ducat seruam in vxorem non est causa sufficiens, quod Rex eam ducat. Nobilitatur quidem serua dum à Rege in vxorem ducitur: & nobilitatur natura humana dum à Verbo assumitur, non tamen ob hanc nobilitatem, & excellentiam sufficiẽter res honestatur. Neque ob bonum vniuersi tantum incarnatio sufficienter honestatur, cum non debeat res ordinis superioris exinaniri ob bonum ordinis inferioris. Cæterum remissio peccati est tanti ponderis, quod vt per eam sufficientissimè Verbi exinanitio fieri debuerit, cum non nisi hoc modo posset satisfactio poni ob infinitam peccati malitiam. Soluuntur argum. in contrarium.

564 Primum argum. desumunt ex illo. *Omnia propter semetipsum operatus est Deus*, ergo adæquata ratio obiectiua secundum quam Verbum æternum carnem assumpsit, eamque Deus efficaciter intendit, fuit vt esset caput perfectissimum totius vniuersi, quo modo fuisset eidem vniuerso conuenientius, non determinando in particulari quinam esset ille modus, nisi post præuisionem peccati, hæc enim ratio capitis complectitur illud omne, quod Deus intendit in mysterio incarnationis. Confirmant ex illo Apostoli ad Ephes. 1. *Placuisse Deo, instaurare omnia in Christo*, vbi S. Hieron. legit. *Placuisse Deo omnia recapitulare in Christo*.

565 Resp. concedendo antecedens, & negando conseq. Verum quidem est, quod Deus omnia propter semetipsum operatur tanquam ob causam finalem cuius gratia, tamen propter causam *cui*, seu propter finem *cui*, incarnationem voluit propter nos homines, & propter nostram salutem. Est etiam verum, quod Deus voluit incarnationem, vt Christus caput perfectissimum totius vniuersi, sed post peccati præuisionem, non ante. Nec verum est, quod Deus antecedenter ad peccatum voluerit Verbi diuini incarnationem non determinando modum conuenientiorem, cum enim illa volitio fuerit efficax, debuit decernere non solum substantiam incarnationis, sed etiã eius modum, nec debuit expectare præuisionem peccati, vt posset per aliud decretum eum modum decernere. Item verum est, quod Deo placuit instaurare omnia in Christo, seu recapitulare omnia in Christo, sed totum hoc post peccati præuisionem.

566 Secundum argum. nam Verbi diuini incarnatio fuit à Deo intenta ante quamcumque puram creaturam determinatè, & in particulari consideratam, ergo ante præuisionem peccati vt determinatè futuri ex Adamo. Ergo etiam si Adam non peccasset Verbum diuinum carnem assumpsisset. Prima conseq. constat, quia vt peccatum Adami cognosceretur vt determinatè futurum, debuit Adam determinatè, & in particulari efficaciter intendi, ac proinde si Verbum fuit efficaciter intentum, vt carnem assumeret ante quamcumque puram creaturam, fuit intentum ante peccati præuisionem. Secunda conseq. etiam constat, nam quod Deus efficaciter vult, & decernit antecedenter, & independenter ab alio, illud infallibiliter euenit, siue aliud sequatur, siue non. Antecedens probatur ex illo Prouerb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, & ab æterno ordinata sum*, quem locum multi Patres intelligunt de Christo, seu de sapientia incarnata, seu de Verbo vt homine, quatenus vt homo ante omnes creaturas in particulari cõsideratas, fuit efficaciter intentus. Resp. hoc argumento nil aliud probari, nisi quod Verbi diuini incarnatio sit prior ante omnem creaturam in genere causę finalis, licet in genere causæ materialis sit prior permissio peccati Adami, & ipsum

sum Adami peccatum tamquam materia destruenda, vt dubio sequenti dicetur, declarando ordinem diuinorum decretorum.

567 Tertium argum. quia iustitia originalis, & gratia Adamo collata in statu innocentiæ fuit ex meritis Christi, ergo Christus erat venturus ante peccatum Adami, ac proinde si Adam non peccasset adhuc Verbi incarnatio fuisset. Conseq. nota est, nam si Deus voluit Adæ ante peccatum iustitiam originalem ex meritis Christi, debuit ante præuisionem peccati velle Christum. Antecedens probatur 1. ex illo Ioan. 1. *de plenitudine eius omnes accepimus*. Quicquid enim vnquam gratiæ datum est hominibus fuit ex Christi meritis. 2. nam aliàs aliquis gradus gloriæ daretur in Adamo, qui non fuisset ex meritis Christi, ille scilicet, qui corresponderet gratiæ datæ in statu innocentiæ, & non ex meritis Christi. Resp. 1. nam vt infra dicemus, gratia data Adamo in statu innocentiæ nõ fuit ex meritis Christi, licet illius recuperatio, seu reparatio post illius amissionem per peccatũ fuerit ex meritis Christi; & sic omnis gratia data post peccatũ, est ex meritis Christi, & tantum, non amplius cõuincit testimonium adductum. Et sic patet, quod Adam in cælo nullum habebit gloriæ gradũ qui Christi D. meritis non correspondeat. Resp. 2. esse probabile, quod gratia data Angelis, & primis parentibus fuerit ex meritis Christi; postquam enim Deus præuidit Adami peccatum, & decretum est quod Verbum incarnaretur, voluit Deus quod gratia daretur Adamo ex meritis Christi non præuisi, & ordinati ante præuisionem peccati, sed præuisi, & ordinati post ipsum peccatum, sed de hoc infra.

568 Quartum argu. nam Deus prius in aliquo signo rationis voluit, & vidit matrimonium Adæ cum Eua; item prius intendit res isto matrimonio significatas, quam præuiderit Adæ peccatum; nam peccatum Adæ permittebatur, & præuidebatur à Deo vt committendum ex instigatione Euæ tanquam vxoris, & vt transfundendum in posteros ab illa descendentes per viam seminalem; ac proinde Adam, & Eua debuerunt prius cognosci tanquam maritus, & vxor; sed inter alias res per hoc matrimonium significatas, fuit vnio cum Ecclesia, iuxta illud Apost. ad Ephes. 5. vbi loquens de illo matrimonio dicit. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & Ecclesia, &c.* Ergo Christus fuit prius intentus, & præuisus quàm Adæ peccatum. Resp. hoc argumentũ nil aliud probare nisi, quod Christus fuit prius præuisus in genere causæ finalis priusquam Adæ peccatum. Eodem modo soluitur aliud argumentum quod præmunt aduersarij ex Christi prædestinatione, quod scilicet fuit prædestinatus ante præuisionem peccati Adæ, & ante decretum remedij illius; nam ex hoc solum sequitur, quod Christi prædestinatio fuerit ante præuisionem peccati Adæ in genere causæ finalis, licet in genere causæ materialis præcesserit præuisio peccati Adami, in cuius remediũ Christus fuit prædestinatus, quæ omnia constabunt ex dicendis de ordine, & serie diuinorum decretorum dubio sequenti.

DVBIVM XIX.

Quo signo, seu quo ordine fuerit decreta Verbi diuini incarnatio.

569 ALij hoc dubium sic proponunt. *Quomodo diuina decreta ordinentur.* Alij sic. *Quem locum habeat Christus D. in ordine diuinæ prædestinationis.* Et nonnulli sic. *Quænam sit series signorum rationis, ad prædefinitionem incarnationis pertinentium*; alij aliter, sed omnia in idem recidunt, vt consideranti patebit. Omnes Theologi conueniunt, quod inter actus diuinæ voluntatis detur aliquis ordo prioris, & posterioris, non quidem secundum rem, sed secundum rationem tantum quoad istum sensum, quod licet omnes sint ab æterno, & in eodem instanti reali, non tamen in eodem instanti rationis. Distinguendo idem instans reale in diuersa instantia rationis, quorum vnũ cum fundamento in re, nostro modo concipien-

cipiendi, est prius, & aliud posterius. Differunt tamen in modo assignandi horum instantium seu signorum, ac proinde actuũ seriem, seu prioritatem, & posterioritatem.

570 Primus modus dicendi est Caiet. Medinæ, & aliorum *hoc loco art.3.* qui triplicem constituunt ordinem, scilicet puræ naturæ, gratiæ, gloriæ, & vnionis hypostaticæ; primus præsupponitur à secundo, & tertio, & secundus à tertio, ex quo concludunt, quod Deus in primo signo rationis constituit per suam generalem providentiam primum rerum ordinem, & præsciuit omnia quæ ad ipsum pertinebãt, scilicet omnes res naturales, defectusque naturæ, siue morales vt peccata, siue physicos vt monstra, &c. In secundo statuit ordinem gratiæ, & gloriæ, & cognouit quæ ad hunc statum pertinent. In tertio, statuit ordinem vnionis hypostaticæ, & ea quæ ad ipsum ordinem præcognouit.

571 Hunc modum dicendi impugnat M. Cipullus *hic art.3 dub.2. n.3.* quoniam isti ordines non possunt ita distingui, quin maneant impermixti; multa enim sunt in ordine naturæ, quæ spectant ad ordinem gratiæ secundum eleuationem, vel contrarietatem, vt mors v.g. pertinet ad perseuerantiam, & effectum prædestinationis: plures nati sunt sanctorum orationibus: plura peccata opponuntur supernaturalibus virtutibus, &c. quæ à Caietano ponuntur in ordine naturali, quia inquit Caietanus, peccare non spectat ad ordinem gratiæ, sed ad ordinem naturæ, quia ex nobis ipsis peccamus.

572 Ego sic modum dicendi Caietani impugno; quia iam iuxta illum decretum incarnationis esset posterius ordine rationis, non tantum præuisione lapsus humani generis in peccatum, sed omnium aliarum rerum, quod omnino falsum videtur; multa namque ad primum, & secundum rerum ordinem spectant, quæ in decreto, & præuisione Dei sunt ordine rationis posteriora mysterio incarnationis, sic sunt omnes filij qui generantur, votis, & precibus à Deo impetrati. Huiusmodi etiam sunt actus virtutum naturalium, qui ad primum ordinem spectant, tamen sunt posteriores vnione hypostatica, cum ex Christi meritis habeantur plerumque. Actus etiam fidei, spei, charitatis, & virturum supernaturalium pertinent ad ordinem gratiæ, & tamen supponunt vnionem hypostaticã, maximè illi qui versantur circa Christum ex eiusque meritis habentur.

573 Secundus modus dicendi est Scoti *in 3. dist.7. q.3. & dist. 19. q.1.* qui dicit, quod sicut nos tunc ordinatè procedimus in volitione aliquorum, quando post volitionem finis, & volumus, & decernimus, quæ sunt magis propinqua fini propinquitate dignitatis, ita in Deo prius intelligimus amorem sui, proximè volitionem incarnationis Filij sui, deinde cœtera secundum quod magis accedunt ad diuinam bonitatem. Hunc modum dicendi impugnat Cipullus loco citato *n.5.* quia decretum incarnationis supponit decretum productionis vniuersi. Tum quia natura Angelica est nobilior humana, & tamen etiam per Scotum natura humana est prius volita, cum incarnatio sit prius volita à Deo.

574 Tertius modus dicendi est Pauli Nazarij hoc loco *controu. vnica, post primam concl.* quem alij recentiores Thomistæ sequuntur, qui volunt, quod ordo diuinorum decretorum debeat assignari secundum rationem prioris, & posterioris in diuerso genere causæ, sicut & ex parte obiectorum hæc prioritas, & causalitas reperitur. Vnde incarnatio fuit prius volita à Deo in genere causæ finalis, quàm ordo naturæ, & gratiæ, & priusquam peccatum intelligeretur. Cœterum in genere causæ materialis, oppositum contingit. Hunc modum dicendi impugnat Cipullus, sed non bene, si enim rectè explicetur, optimus est, vt in nostro modo dicendi videbimus.

575 Quartus modus dicendi est P. Valentiæ *disp.1. puncto 7. in solut. 4. argum.* qui dicit, quod Christus D. in decreto, & præuisione Dei fuit signo rationis prior, &

po-

posterior præuisione peccati, sub diuersa consideratione. Fuit prior, quatenus fuit decretus vt auctor gratiæ siue Angelis, siue hominibus in statu innocétię concessæ. Sed iste modus dicendi non placet; ex eo namque sequitur, quod Adamo non peccante Verbum esset, & non esset venturum. Non esset venturum, quia sic expressè tenet Valentia. Tum quia vt res aliqua sine alia in rerum natura non possit existere, non est necesse vt sit ea posterior omnibus modis, aut in omni genere causæ ab ea dependeat, sed satis est, quod vno modo pendeat, & posterior sit, licet alio sit prior. Esset venturum, quandoquidem decretus est vt auctor gratiæ, quæ Angelis, & hominibus in statu innocentiæ data est.

576 Quintus modus dicendi est Ludouic. Molinæ *1.p.q.23.art.4. & 5.disp.1. membr.7.* vbi tria dicit. Primò, quod Deus antequam quicquam statueret de Christo, aliarumque rerum productione, non solum cognouit per scientiam simplicis intelligentiæ omnia possibilia, sed etiam per scientiam mediam quid, quibusque positis esset futurum. V. g. si produceret hoc vniuersum, & in eo homines, & Angelos, quicquid in his, aut illis circunstantijs, vel occasionibus, cum his, aut illis gratiæ auxilij agerent, an essent peccaturi, necne. Postquam autem vidit peccaturos, si istæ, aut illæ conditiones ponerentur; vidit, quod si eis gratia daretur, si daretur Redemptor, aut si negaretur, resurgeret, aut non resurgeret.

577 Secundò dicit, quod Deus omnia illa cognouit vno simplicissimo actu, in quo nec debeat, nec iure distingui possit ordo prioris, & posterioris, & sic decreuit creare hoc vniuersum eo modo quo nunc est, & cum omnibus rerum ordinibus, quos re ipsa continet, scilicet naturę, gratiæ, & vnionis hypostaticæ. Deinde decreuit permittere mala, & peccata; & sic in nullo rationis signo decreuit Verbi diuini incarnationem ante, vel post volũtatem permittendi peccatum, nec ante, vel post prædestinationem, aut reprobationem cuiusquam; imò neque ante, vel post decretum de producendo Adamo, alijsue posteris.

578 Tertiò dicit, quod Deus decreuit incarnationem propter duo, tanquam ob vnicum finem totalem, quorum alterutro sublato, nec voluisset, nec facta fuisset vi eius decreti, vi cuius facta est. Deinde dicit, quod vnum istorum duorum, est remedium peccati; alterum, est dignitas tanti mysterij, propter cuius gloriam cœtera voluit, & peccata permisit. Vnde frequenter inculcat, Deum nunquã fuisse permissurum lapsum generis humani, nisi fœlicius esset illud per Christum reparaturus.

579 Cœterum neque iste modus dicendi Molinæ est ad rem; omnia namque Molinæ dicta sunt falsa. Primum quidem, quia nec datur scientia media, nec est possibilis, cum & careat obiecto, & faciat Deum cæco modo operari, & tollat efficaciam diuinæ prædestinationis, & sit contra sacram scripturam, vt probauimus 1. p. q. 14. nec est necesse ea repetere. Etiam secundum falsum est; nam licet verum sit quod omnia Deus cognoscat vnico simplici intuitu; non tamen ea diuersa signa rationis neganda sunt, quæ habeant rationem prioris, & posterioris secundam diuersam considerationem. Nam ex parte obiectorum à diuina voluntate volitorum ea prioritas, & posterioritas negari non potest; nam aut vnum natura sua pręsupponit aliud; aut vnum est, & appetitur propter aliud; nec cadit sub diuina voluntate, nisi quia cadit aliud. Neque etiam ea prioritas, & posterioritas negari potest ex parte obiectorum, cum enim illa obiecta per decreta decernantur, si in obiectis datur ea prioritas, etiam in decretis decernentibus dari debet, vt postea contra Cipullum dicemus. Tum quia quis neget, quod Deus prius non decreuerit Adamum producere, quam eius peccatũ permittere? Quis neget, quod Deus prius non decreuerit Verbi incarnationem quã peccatum crucifigentium Christum?

580 Demum tertium Molinæ dictũ videtur falsum, nam vt dubio præcedenti vidimus, in Verbi incarnatione Deus aliũ

V finem

finem non habuit, nisi humani generis redemptionem, & salutem, & si quid aliud spectauit, non fuit nisi accessorium, & consequens. Tum quia nō cohęrēt Molinę dicta quod scilicet Christus D. sit finis propter quem peccatum permissum est, & quod fuit decretus propter peccati remedium, nam tunc duo essent sibi inuicem causæ in eodem genere causæ, quod ex Philosophia implicat. Christus namque D. esset finis propter quem peccatum esset permissum, & esset eiusdem peccati remedium; quod ob ipsum permissum est. Præterea nimis indubitanter asserit Molina, Deum nunquam fuisse permissurum peccatum, nisi illud fuisset per Christum reparaturus. Nam vnde hoc sciuit Molina? Quis dicet, quod Deus ex lapsu humani generis non potuerit alia innumerabilia bona colligere, præter mysterium incarnationis.

581 Sextus modus dicendi est aliquorum apud Suarez *hic disp. 4. sect. 5.* qui duo dicunt. Vnum, quod Deus decreuit incarnationem ante peccati pręuisionem. Alterum, quod incarnatio non fuisset futura, si Adam non peccasset. Verum iste modus dicendi sic reicitur. Nam vel decretum incarnationis ante præuisionem peccati, vel est absolutè, & efficax, vel non. Nō primum, quia iam vi illius decreti facta fuisset incarnatio, licet nullum fuisset peccatum futurum. Non secundum, quia si non fuisset absolutum, sed conditionatum, iam incarnatio videretur depēdere à peccato, & non tantum à permissione peccati: tum quia iste modus non adhuc explicat ordinem diuinorum decretorum.

582 Septimus modus dicendi est P. Suarez qui putat, quod in voluntate libera non potest sumi ordo prioris, & posterioris ex ipsis solis rebus prout habent inter se intrinsecam, & connaturalem habitudinem, quia liberum est voluntati diuinæ velle obiectum minus nobile, excellentiori prætermisso, & ordinare vnum ad aliud, ad quod natura sua non ordinatur. Sed hic ordo sumendus est ex habitudine quam inter se habent obiecta, seu effectus in ordine ad diuinam voluntatem ordinantē vnum ad aliud, & voluntatem vnum propter aliud, siue sit finis intrinsecus, siue extrinsecus. Ac proinde in voluntate diuinæ illud erit prius volitum, quod est volitum propter aliud.

583 Cæterum etiam iste modus dicendi deficit, nam voluntas ordinata debet velle obiecta secundum quod recta ratio dictat. Recta autem ratio dictat, quod sint volita secundum eorum connexionem, & habitudinem. Licet enim voluntas diuina sit libera, & possit pro sua libertate obiecta creata quæcumque respuere, tamen ex suppositione quod ea vult, debet ea velle secundum quod eorum naturæ reposcunt. Vnde non potest velle essentiam propter passiones, sed passiones propter essentiam. Concedo P. Suarez, quod in rebus quæ inter sese nullam dicunt connexionem, vel habitudinem, ordo tunc sumi debeat in ordine ad diuinam voluntatem vnum ad aliud ordinantem, non in ijs quæ habent intrinsecam, & essentialem connexionem, vel habitudinem. Deinde falsum est, quod dixit Suarez, quod in voluntate diuina illud sit prius volitum, quod est volitum propter aliud, hoc enim modo media essent prius volita, quam finis, cum sint volita propter finem; & tamen non est sic in bona Philosophia, nam finis cum sit ratio volendi media, est prius volitus quam media. Licet via acquisitionis, non volitionis, aut intentionis, media prius exequantur, quam finis adquiratur.

584 M. Cipullus *hic art. 3. dub. 2. n. 19.* duos ponit modos ordinandi diuina decreta. Primus est, quo Deus prædestinauit, seu decreuit aduentum Verbi postquam scientia visionis præuidit Adæ peccatum in cuius remedium statuit incarnationem. Secundus, quo Deus ordine intentionis prius decreuit incarnationem. Ordo decretorum primi modi est; vt postquam Deus per scientiam simplicis intelligentiæ vidit totam collectionem possibilium, decreuit in primo signo rationis, ad ostendenda sua attributa, creare vniuersum in quo essent Angeli, & homines, & illud

istud est primum signum. In secundo signo vt magis suæ gratiæ diuitias explicaret voluit primis parentibus dare gratiam, & iustitiam originalem, ac lege vt si in ea perseuerassent eam posteris transfunderent. In tertio signo statuit permittere peccatum vt ostenderet; quod gratiam liberaliter dedit, & liberi arbitrij defectibilitatem, &c. In 4. statuit eos liberare à peccato, vt suam ostenderet misericordiã. In 5. ex pluribus modis quibus eos poterat liberare, elegit conuenientissimum, qui est diuini Verbi incarnatio. In 6. ordinauit nostram gratiam, gloriam, & totum vniuersum ad Verbi incarnati gloriam, & honorem.

585 Iste modus dicendi si procederet quantum ad ordinem executionis admitti posset, cæterum quantum ad ordinem intentionis, videtur inconueniens, nam inconuenienter dicitur; quod omniũ finis, sit post media volitus in genere causæ finalis, seu via intentionis. Hunc ordinem intentionis explicuit Apost. 1. Cor. 3. dicens. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*, idest omnia ista inferiora sunt creata propter hominẽ, ac proinde homo in genere causæ finalis præcedit: homo creatus est propter Christum, ac proinde Christus præcedit in genere causę finalis, & Christus propter Deũ. Et sicut ex eo, quod omnia sint propter Deum, colligimus quod Deus sit primò intentus. Ita ex eo quod omnia sint propter Christum, sequitur, quod Christus sit primò intentus. Colligitur hoc ex eodem Apost. ad Ephes. 1. dicens de Christo. *Omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput, &c.* Hinc fuit prædestinatus, *vt esset primogenitus omnis creaturæ*, quod nonnisi in genere causæ finalis esse potest. Præterea quomodo intelligi posset de Christo illud Prou. 7. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, & de eadem sapientia incarnata ibid. dicitur. *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret, &c.* Vnde S. P. August. lib. 1. de Trin. cap. 12. dicit. *Secundum formam serui dictum est: Dominus creauit me in initio viarum suarum*, quia in genere causæ finalis voluit assumptionem humanitatis, antequam aliquid aliud ad extra vellet.

586 Ordo diuinorum decretorum secũdum alium modum à Cipullo admissum, *n.* 584. relatum est, quod Deus in primo signo prędestinauit Christum ad totam gloriam, quam de facto habet, idest ad gloriam etiam redemptoris. In 2. signo prædestinauit ex Angelis, & hominibus propter Christum. In 3. propter prædestinatos voluit vniuersum producere. In 4. voluit propter eundem Christum dare gloriam Angelis & hominibus, cum quibus inijt pactum transfusionis, vel amissionis dictæ gratiæ, vel iustitiæ, data, vel non data præcepti obseruantia. In 5. voluit permittere peccatum primorum parentum, vt Christus haberet gloriam redemptoris. Iste modus dicendi admittit, quod gratia data Angelis, & primis parentibus fuerit intuitu, & ex meritis Christi, quod non est ita certum in via D. Thomæ, de quo infra.

587 Melior modus dicendi est ille, quem cum N. Salmant. tradidimus 1. 2. *disp.* 16. *n.* 156. quod scilicet duo tantum signa rationis *in quo* distinguãtur in Deo. Vnum in quo omnia possibilia, omnes rerum series, connexiones, & combinationes sub eodem esse possibili per scientiam simplicis intelligentiæ Deus perfectè cognouit. Aliud in quo eam seriem sub ijsdem connexionibus, & combinationibus ex tot possibilibus elegit, quæ sibi placuit eam approbauit, & futuram absolutè decreuit. Ratio sufficientiæ horum signorum est, quia omnia quæ sunt Deo necessaria sunt priora liberis, non tantum *à quo*, sed etiam *in quo*, non reali, sed rationis cum fundamento in re.

588 Quod autem ista duo signa sufficiant, & non sit necesse tot assignare vt faciunt modi hucusque recensiti, magis confundentes, quam explicantes difficultatem, ostenditur; nam eo ipso quod Deus in primo signo sub esse possibili, omnia quæ potest decernere, & sub omni connexione qua decerni possunt, cognouit, potest in signo sequenti quæ voluerit eligere, & vnico actu decernere. Si enim non

repugnat quod omnia possibilia, & combinationes eorũ vnico actu Deus attingat; ita non repugnabit, quod vnico actu in secundo signo attingat, prout per scientiam simplicis intelligentiæ, ea ordinata cognouit.

589 Igitur in primo signo cognouit Deus per scientiam simplicis intelligentiæ esse possibile vniuersum ex Angelis, hominibus, cæterisque quę in eo sunt coalescens. Item cognouit esse possibile, quod Adam crearetur cum iustitia originali, sub præcepto vt eam pro se, suisque posteris acciperet, custodiret, vel amitteret. Item cognouit esse possibile, quod aliquis sub eo pacto non comprehenderetur, qui Adamo peccante, non peccaret, nec debitum contraheret. Cognouit esse possibilem vnionem Verbi diuini cum humanitate ex qua consurgeret Christus, qui mereri posset quicquid Deus vellet. Cognouit esse possibilem Virginem ex Adamo descendentem, quæ in dicto pacto non comprehenderetur, & quæ siue comprehenderetur, siue non, eximia gratia ornaretur, vt Christum conciperet, & pareret. Cognouit præterea, quod inter ista essent diuersæ causalitates, & dependentiæ: prioritates, & posterioritates à quo in diuersis generibus causarum; vt quod Christus D. ob suam excellentiam, & dignitatem, esset prior in genere causæ finalis, ac proinde ratio eligendi, & volendi omnia: quod eius merita essent materia sufficiens vt Deus illorum intuitu conferret quæcumque beneficia siue naturæ, siue gratiæ, siue præseruationis à peccato, siue redemptionis, prædestinationis, iustificationis, & glorificationis, ac proinde, quod esset etiam prior in genere causæ moralis meritoriæ, quæ ad genus causæ efficientis reuocatur, vt noto *in tract. de merito*. Tandem cognouit Deus in eo primo signo, quod peccata quæ vellet permittere tam in Adam, quam in posteris eius erant materia sufficiens in cuius remedium, & pro quibus satisfaciendis, Christus posset prædestinari. At in secundo signo decernit, statuit, & elegit sub ijsdem dependentijs, causalitatibus, & rationibus prioris, & posterioris, vt iam fuerat præcognitum, & prout repræsentabantur possibilia. Ex quibus clarè habes duo quæ faciunt ad nostrum institutum. Primum, quod licet in eodem signo *in quo* sit prædestinatio Christi, seu volitio incarnationis, & peccati permissio, tamen in signo *à quo*, habet suam prioritatem, & posterioritatem, quatenus in priori *à quo*, seu in signo *à quo* in genere causæ finalis prius intelligimus Verbi diuini incarnationem, & in signo à quo in genere causæ materialis intelligimus prius peccati Adami permissionem. Secundum, quod cum genus causæ finalis sit absolutè prius, quã genus causæ materialis: incarnatio Verbi in priori *à quo*, intelligetur prior ipsa peccati permissione; cum quo tamẽ stat quod Verbum non venisset, si Adam non peccasset, cum prioritas *à quo* finalis, cum sit in eodem signo *in quo* materialis, non discernitur sine illa, cum in inuicem prioritates istæ nectantur.

590 Hunc modum dicendi quem sequitur Nazarius supra *num.* 574. relatus, quantum ad prioritatem, & posterioritatem in diuerso genere causæ, non quantum ad duo tantum signa explicata; impugnat Cipullus *hic art. 3. dub. 2. n. 7.* vbi sic primò obijcit, quia licet hæc prioritas, & posterioritas in obiectis ipsis materialiter sumptis sit concedenda, nullo tamen modo in ipsis volitionibus, seu in ipsis obiectionibus, seu in ipsis obiectis, vt formaliter volitis; ergo, &c. Antecedens probatur, nam eodem modo debemus philosophari de actibus diuinæ voluntatis, quo philosophamur de actibus nostræ voluntatis, ad quorum instar illi ponuntur, sed in actibus nostræ voluntatis illa prioritas, & posterioritas in diuerso genere causæ non datur: ergo neque in actibus diuinæ voluntatis. Minor probatur, nam in actibus nostræ voluntatis intentio præcedit, postea sequitur electio, deinde vsus, & absurdum est asserere, quod electio præcedat intensionem, aut vsus electionem in diuerso genere causæ.

591 Resp. negando antecedens; si enim semel illa prioritas, & posterioritas

repe-

reperitur in obiectis, vt concedit Cipullus, debet etiam reperiri in actibus, vt sic actus consonent obiectis, aliàs obiecta non refunderent suam conditionem in actus, & actus non tenderent in obiecta, vt petunt. Ad probationem conceditur maior, & negatur minor. Si enim Cipullus vidisset doctrinam D Thomæ 1. 2. *q.* 113. *art.*8. vbi probat, prioritatem, & posterioritatem actuum voluntatis in diuerso genere causæ in iustificatione impij, nõ sic Nazar. impugnasset Refero solum testimonium *ex q.* 28. *de veritate art.* 8. vbi S.Doctor hoc modo loquitur. *Oportet igitur dicere secundum aliam opinionem, quod predicti motus eodem ordine se habeant ad vtrumque, vt quodammodo pracedant, quodammodo sequantur ordine natura, nã si ordo natura attendatur secundum rationem causa materialis, sic motus liberi arbitrij pracedit naturaliter gratiæ infusionem, sicut dispositio naturalis formam: si autem attendatur secundum rationem causa formalis, est è conuerso. Et est simile in naturalibus de dispositione, qua est necessitas ad formam, qua quodammodo pracedit formam substantialem, scilicet secundum rationem causa materialis; dispositio enim materialis ex parte materia se tenet: sed alio modo, scilicet ex parte causa formalis, forma substantialis est prior, &c.* Tum quia non est nouum in via D. Thomæ, quod idẽ actus in diuerso genere causæ sit prior & posterior se ipso, vt est apertio fenestrę, nam in genere causæ materialis prius est, quod fenestra aperiatur, quam quod aer ingrediatur: at in genere causæ efficientis prius est, quod aer ingrediatur, & effectiuè fenestram aperiat. Vnde etiam in actibus voluntatis imperium directum est posterius intentione, & eleuatione. At imperium reflexum est prius, vt aliàs vidimus, quod etiam dicimus de intentione, eleuatione, & vsu.

592 Obijcit 2. nam remedium peccati præcedens incarnationem in genere causæ materialis, cum præcedat non re ipsa, sed in mente: in tantum præcedere potest, in quantum terminat aliquem actum voluntatis: sed nullus est possibilis talis actus secundum quem intelligatur præcedere in genere causæ materialis: ergo, &c. Minor probatur, nam talis actus, aut est intentio, aut electio, aut vsus: sed non est vsus, cuius est rem operi mandare in vltima executione: neque est intentio, quia hæc est de incarnatione, cum sit de fine, non de medijs: neque electio, quia voluntas non potest se mouere ad electionem, nisi ex intentione præhabita, de illo autem remedio non est intentio: ergo, &c. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem patet ex dictis, quod licet diuina voluntas vnico actu voluerit totam istam seriem prout sibi fuit proposita per sciẽtiam simplicis intelligentiæ, tamen ille actus secundum diuersas rationes prioritatis, & posterioritatis habet rationem intentionis & electionis: intentionis respectu incarnationis, & electionis respectu permissionis peccati Adami, in cuius remedium Verbum diuinum debebat carnem assumere.

DVBIVM XX.

Pro quibus peccatis cassandis Verbi diuini Incarnatio facta sit.

593 PRocedit hoc dubium de hac tantum serie, quam Deus de facto elegit, & secundum præsens decretum, non autem de alijs serijs, alijsue decretis, quæ potuit Deus habere. Secundum namque præsens decretum quo venit in carne passibili de facto venit pro delendis nostris omnibus peccatis, siue originalibus, siue actualibus. In hoc conueniunt omnes, & apertè colligitur ex sacra scriptura. Isa. 53. dicitur. *Posuit in eo*, scilicet in Christo, *iniquitates omnium nostrum*. Et 1. Ioan. 1. habetur. *Sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato.* Et cap. sequenti dicitur. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*. Et 2. ad Cor. 5. legitur. *Pro omnibus mortuus est Christus*, idem alibi sæpè. Ratio clara est, quia de ratione perfecti redemptoris, & Saluatoris est, vt tollat

lat omnia, saltem quoad sufficientiam, quæ impedire possunt homines ab ingressu regni cælorum, hoc est enim proprium perfecti redemptoris, & Saluatoris; sed omnia peccata tollunt ingressum in regnum cælorum; ergo à Christo qui est perfectus Saluator, tolli debent.

594 Conueniunt etiam Theologi, quod si fiat cōparatio inter peccata actualia, & originale, incarnatio principaliter facta est pro tollendo peccato originali. Colligitur apertè ex sacris litteris, quæ dum loquuntur de satisfactione Christi D. hoc faciunt in numero singulari, quo significatur, quod principaliter satisfactio facta est pro peccato originali. Vnde Christi D. præcursor, ostendens Christum dixit. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*. Sic enim legunt Græci codices. Per peccatum autem S. Ambrosius *lib. 3. de fide cap.* 5. S. P. August. *lib. 12. contra Faustum cap.* 30. Beda relatus à D. Thoma *art.* 4. & alij, intelligunt peccatum originale.

595 De facto ergo incarnatio facta est pro delendis omnibus peccatis tum mortalibus actualibus, tum originali, & principaliter pro delendo originali. Difficultas præsens in hoc consistit, an ex hypothesi quod solum fuisset originale, & nullum actuale, adhuc incarnatio facta fuisset. Et è contra, ex hypothesi, quod solum fuissent actualia, & non originale, an tunc incarnatio fuisset facta pro illis actualibus; siue fuissent in multis, siue in paucis, aut etiam in omnibus. De quibus.

596 Prima sententia est, quod incarnatio facta fuisset ex solo existente originali, & solis existentibus actualibus. Hanc tenent Medina, Valentia, & alij hoc loco. Secunda sententia est, quod incarnatio facta non fuisset si solum fuisset peccatum originale, aut sola actualia, sed debuerunt vtraque esse. Sic Cabrera. Nazar. & alij *hic art.* 4.

597 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Solo existente peccato originali, incarnatio facta fuisset, non solis existentibus actualibus siue mortalibus, siue venialibus, siue essent in multis, vel etiam in omnibus, siue in paucis*. Hanc sententiam tenent communiter Theologi hoc loco, vt Suarez, Vasq. Lugo, Cipullus, Cornexus, Orlandus Ysambertus, & alij. Prima pars conclusionis, quod scilicet incarnatio facta fuisset solo existente originali, colligitur ex sacra Scriptura, quæ incarnationem vult esse factam ob peccatum originale potissimè, & principaliter, vt vidimus *n.* 594. Et ratio est euidens, nam vbi dantur duo motiua alicuius rei faciendæ, vnum magis principale, & aliud minus; tunc cessante minori, & durante maiori, adhuc res facienda ponitur; sed remedium peccati originalis est motiuum principalius, & fortissimum, non sic remedium peccati actualis; ergo existente principali, & non hoc secundario, incarnatio facta fuisset. Hinc causa finalis, & principalis, dicitur dux mentis. Anchar. *consil.* 254. *n.* 4. Roman. *consil.* 503. *n.* 7. *cum seq.* sola namque causa finali principali cessante, cessat effectus. Anchar. *cons.* 47. *n.* 4. Euerard. *in topicis legal. loco* 85. Tusch. *litt. C. concl.* 137. *n.* 14. Mantica *decisione* 131. *nu.* 4. & alij. Cum autem in nostro casu causa finalis incarnationis fuerit remedium peccati originalis, sequitur, quod non datis actualibus adhuc facta fuisset.

598 Secunda pars concl. quod scilicet existentibus solis actualibus incarnatio facta non fuisset, ostenditur. Primò ex illo Ecclesiæ in benedictione cerei in die Sabbati Sancti. *O necessarium Adæ peccatum, &c. O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere redemptorem*. Vbi illa particula *necessarium*, significat quod peccato Adæ non existente incarnatio facta non fuisset. Secundò, quia modus loquendi Sacræ Scripturæ, & SS. Patrum de Christi aduentu, denotat eum sic venisse propter peccatum Adami, quatenus est radix actualium; ergo si data hypothesi actualia fuissent, & non originale à quo originem ducerent, incarnatio non fuisset; vbi namque cessat radix, vel fundamentum, cessat ædificium, *l. nam origo ff. quod vi, aut clam. l. legi tecum, ff. de except. rei iudic. & cap. Paulus* 1. *q.* 1. Tertiò, nam

tunc

tunc Christus taliter debuisset venire quantum ad conditionem corporis, quales tunc homines fuissent ex vi status in quo fuissent; sed Adamo non peccante status fuisset impassibilis; ergo debuisset Christus venire in carne impassibili; atqui in carne impassibili non venisset ex vi præsentis decreti, vt supra vidimus, nec in carne impassibili potuisset pro nobis satisfacere, eo saltem modo quo ex vi præsentis decreti satisfecit; ergo, &c. Soluuntur argum. in contrarium.

599 Primum argum. nam Patres interdum dicunt, quod Dei filius solum venisset propter vnum solum peccatũ vnius hominis, quod etiam videtur dicere Apost. ad Galatas 2. quod scilicet pro se ipso solum venisset. Vnde refert D. Dionysius *Epist. 8. ad Demophilum,* quod Christus D. dixerit Sancto Carpo, se esse paratum iterum pati pro saluandis hominibus. Resp. ex his solum probari promptitudo Christi ad saluandos homines, quod scilicet si opus esset, iterum veniret, vt eos saluaret. Nec dicitur quid factum fuisset in casu nostræ hypothesis, quod non fuisset peccatum originale.

600 Secundum argum. nam Christus venit vt nos redimeret à miseria peccati, sed hæc est maior in actualibus, quam in originali; ergo magis debuit venire pro actualibus, quam pro originali. Peccata namque actualia sunt voluntaria in se, & originale in Adamo. Resp. distinguendo maiorem. Christus D. venit vt redimeret nos à miseria peccati originalis, & actualis, negatur. Principaliter namque venit vt nos redimeret à miseria peccati originalis. Deinde distinguitur minor: est maior miseria peccati actualis intensiuè conceditur extensiuè negatur. Per originale namque tota natura inficitur, non per actuale.

601 Tertium argum. nam ex vi præsentis decreti incarnatio facta est, vt nos liberaret per mortem, & passionem; vnde Christus venit vt flagellaretur, vt pateretur, vt crucifigeretur, vt moreretur, sed hoc non potest intelligi sine peccatis actualibus crucifigentium, &c. ergo dato solo peccato originali non veniret. Resp. nostram conclusionem non esse absolutã, sed ex hypothesi quod daretur originale sine actualibus, quo in casu dicimus, quod incarnatio facta fuisset; de facto tamen quia simul cum originali dantur etiam actualia, ideo etiam pro illis delendis venit, non quidem primariò, sed secundariò.

602 Sed quæres 1. an existentibus peccatis actualibus, & non dato peccato originali incarnatio facta fuisset ex vi alterius decreti, pro delendis illis actualibus? Resp. cum N. Cornexo hoc loco rem non esse certam, sed incertam, an scilicet facta, vel non facta fuisset; *Quis enim cognouit sensum Domini*. De decretis namque liberis diuinæ voluntatis non aliter possumus iudicare, nisi prout ex Sacra Scriptura habemus; ex Sacra autem Scriptura nihil habemus de decretis, quæ Deus habere potuit, vel habuisset facta hac, vel illa hypothesi. Si tamen attendamus ad immensam diuinæ misericordiæ largitatem, videtur probabilius, quod incarnatio fieret, maximè si peccata actualia ferè totam, aut totam hominum massam inficerent. Pro solis tamen venialibus incarnatio non fieret, quia, vt supra vidimus, pro istis purus homo cum gratia, & auxilijs diuinis potest ad æqualitatem satisfacere.

603 Quæres 2. an si Deus creasset homines in statu puræ naturæ, & videret omnes, aut ferè omnes peccatis actualibus infectos, an tunc fieret incarnatio. Resp. negatiuè, saltem ex vi præsentis decreti, & fortè neque ex vi alterius. Ratio est, quia in hoc casu licet natura humana à fine naturalis beatitudinis excideret, non tamen à fine beatitudinis supernaturalis, cum tunc non esset ad hunc finem eleuata, sicut modo; vnde est differentia in hoc casu, & in casu quo non esset peccatum originale, & essent actualia, totam hominũ massam inficientia, & deturbantia à fine supernaturali ad quem tota massa hominũ fuit eleuata per iustitiam originalem omnibus in Adamo datam, & omnibus in Adamo amissam, &c.

DVBIVM XXI.

An Incarnatio facta sit tẽpore conuenienti.

604 Certum est incarnationẽ fuisse factam 8. Kalendas Aprilis, idest die 25. Martij, anno à creatione mũdi quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono: & eodẽ anno natus est octauo Kalendas Ian. idest die 25 Decembris, vt optimè probat S. P. Aug. *lib. 4. de Trinit. cap. 4.* Hæc diuini Verbi incarnatio facta est die Dominica vt profitentur græci in 6. synodo *cap. 8. tom. 3. Concil.* vbi dicitur: *In eo die manna in eremo pluit, eo nasci dignatus est, in eo Stella Magis refulsit, in eo de quinque panibus, & duobus piscibus quinque millia hominum pauit, in eo Baptismum in Iordane suscepit, in eo ipse pius Redemptor humani generis sponte pro salute nostra à mortuis surrexit.* Quantum ad tempus, & horam, de nocte incarnatio facta est, iuxta illud Sap. 18. *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus exiliens è cœlo, à regalibus sedibus venit:* sicut etiam de nocte natus est, & eadem noctis porte, quæ de media nocte ad diem sequentem pertinet vt fuit reuelatum D. Bernardo, vt in eius legenda legitur, & probat Albinus Flaccus *de diuinis offic. cap. 1.* & alij.

605 Quantum ad ætatem, incarnatio facta est sexta mundi ætate. Prima namque ætas computatur ab Adam vsq; ad diluuium. Secunda à diluuio vsque ad Abraham. Tertia ab Abraham vsque ad Dauid. Quarta à Dauid vsque ad captiuitatem Babilonicam. Quinta à captiuitate Babilonica vsque ad Christum. Sexta à Christo vsque ad finem mundi. Alij cum D. Aug. *lib. de Gen.* duas alias ætates assignant ad aliam vitam pertinentes, vt septima sit illa in qua nostrarum animarum requiem consequemur, & figuratur in septima die in qua Deus requieuit ab omni opere quod patrarat. Et octaua sit in qua non solum requiem animæ, sed etiam corporis post diem iudicij adipiscemur, & hæc figuratur in die Dominico resurrectionis Christi.

606 His vt certis suppositis quærimus, an incarnatio facta fuerit tempore congruenti. Communis, & vera sententia catholicorum seq. concl. explicatur. *Incarnatio congruenti tempore facta est, scilicet in principio sextæ ætatis.* Sic S. Doctor *his art. 5.* Aluarez hoc loco. Medina, Cipullus, Orlandus, Suarez, Becanus, Puteanus, Tannerus, & alij communiter.

607 Probatur, nam incarnatio fieri debebat in medio tempore, iuxta illud Habacuc 3. *In medio annorum notum facies*, non quidem mathematicè, & indiuisibiliter, alioquin sciri posset mundi finis, extremumq; iudicium, contra illud Christi D. Matt. 13. *De die illo nemo scit nisi Pater*, &c. Sed moraliter, idest non longè à medio tempore, licet magis vergente ad mundi senectam; ergo, &c. Tum quia non decebat, quod incarnatio fieret ab initio mundi, quia oportebat vt tam grãde mysterium annunciaretur à Prophetis, vt postea fieret magis credibile, & oportebat vt tantum beneficium esset diu desideratum, & expectatum. Deinde quia sicut natura incipit ab imperfectioribus, ita oportebat, quod bona gratiæ paulatim concederentur, &c. Tum etiam quia non decebat vt differretur vsque ad mundi finem, quia cum Christus venerit propter infirmitatem per peccatum contractum oportuit quod non veniret quando morbus iam esset nimis longeuus. Præterea tanta dilatio non congruebat diuinæ misericordiæ, vt tanto tempore differret remedium. Demum quia si incarnatio in tam longum tempus fuisset dilata, pauci fuissent vsi illius beneficio, cum iam fides, & spes huius mysterij defecisset, mores fuissent corrupti, lex naturæ forè abolita, &c. & sic debuit fieri in medio tempore.

608 Sed obijcies 1. nam si incarnatio facta fuisset in principio mundi, plures saluati fuissent, qui tamen perierunt, ergo par erat vt incarnatio citius fieret. Res. 1. quod dato, quod plures fuissent saluati, ob alias tamen causas conueniens fuit,

quod

quod differetur, vt homo paulatim disponeretur ad illius receptionem, vt homo propriam cognosceret infirmitatem,& miseriam, vt cognosceret se indigere tanto liberatore: vt Dei iustitia manifestaretur, pœnis homini propter peccatum impositis: vt Verbi dignitas patefieret, præcedente longa præconum, & Prophetarum serie, plurisque fieret summum hoc incarnationis beneficium, &c. Resp. 2. negando antecedens, nam incarnatio Verbi facta est ad saluãdos quidem omnes quoad sufficientiam, at quoad efficaciam non omnes, sed tantum electos. Vnde eo tempore fieri debuit, quo id conuenientius fuit ad efficacem electorum salutem. Cur autem tot solum elegerit Deus, & nõ plures, ad ipsius pertinet voluntatem, & prouidentiam, quam nos comprehendere non valemus, iuxta illud: *Quis cognouit sensum Domini.* Et *O altitudo diuitiarum sapientiæ, &c.*

609 Obijcies, nam in Sacra Scriptura habetur, quod debeat fieri in nouissimis diebus, ideſt in fine mundi, ergo non debuit fieri in medio tempore. Conseq. constat. Antecedens probatur, nam in Scriptura Messias dicitur venturus in nouissimis diebus. Gen. 49. Isaiæ 2. Micheæ 4. ad Hebræos 9. & alibi. Resp. quod incarnatio dicitur fienda in nouissimis diebus, quia tempus in quo facta est, nouissimum tempus appellatur. 1. Ioan. 2. *Filioli iam nouissima hora est.* Ob idque appellatur mundi senecta, mundi vespera: *vergente mundi vespere: venit ad mundi vesperam*, quia hoc tempore dedit legem gratiæ, quæ nouissima est, & post eam alia futura non est. Vnde vocatur etiam mundi iuuentus, ob vigorem gratiæ, quæ hoc tempore viget. Tum quia hæc est vltima ætas. Tum etiam quia hoc tempore completæ sunt prophetiæ, quæ de incarnatione, Verbique aduentu erant. Hac ratione Christus dicitur ab Ecclesia: *Deus creator omnium, homo in fine temporum.*

DISPVTATIO II.

IN QVAEST. II. DIVI THOMAE.

De modo vnionis Verbi Incarnati.

1  AEC q. habet 12. articulos. In 1. art. docet S. Doctor, quod vnio Verbi non est facta in natura, vt dub. seq. explicabitur. In 2. art. dicit, quod vnio Verbi diuini facta est in persona, vniuit namque sibi naturam humanam, non naturæ diuinæ. In 3. art. ait quod hæc vnio facta est in supposito, seu hypostasi. In art. 4. explicat, quomodo persona Christi sit composita. In art. 5. tradit, quod in Christo anima, & corpus vniuntur. In 6. dicit, quod natura humana non est vnita Verbo accidentaliter. In 7. art. explicat quid sit vnio naturæ diuinæ, & humanæ. In art. 8. explicat differentiam inter vnionem, & assumptionem. In art. 9. declarat quomodo vnio duarum naturarum in Christo sit maxima vnionũ. In art. 10. dicit quod hæc vnio non est facta per gratiam, sed gratuito Dei dono. In art. 11. probat quod hanc vnionem non præcesserunt merita. In art. 12. dicit, quod gratia vnionis dicitur naturalis, in quantum fuit à natiuitate, non quia habeatur ex principijs naturæ. Pro his sit.

DVBIVM I.

An vnio Verbi diuini sit facta in natura.

2 PRo intelligentia huius dubij, sciendum, quod dum quæritur, an vnio Verbi diuini sit facta in natura, non est

sensus, an vnio Verbi sit facta in natura humana, seu an natura assumpta sit humana, hoc enim certum est, vt ex dicendis patebit. Neque sensus est, an vnio Verbi sit facta in natura vt scilicet ex natura diuina, & humana vnio facta sit, seu quatenus in eadem persona Verbi vtraque natura est vnita, nam & hoc certum est, sed sensus est, an vnio Verbi facta sit in natura, vt ex tali vnione cum natura vt illius terminus, resultauerit, quo modo ex vnione materiæ, & formæ resultat vna natura.

3 Quod vt clarius intelligamus notandum, quod quatuor modis, dici potest quod in Christo ex natura diuina, & humana sit facta vna natura. Primò per compositionem, quo modo ex materia, & forma fit vna natura, v.g. humana. Et iste fuit error Arrij, & Apollinaris, qui vt refert D.August. *de hæres. cap.* 49. & 55. Et S.Doctor *hic q.*5. *art.*3. & 4. *contra Gent. cap.*41. dixerunt, quod Verbum diuinum fuit vnitum corpori Christi loco animæ, ac proinde ex Verbo, & corpore vna natura facta fuit. Secundò per mixtionem, confusionem, & transmutationem duarum naturarum in vnam tertiam, vt contingit in productione mixti ex elementis, substantialiter transmutatis, & iste fuit error Polemij, vt refert Theodoretus *lib.* 4. *hæret. fabularum*. Fuit etiam error Dioscori & Seueri vt refert N.S.P. Ioan.Damascen. *lib.*5. *de fide cap.*3. Tertiò per conuersionẽ humanitatis in diuinitatem, vt tenuit idem Dioscorus, & hæretici dicti Acephali apud Castr. *v. Christus, hæresi* 4. Et nouissimè Mennon, Ioan.Brentius, & alij nostri temporis apud Lindanum *Dialogo* 2. Quartò, per conuersionem Deitatis in humanitatem, & hunc errorem docent aliqui nostri temporis hæretici, vt ex Lindano, & Echio aduertit Suarez hoc loco *disp.* 7. *sect.*2. & error iste desumptus est ex Apollinare dicente quod in hoc mysterio aliqua particula Deitatis conuersa est in humanitatem.

4 Inter omnes conuenit, quod natura diuina in hoc mysterio reperiatur, & quia S.Doctor posuit hunc primum articulum ob errorem Eutychetis, videndum est, quid ille potissimè senserit. Eutyches ergo presbyter, & archimandrita Constantinopolitanus circa annum Domini 450. cum egregiè decertasset pro asserenda vnica persona in Christo D. contra Nestorium vt patet ex Epistola S. Leonis ad eundem Eutychetem, quæ est 6. inter Epistolas eius decretales, incidit in aliam hæresim, asserendo Christum D. ante adunationem, seu vnionem fuisse ex duabus naturis, & post adunationem, seu vnionem vna tantum fuerit natura, sic enim mentem suam expressit in Concilio Constantinopolitano sub Flauiano, actione 7. Et in Ephesina Synodo prædatoria, post libellum confessionis eius, vt videre est in actione 1. Concilij Calcedon. vbi vtraque hæc Synodus relecta fuit.

5 Non leuis controuersia est in Theologos circa hunc errorem; nam Suarez dicit, quod Eutyches asseruit quod ex duabus naturis, diuina scilicet, & humana resultauit vna natura, quatenus natura humana per vnionem conuersa est in diuinam. Vasq. impugnat Suarez, & dicit Eutychem posuisse in Christo vnam tantum naturam, non per conuersionem humanæ in diuinam, sed per vtriusque compositionem. Lorca tenet, quod Eutyches voluerit, quod in hoc mysterio natura diuina conuersa sit in humanam. Hurtadus citans Bellarm. Valentiam, & alios putat, quod error Eutychetis fuerit, quod ex natura diuina, & humana, resultauerit vna natura per commixtionem vtriusque, eo modo quo ex elementis fit mixtum.

6 Meum sit de hac re iudicium. Omnes isti modi dicendi possunt esse veri, & possunt habere aliquod fundamentum in Sãctis Patribus, quia omnes hæretici solẽt esse inconstantes in defendentis suis erroribus, & sic potest esse, quod Eutyches in diuersis temporibus, & occasionibus particularibus modo vnum, modo alium dicendi modum docuerit, aut insinuauerit, tamen ex suis publicis confessionibus, nihil expresse habetur: interrogatus namque noluit respondere, nec etiam in prædatoria synodo Ephesino Episcopi sa-

fauentes Eutycheti voluerunt eum hac de re interrogatum respondere, vt constat ex Concilio Calcedonensi art. 1. vbi Basilius Episcopus conqueritur, quod Eutyches à se, ab Eusebio, & Sozane Episcopis interrogatus, vt diceret modum incarnationis. *Noluerunt*, inquit Basilius, *illum de hac re interrogari, & iusserunt non inuestigatum dimitti istud, & non susceperunt prosecutionem nostram*; sed coactus fuit hoc vnum dicere, Beatissimam Virginem esse nobis consubstantialem, at Christum esse consubstantialem nobis, & Virgini, at dicere noluit. Vnde magis propendere videbatur, quod natura humana fuisset conuersa in diuinam, aliàs non habuisset difficultatem fateri quod Christus D. fuisset consubstantialis Virgini, & nobis.

7 Veritas catholica seq. concl. explicatur. *Ita per vnionem Verbi diuini cum natura humana, duæ naturæ sunt in Christo, scilicet diuina, & humana, vt remaneant integræ, inconfusæ, impermixtæ*. Hæc concl. est de fide definita in Concilio Calced. *actione* 1. 2. & 5. vbi cum legeretur Epistola 5. Leonis Papæ pro duobus naturis, Episcopi ita clamauerunt. *Hæc Patrum fides, hæc est Apostolorum doctrina; ita credimus, anathema qui ita non credit. Petrus per Leonem loquutus est. Apostoli ita docuerunt.* Fuit etiam hæc veritas definita in 5. Synodo *art.* 1. & *collat.* 8. *can.* 8. in 6. Synodo *art.* 12. 13. & 18. In Concil. Later. sub Innoc. III. & refertur *cap. firmiter, de Summa Trin.* In Conc. Tolet. 5. *c.* 6. & alibi.

8 Probatur 1. nam Christus D. vt ex sacra scriptura colligitur, & habetur in Epist. 12. Leonis Papæ ad Flauianum, est Deus, & homo, sed non posset esse Deus, & homo, nisi vtramque naturam haberet inconfusam, impermixtam; ergo in Christo vtraque natura, diuina scilicet, & humana, distinctè esse debet. Minor probatur, nam Deus, & homo sunt nomina concreta Deitatis, & humanitatis: ergo distinctè debent afferre diuinitatem, & humanitatem. Si enim semel per vnionē hypostaticam in Christo vna resultaret natura, quocumque modo id fieret, non posset de illa natura prædicari, quod esset distinctè Deus, & homo. Hæc veritas colligitur ex Symbolo Apostolorum, Nicæno, & D. Athanasij, ibi. *Perfectus Deus, perfectus homo, &c.*

9 Probatur 2. nam vt bene arguit S. Doctor *hic art.* 1. si in hoc mysterio per vnionem fieret vna natura, vel esset per conuersionem, vel mixtionem, vel per compositionem; nullo ex istis modis potest fieri vna natura: ergo vtraque impermixtè debet remanere. Minor probatur, quoad primam partem, nam in omni conuersione id quod conuertitur amittit suum esse, & id in quod conuertitur aliud esse vel substantiale, vel saltem accidentale adquirit, sed natura diuina non potest amittere suum esse; ergo non potest in naturam humanam conuerti: nec potest aliquid de nouo acquirere, ergo neque natura humana poterit in eam conuerti; aliàs si posset aliquid de nouo acquirere, non esset immutabilis.

10 Secunda pars illius minoris probatur, quod scilicet non possit fieri vna natura ex diuina, & humana per commixtionem, quia in omni mixtione miscibilia mutantur, & corrumpuntur, vel saltem alterantur, vt patet de mixtione aquæ cū vino, sed natura diuina est incapax mutationis, & alterationis; ergo, &c. Tum quia vt tradunt Philosophi cum Arist. *in lib. de generat. & corrupt.* Mixtum non est sua miscibilia, sed tertium inde resultans, ab eisque distinctum; sed in Christo hoc esse nequit; ergo, &c.

11 Tertia pars illius minoris probatur, quod scilicet non fiat vna natura in Christo ex diuina, & humana per compositionem; nam natura diuina, & humana non possunt in compositionem venire. Cum enim sint naturæ perfectæ, & completæ non potest ex illis vna natura composita fieri, quæ sit verè, & propriè vna. Vera namque compositio fit ex partibus, ac proinde ex entibus incompletis. Ex entibus namque completis non potest fieri vnum per se, sed ad summum vnum per accidens, incompletum, & per aggregationem, quod in Christo esse nequit, nec volebat Eutyches.

12 Probatur 3. nam duo entia absolutè, & simpliciter, non sunt vnum absolutè, & simpliciter, sed duo simpliciter, & vnum secundum quid: sed natura diuina, & humana sunt duo entia absolutè, & simpliciter, cum sint duæ naturæ completæ, ergo non possunt coalescere in vnam naturã, sed erunt duę simpliciter, & vna ad summum secundum quid. Si enim in eodē Angeli supposito essent duæ naturæ Angelicæ, impropriissimè diceretur vna natura, sed absolutè, & simpliciter duæ.

13 Probatur 4. nam compositum non est partes etiam simul sumptæ, sed est tertium à partibus distinctum: homo namque neque est materia, neque forma, sed tertium ex vtraque resultans, quod compositum vocatur; natura namque humana est tertium à materia, & forma distinctum siue se ipsis vniantur, siue medio aliquo nexu; sed si in Christo esset tertia natura ex vtraque composita, scilicet diuina, & humana, non esset Deus, & homo, sed quoddam tertium ex Deo, & homine coalescens, seu coalescens ex natura diuina, & humana, quod est falsum; ergo, &c.

14 Dices quod hoc coalescens ex vtraque natura neque est formaliter Deus neque formaliter homo, sed Christus, qui est eminenter Deus, & homo, formaliter autem neque est Deus, neque homo; sicut homo coalescens ex materia, & forma, non est formaliter materia, neque formaliter forma, sed est formaliter homo, & eminenter materia, & forma. Sed contra, nam vt habetur ex Sacra scriptura, Christus D. est formaliter Deus, & formaliter homo, est enim Deus, & homo. Nec est par ratio de homine coalescente ex materia, & forma; nam materia, & forma coalescunt in vnam, eandemque naturam, quia sunt simpliciter partes; at natura diuina, & humana cum sint simpliciter naturæ completæ, non possunt vnam, eandemque naturam componere. Soluuntur argum. in contrarium.

15 Primum argum. nam Ioannis 1. apertè dici videtur, quod natura diuina medio Verbo in carnem sit conuersa, cum dicitur *Verbum caro factum est*; si enim vtraque natura impermixta, & inconfusa maneret, non diceretur *Verbum caro factum*, sed carni vnitum. Resp. quod cum dicitur *Verbum caro factum*, non denotatur, quod fuerit in carnem conuersum, aut mutatum, aut cum illa mixtum, sed denotatur, quod carnem assumpserit, manendo in propria natura, eo modo quo homo dicitur fieri Doctor, Theologus, sanus, infirmus, non per conuersionem, aut mixtionem, sed quia manens idem, ac prius, acquisiuit illa prædicata, aut denominationes. Cum discrimine tamen, quia homo cum sit capax mutationis; mutatur tunc accidentaliter, ac Verbum non mutatur, sed tota mutatio facta est in natura assumpta, vt infra magis videbimus.

16 Sed contra hanc solutionem obijcies, nam in eo sensu dici debet Verbum caro factum, quo dicitur in nuptijs aqua vinum facta, & quo dicitur in Eucharistia quod panis fit corpus Christi, sed in nuptijs aqua fuit facta vinum per conuersionem, & panis in Eucharistia fit corpus Christi per veram conuersionem; ergo etiam Verbum debet dici caro factum per conuersionem. Resp. negando maiorem, cum enim dicitur à scriptura vnum fieri aliud, non sēper significatur conuersio vnius in aliud, sed aliquando sola vnius ad alterum accessio absque prioris desitione, vel interitu, aut conuersione, vt cum Christus D. ad Galatas 4. dicitur factus pro nobis maledictum, & ad Hebræos 7. dicitur factus Pontifex, &c.

17 Secundum argum. desumitur ex illo D. Athanasij in symbolo. *Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus*; ergo sicut ex anima, & carne fit vna natura, ita ex Deo, & homine, seu ex natura diuina, & humana facta est vna natura, aliàs non bene procederet cōparatio D. Athanasij. Resp. quod dum D. Athanasius, & alij Patres vtuntur prædicto exemplo; non comparant compositionem humanæ naturæ ex anima, & corpore, cum compositione suppositi Christi ex natura diuina, & humana, seu ex diuinitate, & humanitate, sed sen-

sensus est, quod sicut suppositum humanum licet numero vnicum coalescit, & componitur ex duabus rebus tam inter se differentibus, corpore videlicet, & anima rationali, ita vnicum Christi suppositum coalescit ex diuina simul, humanaque natura. Vnde sicut diuina omnipotentia potuit in vno supposito humano duas res adeo diuersas componere, vt sunt anima, & corpus, ita eadem omnipotentia potuit in vna Christi persona duas naturas adeo diuersas coniungere, vt est diuina, humanaque natura.

18 Tertium argum. quod Eutyches attulit, desumitur ex duobus testimonijs N.S.P. Cyrilli Alexandrini. Primum habetur *Epist.2.ad Successum*, vbi ex D. Athanasio sic dicit. *Confitemur etiam Christum esse filium Dei, & Deum secundum spiritum, & filium hominis secundum carnem, non duas naturas, vnum filium*. Secundum habetur *lib.1. de fide ad Reginas*, vbi dicitur. *Non duas naturas, vnam quæ adoratur, & alteram, quæ non adoratur, sed vnam naturam Dei Verbo incarnatam, & adorabilem cum carne sua, vna adoratione*. Resp. ad 1. testimonium, quod N.S.P. non negauit in Christo duas naturas, sed quod non sint duæ naturæ incarnatæ, sed vna tantum media personalitate Verbi. Vnde vult, quod in Christo sint duæ naturæ, vna incarnata, & alia assumpta, non duæ assumptæ, nec duæ incarnatæ. Et sic N. Cyrillum interpretati sunt Martinus Papa, & Patres Concilij Lateran. consult. 5. can. 5. vbi dicitur. *Per hoc quod vna Verbi Dei natura incarnata dicitur, nostra substantia perfectè in Christo esse, & indiminutè significatur*. Ad 2. testimonium dico N. Cyrillum non negare duas naturas in Christo simpliciter, sed hoc tantum modo vt vna sit quæ cultu latriæ coli, & adorari debeat, altera quæ hac adoratione adorari non debeat.

19 Quartum argum. nam aliqua duo vniri in natura, nil aliud est, quàm ex illis vnam fieri, seu resultare naturam; sed per vnionem Verbi diuini cum natura humana, resultat in Christo vna natura; ergo, &c. Maior constat. Minorem docet N. S. P. Ioan. Damasc. *in sua Dialectica cap.65.* dicens. *Illud scire attinet, hypostaticam vnionem vnam rerum coniunctarū compositam naturam efficere*. Tum quia si in Christo post vnionem hypostaticam essent duæ naturæ, deberent etiam esse duæ personæ; sed non sunt; ergo, &c. Maior probatur, nam valde probabile est, quod inter naturam, & personam nulla sit realis distinctio; ergo vbi sunt duæ naturę, etiam duæ personæ esse debent. Tum quia etiamsi admittatur realis distinctio, adhuc duæ naturæ perfectæ debent habere duas personalitates. Res. negando minorem. Ad 1. probationem dico, quod licet secundum translationem Bilij legatur *compositam naturam*, tamen secundum translationem Fabri legitur *compositam hypostasim*, & iste est proprius sensus Damasc. vt ex contextu constat. Ad 2. probationem dicas, illam sententiam non esse probabilem. Nec verum est, quod duæ naturæ perfectæ debeant habere duas personalitates, sed sufficit habeant vnam, vt in Christo patet.

20 Quintum argum. nam Pater, Filius, & Spiritus S. sunt vnus tantum Deus, propter vnitatem essentiæ, licet sint tres personæ; ergo à contrario si in Christo sunt duæ naturæ, erunt duo Christi. Resp. concedendo antecedens, & negando cōseq. Ratio discriminis est, quia ad multiplicationem nominis adiectiui non sufficit multiplicatio suppositi, sed requiritur multiplicatio naturæ, & sic cum in diuinis sit tantum vnica natura, tantum vnus Deus est adiectiuè. Cœterum ad multiplicationem nominis substantiui, requiritur multiplicatio suppositorum; vnde cum in Christo sit tantum vnicum suppositum, non duo Chisti, sed vnus tantum erit. Nomen namque substantiuum desumitur ab eo quod substat, quod est suppositum, & nomen adiectiuum sumitur ab eo quod alteri adiacet, quod est natura, quæ in linea substantiæ adiacet supposito.

DVBIVM II.

An in Christo sit tantum vnica persona, vbi de erroribus aliquorum hæreticorum, & maximè Nestorij.

21 CIrca maxima, & difficilia, facilè errores contingere solent, & sic cum incarnationis mysterium sit maximum, & longè excedens humanum captum, nisi anchora fidei firmetur; illi qui relicta Petri cimba, & fidei anchora, in hoc mar magno, & intransnatabili, solo proprij intellectus remo nauigare voluerunt in profundum demersi sunt. Quocirca ab ipso tempore Apostolorum fuerunt hæretici qui existimarunt Christum D. esse purum hominem ex Beatissima Virgine & S. Ioseph natum. Sic Carpocrates, sic Ebion apud S. Irenæum *lib. 1. aduersus hæreses cap. 24. & 25.* Idem sensit Cherintus, addens, quod Christus post baptismum descendit in Iesum, quem in fine vitæ reliquit, & sic solus Iesus fuit passus, non Christus, & sic diuidebat Christum in duas personas. Contra hos hæreticos Sanctus Ioannes Euangelista scripsit suũ Euangelium teste D. Hierony. *de script. Eccles.* post hos secuti sunt Gnostici qui diuidebant Christum in quatuor personas. Deinde secutus est Nestorius Patriarcha Constantinopolitanus, qui vixit tẽpore Theodosij iunioris, hic Christum in duos soluit filios, alterum Dei, alterum Virginis, ideoque negabat illam genuisse Deum, & esse Matrem Dei, sed dicebat, quod solum purum hominem genuit. Deinde dicebat, quod Filius Dei progressu temporis fuit vnitus cum Filio Mariæ, nõ quidem hypostaticè, sed accidentali tantum vnione, & hoc quatuor modis. Primò per inhabitationem, tanquam in suo templo, à quo nunquam recessit. Secundò per affectum, & vnionem amoris, ratione cuius licet sint duæ personæ, Christus tamen dicitur vnus, sicut maritus, & vxor, nam licet duæ sint personæ, dicuntur tamen vna caro, qua ratione Christũ appellari dicebat Emanuelem, & Deiferum. Tertiò per operationem quatenus Verbum per Christum tamquam per instrumentum operabatur miracula, &c. Quartum per cõmunicationem suę excellẽtiæ quia filius Dei communicauit Christo suam dignitatem, voluitque Christum hominem dici Deum, & adorari, sicut imago appellatur nomine prototypi.

22 Habuit Nestorius sui erroris multos assertores, inter quos fuit Theodoretus Cyri Episcopus, qui pro Nestorio scripsit librum contra duodecim anathemata N. S. Cyrilli, qui tamẽ postea resipuit, & in Concilio Calcedonensi *actione* 8. anathema dixit Nestorio. Nestorij hæresis adeo fuit dilatata, vt ei nomen dederit, & sit appellata hæresis Nestoriana, & sectatores Nestoriani. Hæc hæresis adhuc durat in Oriente, & frequenter à nostris Missionarijs aliqui conuertuntur. N. S. P. Cyrillus ad eum scripsit, vt ab errore recederet. Scripsit ad Imperatorem, & alios, ne latius venenum serperet. Quibus offensus Nestorius, inplacabili in eum odio exarduit. Sed Pontifex vices suas Cyrillo mandat, vt Nestorium sede, ac communione priuet, nisi intra decẽ dies hæresim reuocet. Sed acceptis à Cyrillo Nestorius litteris synodalibus cum anathematismis duodecim, quibus iubebatur subscribere, in furorem actus totidem anathematismos Cyrillo reposuit, & in Catholicos maximè sæuire cœpit. Sed coacto Ephesino Concilio, eo accedit, & aulicorum gratia, militarique fretus præsidio, synodale detrectauit iudicium. Verum à Concilio damnatus, ac depositus, ad fraudes, & calumnias confugit; vnde à Schismaticis in integrum restituitur, mutuam vicem reddentibus Cœlestianis, & Pelagianis, quos ob hæresim suis erroribus affinem, pulsos suis sedibus exceperat, suo iuuaret patrocinio. His notatis pro intelligentia hæresis Nestorianæ.

23 Veritas catholica seq. concl. explicatur. *In Christo vna tantum est persona, ac proinde vnio Verbi diuini cum natura humana non consistit in aliqua vnione ex illis quatuor, neque in illis omnibus simul.* Secunda pars dependet ex prima, si enim

enim semel verum est, quod in Christo D. est tãtum vnica persona, sequitur, quod vnio Verbi cum natura humana, non potest consistere in aliqua ex quatuor dictis vnionibus, scilicet inhabitationis, affectus, operationis, & communicationis; cũ hæ vniones supponant personarum distinctionem.

24 Prima pars probatur, quod scilicet in Christo non detur nisi vnica persona, quæ est Verbi diuini, nam de indiuiduo Christi D. vt vno subsistente prædicantur quæ sunt propria Dei, & hominis, ergo natura diuina, & humana debent esse in eodem supposito, seu in eadem persona. Antecedens constat ex sacra scriptura, & habetur in d. Concilio Calcedonensi, & docent Sancti Patres. Consequ. probatur, quia vt constat ex Philosophia prędicata duarum naturarum non possunt de eodem dici, nisi quatenus sunt in eodem supposito: vnde nisi calor v.g. & albedo sint in eodem subiecto, non possunt ad inuicem prædicari, in eodem autem subiecto prædicantur, de eodem namque homine calido, & albo dicimus. Calidus est albus, & albus est calidus. Quod eodem modo dicitur de duabus naturis in eodem supposito existentibus: vnde de Christo dicimus: Deus est homo, & homo est Deus, cum naturæ in concreto ad inuicem prædicentur, vt docent Dialectici.

25 Confirmatur, nam quando duæ naturæ integræ, & per se subsistentes vniuntur, ea vnio non est substantialis, cum ex duobus entibus completis non fiat vnũ per se, sed tantum est accidentalis, ac proinde non possunt ad inuicem prædicari nisi denominatiuè, non enim dicimus homo est vestis, sed homo est vestitus: sed homo, & Deus in Christo non prædicantur denominatiuè, sed substantiuè: ergo non habent diuersas personalitates, sed vnam tantum in qua substantialiter ad inuicem prædicentur. Nam non dicimus de Christo, quod sit homo deificus, sicut dicitur vestitus, sed Deus, vt constat ex sacra scriptura. Soluuntur argumenta Nestorij.

26 Primum argu. desumebat ex illo Christi D. Ioan. 2. *Soluite Templum hoc, &c.* vbi Filius Dei vocat suam humanitatem Templum suum, sed Templum, & qui habitat in Templo distinguuntur substantialiter, seu personaliter: ergo, &c. Resp. quod reuera Christi humanitas est templum diuinitatis, non tamen ex hoc sequitur, quod natura diuina, & humana distinguantur personaliter, seu quod vtraque natura habeat propriam personalitatem, ac proinde quod in Christo distinguantur persona filij Dei, & filij hominis, sed quod vna, eademque persona sit filius Dei, & filius hominis.

27 Secundum argum. nam Apostolus ad Hebræos 7. docet, quod Christus sit sine matre, & sine genealogia, sed Christus homo habet matrem, habet genealogiam, vt patet ex Euangelio; ergo in Christo dantur duæ personæ, scilicet filij Dei sine matre, & sine genealogia, & filij hominis cum matre, & genealogia. Resp. sensum Apostoli esse, vt patet ex contextu, quod Sacerdotium Christi sit æternum, quemadmodum Melchisedech, qui ideo sine Patre, sine matre, & sine genealogia introducitur in sacris litteris, idest sine initio, & sine fine, vt æternitas sacerdotij Christi repræsentetur.

28 Tertium argum. quia Matth. 27. Christus D. dicitur à Patre derelictus, sed si in Christo esset persona diuina, non posset dici derelictus; ergo, &c. Resp. quod Christus dicitur derelictus, non quod Verbum diuinum tunc reliquerit filium hominis, aut humanitatem, quod enim semel assumpsit nunquam dimisit, sed quia Deus tũc ita se gessit, ac si Christum dereliquisset non dando consolationem parti inferiori, quod factum est, tum ad manifestandam veritatem humanæ naturæ, tum ad ostendendam grauitatem, & acerbitatem dolorum, quos Christus D. tunc patiebatur in carne. Quocirca illa verba. *Vt quid me dereliquisti*, dolentis fuerunt, non dubitantis.

29 Quartum argum. desumebat Nestorius ex D. Basilio in Psalm. 159. vbi Christum D. appellat *hominem deiferum*. Et Sanctus Ambros. & Augustinus in suo hym-

hymno, quem canit Ecclesia dicit, quod filius Dei assumpsit hominem. *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis vterum*; sed homo importat suppositum, & non tantum naturam. Resp. quod D. Basilius eo loco non vocat Christum D. hominem deiferum; sed carnem Christi appellat deiferam, & dato quod appellaret deiferum, deberet piè interpretari, quatenus vsurparet concretum pro abstracto. Eodem modo intelliguntur Ambros. & Augustinus cum dicunt filium Dei assumpsisse hominem, accipiũt enim concretum pro abstracto, scilicet hominem pro humanitate.

30 Quintum argum. nam quoties aliqua sunt idem realiter, quod vni vnitur, debet vniri & aliud, & si vnum non vnitur nec aliud vnietur: sed natura diuina est idem realiter cum persona Verbi, & illa nõ vnitur humanitati; ergo neque ista. Resp. negando maiorem, ad hoc enim vt vnum vniatur, & non aliud, sufficit distinctio virtualis; distinctio namque virtualis quo ad suum veluti effectum est tantæ efficaciæ, quantæ est distinctio realis, ac formalis: Hinc inter intellectum diuinum, & voluntatem diuinam datur solum distinctio virtualis, & tamen producunt effectus realiter distinctos, scilicet Filium, & Spiritum S. Ita namque Filius procedit per intellectum, vt non procedat per voluntatem. Imò sola distinctio munerum sufficit ad hoc vt vnum vniatur alteri, & non aliud, vt patet in diuina essentia, quæ vnitur intellectui beati per modum formæ intelligibilis, & non per modum intellectus, cum tamen ista duo neque virtualiter distinguantur, sed solum ratione ratiocinantis, & diuersorum munerum, vt 1. *p. q.* 12. vidimus.

31 Sextum argum. nam si natura humana vnitur immediatè Verbo diuino, debet saltẽ mediatè vniri naturæ diuinæ, ac subinde Patri, & Spiritui S. ab illa realiter indistinctis; sed vtrumque est falsum, nam vnio hypostatica dicitur facta in sola persona Verbi diuini; ergo, &c. Resp. quod licet vnio hypostatica sit facta immediatè in persona diuina, tamẽ mediatè facta est, ratione personæ Verbi, cum natura diuina. Non tamen dicitur facta cum persona Patris, & Spiritus S. nisi cum addito, scilicet ratione identificationis, & remotè, quatenus persona Verbi identificatur cum natura diuina, & ista identificatur cum persona Patris, & Spiritus S. Aduertè tamen, quod licet possimus dicere quod natura diuina sit vnita, non tamen dici potest quod sit incarnata, quia incarnatio dicit id quod immediatè vnitur humanitati, quod naturæ diuinæ non conuenit, & multò minus Patri, & Spiritui S. qui non ratione terminationis, sed ratione dumtaxat identificationis possunt dici esse in Christo, non quod fuerint incarnati.

32 Septimum argum. nam vbi sunt duæ naturæ, seu substantiæ intellectuales completæ, & indiuiduæ, ibi sunt duæ personæ, sed in Christo D. sunt duæ naturæ intellectuales completæ, & indiuiduæ, ergo ibi debent esse duæ personæ. Maior constat ex definitione personæ, quam ex Boetio tradunt omnes Philosophi, quod scilicet sit *rationalis naturæ indiuidua substantia*. Minor probatur, nam tam natura diuina, quam humana in Christo sunt substantia rationalis indiuidua, cum vtraque sit completa, & singularis. Resp. distinguendo maiorem; vbi sunt duæ naturæ rationales completæ, & indiuiduæ, idest incommunicabiles, ibi sunt duæ personæ, conceditur: communicabiles, negatur. Licet ergo natura humana in Christo sit singularis, prout singulare distinguitur ab abstracto, & vniuersali, non tamen prout distinguitur, & opponitur communicabili. In definitione autem Boetiana, singulare accipitur prout opponitur communicabili, quia ad hoc vt natura sit persona, debet esse incommunicabilis. Natura autem humana cum non habeat in Christo propriam subsistẽtiam non habet propriam incommunicabilitatem, sed redditur incommunicabilis per subsistentiam Verbi diuini, ac proinde cum in Christo vtraque natura subsistat eadẽ subsistentia, sequitur, quod licet sint duæ naturæ, non tamen duæ personæ.

Octa-

33 Octauum argum. nam nullus potest generare antiquiorem se, & vbi est noua generatio, ibi nouum debet esse suppositum, cum generatio ad suppositum terminetur; sed Christus D. est antiquior Beatissima Virgine, iuxta illud Ioan.8. *Antequam Abraham fieret ego sum*, ergo B.Virgo non potuit generare Christum vt Deum, sed solum vt hominem habentem nouum, & distinctum suppositum à supposito Christi. Tum quia filius debet esse eiusdem substantię cum matre, sed filius Dei non est eiusdem substantiæ cum Beatissima Virgine, ergo B.V. non est mater Dei. Hoc argumentum maximè vrgebat Nestorius; & ob hoc dicebat B.V. non posse dici Deiparam.

34 Ad hoc argum. respondet Bellar. to.1.*controu.lib.3.de Verbo incarnato cap.7.* quod revera nullus potest alium generare secundum id quod est illo antiquior, ac proinde cum Christus D. secundum diuinitatem consideratus sit antiquior B.V. illa non eum generauit secundum diuinitatem, sed secundum humanitatem, quæ ratione est prior Christo. Sed hæc solutio non placet, nam alias B.V. non posset dici Mater Dei, si præcisè generasset quæ est Christo posterior, ac præcisè secundum humanitatem. Pro quo nota, quod ratio propter quam B.V. non dicitur generare diuinitatem, non est quia diuinitas sit illa antiquior, aliàs neque posset dici generare filium Dei, modo explicando, cum etiam personalitas Verbi, quæ humanitati vnitur, sit B.V. prior; sed ratio ob quam B.V. non dicitur generare diuinitatem, licet dicatur generare, seu generasse filium Dei, est quia diuinitas nec generat, nec generatur, cum generatio ad suppositum terminetur.

35 Resp. melius ad hoc argumentum Nestorianum, notando, quod suppositum Verbi diuini potest duobus modis considerari. Primò, vt solum terminat diuinam naturam, & hoc modo est antiquius B.V. & à solo Patre generatur. Secundò potest considerari vt terminat naturam humanam, & prout ex illo supposito Verbi, & humanitate constituitur vna persona, quæ simul est Deus, & homo, & hoc modo est aliquid posterius Virgine, cum sit totalis terminus illius actionis qua V.B. genuit Christum D.

36 Nonum argumentum per quod præcedens solutio impugnatur est, quia B.V. non dedit Christo D. nec diuinitatē, nec Verbi personalitatem; ergo nō potest dici Mater Filij Dei. Consequ. constat, ad hoc enim vt posset dici generare filiū Dei deberet saltem personalitatē Christo cōmunicare. Antecedens probatur, nam personalitas Verbi prius natura quàm partes, scilicet materia, & anima vnirentur inter se, erat illis vnita, cum enim anima prius natura quàm vniatur materię sit subsistens, cum illi vniatur vt subsistens, & creetur subsistens, prius debet subsistētia diuina illi vniri, quàm ipsa anima vniatur materiæ; in eo namque priori in quo anima debebat habere propriam subsistētiam, diuina fuit subrogata. Tum quia B. V. solum passiuè, vt aliæ mulieres, concurrit ad generationem, ergo ipsa non communicauit Christo subsistentiam Verbi, communicatio namque sonat actionem, quam B.V. non habuit.

37 Resp. 1. cum N.S.P. Cyrillo Alex. *Epist. ad Monachos Aegypti, quæ est prima inter eius Epist. & habetur in Concil. Ephes. cap. 1.* quod B. V. dedit personalitatem Christo D. quatenus concurrit ad vnionem partium humanitatis inter se, & hoc modo est Mater Dei, non enim est de ratione matris, quod det totum filio, nulla namque mater dat animam rationalem eius filio, sed sufficit, quod suo modo concurrat ad vnionē animæ iam creatæ in priori natura, cum materia, concurrendo prius ad ministrandam materiam. Hoc totum præstitit B.V. nam & subministrauit materiam, & suo modo concurrit ad vnionem animæ Christi subsistentis subsistentia Verbi cum materia, ac proinde fuit ratio, ob quam anima cum diuina subsistentia materiæ, seu naturæ humanæ communicaretur. Et sicut in humanis mulier est mater hominis, quia cōcurrit ad vnionem animę subsistentis, subsistentia humana, cum materia, & sic con-

currit ad constituendam naturam humanam, & subsistens subsistentia humana, ita B. V. dicetur Mater Dei, & hominis, quia concurrit ad vnionem animæ rationalis Christi subsistentis subsistentia Filij Dei, cum materia, & ad componendam naturam totalem, & ad constituendum vnum subsistens scilicet Christum D.

38 Resp. 2. quod sicut in humanis vt mulier dicatur mater, & dicatur generare filium, sufficit quod subministret materiã taliter dispositam, quod postulet hanc formam, & quod suo modo concurrat ad vnionem animæ cum corpore, siue hoc fiat introducendo dispositionem necessariam ad infusionem animæ rationalis, siue exercendo actionem vnitiuam animæ rationalis, secundum diuersitatem sententiarum, de quibus infra quæst. *6.* sed B. V. suo modo exercuit omnia ista circa Christum D. vt loco citato dicetur, nam corpus Christi D. fuit efformatum ex eius purissimis sanguinibus: item per vim formatricem ita disposuit illum purissimum sanguinem, vt animam rationalem Christi reposceret, ad vnionemque illius cum corpore concurrit; ergo, &c.

39 Decimum argumentum, nam terminus vnionis non præexistit vnioni, sed est ipsa vnione posterior, sed persona Verbi diuini præexistit vnioni hypostaticæ; ergo persona Verbi diuini non est terminus vnionis hypostaticæ. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Persona Verbi diuini præexistit vnioni hypostaticæ vt terminat solummodo naturam diuinam, conceditur: vt terminat etiam humanam, negatur, vt enim terminat naturam humanam, est natura posterior ipsa vnione hypostatica. Quinam autem sit terminus *qui* formalis, quinam terminus *qui* totalis, & quinam terminus *quo*, &c. ex infra dicendis constabit.

DVBIUM III.

Quid addat personalitas, seu subsistentia creata supra naturam creatam.

§. I. Ponuntur notabilia.

40 NOn possumus rectè explicare vnionem hypostaticam Verbi diuini cum humanitate, nec errores Eutychetis, & Nestorij, aliorumque hæreticorum excludere, nisi videamus quid addat personalitas creata supra naturam. Cum enim ad saluandum quod in Christo sit tantum vnica persona necesse sit, quod desit propria personalitas, & sit subrogata personalitas, seu subsistentia Verbi, oportet videre quid sit illud quod deest Christi humanitati, & suppletur per Verbi personalitatem. Hoc dubium M. Cipullus sic proponit, an in creatis persona addat aliquid supra naturam singularem, & an suppositum addat aliquid, supra naturam in creatis; sed iste modus proponendi reici solet, nam persona non addit supra naturam, nisi eo modo quo continens dicitur addere supra contentum, sed personalitas addit supra naturam, vt sic fiat persona, &c.

41 Pro quo notandum 1. quod in hac materia frequenter vti solemus istis terminis, *natura, seu substantia, subsistentia, supposito, persona, & hypostasi*. Natura, est compositum ex materia, & forma & vocatur natura totalis, quæ est principium *quo* operationis, & solet appellari substantia, qua ratione dicimus in Deo esse vnam naturam tantum, seu substantiam communem tribus diuinis personis, solet etiam vocari essentia, licet suum reperiatur discrimen, nam essentia vt est radix operationis, vocatur natura, & vt operationem non respicit, sed consideratur secundum sua prædicata essentialia, & in se, vocatur substantia, seu essentia. Subsistentia est id quod vltimò terminat naturam, seu est vltimus terminus naturæ, per quod redditur alteri incommunicabilis, & in se subsistens: subsistere namque

que est in se sistere, seu ibi sistere, & non vlterius progredi. Vnde illa subsistere dicuntur, quæ in se ipsis sistunt, vlterius non progrediuntur; & subsistentia est ille terminus per quem natura in se terminatur, vt non possit alteri communicari.

42 Suppositum est natura ipsa subsistentia terminata, & est substantia completa incommunicabiliter subsistens, & sic suppositum dicit duo, naturam, & subsistẽtiam per quam vltimò terminatur. Vnde licet aliqui Theologi admittant subsistentiam absolutam, vltra tres subsistentias relatiuas, tamen natura diuina vt subsistens illa subsistentia absoluta non dicitur suppositum, quia per illam non subsistit incommunicabiliter, quia suppositum significat substantiam, seu naturam non quo quomodo subsistentem, sed incommunicabiliter.

43 Persona comparatur ad suppositum, vt inferius ad superius, suppositum namque significat quamcumque naturam incommunicabiliter subsistentem; at persona significat solam naturam rationalem seu intellectualem incommunicabiliter subsistentem, vnde definitur quod sit *rationalis naturæ indiuidua substantia*, idest incommunicabilis. Dices nam personæ diuinæ sunt personæ, & tamen communicantur ad extra. Resp. quod ad intra non communicantur, nec ad extra communicantur, nec communicari possunt alteri personæ, possunt tamen communicari alteri naturæ ob infinitatem, vt infra dicemus. Hypostasis olim patiebatur æquiuocationem, significabat enim idem quod substantia, vnde aliqui renuebant admittere in Deo tres hypostases, ne viderentur admittere tres substantias, tamen vsus obtinuit, quod solum significet suppositum, ac proinde admittuntur in Deo tres hypostases, & solet conuerti cum persona, vt non extendatur ad significandum aliud suppositum quam intellectuale.

44 Notandum 2. quod ista quatuor, singulare, seu indiuiduum, prima substantia, suppositum, & persona se habent sicut superius, & inferius, omnis namque persona est suppositum, prima substantia, indiuiduum, & singulare, non è diuerso. Nam prima substantia, suppositum, & persona, in solo prædicamento substantiæ reperiuntur; at singulare, & indiuiduum non solum dicuntur de substantijs, sed etiam de accidentibus. Vnde singulare, & indiuiduum est illud quod in plura non diuiditur, quorum quodlibet sit ipsum. Prima substantia significat naturam substantialem indiuiduam, vt substat accidentibus. Suppositum vt dicebamus significat naturam substantialem quatenus subsistit per se. Persona dicit naturam substantialem, vt subsistit in natura intellectuali, vt iam obseruauimus.

45 Notandum 3. quod communicabile bifariam accipitur. Aliud est communicabile vt *quo*, quo modo forma communicatur materiæ. Aliud est communicabile vt *quod*, & est illud, quod illi communicatur, de quo dicitur, seu prædicatur, sic genera communicantur speciebus, & species indiuiduis, cum in recto de ipsis dicantur; Petrus namque verè est homo, & animal. Pariformiter dupliciter aliquid dici poterit incommunicabile, scilicet vt *quo*, & vt *quod*. Illud est incommunicabile vt *quo*, quod non potest esse alterius forma, aut pars. Et illud est incommunicabile vt *quod*, quod de nullo dicitur vt *quod*; vnde Petrus dicitur incommunicabilis vt *quod*, quia non habet sub se de quo in recto vt *quod* prædicetur. Suppositum ergo, & persona dicuntur incommunicabilia vt *quo*, & vt *quod*, quia nec possunt esse alterius forma, nec habent sub se de quo in recto prædicentur.

46 Notandum 4. quid intersit inter esse essentiæ vt præest existentiæ, & esse actualis existentiæ, quod esse essentiæ, vt est prius esse existentiæ, & antequam ponatur extra causas, non est ens reale, sed est ens possibile, dicens sua prædicata essentialia, & solum dicit esse obiectiuum, & esse obiectum diuinæ omnipotentiæ per quam extra causas poni potest. Et sic esse essentiæ antequam producatur sub esse existentiæ, vel subsistentiæ, est nihil, cum nihil realitatis habeat. Quocirca Antichristus antecedenter ad futuritionem

nullum habet esse reale, nec essentiæ,nec existentiæ, sed solum esse possibile. Et sic essentia potest in triplici statu considerari, vel vt est sub statu possibilitatis, vel vt est sub existentia vt futura, vel vt est sub existentia vt extra causas. Sub statu possibilitatis nihil est, sub statu existentiæ futuræ habet esse reale futurum, & sub statu existentiæ actualis, habet esse reale extra causas, nondum tamen determinatum, quandiu non intelligitur aduenire subsistentia; subsistentia namque siue præcedat, siue subsequatur existentiam tribuit rationem determinatam incommunicabilitatis. At esse existentiæ est id quo essentia habet formaliter quod sit entitas realis extra causas, subsistentia vt talis non tribuit essentiæ esse extra causas, sed supposito quod sit siue completè, siue vialiter tribuit esse in se, seu esse incommunicabile. Placet, quod aliqui dicunt, & nos aliquãdo aduertimus, quod essentia creata intrinsecè constituatur in esse realis, & actualis entitatis non per existentiam, sed per capacitatem illius, ita quod existentia sit solum quædam conditio, seu vltimus terminus illius capacitatis, & hanc capacitatem existentiæ habeat essentia vt dicit saltem ordinem ad primum modum substantialem, & vt est sub quodam esse viali ad existentiam, vel subsistentiam, sed de hac *re infra q.17.*

§. II. Ponuntur variæ sententiæ, & nostra conclusio stabilitur.

47 PRima sent. circa difficultatẽ in titulo pręsentis dubij propositam, est quod personalitas, seu subsistentia nihil positiuum addat supra naturam sed tantum modo duas negationes dependẽtię, seu cõmunicabilitatis. Prima est, dependẽtiæ actualis ad suppositum alienum; alia dependentiæ aptitudinalis etiam ad alienum suppositum. Et sic natura intellectualis completa, & singularis sibi relicta, statim est se ipsa, nec aptitudinem habet ad essendum in alieno supposito, ac proinde nulla entitate reali superaddita habet illam simplicem, qua nec est in alio, nec aptitudinem habet ad essendum in alio. Hanc sententiam, probabilem vocat Scotus *in 3. dist. 3 q. 1.* & alij.

48 Secunda sententia est, quod natura, & personalitas, seu subsistentia distinguantur solum in modo significandi, seu concipiendi, quatenus eadem entitas tunc dicatur natura quando consideratur vt habita, & vt essentia rei in abstracto, vt v.g. humanitas. Sic Durand. *in 1. dist. 3. q. 1.* Henricus Gandau. *quodlibet. 4. q. 4.* Richard. *in 3. dist. 6. art. 1. q. 1.* & Gabr. *in 2. dist. 1. q. 2. art. 3. dub. 2.*

49 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Personalitas, seu subsistentia in creatis addit aliquid realiter distinctum à natura.* Hanc concl. docent omnes Theologi hoc loco, vt existimẽt oppositas sententias esse falsas, & suffragari errori Nestorij. Præcipuum namque fundamentum Nestorij ad dicẽdum, quod in Christo essent duæ personæ, ac proinde ad negandum vnionem personæ Verbi cum humanitate, erat, quia putabat, quod persona non distingueretur à natura, ac subinde vbi sunt duę naturæ, etiam duę personæ sunt, vt dub. præcedenti vidimus.

50 Probatur 1. nam personalitas, seu subsistentia humana distinguitur realiter à natura humana; ergo quælibet subsistentia creata realiter distinguetur à sua natura. Conseq. constat: est enim eadem ratio de qualibet subsistentia creata. Antecedens probatur, nam ideo subsistentia diuina non distinguitur realiter à natura diuina, quia natura diuina cum sit infinita, est sua subsistentia, & existentia, nec potest esse in potentia ad illas: sed natura humana non est sua existentia, & subsistẽtia, sed est in potẽtia ad illas, aliàs non posset intelligi sub statu possibilitatis, & futuritionis, sed esse semper sub esse existentiæ, & subsistentiæ, ac proinde esset suum esse existentiæ, & subsistentiæ, & sic actus purus: ergo, &c. Tum quia in Christo manet tota entitas naturæ humanæ, & tamen non manet subsistentia creata illius, aliàs incideremus in errorem Nestorij; ergo distinguuntur realiter, quæ enim realiter non distinguuntur,

ma-

manente vno realiter, manet & aliud.

51 Dices cũ Durando, & alijs, quod natura humana in Christo D. manet vt habita, & in abstracto, non tamen manet vt habens, & in concreto, nisi ratione subsistentiæ Verbi. Sed contra, diuersus modus concipiendi naturam in abstracto, & in concreto, seu vt habens, & habitum, nullam addit entitatem, ergo per Durandum, & alios suppositum creatum secundum se manet in Christo, licet non maneat secundum modum significandi, quod est damnatum in Concilijs Ephes. Calced. & Lateran. 1. sub Martino 1. *consult. vltima*, & in 6. Synodo generali *art.* 4. Tum quia si subsistentia humana solum secundum modum significandi distingueretur à natura, iam natura humana secundum rem esset substantia completa, ergo non potuisset à Verbo assumi. Consequ. probatur, nam natura essentialiter, & realiter completa, realiterque subsistens, est inassumptibilis, cum persona secundum rem sit inassumptibilis, vt infra dicemus. Tum etiam quia non saluaretur veritas huius mysterij, quod personalitas Verbi sit personalitas humanitatis, cum enim humanitas sit re ipsa persona, non potest personalitas Verbi esse tota personalitas dictæ humanitatis assumptæ.

52 Probatur 2. nam nulla substantia creata potest esse per se ipsam completa, sed si natura humana esset re ipsa sua subsistentia esset per se ipsam completa, ergo nulla natura, maximè humana, potest esse sua subsistentia. Minor nota est, natura namque subsistens est suppositum, ac proinde ens completum suppositum namque cum sit incommunicabile tam vt *quo* quam vt *quod*, dicit negationem potentialitatis, & communicationis, ac proinde esse completum. Maior probatur, nam quod est à se ens completum incommunicabile tam vt *quo*, quam vt *quod*, suis inferioribus, excludit quamcumque potentialitatem, & quamcumque communicationem, sed hoc est proprium entis à se; ergo, &c. quod enim est finitum, & limitatum, inuoluit potentialitatem, & sic si natura, vel substantia esset in hoc genere completa, excludens potentialitatem, etiam excluderet in hoc genere finitatem, & limitationem.

53 Probatur 3. nam si natura creata non distingueretur à propria subsistentia, non componeretur ex genere, & differentia; sed hoc est falsum, nam aliàs esset Deus, ens à se, &c. ergo, &c. Maior probatur, nam accipiamus naturam Angelicam; si namque in natura Angelica essentia, & subsistentia non distinguerẽtur, non esset à quo desumeretur in Angelis ratio generica, specifica, & differentialis; nam ratio generica debet in Angelis desumi ab eo quod habet rationem potentię metaphysicæ, cum nõ detur potentia physica, vt in nobis, sed ratio potentiæ metaphysicæ in Angelis desumitur ex distinctione essentiæ à subsistentia, ergo si hæc non datur, non dabitur principium à quo ratio potentialitatis generis desumatur, cum ratio actualitatis, & perfectionis differentialis, desumatur ab actualitate subsistentiæ.

54 Probatur 4. nam suppositum in diuinis non constituitur formaliter per aliquam negationem, sed per aliquid positiuum, non quidem realiter, sed virtualiter distinctum; ergo suppositum creatum non constituetur per negationem, sed per aliquid distinctum realiter. Antecedens docent omnes Theologi, persona v.g. Patris non constituitur per negationem, sed per relationem Paternitatis, quæ reddit naturam diuinam in Patre incommunicabilem. Consequ. probatur, nam persona diuina, & creata conueniunt in ratione personæ, non conuenirent autem si illa constitueretur per aliquid positiuum, & ista per negatiuum; negatiuo namque & positiuo non datur aliquid commune.

55 Hoc argum. non videtur efficax Cardinal. de Lugo *hic disp.* 12. *sect.* 2. *n.* 10. nam inquit, non valet conseq. à supposito diuino ad creatum, quia natura diuina non habet à se ipsa formaliter negationẽ communicabilitatis, quare sicut ex mirabili communicabilitate naturæ diuinæ, non potest colligi similis communicabilitas in aliqua natura creata. Sic ex

eo

eo, quod natura diuina indigeat aliquo positiuo superaddito, vt reddatur incommunicabilis, non infertur, quod hoc etiam requiratur in natura creata. Aliud discrimen assignat Lugo, nam est discrimen inter subsistentiam creatam, & diuinam, quod subsistentia creata licet sit conditio ad plures operationes, non tamen est principium operandi, cum operationes procedant à natura, quàm subsistentia determinat. At subsistentiæ diuinæ non solum terminant naturam diuinam, sed etiam integrant principium operandi; nam in Patre principium generandi integratur ex intellectu, & ex Paternitate, & sic subsistentiæ diuinæ debent esse entitates positiuæ, non creatæ.

56 Cæterum ob ista duo non soluitur efficacia dictæ rationis. Non ob primum; nam si ipsa essentia diuina non habet negationem communicabilitatis, neque eam habebit natura creata. Nec est verum, quod ex cõmunicabilitate naturæ diuinæ, nõ colligatur similis communicabilitas naturæ creatæ. Nam in vera, & cõmunis sentẽtia Thomistarũ, quam cum N. Salm. secuti sumus 1. *p. q.* 14. vna, eademque natura creata reperitur, sub diuerso tamen modo essẽdi, in obiecto à parte rei, in specie impressa, & expressa, sicut natura diuina reperitur, proportione seruata in tribus personis diuinis, sub tribus modis essendi. Neque secundum, quia subsistentia magis complet rationem principij operatiui in creatis, quam in diuinis; licet enim tam in diuinis, quam in humanis actiones sint suppositorum, tamen tam in diuinis, quam in humanis ratio, & principium formale agendi est natura. Nec subsistentiæ diuinæ possunt complere in ratione principij, principium agendi, cum sint relationes, quæ in omnium Philosophorum sententia non sunt operatiuæ, licet possint requiri vt termini naturam terminantis, & suppositantis, non vt principia aut rationes formales complentes principium operandi.

§. III. Soluuntur argumenta primæ sententiæ.

57 PRimum argum. nam anima rationalis est suppositum, cum habeat propriam subsistentiam, & tamen communicatur materię, ergo id quod reddit suppositum, seu naturam incommunicabilem, non est subsistentia, sed negatio communicabilitatis, ac proinde ista sufficiet absque alio. Licet enim substantia singularis, vt singularis sit incommunicabilis vt *quod*, cum non possit diuidi in plures substantias de quibus prædicetur, est tamen communicabilis vt *quo*, quandiu non intelligitur negatio communicabilitatis, seu dependentiæ, tum actualis, tum aptitudinalis, quocirca natura substantialis completa, quæ sola nata est primò, & per se suppositari, est communicabilis vt *quo*, habetque aptitudinem ad essendum per se in proprio supposito, quod esse per se statim intelligitur ac intelliguntur dictæ negationes dependentiæ, seu communicabilitatis. Resp. quod anima rationalis separata licet sit singularis, & subsistens, non tamen adhuc est suppositum, cum enim sit essentialiter pars, est essentialiter communicabilis alteri parti, qua communicatione facta, suppositum intelligitur, ac proinde intelligitur incommunicabilitas. Vnde anima rationalis licet secundum se sit singularis non tamen est incommunicabilis, cum adhuc nec sit persona, nec suppositum, licet habeat subsistentiam, nam licet subsistentia tribuat animæ subsistere, non tamen tribuit rationem personæ, & suppositi, quandiu non sit natura completa.

58 Secundum argum. nam nulli rei simpliciter, & per se repugnat esse communicabilem: ergo incommunicabilitas non potest nisi à negatione procedere. Conseq. constat. Antecedens explicatur, & probatur ex doctrina Scoti *quodlib.* 19. *litt. T.* nam licet singulari repugnat diuidi in plura, quorum quodlibet sit ipsum, & hoc non per negationem, sed per propriam entitatẽ. Similiter licet homini repugnet

pugnat irrationalitas, & hæc repugnantia non prouenit à negatione, sed à propria entitate, scilicet à rationalitate. Tamen dependere, & communicari, potest per solam negationem dependere; quia dum negatio inest communicabilitatis, affirmatio inesse non potest. Resp. negando antecedens, eo namque ipso, quod natura completa afficitur subsistentia, per quā cōstituitur suppositum, statim intelligitur incommunicabilis tam vt *quo*, cum sit natura omnino completa, quàm vt *quod*, cū non possit diuidi in plura, quotum quodlibet sit ipsum. Tum quia omnis negatio debet inniti alicui affirmationi, ac proinde negatio tam aptitudinalis communicationis, quam actualis, debet supponere aliquid positiuum incommunicabile, quod sit radix negationis communicabilitatis.

59 Sed dices sufficere, quod negatio innitatur alicui positiuo vt subiecto, non vt eo quod sit radix negationis communicabilitatis; ergo, &c. Antecedens probatur, nam si superficies nullum haberet colorem, haberet negationem albedinis, per quam repugnaret sibi albedo, quandiu in eo maneret illius negatio, & tamen superficies non esset radix negationis albedinis, sed tantum subiectum, aliàs superficies illa non posset albedinem recipere, cum esset radix impossibilitatis illius, scilicet negationis albedinis. Pariformiter accidens separatum à subiecto, habet priuationem, seu negationem inhærentiæ, & tamen entitas accidentis non est radix dictę negationis essendi in subiecto, aliàs per nullam potentiam posset poni in subiecto. Sic licet negatio dependentiæ, seu communicabilitatis supponat naturam vt subiectum, non tamen est radix incommunicabilitatis, nec negationis communicabilitatis, ac proinde tota ratio incommunicabilitatis erit.

60 Resp. quod licet aliquid possit esse tantum subiectum negationis, vt in exemplis allatis constat, tamen in nostro casu natura non potest esse tantum subiectum negationis communicabilitatis, sed debet esse radix illius; nam communicabilitas, & incommunicabilitas non possunt esse respectu naturæ, solum veluti accidentia illius, sed incommunicabilitas est aliquid intrinsecum ipsius naturæ pertinens ad ordinem illius, eamq; complens, & determinans, faciensque vt ita sit in se, vt non sit in alio; vnde ipsa natura est ens in se, & non tantum subiectum illius quod est ens in se. Ex quo magis confirmatur nostra sententia; nam si subsistentia esset negatio illa cōmunicabilitatis, iam natura esset solum veluti obiectum illius, & ipsa nō fieret intrinsecè ens incommunicabile. Vnde Verbum diuinum solum suppleret defectum negationis, & nihil positiuum formalissimè communicaret naturæ humanæ, cum enim subsistentia, secundum hanc sententiam, sit negatio, solum defectum negationis deberet supplere, ac proinde non communicaret propriam subsistentiam.

61 Tertium argumentum, nam actus liber Dei formalissimè constituitur per negationem, seu carentiam vlterioris cōtrahibilitatis, seu secundum quod dicit vltimitatem, vt cum N. Salm. explicuimus 1. *p. disp.* 19. *nu.* 161. *cum seq.* ergo etiam subsistentia creata poterit constitui per negationem, seu carentiam vlterioris communicabilitatis. Antecedens constat ex ibid. dictis. Conseq. probatur, nam si actus Dei liber qua liber, & qua ratione potest esse, & non esse dicit negationem, seu carentiam, quæ ex eo, quod abest, & adest, nulla sequitur imperfectio in Deo, & tamen ex illa carentia determinat actū necessarium, seu formalitatem vitalem ad esse sub denominatione liberi, ita carentia, seu negatio vlterioris communicabilitatis, potest constituere naturam, sub ratione, & denominatione incommunicabilitatis. Resp. transeat antecedens, & negatur consequ. ratio discriminis est, quia carentia vlterioris contrahibilitatis non constituit, nec ponit aliquam intrinsecam libertatem in Deo, quæ ab eo possit adesse, abesse, at subsistentia intrinsecè determinat naturam, eamque facit esse intrinsecè incommunicabilem, quod à sola negatione esse non potest.

Quar-

62 Quartum argum. nam si suppositum adderet aliquid reale, realiter distinctum à natura, esset in natura aliqua entitas quam Deus non posset assumere, scilicet subsistentia humana; hoc videtur falsum; ergo & id vnde sequitur. Minor probatur, nam omnis entitas creata dicit potentiam obedientialem. Tum quia iam Verbum non assumpsisset totum quod in natura humana plantauit. Tum etiam quia non purgasset illud quod potissimè peccauit, quod est suppositum; actiones namque sunt suppositorum. Resp. concedendo maiorem; subsistentia namque creata est inassumptibilis, cum enim faciat quod natura in se subsistat, debuit hæc tolli, vel impediri, vt sic humana natura assumeretur. Ad 1. probationem dico, quod subsistentia creata non habet potentiam obedientialem vt assumatur, cum sibi repugnet esse in alio, cum sit ipsa ratio essendi in se. Ad 2. probationem conceditur, quod Verbum diuinum non assumpsit totum quod in homine plantauit, nec totum id quod ad peccandum concurrit, scilicet subsistentiam, cum hæc sit inassumptibilis.

63 Quintum argum. nam sequeretur quod humana natura in Christo careret sua naturali perfectione qua esset in se, & est in alio, scilicet in supposito Verbi, ac proinde esset in statu violento; hoc dici non potest; ergo, &c. Resp. humanitatem Christi carere quidem aliqua sua perfectione naturali, sed loco eius sibi infinitæ perfectionis alia subrogata est; qua dicta natura humana contentatur, cum ea summè perficiatur. Nec dici potest, quod sit in statu violento, cum Deus nulli creaturæ inferat violentiam, vt 1.2.q.6. obseruauimus. Neque natura humana Christi habet inclinationem, seu appetitum practicum, & in sensu composito ad propriam subsistentiam; sed quasi speculatiuum, & in sensu diuiso, vt alibi explicuimus.

§. IV. *Soluuntur argumenta secundæ sententiæ, quod natura, & personalitas distinguantur solum in modo significandi.*

64 PRimum argum. desumunt ex testimonio Arist. 7. *Metaph. text.* 41. vbi in substantijs separatis videtur negare distinctionem suppositi à natura, cum sint substantiæ simplices, ergo idem dicendum est de quibuscumque alijs substantijs. Ad hoc argum. respondent Suarez *tom. 2. metaphys. disp. 34. sect. 3. nu. 11.* Vasq. *hic disp. 31. cap. 3. n. 2.* & alij, dicentes, quod Aristoteles non cognouit distinctionem suppositi à natura. Cæterum negari non potest, quin Aristoteles hanc distinctionem cognouerit, vt aduertit S. Doctor *quodlibeto 2. & infra q. 20. art. 1. ad 2.* quatenus dicit, quod secundum Philosophum, agere non est naturæ, sed suppositi. Colligitur ex eodem Arist. 7. *Metaphys. tex. 21.* vbi mouet hanc quæstionẽ, *an quod est, sit idem cum quod quid est*, quod est quærere, an suppositum, & natura sint idem, & dicit quod non sunt idẽ, vbi reperiuntur aliqua accidentia, vt in creatis. Vnde negandum est antecedens, nam ibi solum dicit, quod substantiæ separatæ non componuntur ex materia, & forma.

65 Secundum argum. nam natura, & suppositum se habeat sicut abstractum, & concretum de prædicamento substantiæ, sed abstractum, & concretum huiusmodi non distinguuntur realiter, sed solo modo significandi; ergo, &c. Maior patet, nam abstractum in nostro casu, est natura humana, & concretum est homo, ac proinde natura, & suppositum se habent vt abstractum, & concretum, seu vt natura humana, & homo. Minor probatur, nam abstractum, & concretum accidentis non distinguuntur nisi ex modo significandi, vt constat ex illo Philosophi. *Album nisi qualitatem nihil significat*, scilicet albedinem. Resp. negando minorem. Ad probationem dico, quod etiam abstractum, & concretum accidentium distinguuntur rea-

realiter. Ad illud Aristotelis dico, quod ideo dixit album significare solam qualitatem, quia de formali nil aliud significat, licet de materiali etiam subiectum connotet, & contineat, seu significet.

66 Tertium argum. definitio, & definitum non distinguuntur realiter; ergo neque natura, & suppositum. Antecedens constat, nam aliàs definitio non posset in recto prædicari de definito. Conseq. probatur, nam suppositum, & natura, idē important quod definitio, & definitum; nam definitio importat quidditatem, seu naturam, ac proinde idem importat quod suppositum v.g. homo, cum idem sit homo, ac animal rationale. Resp. distinguendo antecedens: definitio, & definitum, secundum id quod important formaliter non distinguuntur, conceditur: secundum id quod de materiali importatur, negatur. Definitio namque formaliter importat quidditatem, & naturam, & definitum etiam formaliter importat quidditatem, & naturam, at materialiter importat etiam suppositum, quod à natura realiter distinguitur ratione suppositalitatis, seu subsistentiæ superadditæ.

§. V. *Quid sit illud positiuum, quod addit supra naturam subsistentia creata.*

67 VAriæ sunt de hac re sententiæ, prima est Heruæi *quodlibet. 3. q. 6.* quē aliqui moderni sequuntur, quod subsistentia nihil addat supra naturam, nisi proprietates, & accidentia, quibus natura, seu substantia sit particularis, singularis, & indiuidua, eodem namque modo loquuntur de subsistentia, & supposito, quo loquuntur communiter Thomistæ de indiuiduatione; vnde sicut indiuiduatio desumitur à materia prima sigillata quantitate, seu vt præhabet hanc potius quantitatem, quam aliam, sic isti dicunt, quod suppositum desumitur per ordinē ad passiones, seu proprietates, & accidentia ab eo profluentia, ita quod subsistentia nil aliud addat supra naturam, nisi præhabitionem, seu connotationem harum passionum, seu proprietatum, & accidentium.

68 Sed ista sententia falsa est; nam cum suppositum, vel persona sint de genere substantiæ, non possunt constitui per aliquid pertinens ad lineam accidentis. Tum quia in diuinis non datur illa præcontinentia accidentium. Tum etiam quia anima rationalis est singularis, & indiuidua per ordinem ad materiam præhabentem potius hanc quantitatem quam aliā, & tamen secundum se non est suppositum, seu persona, cum conseruet esse communicabilem materiæ. Nec potest dici quod singularitatem, & indiuiduationem habeat prout dicit ordinem ad suam materiam, & esse personam, & suppositum à præhabitione suarum passionum, & proprietatum, nam etiam ab ista præhabitione potest esse persona, & suppositum, quia antequam vniatur materiæ præhabet suas passiones, & proprietates, & tamen adhuc non est persona, & compositum.

69 Secunda sententia est, quod illud reale quod subsistentia addit supra substantiam sit existentia, quia existentia addita essentiæ substantiali, eam facit substantialiter esse, & sic natura existens, est suppositum, & persona in rationalibus, putant enim subsistentiam non esse aliud quam existentiam substantialem. Sic Zumel 1. *p. q. 3. art. 3. concl. 4. & q. 50. art. 2.* Et N.P. Blasius à Concept. *in sua Metaphys. disp. 8. q. 3.* qui citant Capreolum, sed immerito nam solum dicit, quod suppositum addit etiam existentiam, sed non tantum. Hanc sententiam fusè impugnabimus *infra ad q. 17.* Pro nunc quantum ad mysterium incarnationis sic ea sententia impugnatur; nam illud reale, quod subsistentia creata addit suæ substantiæ, non reperitur in Christo D. siue enim in Christo sit propria subsistentia, siue non, vt infra videbimus *q. 17.* subsistentia Verbi supplet subsistentiam creatam, non existentiam! & in sententia multorum in Christo manet propria existentia, & non propria subsistentia; ergo id quod addit propria

subsistentia supra naturam, non est propria existentia.

70 Communis, & vera sententia seq. concl. explicatur. *Subsistentia addit supra naturam substantialem modum quendam substantialem, seu subsistentia naturæ, vel substantiæ, est modus substantialis.* Hæc sententia est communis inter Theologos vt testatur Cipullus *hic qu.2. art.2. dub.2. n.5. in fin. & eum probat ibid. n.35.* Est sententia D. Thomæ & Ferrariensis vt testatur Ylambert. *hic q.2. disp.2. art.4.* Ratio clara est, nam id quod aduenit substantiæ completæ, cum eaque facit vnum per se debet esse de linea substantiæ; non vt res, substantialis, ergo vt modus. Maior patet, nam id quod est extra lineam substantiæ non potest cum ea facere vnum per se vt patet, ex substantia namque, & accidente non fit vnum per se. Minor etiam patet, nam res substantiæ, seu ipsa substantia debet subsistere, seu est illa quæ affici, & determinari debet per subsistentiam, ergo non potest esse ipsa subsistentia. Tum quia si subsistentia quæ additur substantiæ esset substantia, vel esset substantia completa, & hoc non, quia non posset facere vnum per se cum alia completa quam afficeret. Vel esset substantia incompleta, & neque hoc, quia deberet esse vel materia, vel forma, seu deberet esse pars, vt posset cum alia comparte componi, & facere vnum per se. Conseq. bene sequitur, nam quicquid ponitur in linea substantiæ, vel est substantia completa, vel incompleta, vel modus, & determinatio illius. Subsistentia non est substantia completa, neque incompleta; ergo modus, & determinatio illius.

§. VI. *Quis sit proprius, & formalis effectus istius modi substantialis subsistentiæ, vbi alia.*

71 QVantum ad effectum formalem subsistentiæ, communis sententia est, quod sit facere subsistere positiuè in se substantiam, reddendo eam alteri incommunicabilem tam vt *quo*, quam vt *quod*, & cum ea facit vnum per se. Cum enim substantia antecedenter ad subsistentiam non existat in se, & per se, indiget subsistentia vt per eam in se, & per se subsistat, fiatque incommunicabilis, eo namque ipso, quod subsistentia tribuit se ipsam naturæ, eam faciet in se, & per se, esse, cum enim de ratione subsistentiæ sit esse in se, & per se, dum substantiæ communicatur, ei tribuet suum effectum formalem, scilicet esse in se, & per se, ac subinde tribuet esse incommunicabile, quod enim est in se, & per se, est incommunicabile.

72 Sed quæres 1. an subsistentia excludat quamcumque communicabilitatē. Illi qui volunt quod natura prius intelligatur existens, quam subsistens, & quod subsistentia sit vltimus naturæ terminus, dicunt, quod subsistentia excludat quamcumque incommunicabilitatem, quocirca in illo priori in quo Verbum diuinum assumpsit nostram humanitatem erat existens, & non subsistens, & sic loco subsistentiæ quæ statim post existentiam debebat pullulare, subrogauit propriam subsistentiam. Cæterum illi qui volunt, quod existentia est vltima actualitas, de quo nos dicemus *infra q.17.* dicunt, *quod* subsistentia non excludit quamcumque communicabilitatem, quia non excludit communicabilitatem alteri, vt existenti, sed solum alteri vt supposito, & alteri vt subiecto ad modum accidentis.

73 Sed contra hæc obijcies 1. nam effectus formalis realis, siue formæ, siue modi debet esse aliquid positiuum, cum enim sit per dationem sui, si forma, aut modus sit positiuus, etiam effectus formalis debet esse positiuus, sed esse incommunicabile alteri vt supposito, non est effectus positiuus, sed mera quædam negatio communicabilitatis; ergo, &c. Resp. negando minorem. Ad probationem dico, quod incommunicabilitas dicit duo, scilicet esse ens in se, & per se, & negationem communicabilitatis, primum est fundamentum secundi: primum est positiuum, & fundat negationem.

74 Obijcies 2. nam anima rationalis separata habet subsistentiam, & subsistit, nam

nam operatur, cum intelligat, & velit, & tamen non est incommunicabilis, cum sit pars, & conseruet ordinem ad totum; ergo non est de ratione subsistentiæ, quod conferat naturæ incommunicabilitatem. Resp. cum D. Thoma 1. *p. q.* 75. *art.* 2. *ad* 3. quod anima separata, propriè, non subsistit, sed secundū quid, & incompletè. Subsistere namque propriè, & simpliciter est naturæ perfectę, & completæ. Quocirca licet tunc anima habeat subsistentiam, non tamen adhuc explicat adęquatè se ipsam quandiu non datur natura completa.

75 Obijcies 3. nam gutta aquæ v. g. antequam vniatur alteri guttæ, cum eaq; faciat aliquod totum, habet propriam subsistentiam, qua est in se, & per se, & tamen conseruat communicabilitatem; ergo non est de ratione subsistentiæ conferre incommunicabilitatem. Resp. distinguendo antecedens conseruat communicabilitatem cum altera gutta, vel cum alijs cum quibus faciet vnum per se per modum compositionis materiæ, & formæ, negatur. Per modum cuiusdam aggregati, & continui, conceditur. Vna namque gutta non dicit ordinem compositionis ad alteram tanquam ad partem, sed tanquā ad aliud totum, cum quo facit vnum solum per continuationem.

76 Quæres 2. an substantia creata in illo priori naturæ quàm habeat propriam subsistentiam sit indifferens ad modum essendi in se, & per se, sine dependentia ab alio tanquam à sustentante, & ad modum essendi in alio tanquam à sustentante? Resp. esse indifferentem indifferentia tantum præcisiua, seu logica, non naturali, aliàs naturaliter posset vna natura ab altera subsistentia terminari, & sustentari, ac proinde haberet indifferentiam positiuam. Pro quo nota, quod indifferentia naturalis, seu positiua dicit inclinationem, & propensionem ad alterutrū, seu habet aptitudinem, & potentiam naturalem qua potest vtrumque extremum attingere. V. g. intellectus habet indifferentiam ad assensum, & dissensum: voluntas ad volitionem, & nolitionem, ac proinde petit alterutrum. Cœterum indifferentia pręcisiua, seu logica dicit quādam capacitatem, seu potentiam vt illud sibi non repugnet in ordine ad quamcumque potentiam. Et sic natura humana pro illo priori quo intelligitur præcedere propriam substantiam licet dicat quandam repugnantiam naturalem in aliena subsistentia terminetur, non tamen dicit repugnantiam logicam in ordine ad quam, cumque potentiam, quia respectu diuinæ omnipotentiæ dicit subiectionem, & potentiam obedientialem.

77 Quæres 3. an subsistentia creata per diuinam potentiam possit alienam naturam terminare? Resp. negatiuè. Illi qui volunt, quod subsistentia creata sit res, & non modus, facilius possunt defendere, quod possit alienam naturam terminare. At nos qui dicimus, quod non est res, sed modus absolutè dicimus quod non possit: implicat namque quod modus existat separatus à re cuius est modus, & sic cum subsistentia creata sit ratio, & exercitium per se, sicut relatio est ratio, & exercitium referendi, sequitur, quod sit quidam modus, ac proinde non poterit ad alienam naturam extendi, sed de hoc *disp. seq.*

78 Quæres 4. an subsistentia creata sit ratio agendi, an solum conditio? Communior sententia est, quod non se habeat vt ratio agendi. Colligitur ex Sacrosancto incarnationis mysterio, nam personalitas, seu subsistentia Verbi diuini, quæ supplet subsistentiam naturæ humanæ, nō se habet vt ratio agendi respectu humanarum operationū Christi D. tum quia vt supra notauimus, est relatiua, relatio autem non potest esse ratio agendi. Tum etiam quia deberet esse forma, ipsius humanitatis, cum ratio agendi sit forma eius cuius est ratio agendi. Et loquendo de subsistentia creata quam diuina supplet, non potest esse ratio agendi cum sit modus, & non res, & sic solum se habet vt conditio terminans, & complens naturam, eam sustentans, & faciens esse per se, & in se, vt sic agere possit. Quocirca quando actiones dicuntur esse suppositorum, non est sensus quod sint suppositalitatis tanquam rationis agendi, sed

tanquam sustentantis, & complentis naturam vt agere possit. Suppositi tamen sunt, idest totius coalescentis ex natura, & subsistentia, & quod si fiat distributio, ratio agendi tribuitur naturæ, & conditio ad agendum tribuitur suppositalitati.

DVBIVM IV.

An Persona Christi D. sit verè, & propriè composita, vbi aliqua quæsita scitu dignissima resoluuntur.

79 PRima sententia est, quod licet persona Christi D. sit aliquo modo composita, cum in eo sint duæ naturæ, nô dispersæ, sed aliquo modo vnitæ, non potest verè, & propriè dici composita, sed solum lato, extensoque vocabulo. Sic tenent D.Bonau. *in 3.dist.6. art.* 1. *q.*2. Richard. *ead. dist. art.* 3. *q.*3. Scot. *ibid. q.*3. Durand. *q.*3. Caiet. *hic a.*4. *ad* 3. *dub.*& alij.

80 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Persona Christi verè, & propriè potest dici composita.* Sic tradit S. Doctor *hic art.* 4. quem omnes expositores sequuntur, nec videtur dissentire Caiet. Videtur definita hæc sent. in Concilio 5. generali Constantinopolit. can. 4. ibi. *Ecclesia vnionem Verbi Dei ad carnem secundum compositionem confitetur*, & can. 7. Christus D. dicitur compositus ex duabus naturis. Vnde Petrus Diaconus *lib. de gratia, & incarnat. Christi cap.* 3. refert, quod Paulus Samosatenus fuit damnatus in Concilio Antiocheno, quia noluit in persona Christi admittere compositionē. Ratio clara est, etenim Christus D. propriè vnus est, & nihilominus habet in se plura actu distincta ex quibus constat: ergo est propriè compositus. Conseq. probatur, nam ad essentiam compositi, nil aliud exigitur, quàm vt sit vnum resultans ex pluribus re ipsa diuersis: huiusmodi est persona Christi: ergo, &c. Tum quia persona Christi aut est simplex, aut composita, non simplex vt potè constans ex multis à parte rei distinctis: ergo est composita. Sed quia plura sunt de quibus compositio dici potest: ideo.

81 Quæres 1. an persona Christi sit propriè composita ex natura diuina, & humana? Resp. affirmatiuè, ita expressè habetur in Concil. Lateran. sub Martino 1. *consultat.* 5. *can.* 6. Tum quia compositum est illud, quod constat ex diuersis: compositio namque est distinctorum positio, seu vnio, sed in Christo est vnio naturæ diuinæ, & humanæ: ergo est compositio ex illis.

82 Sed obijcies 1. nam compositio est partium vnio, compositum namque est totum, & componentia, partes: sed natura diuina, & humana in Christo non habent rationem partium: ergo non possunt in compositionem venire. Minor probatur, nam implicat, quod natura diuina habeat rationem partis, cum hoc dicat imperfectionem, quæ in essentia diuina esse nequit. Tum quia persona Christi non potest esse superior, & perfectior diuina essentia, esset autem si essentia diuina esset pars, & dictam personam componeret.

83 Aliqui respondet concedendo, quod diuinitas in hac cōpositione habeat rationem partis, negant tamen esse de ratione partis, quod ordinetur ad componendū aliquod totum, quod sit ipsa parte intrinsecè perfectius, & quod non sit de ratione partis esse, vel dicere imperfectionem, sed tunc solum cum comparantur, & componunt totum per modum cōpositionis, vt materiæ, & formæ, non per modum vnionis vt in nostro casu. Hinc Nicetas in secundam orat. N. Nazianzeni appellat diuinitatem partem, dicens, *Quia etiam humanitas diuinitate perūcta, id facta est, quod ea pars à qua peruncta facta est, hoc est diuinitatis socia, &c.* Idem dicit Iustinianus Imperator *in confessione fidei, quæ extat post quintam Synodum Generalem to.*2. *Concil. p.*2. vbi sic dicitur. *Cum enim compositionem dicimus in Christo, necesse est confiteri, & partes in toto esse, & totum in partibus cognosci: neque enim diuina natura in humanam transmutata est, nec humana in diuinam conuersa est.* Sic probabiliter respondent Mæratius *hoc loco disp.* 12. Cipul. *hic q.*2. *art.*4. *dub. vnic.* & alij.

84 Respondetur melius, quod licet perso-

persona Christi D. sit composita ex natura diuina, & humana, non tamen vt ex partibus, non enim necesse est, quod omne compositum sit ex partibus, sed ex componentibus; pars autem, & compositum non sunt omnino idem; licet enim omnis pars sit componens, non tamen omne componens est pars, sicut nec omne compositum est totum, sed tantum illud, quod est ex partibus. Ad compositum sufficit, quod constet ex pluribus, & ad componens sufficit quod sit aliquid constituens aliquod vnum cum alio componente. Cæterum ad totum requiritur vt sit quid vnũ ex partibus, seu ex talibus, quod ex natura sua ordinentur ad constituendum aliquod vnum, ad quod comparantur vt imperfectum ad perfectum, vt totum sit perfectius singulis partibus. In Christo ergo natura diuina non est pars, cum ex sua natura non ordinetur ad componendum, sed est componens, & simul cum natura humana faciunt vnum compositum, non vnũ totum. Faciunt autem vnum non per informationem, sed per quandam vnionem in eadem personalitate.

85 Obijcies 2. nam omne compositum debet esse perfectius suis componentibus; sed Christus D. non est perfectior diuinitate; ergo non componitur illa. Resp. negando maiorem; compositum quod est ex partibus, debet esse perfectius componentibus, quia componentia sunt illi inferiora, cæterum compositum, quod est ex puris componentibus, non debet esse perfectius, sed potest esse æquale; cum vna pars possit continere in se totam perfectionem compositi, vt contingit in nostro casu, vbi natura diuina, quę est componens est tantæ, & æqualis perfectionis, ac sit persona composita. Humanitas namque ad summum addit quandã perfectionem extensiuam, nõ intensiuam, cum omnis perfectio humanitatis eminẽter saltem à natura diuina contineatur.

86 Obijcies 3. nam compositum vt sic, est quid natura posterius, & dependens à componentibus, cum esse compositi resultet ex componentibus; sed persona Christi non est natura posterior, nec est dependens à natura diuina, & multò minus ab humana; ergo, &c. Tum quia componentia sunt simpliciora toto composito ex illis constituto; sed natura diuina non est simplicior persona Christi, sed æqualis simplicitatis, & natura humana infinitè distat in simplicitate à persona diuina; ergo, &c. Tum etiam quia persona Christi est ipsa persona Verbi diuini; sed persona Verbi diuini non est composita; ergo neque persona Christi.

87 Resp. quod compositum licet secundum omnia quæ dicit sit posterius cõponentibus, non tamen est dependens ab illis, quãdo compositum est per vnionem, vt est in nostro casu; secus quando est per veram partium compositionem, totum namque dependet à partibus. Poterit tamen secundum totum quod dicit in ratione vnionis esse quid posterius; prius namque intelligimus diuinitatem, & humanitatem in se, quam vt intelligantur mediatè vnitæ, scilicet media personalitate Verbi diuini. Ad 1. probationem dico, quod etiam humanitas est simplicior, quã sit persona Christi, non secundum se, sed vt est composita ex humanitate, & diuinitate. Ad 2. probationem dicas, quod Verbi persona secundum se, non est composita, bene tamen prout mediatè vnit naturam diuinam, & humanam.

88 Obijcies 4. nam in reali compositione vnum extremum componens, non potest esse idem cum ipso composito; sed natura diuina quæ est extremum componens est idem cum persona Christi, quæ est ipsa persona Verbi; ergo, &c. Minor probatur; nam ista propositio est vera. Christus est natura diuina, aliàs non potuisset dicere: *ego sum via, veritas, & vita*, quæ sunt proprietates naturę diuinę. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem; persona namque Christi licet secundum se sit idem cum natura diuina, tamen vt composita distinguitur realiter ab illa distinctione includentis, & inclusi. Persona namque Christi vt composita non solum includit naturam diuinam, sed etiam humanam. Per quod patet ad probationem, nam illa propositio potest dici de

Chri-

Christo vt dicit personam diuinam secundum se, non prout est composita; nisi ratione communicationis idiomatum.

89 Obijcies 5. nam licet personæ diuinæ realiter inter sese distinguantur, non tamen faciunt compositionē prout vniuntur cum natura diuina; ergo licet natura diuina, & humana vniantur in eadem Verbi subsistentia, non ob id component aliquid vnum. Resp. quod diuinæ personæ non vniuntur in diuina essentia, sed cum illa identificantur, nec possunt distingui distinctione reali includentis, & inclusi. At natura diuina, & humana non identificantur cum personalitate Verbi vt composita, nam etiam natura diuina realiter distinguitur distinctione reali includentis, & inclusi.

90 Quæres 2. an persona Christi D. possit dici propriè composita ex personalitate Verbi diuini, & humanitate? Resp. affirmatiuè. Sic tradunt communiter Thomistæ, & cæteri D. Thomæ expositores. Nam persona Verbi, & natura humana realiter vniuntur, & immediatè ad constituendum vnum subsistens, constans ex diuina subsistentia, & humanitate. Tum quia persona Verbi supplet defectum subsistentiæ creatæ, sed subsistentia creata, & humanitas componunt vnum subsistens; ergo, &c. Tum etiam quia persona Verbi habet in hac compositione rationem extremi, est enim terminus terminans, & complens naturam humanam, faciens, nō quidem vt sit in se, & per se, sed potius in alio, scilicet in persona extranea, seu diuina.

91 Quæres 3. an personalitas Verbi diuini ratione muneris terminandi, & sustentandi naturam humanam, possit appellari persona humana? Resp. absolutè non posse, cum absolutè sit persona diuina; tamen cum addito, & in aliquo bono sensu, sic appellari poterit, vt si dicatur persona humana, quatenus præstat ea, quę illa præstat, terminando, & sustentando naturam humanam, non quia sit entitatiuè humana, sed quia præstat munia personæ humanæ. Hac ratione Christus D. vocabat se filium hominis, quatenus persona diuina est subsistens in natura humana.

92 Quæres 4. an vnio animæ, & corporis in Christo sit vera, & propria compositio? Resp. affirmatiuè, nam verus homo est verè compositus ex materia, & forma; sed Christus D. est verus homo; ergo verè compositus ex materia, & forma, scilicet anima rationali. Hæc veritas habetur in Concil. Lateran. & refertur *cap. firmiter de summa Trinit.* vbi admittitur ista propositio. *Verus homo factus ex anima rationali, & humana carne compositus.*

93 Quæres 5. an vnio immediata naturæ humanæ cum personalitate Verbi diuini sit propriè ad modum vnionis naturæ nostræ cum sua propria subsistentia? Resp. affirmatiuè, demptis tamen imperfectionibus, quæ in nostra vnione reperiuntur. Ratio clara est, quia personalitas Verbi supplet subsistentiam propriā, quam habuisset Christi humanitas, faciēdo eam subsistere, & reddendo eam incommunicabilem; sed hæc præstare non potest nisi vniatur humanitati ad modum quo vnitur propria subsistentia, demptis imperfectionibus; nam non terminat vt modus, quia iste dicit imperfectionem, quia non potest esse sine re cuius est modus: non terminat cum dependentia, vt nostra subsistentia: non terminat per informationem, vt nostra subsistentia, sed sub ratione puri termini. Vnde in nobis natura dependet à propria subsistentia tāquam à termino terminante, complente, &c. & subsistentia dependet à natura tanquam à causa à qua emanat, in virtute producentis naturam. At in Christo sola natura dependet à subsistentia Verbi tanquam à termino, non è contra.

DVBIVM V.

An natura humana in Christo D. habeat appetitum innatum ad propriam subsistentiam.

94 PLuries hanc difficultatem tetigimus, hoc loco vbi propriam sedē habet operosius est pertractanda. Ratio dubi-

dubitandi est, quia cum quælibet substãtia habeat naturalem inclinationem ad propriam subsistentiam tanquam ad suum complementum, & Verbum diuinum se ipsum vniendo humanitati impedierit effluxum propriæ subsistentiæ, per subrogationem suæ, ad quam natura humana nec inclinationem, nec aptitudinem naturalem habet, sed solum potentiã quandam logicam,& obedientialem, sequi videtur, quod adhuc conseruet inclinationem ad suam propriam subsistentiam.

95 Conueniunt omnes, quod natura humana Christi D. non habeat appetitum elicitum saltem efficax,& absolutum, quia cum sit iste appetitus actus voluntatis, & ista sit summè cõformis voluntati diuinæ, non potest habere prædictum appetitum. Poterit tamen habere quendam appetitum suppositionis, vt si daretur casus per potentiam absolutam, quod humanitas dimitteretur, sineretur effluere propriã subsistentia, vt sic in nihilum non resolueretur. Dubium ergo excitatur de appetitu innato, qui est quoddam naturæ pondus in id, quod eam perficit.

96 Pro quo sciendum ex alibi dictis, quod sicut in appetitu elicito hi tres actus distinguuntur, scilicet amor boni absolutè, & secundum se considerati abstrahendo ab hoc quod sit præsens, vel futurum. Deinde gaudium, quod est boni præsentis, & possessi. Et demum desiderium, quod est boni absentis. Pariformiter in appetitu innato per quandam metaphoram possumus totidem actus considerare. Vt primus sit simplex amor,& est quędam naturalis inclinatio, & conformitas rei ad suam perfectionem secundum quandam rationem abstractam vt abstrahit à præsenti, & non præsenti, à possessa, & non possessa. Secundus sit gaudium, & est quædam inclinatio ad propriam formam vt iam possessam, obtentam,& in qua iam quiescit. Tertius sit desiderium, & est quædam inclinatio ad propriam perfectionem qua caret. Dubium non puto procedere de appetitu innato quoad primum actum, nam humanitas Christi D. secundum se spectata habet aptitudinem, capacitatem, & inclinationem ad propriam subsistentiam, tanquam ad propriam perfectionem, & proprium complementum. Quocirca non videtur negandum, quod humanitas Christi D. habeat appetitum innatum per modum quasi amoris simplicis, quo fertur in propriam subsistentiam. Neque dubium procedit de secundo actu, qui est gaudij, delectationis, & complacentiæ, nam hic est de bono præsenti, & sic non potest esse in humanitate Christi D. respectu propriæ subsistentiæ cum non sit præsens, nec futura.

97 Dubium ergo procedit de appetitu innato vt dicit tertium actum, scilicet desiderij, & de hoc quæritur an Christi D. humanitas habeat appetitum innatum per modum desiderij respectu propriæ subsistentiæ? Prima sententia affirmat. Hanc sequuntur Vasq. *hic disp. 34. cap. 2. cum seq.* Cabrera *qu. 4. disp.* 8. Perighigianus *in 3. dist. 1. q. 1. art. 11. concl. 5.* & dicit esse Scoti.

98 Nostra sent. seq. concl. explicatur. *Humanitas Christi D. non habet appetitum innatum per modum desiderij ad propriam subsistentiam.* Hanc tenentur D. Thomæ discipuli. Caiet. *hic q. 4. art. 2.* Aluarez *hoc loco disp.* 27. Cipullus *hic q. 2. art. 2. dub. 2. n. 28.* & nos pluries docuimus.

99 Probatur 1. nã vbi nulla est naturalis indigẽtia, ibi nulla est naturalis appetẽtia, sed in humanitate Christi D. nulla est naturalis indigentia suæ subsistentiæ; ergo ibi nulla est eiusdem appetentia. Maiorem docuit Arist. 1. Phys. tex. 81. vbi dicit *Formam non se ipsam appetere, quia non indiget sui.* Ergo per Aristotelem, in tantum aliquid appetit aliud, in quantum eo indiget; ac proinde vbi non datur indigentia, neque dabitur appetitus. Tum quia omnis appetitus est ad bonum, & conueniens ipsi appetenti; sed propria subsistentia non est conueniens humanitati, subsistenti diuina subsistentia; ergo humanitas subsistens diuina subsistentia non habet appetitum, scilicet innatum desiderij ad propriam subsistentiam. Minorem probo, nam vbi reperitur subsistentia nobilior, nobiliori, & perfectiori modo præstans, quod præstat inferior, & ignobilior, tunc nec

nec datur indigentia inferioris, nec est conueniens quod superior non habeatur, vt habeatur inferior; ergo,&c.

100 Occurrit Vasq. quod licet appetitus elicitus satietur per formam nobiliorem possessam, quia fundatur in cognitione, quæ cum varietur in perceptione obiecti nobilioris, facit, quod aliter de eo iudicemus, ac de ignobiliori. Hoc tamen non currit in appetitu innato, qui cum cognitione non ducatur, non habet fundamentum quo variari possit. Cum enim aliud non sit nisi pondus naturæ in suam perfectionem, eo ipso quod ea priuatur, in eam tendit appetitu desiderij, nec est capax iudicandi se forma nobiliori priuari.

101 Sed contra, nam appetitus elicitus ad rem minus perfectam, satiatur per possessionem formæ perfectioris, vt concedit Vasq. ergo id ipsum dicendum est de appetitu innato. Conseq. probatur, nam licet appetitus innatus non reguletur cognitione, ac proinde non varietur ex variatione cognitionis, vt appetitus elicitus, variatur tamen, & regulatur perfectione formæ; vnde inclinatio ad formā perfectiorem est perfectior: aliàs eodem modo natura inclinaret in formam imperfectiorem, ac perfectiorem, quod nemo dicit. Tum quia natura bene ordinata, non propendit magis in id quod est imperfectius, cum possidet perfectius: nec desiderat duo incompossibilia, neque dum habet vnum, appetit aliud incompossibile cum priori, sed humanitas Christi D. est natura quam bene ordinata, ergo dum habet subsistentiam diuinam, non potest appetere humanam cum illa priori incompossibilem.

102 Probatur 2. nam cessante causa finali appetitus, & desiderij, cessat effectus; sed habita subsistentia diuina cessat causa finalis appetendi propriam subsistētiam; ergo habita subsistentia diuina, cessat appetitus propriæ subsistentiæ. Maior nota est etiam in naturalibus, nam cessante causa naturali assensus ignis ad propriam sphæram, vt cum ad illam peruenit, cessat appetitus ascendendi. Hinc Anchar. *cons.* 47. *n.* 4. Euerard. *in topicis legalibus loco* 85. Cardin. Tusch. *litt.* C. *concl.* 157. *n.* 42. Mantica *decis.* 131. *n.* 4. & alij, dicunt, quod causa finalis est tantæ virtutis, vt ea non cessante non cesset effectus & ea cessante, cesset. Minor probatur; nam finis ob quem natura appetit propriā subsistentiam, est vt ab ea compleatur, terminetur, & habeat esse extra causas; sed hæc nobiliori, & perfectiori modo habet natura humana per subsistētiam diuinam; ergo tunc cessat appetitus subsistentiæ propriæ.

103 Sed dices pro Vasq. quod subsistentia diuina non complet naturam humanam Christi D quoad omnia, non enim facit eam esse in se, & per se, sed potius in alio, scilicet in persona extranea, scilicet in persona diuina, ergo adhuc relinquetur locus appetendi propriam subsistentiam per quam sit in se, & per se. Resp. negando antecedens, nam subsistētia diuina complet etiam naturam humanam quantum ad hoc quod est esse in se, & per se; non enim est in alio neque tanquam in subiecto informationis, neque tanquam in subiecto inhæsionis. Vnde re ipsa natura humana per subsistentiam diuinam, & est in se, & per se, sicuti esset si haberet propriam subsistentiam. Dicitur tamen non esse in se, & per se, sed in persona extranea, per illius subsistentiam, quatenus non est in subsistentia naturali, neque in persona propria, sed in extranea, & ordinis superioris.

104 Probatur 3. quoniam vel Christi D. humanitas est satiata per Verbi diuini subsistentiam, vel non. Si est satiata, non appetit propriam; vbi namque natura est satiata per sui finis consecutionem, non amplius media appetuntur, vt etiam leges ciuiles tradunt. *l. adigere*, §. *quamuis*, *ff. de iure patron. l. si pater*, *ff. de hæred. instit. l. generaliter*, *C. de Episc. & Cleric. l. cum te*, *C. de pactis inter empt. cap. magnæ, de voto, in fine. Et cap. cum cessante* 60. *de appellat.* Quod si dicat non esse satiatam cum nunquam sit satianda, ille appetitus esset frustraneus, & violentus, quod esse nequit, cum nullum violentum perpetuū,

cx

ex Arist. *& l. eum debere columnam, ff. de seruit. vrbanor. prædior.* Cum ergo humanitas Christi nullam patiatur violentiam, vt omnes tradunt, & concedit Vasq. sequitur; quod debeat esse in tali statu constituta vt nullam habeat naturalem inclinationem, seu appetitum ad propriam subsistentiam. Soluuntur argumenta in contrarium.

105 Primum argum. nam appetitus innatus per modũ desiderij nihil est aliud quam potentia ad suam propriam formã, seu perfectionem; sed humanitas Christi D. adhuc vnita Verbo diuino habet potentiam ad suam naturalem perfectionem seu subsistentiam; ergo habet appetitum innatum ad illam. Maior nota est; minor probatur, nam naturalis potentia humanitatis non est immutata naturaliter, sicut nec ipsa humanitas; ergo manet intacta, & sicut prius; sed prius erat capax, & potentia receptiua propriæ perfectionis; ergo etiam postea. Resp. transeat maior, & negatur minor; cum enim humanitas habeat per subsistentiam diuinam suam naturalem perfectionem, non potest habere potentiam naturalem ad illam, quod autem natura humana habeat suam naturalem perfectionem per subsistentiam diuinam, loquendo formaliter, patet si notetur, quod in subsistentia creata duo sunt, scilicet ratio terminandi, complendi naturam, eamque faciendi subsistere in se, & per se incommunicabiliter tam vt *quo*, quam vt *quod*, & quod sit quidam modus dicens imperfectionem vt non possit esse sine re cuius est modus, & habens rationem quasi formæ, dicens dependentiam in genere causæ quasi efficientis à natura, &c. Primum, quod est perfectionis, tribuit subsistentia diuina, & sic natura humana in Christo à subsistentia diuina habet suam naturalem perfectionem, & sic non conseruat potentiam, & capacitatem, ac subinde neque appetitum ad illam. Secundum quod est imperfectionis appeti non debet, nisi quando sine eo non habetur primum. Vnde cum in nostro casu natura humana Christi D. habeat primum, non est cur appetat secundum.

106 Ad probationem minoris, quod naturalis potentia humanitatis non sit immutata per assumptionem, sicut nec ipsa natura humanitatis immutata est, dico quod licet non sit immutata, est tamen perfecta, & completa per consecutionem sui finis, seu sui complementi. Consecuto autem fine cessat appetitus medij, cum media non nisi propter finem appetantur.

107 Secundum argum. nam appetitus innatus vnius potentiæ non satiatur per actum alterius potentiæ, licet sit perfectior, sed solum satiatur per actum sibi correspondentem; sed subsistentia Verbi diuini non est actus correspondens potentiæ naturali humanitatis ad propriam, & connaturalem perfectionem; ergo per illam non potest potentia naturalis humanitatis satiari, ac proinde adhuc habebit appetitum ad propriam subsistentiam. Maior constat ex dictis in Physicis, nam anima rationalis licet sit perfectior quacumque forma naturali, non tamen satiat appetitum materiæ ad formas materiales etiam imperfectissimas, vt ad formas vermium, plantarum, &c. Minor probatur, nam actus correspondens potentiæ naturali humanitatis, debet esse naturalis, & eiusdem ordinis; sed subsistentia Verbi diuini non est huiusmodi: ergo, &c. Resp. distinguendo maiorem. Appetitus innatus vnius potentiæ non satiatur per actum alterius, quando non habent inter se subordinationem, & vnus non continet perfectionem alterius, conceditur. Quando taliter subordinantur, quod vnus contineat perfectionem alterius, negatur. Et sic cum in nostro casu subsistentia Verbi diuini in linea subsistẽtiæ sit superior omni creata, & contineat perfectionem cuiuscumque subsistentiæ creatæ, sequitur, quod possit appetitum innatum ad propriam subsistentiam perfectissimè satiare. Sicut enim beatitudo supernaturalis satiat appetitum innatum ad beatitudinem naturalem, ita, &c. Per quæ patet ad illud de materia prima.

108 Tertium argum. Subsistentia Verbi diuini terminat solummodo apti-

tudinem, & potentiam obedientialem humanitatis Christi D. quam habet ad subsistentiam Verbi diuini: ergo solum ista aptitudo, & potentia obedientiali satiabitur per diuini Verbi subsistentiam, non aptitudo, & potētia naturalis ad propriam subsistentiā. Resp. negando antecedens, licet enim subsistentia Verbi diuini proximè, & primariò solum terminet potentiam obedientialem, tamen secundariò complet, & explet etiam totam capacitatem, & potentiam naturalem, tribuendo humanitati totū id perfectionis, quod tribuit propria subsistentia. Actus namque ordinis superioris potest complere potentiam, aut quasi potentiam ordinis inferioris contentam intra eandem rationem, seu lineam.

109 Quartum argum. nam ita se habet substantia creata ad propriam subsistentiam, sicut se habet accidens ad propriam inhærentiam; sed accidens separatum à substantia, vt in Sacramento altaris habet naturalem aptitudinem, & appetitum ad inhærendum subiecto; ergo etiam substantia humanitatis Christi D. habebit naturalem aptitudinem, inclinationem, & appetitum ad propriam subsistentiam. Respondent aliqui esse disparem rationem quia accidēs Eucharisticum nulli inhæret subiecto, ac proinde conseruat appetitum ad proprium subiectum, at in Christo D. humanitas iam habet subsistētiam, ac proinde per illam satiatur appetitus ad propriam subsistentiam. Nihilominus puto, quod neque accidens in Eucharistia appetat inhærentiam, tum quia conseruatur per manutentiam Dei, per quam accidens habet totum perfectionis, quod habet ab inhærentia. Tum quia habet nobilius esse, vt enim diximus de Eucharistia accidens dum separatur à propria substantia, nihil deperdit, sed solum amittit quod est imperfectionis, retento quod perfectionis est, vt loco citato explicuimus.

DVBIUM VI.

An Deus eadem actione qua creat animam rationalem, & producit humanitatem, eam vniat supposito Verbi diuini.

110 Prima sententia est, quod sit eadem actio, productio animæ rationalis Christi D. humanitatis, & assumptio illius ad Verbi diuini personalitatem; ita quod non prius Deus producat animam rationalem, & humanitatem, sed simul producat animam, & humanitatem in Verbo: vnde Deus producit humanitatem vnitam Verbo. Sic sentit Cabrera *hic art. 11. disp. 2.* quem aliqui moderni sequuntur.

111 Nostra sententia sequenti concl. explicatur. *In mysterio incarnationis Deus habet tres actiones. Prima est productio, seu creatio animæ rationalis. Secunda est productio humanitatis, ex anima, & corpore constantis. Et tertia est eiusdem humanitatis assumptio, seu actio vnitiua humanitatis ad personam Verbi diuini.* Ita Caiet. *hic art. 8. & infra q. 6. art. 1.* Capreolus *in 3. dist. 6. qu. 1. ad arg. contra primam concl.* Cipullus *hic q. 2. art. 8. dub. 1. n. 1.* dicens esse omnium Thomistarum recentiorum.

112 Probatur 1. nam creatio, generatio, & assumptio habent terminos realiter, & formaliter distinctos, ergo non sunt vna, eademque actio, sed tres. Conseq. constat, actiones namque multiplicantur ad multiplicationem terminorum formalium, vt ex se liquet. Antecedens probatur, nam terminus formalis creationis est productio totius entis ex nihilo, & sic cum anima rationalis Christi D. sit creata, eius productio erit creatio, ac proinde eius terminus formalis erit esse ex nihilo. Generatio est fictio viuentis, est enim origo viuentis à viuente, &c. vnde non est creatio, humanitas autem Christi D. non est creata, sed potius genita, est enim actio terminata ad vnionem animæ cum corpore. Et assumptio habet pro termino formali non naturam, seu vnionem ani-

animæ, & corporis, sed vnionem naturæ humanæ cum personalitate Verbi.

113 Probatur 2. nam actio creatiua, & vnitiua animæ, & corporis sunt naturales, quas Deus habet respectu omnium hominum, animas namque omnium hominum creat, & suis corporibus vnit, non excludendo tamen proprium generantis influxum; sed assumptio ad vnionem cum personalitate Verbi diuini, non est actio naturalis, & nobis communis, sed supernaturalis; ergo actio vnitiua, seu assumptiua humanitatis ad subsistentiam Verbi diuini, est omnino distincta ab illis. Actio namque assumptiua non est productio, seu creatio animæ rationalis, cum assumptio non sit productio entis ex nihilo, sed assumptio entis iam producti ad statum nobiliorem, ita enim denotat nomen assumptio, neque ob eãdem rationem assumptio est productio humanitatis, sed translatio illius, eleuatio ad subsistendum in Verbo.

114 Probatur 3. nam terminus productus per aliquam actionem, non potest præsupponi, nec præintelligi eidem actioni, sed humanitas Christi D. & anima rationalis præintelliguntur assumptioni; ergo non possunt esse terminus productus per eandem assumptionem. Maior nota est, aliàs effectus præintelligeretur suæ productioni, & posterius præintelligeretur suo priori. Minor probatur, nam humanitas, & anima fuerunt à Verbo diuino assumptæ, sed quod assumitur non producitur per assumptionem, sed assumptioni supponitur; ergo, &c. Soluuntur arg. in contrarium.

115 Primum argu. nam creatio animæ rationalis Christi D. productio humanitatis, & assumptio ad diuini Verbi personalitatem, sunt actiones Dei, sed actiones Dei non multiplicantur realiter, quãtumuis termini realiter, & formaliter multiplicentur; ergo, &c. In Deo namque datur tantum vnica, & simplicissima formalitas. Resp. quod licet actiones Dei, quæ producunt terminum ad extra, actiuè non multiplicentur, cum sint vnus, & idem actus, tamen passiuè multiplicantur, & hoc tantum intendimus hoc loco; hoc enim sufficit ad hoc vt non dicantur vna, eademque actio.

116 Secundum argum. nam Sancti Patres apertè docent assumptionem esse actionem creatiuã animæ rationalis Christi, & productiuam humanitatis eiusdem; ergo, &c. Antecedens probatur, nam S. Leo Papa Epist. 11. sic ait. *Natura nostra non sic assumpta est, vt prius creata post assumeretur, sed vt ipsa assumptione crearetur*. Idem tradit S. P. August. *lib. de fide ad Petrum cap.* 8. D. Gregor. Magnus *lib. 9. Epistol. Epist. 61*. D. Fulgent. *lib. de incarnat. & gratia cap. 3.* & alij. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico cum D. Thoma infra *q. 33. art. 3.* Sanctos Patres nil aliud velle, nisi quod illæ actiones fuerunt in eodem instãti, & quod non prius sit creata anima rationalis, & humanitas formata, quam assumpta, sed in eodem instanti in quo anima fuit creata, fuit etiam assumpta.

117 Tertium argum. nam si anima rationalis Christi D. alia actione fuisset creata, & alia assumpta, sequeretur quod in illo priori in quo intelligitur creata, & nondum assumpta haberet propriam subsistentiam, & existentiam; hoc est falsum; ergo, &c. Minor constat, nullus namque dicit, quod anima rationalis prius fuerit subsistens; sed quod quando debebat propria effluere subsistentia, Verbum diuinũ suam subrogauit. Maior probatur, nam creatio fuit terminata ad animam singularem, & existentem; ergo etiam subsistentem. Tum quia anima rationalis in nobis est subsistens antequam intelligatur producta natura; ergo cum Verbum diuinum sumpserit naturam, quæ animam præsupponit, sequitur quod in illo priori antequam Verbum diuinum sumeret naturam, anima propriam haberet subsistentiam, antequam formaretur natura, & à Verbo assumeretur. Resp. negando maiorem, quantum ad subsistentiam, nam an habuerit propriam existentiam, dicemus infra. Ad probationem dico, quod illa actio fuit quidem terminata ad animã singularem, non tamen ad illius personalitatẽ pro illo priori, cum enim in eodem in-

instanti subroganda esset diuina personalitas, actio creatiua Dei pro illo priori solum se extendit ad animam singularem, non tamen ad eius subsistentiam; licet in nobis actio creatiua Dei etiam ad personalitatem se extendat cum in eodem instanti alia non sit subroganda. Quare licet actio creatiua secundum se terminetur ad animam subsistentem, tamen quando in eodem instanti alia esset subroganda, vt in nostro casu contigit, non terminaretur ad rem subsistentem, sed singularem. Cum enim subsistentia non sit terminus creationis primarius, sed tantum secundarius, potest Deus ponere primarium, & impedire secundarium, ponendo loco secundarij quid altius, & nobilius, &c.

118 Quartum argum. nam Christi D. humanitas fuit producta eadem actione qua fuit productus Christus; sed Christus fuit productus per actionem qua humanitas fuit vnita Verbo diuino, quæ est assumptio; ergo, &c. Minor constat, antequam namque humanitas assumeretur, Christus productus non erat. Maior probatur, nam per eandem actionem qua producitur suppositum, producitur natura, nam natura est terminus *quo* generationis, & suppositum est terminus *qui*; terminus autem *quo*, & *qui* simul producuntur, cum terminent eandem actionem. Resp. negando maiorem. Ad probationem dico, quod quando generatio est completa, quando scilicet attingit totum, & adæquatum terminum tam *quo*, quam *qui*, tunc eadem actio quæ attingit naturam, attingit etiam suppositum, at quando generatio non est completa, seu quando non attingit terminum *qui*, sed tantum terminum *quo*, ex eo quod terminus *qui* excedit vim actionis productiuæ termini *quo*, cum terminus *qui* constituatur per aliam actionem, scilicet per assumptionem ad personam extraneam, tunc actio attingens terminum *quo*, est distincta ab actione attingente terminum *qui*, cum hæc sit assumptio, non illa.

119 Quintum argum. nam si natura humana Christi D. fuisset alia actione producta, & alia Verbo diuino vnita, sequeretur, quod Beatissima Virgo non fuisset vera mater Dei; hoc est falsum; ergo & illud ex quo sequitur. Sequela maioris probatur, nam actio generatiua B. Virginis fuisset completa ante actionē assumptiuam, sed actio præcedens actionem assumptiuam non est generatio, nec conceptio Verbi, sed productio nudæ humanitatis; ergo, &c. Resp. cum Caiet. & cæteris Thomistis communiter infra *q. 32.* quod B. Virgo non dicitur concepisse, aut generasse Verbum diuinum, quia producat actiuè, vel non producat humanitatem vel quia concurrat, vel non concurrat actiuè ad actionem assumptiuam, sed quia subministrauit materiam ad generationē, vt faciunt aliæ mulieres, quæ dicuntur matres, non per concursum actiuum, sed passiuum. Et sic cum B. Virgo subministrauerit materiam suam, scilicet sanguinem purissimum ex quo facta est Christi generatio, ideo est vera Mater Dei, vt supra tetigimus, & infra magis videbimus. Deinde dico, quod dato, quod B. Virgo concurrerit actiuè, & quod cæteræ mulieres concurrant actiuè ad generationem, tunc dico, quod ad hoc vt B. V. dicatur concepisse, & genuisse filium Dei, non requiritur quod eius actio fuerit vnitiua humanitatis ad suppositum Verbi, sed sufficiebat quod in eodem instanti in quo cōcepta fuit, & petebat ex vi conceptionis habere propriam subsistentiam, quod fuerit aliena, scilicet Verbi subrogata. Huius rei bonum exemplum affert Nazarius hoc loco, nam Hebræi verè, & propriè fuerunt Deicidæ, verè Deum dicuntur occidisse, & tamen eorum actio fuit terminata solum ad separationem partium humanitatis, seu animæ à corpore, ita B. V. fuit vera Mater Dei, licet eius actio fuerit solum terminata ad vnionem animæ, & corporis.

D V-

DVBIVM VII.

An vnio Verbi diuini cum humanitate possit dici accidentalis.

120 DE hac re sunt duæ sententiæ. Prima dicit, quod vnio Verbi diuini sit accidentalis, ex eo quod modus quo humanitas vnitur Verbo diuino est accidentalis. Putat enim ista sententia, quod materia, & forma quodam nexu, seu quodam modo accidentali vniantur. Et cum sit eadem ratio vnionis humanitatis cum persona Verbi, dicit, quod etiam iste nexus sit entitatiuè accidentalis & solum dicatur substantialis terminatiuè quatenus extrema vnita sunt substantia. Sic defendebat quidam modernus in suis conclusionibus. Sed de hac sententia dicemus dub. seq. Secunda sententia est Durandi *in 3. dist. 6. q. 4.* vbi dicit, quod vnio Verbi diuini cum humanitate possit dici accidentalis, non quia vnio entitatiuè sit accidens, sed quia humanitas aduenit Verbo diuino quod est ens in actu, & cõpletum, quoties autem aliquid aduenit enti in actu, non facit vnum per se, sed tantum per accidens, quam sententiam videntur sequi Palatius, & Paludanus ibidem, & de hoc agemus in præsenti dubio.

121 Nostra sententia sequentibus concl. explicatur. *Vnio Verbi diuini cum humanitate nullo modo dici potest accidentalis, sed est, & dici debet substantialis.* Sic tradit S. Doctor hic *art. 6.* & omnes eius expositores, est hæc sententia conformior modo loquendi sanctorum PP. & Conciliorum vocantium hanc vnionem substãtialem, & nunquam accidentalem.

122 Probatur 1. ratione D. Thomæ hoc *art. 6. in argum. sed contra,* vbi dicit, *quod illud quod accidentaliter prædicatur, non prædicat quid, sed quantum, vel quale, vel aliquo alio modo se habens, si ergo humana natura accidentaliter adueniret, cum dicitur Christus est homo, non prædicaretur quid, sed quale, aut quantum, aut aliquo alio modo se habens, quod est contra decretalem Alex. Papa dicentis, quod Christus sit perfectus Deus, & perfectus homo, qua temeritate audent quidam dicere, quod Christus secundum quod est homo non est quid.* Ergo cum ista prædicatio *Christus est homo*, sit in quid, non potest humanitas accidentaliter vniri personæ Verbi diuini. Tum quia quoties duæ naturæ in eodem supposito in concreto ad inuicem prædicantur in quid, non possunt ad inuicem vniri accidentaliter; sed ex Concilijs, & Patribus natura diuina, & humana in Christo D. prædicantur in concreto in quid, vt cum dicimus Christus est homo, Christus est Deus; & demonstrato Christo de eo possumus dicere: hic homo est Deus, & hic Deus est homo; ergo non vniuntur accidentaliter, sed substantialiter. Vnde quia albedo, & frigus in homine solum accidentaliter vniuntur, inde demonstrato homine non valet dicere hoc album, est frigus, & hoc frigus est album.

123 Probatur 2. nam Christus D. est vna tantum persona, vt fides docet, composita ex natura humana, & diuina; sed si natura humana adueniret diuinæ, aut Christo accidentaliter, Christus non esset vna tantum persona, sed duæ, ergo natura humana non potest aduenire accidentaliter. Minorem probo, nam tot dari debent personæ, quod dantur naturæ cõpletæ, solum accidentaliter vnitæ; sed in Christo natura humana, & diuina solum accidentaliter vnirentur, ergo, &c. Si enim album, & frigus essent naturæ completæ substantiales rationales cum solum in homine vniantur accidentaliter, essent duæ personæ; ergo si semel natura humana, & diuina solum accidentaliter vnirentur, erunt duæ personæ, & non vna tantum. Soluuntur argumenta in contrarium.

124 Primum argu. in quo maximè fundatur Durandus est, quia quod aduenit enti completo, aduenit accidentaliter, ac proinde accidentaliter vnitur; sed natura humana aduenit in tempore Verbo diuino, quod ab æterno est ens completum, est perfectum, quippe cum sit persona diuina; ergo aduenit accidentaliter, ac subin-

subinde accidentaliter illi vnietur. Maior est commune Philosophorum pronunciatum. Quod enim aduenit enti completo, non aduenit vt constituat vnum per se cum illo, cum iam sit constitutum, sed taliter aduenit vt possit sine illius corruptione abesse. Resp. distinguendo maiorem: quod aduenit enti completo aduenit accidentaliter quantum ad rationem accidentis prædicabilis, conceditur; quantum ad rationem accidentis prædicamentalis, negatur: & sic humanitas est accidens prædicabile respectu diuinitatis, quia nec eam constituit, nec ad eius consistentiam requiritur, cum possit adesse, & abesse sine illius corruptione, & mutatione. Non tamen aduenit vt accidens prædicamentale, nec vnitur accidentaliter cum ad esse Verbi diuini trahatur, & ad constituendam vnam substantiam compositam.

125 Secundum argum. per quod impugnatur solutio præcedens est, nam natura humana in Christo si non vniretur accidentaliter, neque esset accidens prædicabile; sed hoc negatur: ergo non potest vniri substantialiter, & esse accidens quinti prædicabilis. Maior probatur, nam ex accidenti prædicabili non fit prædicatio *in quid*, nam prædicatum *in quid* affert aliquid necessariò conueniens, & ex accidenti prædicabili fit prædicatio in quale. Tum quia Verbum diuinum humanitati vnitum non dicitur humanatum, sed homo, sed si prædicatio esset accidentis prędicabilis diceretur humanatum, sicut homo dicitur vestitus à veste, ergo vel humanitas aduenit humanitati omnino per accidens, vel neque vnitur vt accidens prædicabile.

126 Resp. quod humanitas dupliciter potest comparari diuinitati, aut personæ Verbi. Primò potest comparari personæ Verbi, & diuinitati secundum se, & hoc modo cum non pertineat neque ad genus, aut quasi genus, neq: ad speciem, seu quasi speciem, non potest de illis prædicari in quid. Prædicatio namque *in quid* est generis de speciebus, & speciei de indiuiduis. Differentia namque in quale quid prædicatur. Secundò potest considerari vt comparatur ad personam Verbi cui vnitur, & tunc in concreto prædicatur in quid substantialiter, quatenus vnio est substantialis. Igitur natura humana si consideretur quatenus potest abesse, & adesse à persona Verbi præter illius correptionem, aut mutationem dicitur habere rationem quinti prædicabilis, at quatenus est vnita illi substantialiter non prædicatur vt quartum prædicabile, scilicet *in quale*; neque prædicatur in quid vt genus, aut species, cum non sit humanitas genus, nec species respectu personæ Verbi cui vnitur, sed in quid cõcretiuè, & substantialiter, quæ prædicatio reuocatur ad prædicationem speciei, vt cum dico *Petrus est homo*.

127 Tertium argum. nam tunc aliqua dicuntur vniri accidentaliter, quando accidit vniri vnicuique extremorum, seu quando extrema non petunt vniri, sed neque humanitas petit vniri diuinitati, neque diuinitas petit vniri humanitati, ergo. Resp. negando maiorem, nam tunc solum vnio est accidentalis quando non solum extrema non petunt vniri, sed vlterius quando de facto vnio non est in substantia: in nostro autem casu licet diuinitas non petat vniri humanitati, nec è cõtra, tamen vnio cum fiat in substantia, est substantialis: non enim fit eo modo quo accidens vnitur suo subiecto, sed eo modo quo natura vnitur suæ personalitati, seu subsistentiæ. Hoc exemplo potest declarari, nam anima separata non petit vniri corpori, nec è contra, & tamen cum vniuntur, non vniuntur accidentaliter, sed substantialiter.

128 Sed quæres, an vnio humanitatis cum persona Verbi diuini sit dicenda essentialis, an substantialis, aut naturalis? P. Vasq. *hic disp.* 17. putat hanc vnionem posse absolutè vocari essentialem, & naturalem. Communis sententia est, quod debeat vocari substantialis, cum enim sit facta in persona, quæ substantia est, substantialis vocari debet, non essentialis, quia non componunt vnam essentiam, seu naturam completam. Nihilominus in bono sensu, vt explicat Nazarius hoc loco

eo potest dici essentialis, & naturalis. Naturalis, quia re ipsa hæc vnio facta est, & non secundum fictionem, & apparentiam vt dicebant hæretici. Essentialis, quatenus essentia diuina, & humana in eadem Verbi diuini persona vniuntur, & vnam personam componunt. Absolutè tamen, & simpliciter vocari debet substantialis.

DVBIVM VIII.

An vnio hypostatica sit aliquid ab extremis re ipsa distinctum.

129 Aliqui hoc dubium sic proponunt. An personalitas Verbi diuini, & humanitas se ipsis vniantur, an medio aliquo realiter ab ipsis distincto. Alij sic. An assumptio vt est actio aliquid producat, seu an habeat aliquem terminum; alij aliter dubium proponunt, sed omnia in idem recidunt. Pro quo nota, quod vnio hypostatica tribus modis sumi potest. Primò pro actione qua humanitas fuit Verbi diuini personæ vnita, quæ actio est à tota Trinitate, actiones namque ad extra sunt indiuisæ Trinitatis. Secundò pro illa coniunctione qua Christi D. humanitas per talē actionem manet actu, & re ipsa vnita Verbo diuino, quæ vnio nunquam dissoluetur. Tertiò pro relatione quæ ex illa vnitione, aut vnione resultat inter extrema sic vnita. In hoc dubio primò agemus de prima, & secunda vnione, seu de vnitione, aut actione vnitiua, & termino eius, & quærimus, an vnitio habeat terminum à partibus vnitis distinctum, seu an vnio, quæ terminat actionem vnitiuam, sit aliquid ab extremis vnitis distinctum.

130 Prima sententia est, quod per actionem vnitiuam, nihil fuit in humanitate productum, ab ea distinctum quo ipsi Verbo diuino vniretur; ac proinde terminus formalis huius vnionis nihil sit aliud quam ipsæ partes vnitæ quatenus se ipsis formaliter, & nullo alio intermedio sint vnitæ. Quod aliqui sic explicant, vt sit ipsa natura humana, & persona Verbi, non quomodocumque, sed prout natura humana dependet à personalitate Verbi tanquam à termino substantiali, qui sua perfectione suppleat vim propriæ subsistentię creatæ. Hanc sententiam sequuntur Gregor. ab Arimino *in 1. dist.18. q.2. art.1. ad 17.* Valentia *hic disp.1.q.2.puncto 5.* Aluarez *hic disp.13.* Cipullus *q. 2. art.8. dub.2.* videtur esse Caiet. hoc loco, & nonnullorum aliorum Thomistarum, & Nominalium.

131 Nostra sententia sequ. concl. explicatur. *Per actionem vnitiuam humanitatis ad personalitatem Verbi diuini, producitur aliquid tum ab humanitate, tum à personalitate Verbi diuini realiter distinctū.* Quid autem sit, postea dicetur. Hanc conclusionem expresse docet S. Doctor *hic q. 2. art. 7.* vbi inquirit: *An vnio naturæ diuinæ, & humanæ sit aliquid creatum.* Et affirmatiuè respondet, quod sic probat in argum. sed contra. *Omne, quod incipit esse in tempore, est creatum, sed vnio illa ab æterno non fuit, sed incepit esse in tempore: ergo vnio, est aliquid creatum.* Vbi vt vides loquitur de vera vnione, quæ cum non sit diuinitas, nec persona Verbi, quia ista fuerunt ab æterno, neque humanitas, quia ista non est vnio, sed res vnita, sequitur quod sit aliquid distinctum. Et in corpore articuli dicit esse realitionem, non secundum esse, sed secundum dici, quæ est fundamentum relationis secundum esse, vt postea videbitur. Deinde sic concludit. *Sic ergo dicendum est, quod hæc vnio de qua loquimur, non est in Deo realiter, sed secundum rationem; in humana autem natura, quæ creatura quædam est, realiter est, & ideo oportet dicere, quod sit quiddam creatum.* Idem tradit *art.8.* Hanc sententiam, quod scilicet vnio non sint partes vnitæ, sed aliquid realiter distinctum tradunt Scotus *in 3. dist. 1. q. 1.* Durand. *9. dist.5.q.2.* Ocham *dist.1.q.1.* Gabr. *in 1. dist.30.qu.4.art.2. & in 3. dist.1.qu.1. art.1.* Alens. *3.p.q.7. memb.2. art.1.* Suarez *hic disp.8.sect.3.* Vasq. *disp.18.cap.3.* Cabrera *q.2.art.4.disp.8.* & plures ex recentioribus Thomistis, vt testatur Cipullus *loco cit.n.2. fin.* Quibus addo Ysamb. hoc loco *disp.6. art.2. ad q.2.* Mærat. *disp.13. sect.1.*

cum

cum seq. Cardinalē de Lugo *disp* 11. *sect.* 1. *n.* 2. *cum seq.* Orlandum *disp.* 4. *q.* 5. vbi testatur de communi inter recentiores. Syluium *hic q.* 2. *art.* 7.

§. I. Nostra sententia pluribus rationibus fulcitur.

132 PRima ratio desumitur ex relato D. Thomę testimonio *in argum. sed contra*, nam implicat dari actionem propriè dictam, quæ sit verum facere, & producere, sine termino producto, qui sit quoddam esse factum, & productum; sed incarnatio est vera actio, verum facere, & producere; ergo etiam dabitur verum factum, & productum. Maior nota est, nam licet actiones impropriè dictæ, quæ non sunt verum facere, non habeant ex necessitate terminum productum, vt sunt actiones vitales immanentes, quæ sūt fieri, & terminus. Tamen est de ratione actionis transeuntis, vt non sit sibi ipsi terminus, sed quod terminum producat; patet autem, quod incarnatio sit actio transiens saltem virtute. Minor probatur, nam ita colligunt Doctores ex illo Ierem. 31. *Creauit Dominus nouum super terram, fœmina circumdabit virum.* Et ex illo Ioan. 1. *Verbum caro factum est.* Quæ verba non possunt non intelligi de actione propriè dicta, quæ sit fieri termini, ac proinde quæ terminum producat.

133 Occurrit Cipullus, quod id quod per talem actionem producitur est ipse Christus, quia de ratione actionis vnitiuæ est, quod sit productiua constituti ex extremis vnitis, vt patet in generatione hominis, vbi nec anima, nec materia, nec aliqua vnio à partibus vnitis distincta producitur, sed homo constitutus ex materia, & forma. Eodem fere modo occurrit Aluarez distinguens actiones in productiuas termini, vt est calefactio, frigefactio, &c. & vnitiuas. Priores producunt semper terminum, non posteriores, vt constat in vnione animæ ad corpus, formæ ad materiam, partium aquæ ad se inuicem, quæ se ipsis immediatè vniuntur, sine alia intermedia entitate de nouo producta: in hoc autem casu cum actio non sit productiua, sed vnitiua, solum vniet, non aliquid producet.

133 Sed contra, nam dato quod inter animam, seu formam, & materiam nihil detur intermedium, quod tamen negant N. Complut. in Physica, & dato quod dentur actiones vnitiuæ, vt cum partes aquæ vniuntur, &c. tamen adhuc hæc pura vnio indistincta à partibus vnitis dari non potest in nostro casu: nam tunc solummodo nihil producetur per actionem vnitiuam extremorum inter se, quando extrema sunt eiusdem ordinis, & habent ex propria natura ordinem intrinsecum ad se inuicem, vt in allatis exemplis, in quibus vnum extremum postulat alterum sibi vniri; at quando extrema sunt diuersi ordinis, quando nulla est exigentia vt vniantur, quando solum per virtutem supernaturalem, & per potentiam obedientialem vniri possunt debet aliquid produci per quod vniantur, & copulentur, vt quæ prius longè à se inuicem erant dissita, vniantur. Tum quia licet sine aliquo superaddito, possint aliqua intelligi à se inuicem indistantia, & approximata, non tamen inter se vnita, maximè vnione substantiali, cum inter se nullum dicant ordinem intrinsecum, nullam exigentiam vnionis. Quomodo namque possunt aliqua diuersi ordinis, & nullum dicentia ordinem ad se inuicem vniri, etiamsi aliàs sint indistantia, si non petant vniri, imò potius ex sua natura petant non vniri, nisi per aliquid vniantur? Demus quod anima rationalis fiat intimè præsens materiæ cælesti, quæ, vt suppono, est diuersi ordinis à nostra, & non petit, imò renuit cum ea copulari, tunc numquam copulabuntur nisi aliquid superaddatur quo proportionentur, & vniri petant, & de facto vniantur. Præterea non ne tota Trinitas est intimè præsens omnibus rebus, & omnibus animabus rationalibus; & omnibus naturis humanis pro illo priori in quo nōdum intelligimus effluere propriam subsistentiam, & tamen non vnitur illis persona aliqua illius, vt Verbum, & non ob aliquam rationem nisi quia vltra intimam præ-

præsentiam, & indistantiam aliquid aliud poni debet per quod natura humana proportionetur, eleuetur, & vniatur, vt postea magis dicetur.

134 Occurrunt alij, quod licet natura humana secundum potentiam naturalem non posset vniri sine aliquo superaddito quo proportionaretur, cum hoc modo sit diuersi ordinis, & nō dicat ordinem intrinsecum ad Verbi personalitatem, tamen secundum potentiam obedientialem est eiusdem ordinis, ac proinde habebit habitudinem ad illam vt terminetur. Sed contra, quia potentia obedientialis non est actiua, sed passiua, ergo natura humana prius debet pati recipiendo aliquid per quod proportionetur, & fundet habitudinem ad Verbi diuini personalitatem. Tum quia natura humana per potentiam obedientialem non respicit determinatè hypostaticam vnionem, sed indifferenter quicquid Deus per suam omnipotentiam potest in ea facere. Deinde dato, quod determinatè respiceret vnionem hypostaticam, non tamen determinatè cū Verbo, sed cum aliqua ex tribus personis diuinis.

135 Nec valet dicere cum aliquibus, quod licet natura humana antecedenter ad vnionem cum personalitate esset indifferens vt posset cum quacumque ex tribus diuinis personis vniri, tamen vnione peracta, à personalitate Verbi solum dicit dependentiam, & sic per hanc dependentiam determinatur ad personam Verbi, illique soli copulatur. Sed contra, nam vel illa dependentia humanitatis à personalitate Verbi, est aliquid distinctū à personalitate, & natura, vel non: si primum, cum antea non esset, erit aliquid distinctum ab extremis. Si secundum, non poterit de nouo humanitas intelligi vnita, cum prius non esset. Præterea, vel illa dependentia dicit nudam indistantiam humanitatis à personalitate Verbi diuini, vel aliquid aliud: si hoc secundum, habemus intentum. Si primum, currit ratio nostra adducta, quod talis indistantia sit cōmunis tribus personis diuinis.

136 Secunda ratio pro nostra concl. est, nam quotiescumque aliqua duo sunt secundum se improportionata, ordinis inferioris, & non dicentia intrinsecam habitudinem ad inuicem non possunt vniri, & fieri vnum nisi proportionentur; sed personalitas Verbi diuini, & natura humana sunt huiusmodi; ergo debet dari aliquid per quod proportionentur. Maior nota est. Ideo namque in visione beata vt intellectus recipiat in se diuinam essentiā per modum speciei datur lumen gloriæ, quia intellectus est improportionatus, & sic debet proportionari per lumen gloriæ, & fieri eiusdem ordinis cum diuina essentia, & ponere in eodem intellectu exigētiam illius; sed natura humana non est minus improportionata ad recipiendam in se diuinam personalitatem, quam sit noster intellectus ad recipiendum in se diuinam essentiam per modum speciei intelligibilis; ergo sicut ad hoc vt intellectus creatus recipiat essentiam diuinam debet per lumen gloriæ proportionari, fieri eiusdem ordinis, & habere exigentiam ad illam formam; ita ad hoc vt natura humana recipiat diuinam personalitatem debet prius in se recipere aliquid per quod illi proportionetur fiat eiusdem ordinis, & habeat exigentiam diuinæ personalitatis.

137 Occurrēs 1. cum Cipullo, quod Verbum diuinum, & humanitas se ipsis vniuntur supposita libera determinatione diuinæ volūtatis. Sed contra, nam si libera determinatio diuinæ voluntatis est sufficiens ad proportionādam naturā humanā cū diuina personalitate, vt fiat eiusdē ordinis, vt habeat quandam illius exigentiam, & capacitatem; etiam intellectus creatus ex sola diuinæ voluntatis determinatione, seu decreto, per solum extrinsecum concursum poterit eleuari ad recipiendam in se diuinam essentiam per modum speciei sine lumine gloriæ: sed hoc negant Theologi cum D.Tho. 1. *p. q.* 12. vt ibidem vidimus, & impugnauimus Suarez, & alios hoc sentientes: ergo, &c.

138 Occurres 2. cum quodam moderno, in suis scriptis de hac re, esse diuersam rationem, nam in visione beata lumen gloriæ est tota virtus proxima, &

tota ratio agendi, ac proinde intellectus indiget lumine gloriæ ad videndum tanquam ratione proxima agendi. At natura humana, cum non eleuetur ad agendum, sed ad essendum, seu subsistendum, non indiget aliquo superaddito. Sed contra, nam lumen gloriæ non solum datur vt sit ratio agendi, sed etiam vt per illud intellectus disponatur vt recipiat essentiam diuinam per modum speciei impressæ, vt fiat eiusdem ordinis cum ea, vt habeat illius exigentiam, ergo ob hanc eandem rationem debet dari aliquid per quod natura humana proportionetur, fiat eiusdem ordinis, & habeat exigentiam diuinæ personalitatis. Tum quia etiam natura humana eleuatur ad producendum operationes *theandricas* idest Dei viriles, seu Dei viri, ita quod tota ratio proxima agēdi dictas operationes saltem quoad infinitatem valoris à diuina personalitate desumatur, vt supra explicuimus; ac proinde si in visione beata datur virtus superaddita, etiā in humanitate dari debet, &c.

139 Tertia ratio, nam natura non transit ab extremo in extremum, nisi transeat per medium; ergo neque id fieri conuenit in ordine gratiæ & vnionis hypostaticæ. Antecedens probatur, nam videmus, quod forma non introducitur nisi in materia disposita; neque dispositiones introducuntur primò in gradu vt octo, sed vt vnum, vt duo, &c. & non ob aliam rationem nisi quia primus gradus disponit ad secundum, iste ad tertium, &c. neque anima rationalis introducitur primò secundum gradum rationalem, sed primò secundum gradum entis, postea secundū gradum substantiæ, deinde corporis, postea viuentis, animalis, & demum rationalis, & primus gradus disponit ad introductionem secundi, &c. Conseq. probatur, nam gratia non destruit, sed perficit naturam. Quod maximè verum habet in nostro casu, vbi sunt res adeo diuersæ, distantes, improportionatæ, & inter se nullum dicentes ordinem, nullam exigentiā.

140 Quarta ratio, nam repugnat dari nouam denominationem realem, sine noua forma reali à qua proueniat; sed denomintio qua humanitas Christi D. denominatur vnita Verbo diuino est noua, & realis; ergo debet oriri à forma noua, & reali, hæc forma noua, & realis non est humanitas, nec personalitas Verbi, ergo aliquid de nouo superadditum. Maior cōstat, nam quoties omnia eodem prorsus modo se habent ac antea, noua non ponitur denominatio: est namque denominatio formalis propositio, qua aliquid denominamus de re quapiam, quod prius non enunciabamus; propositio autem dicitur vera, vel falsa, ex eo quod res est, vel non est. Minor etiam constat, nam personalitas Verbi antea non denominabatur vnita, neque humanitas in illo priori antequam vniretur, & si fuisset prius, non denominaretur vnita, ergo, &c.

141 Occurrit 1. Cipullus in solutione vltimi *n*.32. quod humanitas est, & dicitur intrinsecè vnita Verbo diuino, quia ab illo intrinsecè terminatur, & vltimò completur in genere substantiæ, absque aliquo intermedio, sicut denominatur absque alio subsistens à propria subsistentia absque alia vnione, cum se ipsa vniatur. Sed contra, nam subsistentia creata licet tribuat humanitati denominationē subsistentis, non tamen tribuit illi denominationem vniti; ergo sicuti ad tribuendam denominationem subsistentis requiritur forma tribuens esse subsistens, ita ad tribuendam denominationem nouam, & realem vniti requiretur forma vniens. Denominatio namque vniti non potest oriri à subsistentia diuina, quia hæc tribuit denominationem subsistentis, non vniti. Vnde denominatio subsistentis desumitur à subsistentia, & hæc denominatio immediatè oritur ab eadem subsistentia, quæ cum supponat humanitatem iam vnitam, debet etiam supponere aliam formam distinctam. Quocirca accidentia in Eucharistia dicuntur per diuinam potentiam per se subsistere, non vnita Deo, quia carent forma tribuente vnionem. Tum quia subsistentia creata tribuit propriæ humanitati subsistere in se, at subsistentia diuina tribuit de nouo subsistere in alio, quod esse nequit nisi cum eo vniatur.

Vi-

Videantur dicendo nu. sequenti.

142 Occurrunt 2. alij, quod ista denominatio proueniat ab extremis tali tẽpore existentibus supposita Dei voluntate, qua ab æterno voluit humanitatem subsistere in Verbo; hac enim voluntate Dei efficaci data non potest humanitas esse hoc tempore, quin denominetur vnita Verbo. Sed contra, nam vel Deus vult humanitatem tantum esse per se, vel vult humanitatem esse vnitam Verbo. Non primum, quia ex vi volitionis, & decreti efficacis, quo Deus vult humanitatem tantum esse per se, non sequitur, quod sit vnita Verbo. Si secundum, habemus intentum, nam cum actus Dei ad extra non sint puræ affectionis, sed effectionis, oportet, quod aliquid efficiant: illud decretum non efficit humanitatem, quia vt supra probauimus actio assumptiua supponit actionem productiuam humanitatis: neque efficit subsistentiam diuinam indistantem humanitati, quia hæc est indistans rebus omnibus; ergo debet efficere vnionem, ac proinde, vnio erit aliquid distinctum à partibus, seu extremis, illa coniungens, & copulans, cum sit aliquid correspondens decreto distincto, à decreto productiuo humanitatis indistantis.

143 Occurrunt 3. alij apud P. Orlandum hoc loco, quod hęc denominatio proueniat ab humanitate carẽte propria subsistentia, eo namque ipsò quod caret propria subsistentia, & non possit nisi à subsistentia diuina terminari, eo ipso quod caret propria, denominatur vnita diuinæ. Sed contra; nam potest esse talis negatio, & quod humanitas non sit terminata subsistentia Filij, sed possit esse terminata subsistentia Patris, vel Spiritus S. ergo adhuc aliquid aliud addendum est, vltra negationem propriæ subsistentiæ, ad hoc vt denominetur humanitas vnita determinatè subsistentia Filij.

§. II. Impugnatur modus nouus defendendi contrariam sententiam, quorundam modernorum.

144 Aliqui moderni vt defendant, quod in vnione hypostatica nihil de nouo producatur ab extremis distinctum, dicunt quod vnio hypostatica qua humanitas Christi D. vnitur personæ Verbi diuini, nihil aliud sit quàm ipsa differentia numerica humanitatis per quam indiuiduatur, per quam differentiam dicta humanitas sic indiuiduata, determinatur ad subsistendum per subsistentiam Verbi diuini, nec minus ad hoc determinatur, quam determinaretur per vnionem hypostaticam ab extremis distinctam, si semel daretur.

145 Iste modus dicendi licet suis auctoribus videretur plausibilis cum primò comparuit in quibusdam assertionibus, tamen viris doctis omnino displicuit, qui vel prohibebitur, vel cum suis auctoribus sepelietur, vt amplius non videat ortum surgentis auroræ. Iste ergo modus sic impugnatur. Primò, quia ex eo sequeretur, quod humanitas Christi D. non potuerit etiam per absolutam Dei potentiam poni in rerum natura, quin hypostaticè Verbo diuino vniretur; hoc est falsum, & contra sensum omnium Theologorum; ergo, &c. Sequela probatur, nam implicat, quod Christi D. humanitas detur in rerum natura sine sua differentia numerica, & indiuiduali; ergo si semel hæc est determinata ad subsistendum in persona Verbi diuini; humanitas non potuit poni sine hac vnione.

146 Impugnatur 2. nam ex illo modo dicendi sequitur quod Christi D. humanitas iam à Verbo diuino assumpta, dimitti non possit de potentia Dei absoluta, nisi esse desinat; hoc etiam est falsum, & contra sensum omnium Theologorum; ergo, &c. Sequela ostenditur, nam ad hoc vt Verbum diuinum dimitteret dictam humanitatem, oporteret vt desineret illius differentia numerica, qua intrinsecè, & essentialiter est determinata ad subsisten-

dum in Verbo; sed desinente numerica differentia humanitatis, desineret ipsa humanitas; ergo, &c.

147 Tertiò sequeretur, quod propria, & connaturalis alicuius creaturæ subsistētia, esset ipsa subsistentia Verbi diuini, hoc est falsum, ergo, &c. Sequela probatur, nam illud est proprium, & connaturale alicui, quod reposcit ex suis intrinsecis principijs, ex propria, & indiuidua differentia; ergo si natura humana per propriā & indiuidualem differentiam reposcit vniri subsistentiæ diuinæ, iam subsistentia diuina esset connaturalis alicui creaturæ.

148 Quartò sequeretur, quod natura humana Christi non careret propria subsistentia, sed diuina esset sibi propria: nam illa est propria subsistentia humanitatis, quam eadem humanitas ex sua propria, & indiuiduali differentia exigit, & reposcit; sed Christi humanitas ex sua propria, & indiuiduali differentia reposcit & exigit subsistentiam Verbi; ergo hæc erit illius propria, ac subinde non carebit propria subsistentia, sed eam habebit, contra Concilia, & Patres.

149 Quintò sequeretur, quod Christi D. humanitas non potuisset assumi à Patre, vel Spiritu S. hoc est falsum; ergo, &c. Sequela probatur, nam dicta humanitas erat determinata ad subsistendum subsistentia Verbi per suam indiuidualem differentiam; ergo non poterat assumi à Patre, vel Spiritu S. Deinde sequeretur, quod aliquæ naturæ non essent assumptibiles, illæ scilicet quæ ex proprijs differentijs non essent ad hoc determinatæ, quod si dicant omnes esse determinatas ad hoc ex proprijs differentijs, tunc magis vrget difficultas, quod scilicet manerent in statu violento, cum omnes ex proprijs differentijs indiuidualibus petant assumi, & iste appetitus non satiatur. Præterea sequeretur, quod illæ omnes creaturæ, quę ex propria, & indiuiduali differentia peterent assumi à personalitate diuina, essent impeccabiles, cum non stet peccabilitas, cum exigentia diuinæ personalitatis. Demum sequeretur, quod incarnatio non esset alia ab actione productiua humanitatis, cum enim humanitas producatur cum differentia indiuiduali exigente incarnationem, seu assumptionem à Verbo, sequitur quod eo ipso, quod producitur cum ista exigentia, absque alia actione vniri debeat, seu assumi.

§. III. *Quid sit illud, quod vnio hypostatica superaddit extremis per eam vnitis.*

150 Variæ sunt de hac re sententiæ. Prima est, quod Christi D. humanitas vniatur Verbo diuino hypostaticè per illam eādem actionem per quam producitur, ita quod illa eadem actio, quæ est humanitatis productio, sit eiusdem formalis vnitio, seu vnio cum Verbo, eo modo quo aliqui Philosophorum dicunt, quod eadem actio, quæ est eductio formę, seu productio, sit eius cum materia vnio. Et sic secundum hanc sententiam, illud reale, quod superaddit vnio supra extrema, sit actio vnitiua, seu vnitio, & simul vnio. Sed hanc sententiam iam reiecimus dub. 6. à n. 110. vt enim docet S.D. *in 3. dist. 5. q. 3. art. 1. ad 2. & hic q. 4. art. 2.* id quod assumitur præsupponitur assumptioni. Sic enim ait. *Illud quod assumitur oportere præintelligi assumptioni, sicut quod localiter mouetur, præintelligitur motui.* Tum quia actio transiens identificatur cum suo termino, est enim fieri termini, sed assumptio non identificatur cum humanitate, aliàs omnis humanitas esset assumpta: neque identificatur cum humanitate subsistente, seu cum hoc composito quod est Christus; ergo debet dari aliquid aliud cum quo identificetur, quod aliud esse nequit nisi vnio.

151 Secunda sententia est, quod hoc superadditum sit qualitas supernaturalis, sic Gabriel *in 1. dist. 30. q. 4. art. 2. & in 3. dist. 1. q. 1. art. 1.* & alij. Sed hæc sententia communiter impugnatur, nam ex ea sequeretur, quod vnio Verbi diuini cum humanitate esset accidentalis, vt volebat Nestorius, quoties namque aliquid vnitur alicui medio aliquo accidente, vnitur accidentaliter, nam vnio etiam specificatur à suo

à suo formali termino. Vnde videmus, quod omnes vniones quæ fiunt medio aliquo nexu accidentali, sunt accidentales. Tum quia formalis terminus huius vnionis debet esse aliquid habens incompossibilitatem cum propria subsistentia humanitatis; sed nulla qualitas supernaturalis hanc habet incompossibilitatem; ergo, &c. Tum etiam quia ista vnio debet esse aliquid, quod disponat humanitatem ad esse personale Verbi diuini, nulla autem qualitas potest assignari quod sic humanitatem disponat: ergo, &c.

152 Tertia sententia est, quod sit relatio prędicamentalis. Hanc tenent Scotus, & eius discipuli *in 3. dist. 1. q. 1.* & tribuitur D. Thomæ *hic art. 7. & 8.* Cœterum nec ista sententia placet, nam vt docent Philosophi post Arist. in Phis. ad relationē non datur per se motus, seu actiones non terminantur per se ad relationē, cum relatio effluat ex positione fundamenti, & termini, ergo, &c.

153 Respondent Scotistæ ex Scoto, duo esse genera relationum. Vnum earum, quæ posito fundamento, & termino effluunt, vt est similitudo inter duos parietes, &c. & has vocant relationes intrinsecus aduenientes, & ad has non datur per se motus. Aliud earū, quæ posito fundamento, & termino nō effluunt, vt posito agente, & patiente non statim relatio resultat, cum possit actio agentis impediri, & has vocant relationes extrinsecus aduenientes, & ad has datur per se motus. Sed contra, nam omnis relatio etiam extrinsecus adueniens debet poni in aliquo ex 6. vltimis prædicamentis etiam per Scotum; sed vnio hypostatica non ponitur: Tum quia nullus accidens potest esse de conceptu substantiæ, seu complet substantiam in sua linea, vt facit vnio hypostatica, ergo vnio hypostatica non potest esse relatio. Tum etiam quia relatio non datur nisi posita sua ratione fundandi, sed hæc in nostro casu non est aliud quàm vnio, ergo, &c.

154 Nec D. Thomas tenuit illam sententiam, nam licet admittat relationem quæ sit realiter in humanitate, & in Deo secundum rationem eo modo quo relatio creaturæ ad Creatorem, est realiter in creatura, & secundum rationem est in Creatore; tamen ista relatio, vt aduertit Caiet. *hic q. 2. art. 8.* & ex eo Cipullus dicto *art. 8. dub. 2. n. 1.* non causat coniunctionem humanitatis ad personam Verbi, sed illam supponit, vt sit fundamentum talis relationis, quod ratio D. Tho. in d. *art. 8.* conuincit, cum dicit, quod ratione huius coniunctionis natura humana Christi in se mutatur, quod nisi in se aliquid recipiat, non habet verum.

155 Quarta sententia est, quod hoc superadditum sit modus accidentalis, quā quidam modernus impressit anno præterito in suis conclusionis, quod explicabat exemplo materiæ, & formæ, quæ solo nexu, seu modo accidentali vniuntur, & tamen illa vnio est substantialis. Cœterum nec sentētia, nec exemplum eius habēt veritatem: non sententia, quia nullum accidens potest esse de interno conceptu substantiæ, sed Christus D. est prima substantia, ac proinde de interno, & essentiali eius conceptu est vnio inter naturam humanam, & personam Verbi. Tum quia quoties duæ naturæ vniuntur solum nexu accidentali, non possunt prædicari *in quid* ad inuicem in concreto, vt est vestis quādo prædicatur. Sed in Christo natura diuina, & humana in concreto prædicantur *in quid*, vt supra vidimus, & docent Concilia, & Patres, ergo non possunt vniri vnione accidentali. Neque exemplum placet, nam si materia, & forma solo nexu accidentali vnirentur non facerent vnum per se; ergo, &c. Exemplū habemus in omnibus quæ accidentaliter vniuntur.

156 Communis, & vera sententia est, quod hoc superadditum, sit modus quidam substantialis. Ratio est, nam quid quid est de intrinseco, & essentiali conceptu alicuius substantiæ, vel est substantia, vel modus substantialis, cum nec accidens, nec modus accidentalis possint esse de conceptu substantiæ, vt ex dictis constat, sed vnio humanæ naturæ ad substantiam Verbi diuini, est de conceptu intrinseco, & substantiali Christi D. vt est pri-

prima substantia; seu suppositum in diuina, humanaque natura subsistens; ergo aut est substantia, aut modus substantialis; non est substantia, cum vnio qua substantiæ vniuntur non sit substantia, cum non ordinetur ad componendam vnam substantiam, ergo modus. Tum quia quod aduenit substantiæ completæ non potest esse substantia, sed modus, vt patet.

157 Ex dictis infertur 1. quod licet ipsa vnio non sit relatio prædicamentalis, est tamen relatio transcendentalis, quæ dicit primò essentialem respectum ad humanitatem tanquam ad terminum quem vnit cum persona diuina, & tanquam ad subiectum quod modificat, disponit, & eleuat vt sit capax terminationis personæ Verbi. Secundò dicit respectum essentialem ad Verbum tanquam ad terminum quem vnit, & connectit cum eadem humanitate, quem respectum non dicit ad Patrem, & Spiritum S. vt tamen dicit rationem effectus, dicit respectum ad totam Trinitatem, sicut & quælibet res creata. Et hoc voluit S. Doctor, Scotus, Ochamus, Durandus, & alij, dum vnionem hypostaticam vocant relationem, non enim loquuntur de relatione prædicamentali, sed transcendentali, quæ est fundamentum relationis prædicamentalis, de quo diximus supra.

158 Infertur 2. rectè docere D. Thomam dum *art.6.* dicit, quod Christi humanitas non fuit vnita Verbo accidentaliter, sed modo substantiali, seu relatione transcendentali. Illa namque natura non vnitur accidentaliter, quæ tali vnione vnitur ex qua resultat vna substantia per se, vna persona, vnumuè suppositum. Infertur 3. rectè etiam docere S. Doctorem *art.* 7. quod vnio hypostatica sit ens creatum, cum sit terminus immediatus actionis assumptiuæ, vt enim dubio seq. dicemus terminus immediatus *quo* productus, est modus substantialis iam dictus, qui creatus est, & à persona, & ab humanitate distinctus.

159 Infertur 4. rectè dicere S. Doctorem *art.*8. quod non sint idem vnio Verbi incarnati, & assumptio, nam vnio est modus quidam substantialis, est quædam actio duplicem habens habitudinem: vnã ad principium effectiuum à quo egreditur, scilicet ad totam Sanctissimam Trinitatẽ. Aliam ad naturam, quæ assumitur media vnione in eadem natura recepta, per quã subsistentiæ Verbi non alteri personæ copulatur.

§. IV. Soluuntur argum. in contrarium.

160 PRimum argum. est, nam subsistentia creata se ipsa vnitur humanitati; ergo etiam subsistentia Verbi. Antecedens docent communiter Philosophi in Physica. Consequ. probatur, quia subsistentia Verbi supplet subsistentiam creatam; ergo si ista se ipsa vnitur, & illa. Tum quia non est inferioris conditionis, nec virtutis subsistentia diuina, nec plus ista eget, quam creata; ergo si ista non eget nexu superaddito, neque illa egebit. Resp. concedendo antecedens, & negando conseq. Ratio discriminis est, quia subsistentia creata est modus substãtialis humanitatis, de ratione autẽ modi est, quod se ipso afficiat, & non medio alio modo, aliàs daretur processus in infinitum; tum quia, quod est tale per se, non debet fieri tale per aliud, & sic cum subsistentia creata sit modus, erit talis per se, & sic per se afficiet naturam. At subsistentia diuina, non est modus humanitatis, nec illi adhæret, nec in illa subiectatur, nec ab illa dependet.

161 Secundum argum. quia si daretur iste modus intermedius vniens humanitatem diuini Verbi personalitati, personalitas diuini Verbi non vniretur immediatè humanitati, & sic eam non terminaret immediatè, sed mediante illo modo; hoc non videtur dicẽdum; ergo, &c. Resp. distinguendo maiorem: non vniretur immediatè humanitati *vt quo*, conceditur; vt *quod* negatur: id enim quod se habet vt *quo*, non tollit immediationem: tolleretur immediatio si aliquid mediaret vt *quod*, seu quod se haberet vt *quod*, vt si mediaret aliqua forma, siue substantialis, siue accidentalis, vt si mediaret qualitas in-

sen-

sententia Gabrielis supra relati. Vnde forma substantialis immediatè informat materiam; quia vnio solum mediat vt *quo*.

162 Tertium argum. si daretur iste modus intermedius, Verbum diuinum non terminaret intrinsecè humanitatem; hoc est falsum; ergo, &c. Maior probatur, nam subsistentia Verbi est intrinseca Verbo, non humanitati, cum non recipiatur in ea, nec eam immediatè tangat, sed medio isto modo; ergo, &c. Respondent aliqui quod reuera subsistentia Verbi non terminet intrinsecè humanitatem, non ratione vnionis intermediæ, sed quia subsistentia Verbi est re ipsa extrinseca humanitati, cum nec sit idem re ipsa cum illa, nec eam informet, nec in ea tanquam in subiecto recipiatur. Nihilominus melius resp. quod subsistentia Verbi terminet intrinsecè, licet non informet intrinsecè. Aliud namque est terminare intrinsecè, & aliud informare intrinsecè: ad informandum intrinsecè, requiritur, quod comparetur ad illam tanquam forma informans, vel ad illam comparetur, & recipiatur tanquam in subiecto, vt constat in formis substantialibus, quæ in materia prima recipiuntur tanquam in primo subiecto. Cæterum ad terminandum intrinsecè, sufficit quod media vnione subsistentia diuina nectatur cum humanitate, eam faciente subsistere in se, eam complendo, & tribuendo sine informatione, quod tribueret subsistentia creata. Tum quia cum Verbi diuini personalitas cum natura humana faciant vnum suppositum, vnam personam, non potest non Verbi personalitas intrinsecè vniri per modum termini humanitati, quam intrinsecam vnionem, & immediatam non tollit modus dictus vnionis, cum mediet solum vt *quo*. Tum etiam quia cum iste modus sit essentialiter vnio, debet essentialiter duo extrema intrinsecè, & essentialiter nectere, & sic media ista vnione personalitas Verbi intrinsecè nectetur humanitati.

163 Quartum argum. Si subsistentia Verbi non vniretur immediatè humanitati, absque isto modo, humanitas non careret subsistentia creata, sed illam haberet; hoc est falsum; ergo, &c. Minor nota est, essent namque in Christo duæ personæ ex duabus naturis, & subsistentijs coalescentes. Maior probatur, quia tunc nihil esset in humanitate, quod esset incompossibile cum propria subsistentia: nõ esset vnio hypostatica, quia cum ista non sit formaliter subsistentia, non habet cum subsistentia formalem incompossibilitatem. Neque esset subsistentia Verbi, quia cum ista non recipiatur intrinsecè, & immediatè in humanitate, non potest ab ea excludere propriam subsistentiam. Resp. negando maiorem. Ad probationem dico, quod propria subsistentia excluditur ab humanitate Christi tum per vnionem hypostaticam, tum per ipsam Verbi diuini subsistentiam: ab vnione excluditur vt *quo*, à subsistentia, vt *quod*. Ab vnione, quia de eius ratione est, quod sit duorum vnio, scilicet quod vniat naturam humanam cũ subsistentia Verbi, & hoc stare non posset si adesset propria subsistentia, & quia ista redderet naturam incommunicabilem alteri supposito, sequitur implicare, quod ponatur in humanitate ista vnio, per quam alteri supposito communicetur, & adsit propria subsistentia. A subsistentia diuina, quia per hanc redditur natura intrinsecè subsistens, & incommunicabilis, ac proinde debet hæc excludere propriam.

164 Quintum argum. Nihil creatum potest habere vim vniendi Deum creaturæ, aut creaturam Deo; sed si daretur iste modus haberet vim vniendi Deum creaturæ, & è contra; ergo, &c. Minor nota est. Maior probatur, nam si iste modus creatus haberet vim vniendi Deum creaturæ, & è contra, vel hoc haberet necessariò, vel liberè: ex sua natura, aut per communicationem à Deo: non liberè, quia hoc habet iste modus ex se, suaque natura. Non necessariò, quia Deus non potest necessariò ad extra alteri vniri. Resp. negando maiorem. Ad probationem dico, quod iste modus necessariò ex suppositione, quod est, vnit Deum creaturæ, & è contra. Potest quidem Deus istum modum non producere, sed ex suppositione quod est productus non potest impedire

dire

dire quin vniat, hæc enim est eius essentia, & natura.

165 Sextum argum. nam vel iste modus substantialis, est quid corporeum vel spirituale, aut partim corporeum, & partim spirituale. Non est quid corporeũ, quia non posset recipi, nec vnire animam rationalem Verbo, cum vtrumque sit spirituale. Neque potest esse quid spirituale, quia non posset vnire Verbo corpus. Neque potest esse partim corporeus, & partim spiritualis, quia non esset quid simplex; tum quia implicat, quod vna, eademque res simplex, sit spiritualis, & corporalis. Resp.1. istum modum esse corporeum, cum enim subiectetur immediatè in natura humana, quæ immediatè assumitur à subsistentia Verbi diuini, debet esse corporeus; nulla namque res spiritualis potest immediatè subiectari in subiecto corporeo. Nec est alienum à veritate quod res corporea nectat rem corpoream vt est humanitas Christi cum re spirituali vt est Verbi diuini subsistentia; nam si in sententia opposita res corporea, scilicet humanitas, immediatè vnitur diuinæ personalitati vt *quod*, non mirum quod iste modus vniatur cum illa vt *quo*, & vniat eandem humanitatem vt *quod*.

166 Resp.2. istum modum esse spiritualem, & subiectari immediatè in anima, & postea afficere media anima totam naturam humanam, eamque disponere, & eleuare, vt à Verbo diuino assumatur, eãque illi nectit, & vnit. Ratio est, quia iste modus habet incompossibilitatẽ, cum propria subsistentia, ac proinde cum ista sit spiritualis, & subiectetur immediatè in anima, & deinde descendat ad complendam naturam, sequitur, quod vnio ista, seu modus eodem modo se habere debet. Et licet subiectetur in anima, non tamen prius assumitur anima, sed natura. Sicut licet propria subsistentia in anima subiectetur, non tamen immediatè assumitur anima, sed immediatè natura.

167 Resp.3. cum Ysambert. *hic q.2. disp.6. art.8. ad quintum*, quod dentur duo modi: vnus spiritualis, & iste immediatè subiectatur in anima, quam eleuat, vt vniat cum Verbi diuini personalitate. Alter corporeus, qui in humanitate subiectatur, eamque eleuat, & vnit cum eadem Verbi diuini personalitate. Nam in triduo mortis Christi fuit dissoluta humanitas per separationem animæ à corpore: & tamen non fuit dissoluta vnio diuinæ personalitatis ab anima, neque à corpore, quia per modum existentem in anima, fuit cum ea continuata vnio, & per modum existentem in humanitate, qui continuauit in corpore, subiectabatur. & subiectatur in humanitate ratione materiæ, & sic in eadem materia perdurauit in triduo? Isti autem duo modi licet ad inuicem possint separari, vt de facto in triduo fuerunt separati, tamen quando sunt simul, se ipsis vniuntur, & non medio alio modo. Quod si sequi velis, sequi primam, & secundam responsionem oportebit dicere, quod in triduo fuerint producti duo modi secundum hanc tertiam responsionem, & quod prius, & postea fuerint tantum vnus, vel corporalis, vel spiritualis.

168 Septimum argum. Modus iste vnionis non est necessarius ad hoc, quod humanitas sit vnita Verbo, neque ad hoc quod de nouo noua detur denominatio, neque ad hoc quod nouæ actionis nouus detur terminus; ergo ex omnibus capitibus superfluit. Antecedens probatur quoad singulas partes. Et quoad primam partem quidem, quia secluso omni alio, eo ipso quod intelligimus subsistentiã Verbi applicatam humanitati, & humanitatem in Verbo subsistentem, & completam incommunicabiliter, intelligimus dictam naturam Verbo diuino vnitam; ergo, &c. Secunda pars ostenditur, nam ad hoc vt noua detur denominatio sufficit quod natura humana de nouo, & noua subsistentia terminetur, scilicet diuina; ergo, &c. Tertia pars ostenditur, nam sine nouo illo modo per incarnationem nouus terminus producitur, scilicet nouum compositum, quod est Christus Dominus.

169 Resp. negando antecedens quoad omnes partes. Ad probationem primæ partis dico, non posse intelligi Verbi subsistentiam applicari naturæ humanæ, & hu-

& humanam naturam in Verbo subsistẽtem absque realitate superaddita qua vniantur, implicat namque quod detur actio vnitiua, sine aliquo de nouo producto inter partes vnitas, taliter vt faciant vnum substantiale, vnum suppositum, vnam personam, vnam primam substantiam. Cum enim nec Verbum, nec natura producantur, cum natura præintelligatur assumptioni, debet necessariò dari aliquid per quod vniantur, aliàs manerent sicut prius. Ad 2. partem dico, quod cum noua ista denominatio non possit sumi à partibus, cum iam præintelligantur, debet aliud de nouo poni à quo sumatur. Ad 3. dico, quod cum compositum per aduersarios nihil addat supra extrema componentia realiter ab illis distinctum, non potest compositum dici nouus terminus. Tum quia actio alicuius productiua, non terminatur ad totum compositum, nisi quia per illam aliquid producitur, quo compositum fiat, vt patet discurrenti per omnia composita tum substantialia, tum accidentalia.

170 Octauum argum. nam si daretur iste modus vniens verè, & propriè Verbum diuinum cum humanitate; verè, & propriè tangeret Verbum, ac proinde aliquid poneret in Verbo quod prius non erat, scilicet contactum verum, & physicum. Resp. quod iste modus verè, & propriè tangit verbum terminatiuè, non subiectiuè, cum Verbum in se non recipiat vnionem, licet intrinsecè vniatur. Nec valet dicere, quod cum iste modus vnionis in sola humanitate recipiatur, Verbũ non vnietur intrinsecè humanitati, nam vnio intrinsecè existens in humanitate, solum extrinsecè attinget Verbum, tanquã terminum extrinsecum. Resp. quod licet vnio in sola humanitate recipiatur, attingit tamen Verbum vt terminum, non extrinsecum, sed intrinsecum, cum humanitas media vnione intrinsecè Verbo vt termino copuletur. Quocirca licet humanitas sit vnita Verbo vt subiectũ vnionis, & Verbum non vt subiectum, sed vt purus terminus, adhuc tamen Verbum intrinsecè vnitur humanitati. Nam vnio humanitatis duobus modis vnitur, & vt subiecto, seu materiæ ex qua fit vnio, & vt extremo, seu termino quem cum alio extremo vnit, non enim est necesse quod omne extremum sit vnionis subiectum, sed sufficit quod sit vnum.

DVBIVM IX.

Quid sit terminus formalis vnionis.

171 QVoadmodum in generatione substantiali, secundum quod est quædam mutatio datur terminus à *quo* & *ad quem*, qui terminus ad quem alius est *quo*, & alius *qui*, deinde terminus à *quo* alius est partialis, & est forma, & alius totalis, & est natura v.g. humanitas. Deinde terminus *qui* proximus, est suppositum, & terminus qui vltimatus est compositum ex supposito, & existentia. Ita pariformiter in incarnatione debet dari suus terminus à *quo*, debet dari suus terminus ad quem *quo*, & *qui* tum proximus, tum vltimatus.

172 Incipiendo à termino à *quo* incarnationis, non vt quædam actio est, sed vt quædam mutatio; vt enim actio est nullum dicit terminum à *quo*, bene tamen vt mutatio quædam est, quatenus natura humana videtur transire ab eo à quo assumitur, ad id ad quod assumitur; assumptio namque est ab alio ad se sumptio, ac proinde vt quædam mutatio est, debet esse inter terminum à *quo*, & terminum ad *quem*. De termino ergo à *quo* huius mutationis, aut quasi mutationis sequentes inuenio sententias.

173 Prima sent. est, quod terminus à quo incarnationis, seu assumptionis sit natura humana. Sic Caiet. hoc loco, & alij Thomistæ. Secunda sententia est, sit negatio hominis in supposito diuino. Cum enim terminus ad *quem*, sit humanitas in Verbo, seu à Verbo assumpta, terminus à *quo* erit negatio huius. Hanc tenet Vasq. *disp.* 19. *cap.* 3. Ab hac sententia parum distat Nazar. *hic controu.* 6. quatenus vult, quod terminus à *quo* assumptionis sit negatio, seu carentia personalitatis

Verbi Dei in natura humana. Tertia sententia est Patris Suarez, *disp.* 8. *sect.* 3. & aliorum, quod terminus à *quo* assumptionis sit negatio modi vnionis; cum enim natura humana assumatur ad vnionem Verbi diuini, terminus ad *quem* erit esse vnitum, seu erit humanitatem esse vnitam, & terminus à *quo* erit negatio huius vnionis, & sic per incarnationem transibit humanitas à non esse vnitam, ad esse vnitam Verbo diuino. Quarta sententia est, quod terminus à *quo* sit propria personalitas, nō in se, sed vt debita, secundum naturæ conditionem, & terminus ad *quem* erit personalitas Verbi indebita secundum eiusdem naturæ conditionem, & misericorditer concessam.

174 De termino ad *quem* etiam sequentes sententias inuenio. Prima est, quod terminus ad *quem* est qualitas supernaturalis, quam Gabriel *in* 3. *dist.* 1. *q.*1.*art.*1. vocat gratiam vnionis. Secunda sententia est, quod sit natura humana à Verbo diuino suppositata. Sic Vasq. præcedenti *n.cit.* Tertia est, quod sit personalitas Verbi diuini, in quo humana natura subsistit. Sic Cipullus *in* 3.*dist.*5.*q.*1.*art.*3. Caiet.*hic art.*8. Aluarez, Nazar. & alij. Quarta est, quod sit modus vnionis. Sic Suarez loc.cit.n.præced.& alij.

175 Dico 1. si incarnatio consideretur vt est vnio humanitatis ad subsistentiam Verbi diuini, tunc terminus à *quo* huius mutationis, seu vnionis, aut vnitionis erit non esse vnitum, & terminus ad *quem* erit esse vnitum. Antequam namque intelligamus humanitatem assumi ad vnionem cum Verbo diuino, prius eam intelligimus non vnitam, postea vnitam, & sic intelligimus transire à non esse vnitam, ad esse vnitam.

176 Dico 2. si incarnatio, seu assumptio naturæ humanæ ad personalitatem Verbi diuini consideretur vt incarnatio, tunc terminus à *quo* huius mutationis erit non esse humanitatis in Verbo, & terminus ad *quem*, erit esse eiusdem humanitatis in Verbo, prius enim concipimus humanitatem non subsistere in Verbo, postea subsistere.

177 Dico 3. si incarnatio consideretur vt est communicatio, tunc terminus à quo erit carentia personalitatis vt terminantis humanitatem, seu erit personalitas Verbi vt non communicata humanitati, & terminus ad quem erit eadem personalitas vt humanitati communicata.

178 Dico 4. terminus *qui* totalis, & immediatè inspecti per incarnationem est Christus vt ex vtraque natura compositus, diuina scilicet, & humana. Seu terminus *qui* est suppositum ex duabus, & in duabus naturis. Sicut enim in generatione humana terminus *qui* est suppositum coalescens ex natura totali, & subsistentia; ita in hac generatione temporali, qua Filius Dei factus est Filius hominis, erit suppositum, &c.

179 Sed obijcies 1. nam actio adæquatè identificatur cum suo termino ad *quem* totali, & adæquato; sed incarnatio vt actio non identificatur adæquatè cum Christo, seu cum persona composita ex natura diuina, & humana; ergo, &c. Maior communiter admittitur à Philosophis. Minor probatur, nam incarnatio vt actio nullo modo identificatur cum personalitate Verbi diuini, cum actio sic assumptiua sit creata, & illa subsistentia increata. Resp. quidquid sit de maiori, nam licet eam admittam in actionibus de genere qualitatis, quæ sunt fieri, & terminus, cum non petant producere terminum à se distinctum, non tamen in actionibus de prædicamento actionis, quæ producunt terminum realiter à se distinctum, licet identificentur cum passione, & motu. Distinguo minorem. Actio transiens adæquatè identificatur cum termino, transeat minor; quando est immanens, & solum virtualiter transiens, negatur: actio namque immanens, & solum virtualiter transiens cum subiectetur in agente non potest identificari cum termino producto.

180 Obijcies 2. nam terminus ad quē totalis, & adæquatus assumptionis, debet esse quid creatum; sed Christus D. non est quid creatum; ergo Christus D. non est terminus adæquatus incarnationis, seu assumptionis. Minor nota est; nam esse Chri-

Christi est esse diuinum; creatio autem ad esse terminatur, quod in Christo est increatum, vt infra dicemus. Maior probatur, nam terminus adæquatus assumptionis est aliquid in tempore positum; ergo, &c. Resp. negando maiorem; esse namque creatum, est esse factum ex nihilo, quod non conuenit termino adæquato *qui* assumptionis, sed soli animæ rationali Christi. Ad probationem concedimus terminum creationis esse aliquid de nouo positum, vt est quoddam notũ compositum modo supra explicato, non tamen absolutè quid creatum est, vt ex se liquet.

DVBIVM X.

An vnio hypostatica sit maxima omnium vnionum.

181 NOtandum 1. quod vt supra vidimus, in Christo D. duę sunt vniones: vna immediata quæ est inter naturam humanam, & Verbi diuini personalitatem, & alia mediata inter naturam diuinam, & humanam media eiusdẽ Verbi diuini personalitate. Dum enim natura humana vnitur personalitati, vnitur etiã mediatè naturæ diuinæ, quæ cum eadem personalitate identificatur. Notandũ 2. quod tribus modis aliqua vnio potest dici maxima. Vno modo ratione identitatis extremorum, quæ licet aliàs essent maximè diuersa, tamen per vnionem fiunt maximè vnum, & idem. Secundo modo ratione indissolubilitatis, quatenus per vnionem fiunt indissolubilia. Tertio modo ratione dignitatis, quando scilicet vnio affert saltem alteri extremorum maximam dignitatem, & bonum grande. Notandum præterea, quod adhuc duobus modis aliqua vnio potest dici maxima ratione identitatis extremorum. Primò quatenus extrema taliter in se permiscentur, vt sint vnum. Secundò, quatenus ad aliquod tertium tendunt in quo sunt maximè vnũ seu quatenus tendunt, ad maximam vnitatem. Demum notandum, quod etiam vnio duobus modis accipi potest. Propriè, vt dicit coniunctionem extremorum à se inuicem distinctorum. Deinde impropriè, vt dicit coniunctionem extremorum non realiter, sed tantum modaliter distinctorum. His positis.

182 Prima sententia est, quod vnio hypostatica absolutè non sit maxima vnionum. Hanc defendit Durandus *in 3. dist. 5. q. 3.* & alij. Secunda sententia tenet, quod vnio hypostatica absolutè sit maxima vnionum. Sic defẽdunt Suarez *hic disp. 9. sect. 1.* & plures recentiores, secuti Paludanum *in 3. distinct. 5. q. 3. art. 3.* Marsil. *in 3. dist. 9. art. 1.* Alens. *p. 3. q. 7. membr. 2. art. 2.* Altisiod. *3. p. q. 3. art. 7.* aliosque.

183 Nostra sent. tribus concl. explicatur. Prima concl. *Vnio Verbi diuini cum humanitate est maxima omnium vnionum, ratione dignitatis, & excellentiæ.* Hanc concl. tradit S. Doctor *hic art. 10. ad 1. & art. 11. in corpore*, quem sequuntur eius discipuli, & interpretes, licet oppositum doceant Durand. *in 3. q. 5.* Richard. & Gabr. ibid. existimantes vnionem creaturæ cum Deo in visione beatifica, & vnionem per gratiam esse maiorem.

184 Probatur concl. 1. nam illa est maxima vnionum secundum dignitatem, in qua maxima dignitas communicatur vni parti extremorum capaci dignitatis, & excellentiæ; sed in vnione hypostatica tanta dignitas, & excellentia communicatur humanitati, vt maior communicari non possit; ergo, &c. Maior nota est, & concedunt aduersarij. Minorem docet Ecclesiæ lumen S.P. Aug. *lib. de prædest. Sanctor. cap. 15.* vbi loquens de natura humana Christi D. dicit, quod Deus eam ad tantam dignitatem euexit. *Vt quo altius attolleretur non haberet.* Et tract. 2. in Ioan. explicans illud. *Verbum caro factum est*, dicit. *Hoc esse maiorem gratiam, quàm homines fieri filios Dei.*

185 Probatur 2. nam illa vnio est omnium maxima, in qua donum omnium maximum conceditur; sed in vnione hypostatica conceditur donum omnium maximum; ergo vnio hypostatica est vnio omnium maxima. Minorem probo; nam illud est maius donum quo homo pertingit ad vnionem substantialem, & perso-

nalem cum Deo, at vnio beatificę visionis,& vnio per gratiam, sunt vniones accidentales,& vnio hypostatica est substãtialis, & personalis, vt homo sit Deus; ergo, &c. Tum quia in hac sola vnione homo sit filius Dei naturalis, & in alijs fit solum filius adoptiuus; ergo, &c. Tum etiam quia in hac vnione humanitas fit infinitæ dignitatis,& sanctitatis, quatenus eius operationes sunt infinitè meritoriæ, & infinitè satisfactoriæ quam dignitatem non potest habere purus homo quantalibet gratia, & gloria præditus. Demum quia ob vnionem hypostaticam humanitati debetur cultus latriæ,& ratione eiusdem vnionis eadem humanitas habet ius ad gloriam, vt infra videbimus.

186 Obijcies 1. nam illa est vnio omnium perfectissima in qua bonum omniũ perfectissimum conceditur: sed in visione beata conceditur bonum omnium perfectissimum: ergo,&c. Minor probatur, quia in visione beatifica datur diuina essentia quæ est bonum perfectissimum, at personalitas cum sit relatio, formalissimè nullam dicit perfectionem, vt vidimus de Trinitate, & tradunt communiter Thomistæ, & cœteri Theologi. Tum quia diuina essentia ponitur in intellectu beati per modum formę intelligibilis; at personalitas in humanitate, & respectu illius exercet puram rationem termini. Est autẽ perfectius habere rem diuinam per modũ formę perficientis,& concurrentis ad operationem, quam eam solum habere per modum puri termini.

187 Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dico, quod personalitas Verbi cum cõtineat diuinam essentiam per modum transcendentis est tantæ perfectionis, & bonitatis, quantæ est ipsa diuina essentia. Deinde in vnione hypostatica personalitas Verbi vnitur substantialiter,& in esse rei, seu entis, at in beatis vnitur solum in esse intelligibili. Et licet personalitas Verbi vniatur solum per modum termini, tamen hac vnione, propria subsistentiæ, seu personalitatis, secundum munus personalitatis constituit personam, & facit quod humanitas trahatur ad esse personale Verbi diuini, fiatque vna cum eo persona.

188 Obijcies 2. quoniam illud quod soli naturæ rationali conferri potest, est absolutè,& simpliciter perfectius eo, quod potest etiam concedi creaturæ irrationali; sed visio intuitiua Dei non potest communicari nisi creaturæ rationali, & vnio hypostatica potest etiam creaturæ irrationali communicari; ergo visio beatifica est absolutè, & simpliciter perfectior vnione hypostatica. Resp. negando maiorem. Maioritas namque perfectionis rei attenditur penes excellentiam rei collatæ, penes modum collationis,& penes præstantiam effectus, aut quasi effectus secuti. In nostro casu Verbi diuini personalitas est eiusdem nobilitatis, & perfectionis, ac est perfectio diuinæ essentiæ, quæ in visione beata conceditur. Modus concedendi est perfectior, cum diuini Verbi personalitas concedatur in esse rei, & essentia diuina solum in esse intelligibili. Effectus etiam est nobilior, cum ex personalitate diuini Verbi, & natura humana fiat vna persona diuina, fiat Deus personaliter,& substantialiter. At ex essentia diuina, & intellectu fit solum Deus quodammodo, scilicet in esse intelligibili.

189 Obijcies 3. nam maternitas Virginis pertinet ad ordinem hypostaticum, & tamen non est dignior, & excellentior ipsa gratia sanctificante, vt ostendo in meo *tract. de gratia disp.* 1. Et docet S.P. August. tract. 10. in Ioan. & Epist. 30. dicens. *Esse aliquid maius concipere Deum mente quam ventre*. Ergo etiam ipsa vnio hypostatica non erit dignior, & excellentior ipsa gratia. Resp. quod maternitas Dei pertinet quidem ad ordinem hypostaticum, ministerialiter, quatenus subministrauit materiam ad tantum mysterium, non tamen pertinet ad ordinem hypostaticum substantialiter, & personaliter, & sic licet maternitas possit esse inferior gratia, non tamen ipsa incarnatio, cum hæc sit gratia quædam substantialis, personalis, & ratio omnium aliarum gratiarum, iuxta illud Ioannis. *Et de plenitudine eius omnes accepimus*. Sed de hoc infra.

Obij-

190 Obijcies 4. quod est perfectius, & nobilius, data optione, eligitur præ alio; sed data optione Christo Dom. præferret gratiam vnioni hypostaticæ; ergo, &c. Minor constat, nam si Christus D. deberet vel amittere gratiam, vel vnionem hypostaticam, potius amitteret vnionem hypostaticam quam gratiam sanctificantem. Resp. 1. Vel enim casus procedit de amissione gratiæ, vel vnionis hypostaticæ per peccatum mortale, & tunc dico casum esse impossibilem, quia vt infra dicemus, etiam de potentia absoluta Christus D. est impeccabilis. Data tamen possibilitate, dico, quod si vtrumque per peccatum esset amissibile, potius eligeret Christus D. amittere gratiam sanctificantem, quam vnionem hypostaticam, quæ est gratia personalis, & substantialis. Resp. 2. quod si casus procederet de amissione gratiæ, & vnionis hypostaticæ absque peccato, ita quod vellet vel gratiam sanctificantem subtrahere, vel diuinam personalitatem, & daretur optio Christo D. potius eligeret amissionem gratiæ, quam vnionis hypostaticæ, cum hæc sit bonum diuinum substantiale, & gratia sit solum bonum diuinum participatiuè, & accidentaliter.

191 Secunda concl. *Vnio hypostatica ratione extremorum, quæ vniuntur, scilicet natura humana & personalitatis, & est vnio proxima, & immediata: & ex parte naturæ humanæ, & diuinæ, & est vnio mediata, non est maxima vnionum.* Sic tradit S. Doctor *hic art. 9. & in 3. dist. 5. q. 2. art. 1.* & eius discipuli hoc loco. Ratio Sancti Doctoris est, quia vbi extrema sunt minus proportionata, & coaptata, tunc vnio est minor, & vbi extrema sunt magis proportionata, & coaptata, ibi vnio est maior; sed in nostro casu tam in vnione proxima, quam remota, extrema sunt minimè proportionata, & coaptata, quam sint materia, v. g. & forma, nam ista ex sui natura sunt proportionata, & coaptata, ac proinde ex se, suaque natura ordinata ad vnionem; ergo vtraque vnio hoc modo est minor quam sit vnio materiæ, & formæ, aliæuè similes.

192 Sed obijcies, nam illa censetur maior vnio, quæ est inter extrema magis distantia, sed in nostro casu vtraque vnio tam proxima quam remota, est inter extrema magis distātia quam quælibet vnio creata; ergo illæ duæ vniones erunt omnium maximæ. Minor nota est, extrema namque vtriusque vnionis distant infinitè. Maior probatur, nam ideo inter vniones creatas censetur maior vnio animæ rationalis cum materia, quia extrema ista magis distant; ergo vbi est maior distantia, inter extrema, ibi vnio est maior. Resp. negando maiorem: non enim est maior vnio materiæ, & animæ rationalis, quam sit materiæ, & formæ equi. Et sic ex distantia non sumitur maior vnio, nisi fortè secundum quid, sed sumitur ex proportione, & coaptatione.

193 Tertia concl. *Vtraque vnio siue immediata, siue mediata, est maxima vnionum ex parte personæ, cui humana natura vnitur, & in qua vniuntur natura humana, & diuina.* Sic S. Doctor, eiusque expositores hoc loco. Sic etiam docet D. Bernardus *lib. de consid.* quatenus dicit, quod sola vnio trium diuinarum personarum in vna essentia excedit hanc vnionem duarū naturarum in Christo. Ratio est, nam vnio extremorum à se inuicem realiter distinctorum, est tanta, quanta est simplicitas, & indiuisio eius in quo vniuntur, & quanta est vnitas quam habeant extrema inter se coniuncta, sed vinculum in quo natura humana, & diuina vniuntur, est personalitas Verbi diuini, qua nihil est simplicius, nihil magis indiuisum: & vnio quam cōfert extremis est personalis: sicut & humanitati, cum eam extollat ad personalitatem Verbi diuini; ergo, &c.

195 Obijcies 1. nam est eadem ratio vnionis proximæ, scilicet naturæ humanę cum personalitate Verbi, & remotæ, scilicet naturæ humanæ, & diuinæ; sed vnio humanitatis cum Verbi personalitate, non est maxima vnionum; ergo, &c. Minor probatur, nam vnio naturæ cum propria subsistentia est maior vnione naturæ cum subsistentia Verbi; ergo, &c. Antecedens probatur; nam illa est maior vnio, quæ constituit magis vnum, & magis indiuisum,

ſum, & minus diſtinctum; ſed minus diſtinguuntur natura, & ſubſiſtentia creata, quam humanitas, & perſonalitas Verbi; ergo, &c. Reſp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dico ſolum probare, quod vnio humanitatis cum propria perſonalitate ſit maior ſecundum quid, non ſimpliciter, ſcilicet in ratione conſtituti, & indiſſolubilitatis. Cæterum ſecundum quid, ratione extremorum, ratione proportionis, & coaptationis, vnio humanitatis cum propria ſubſiſtentia eſt maior.

196 Obijcies 2. nam hinc ſequeretur quod vnio diuinarum perſonarum in eſſentia nõ eſſet maior vnione humanitatis cum Verbi diuini perſonalitate, & vnio duorum accidentium in Chriſto non eſſet minor vnione naturæ diuinæ, & humanæ: iſta non ſunt admittenda; ergo, &c. Sequela probatur, quandoquidem perſona Verbi in qua natura humana, & diuina vniuntur non eſt minus ſimplex quàm diuina eſſentia, &c. Reſp. quod diuinæ perſonæ nõ propriè vniuntur naturæ diuinæ, ſed identificantur. Accidentium autem vnio fit immediatè cum humanitate tanquam cum ſubiecto.

197 Sed quæres 1. an vtraque vnio ſit maxima omnium vnionum, quæ dantur inter extrema realiter diſtincta ratione indiſſolubilitatis? Reſp. affirmatiuè. Sic tradit S. Leo ſerm. 17. de paſſione D. vbi habet. *In tantam vnitatem Dei, & hominis natura conuenit, vt nec ſupplicio dirimi potuerit, nec morte diſiungi.* Et ſic etiã docent Theologi ex illo Sancti Ioannis Damaſceni. *Quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit.* Ratio eſt, quoniam indiſſolubilitas quæ fundatur in ipſa ratione vnionis, eſt maior illa quæ fundatur in defectu contrarij, vel in incompatibilitate ſubiecti, & contrarij hæc enim ſunt extrinſeca vnioni, at illa indiſſolubilitas quæ prouenit ex ipſa conditione, & natura vnionis eſt intrinſeca, ac proinde maior. In noſtro autem caſu indiſſolubilitas prouenit ex ipſa ratione intrinſeca vnionis hypoſtaticæ, vt ex dictis colligitur.

198 Quæres 2. an vnio incarnationis ſit facta per gratiam? Reſp. & dico 1. quod ſi nomen gratiæ ſumatur pro gratuita Dei voluntate, hæc vnio facta eſt per gratiam. Cum enim Deus non teneatur ad operandum aliquid ad extra, & maximè hoc maximum, & ſupremum myſterium, ſequitur, quod factum ſit ex eius gratuita, & liberali voluntate. Dico 2. ſi nomine gratiæ intelligatur donum, ſeu beneficium Dei gratuitum, tunc etiam vnio hypoſtatica, eſt maxima gratia Dei. Quo ſenſu intelligitur illud Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Fuit enim Verbi diuini incarnatio maximum Dei beneficium gratuito datum. Dico 3. ſi nomine gratiæ intelligatur gratia habitualis quatenus hæc diſpoſuerit humanitatem ad vnionem hypoſtaticam, tunc vnio hypoſtatica non eſt facta per gratiam, quia vt infra dicemus, humanitas non præintelligitur habuiſſe prius gratiam, & per illam ſe diſpoſuiſſe ad vnionem hypoſtaticam.

199 Quæres 3. an vnio hypoſtatica fuerit naturalis Chriſto D. Reſp. & dico primò. Si naturale accipiatur prout eſt id quod fluit ex principijs naturæ, tunc vnio hypoſtatica non eſt naturalis, aliàs etiam in nobis proflueret, cum naturalia humanitatis quæ ſunt in Chriſto ſint etiam in nobis. Dico 2. ſi naturale accipiatur prout eſt idem ac verum, reale, ſubſtantiale, & intrinſecum, tunc vnio hypoſtatica poteſt dici naturalis. Poteſt etiam dici naturalis quatenus habetur à natiuitate, à primo ortu. Item poteſt dici naturalis reſpectu diuinæ eſſentiæ, & diuinæ perſonalitatis, non quia ab ipſis procedat naturaliter, ſeu neceſſariò, ſed prout eſt eiuſdem ordinis ſupernaturalis. An autem poſſit dici naturalis per ordinem ad perſonalitatem Verbi, quatenus ipſa ſit principium influens, dicemus dub. 12.

D V-

DVBIVM XI.

An creatura eleuari possit ad causandam physicè vnionem hypostaticam.

200 DE causa physica dubium procedit non de morali, de hac enim dicemus infra, neque procedit dubium de causa physica principali, certum namque est, quod nulla creatura potest esse causa physica principalis, hoc enim est solius Dei, cuius solius est esse causam principalem entis supernaturalis, gratiæ,& miraculorum, vt docet S. Doctor *1.p.q.* 105. Vnio autem hypostatica est omnium miraculorum maximum. Solum ergo procedit dubium de causa instrumentali physica, an scilicet Deus possit eleuare aliquam creaturam ad causandũ instrumentaliter physicè vnionem hypostaticam.

201 Prima sententia affirmat; hanc docent Suarez hoc loco *disp.*1. *sect.* 1. Cabrera hic *art.*10.*disp.*2.& alij. Imò addit Suarez *loco cit.* esse valde probabile, quod Beatiss. Virgo in Conceptione Christi D. instrumentaliter physicè causauerit vnionem humanitatis cum subsistentia Verbi diuini. Hanc sententiam tuentur omnes illi de quibus dub.præcedenti, qui dicunt, quod vnio hypostatica non est maxima omnium vnionum.

202 Nostra sent. seq. concl. explicatur. *Non potest creatura eleuari ad producendam instrumentaliter physicè vnionem hypostaticam.* Sic tradunt Aluarez *disp.*2. Medina *infra q.*31. *art.*4. Vasqu. *disp.*25. *cap.*1.Cipullus *hic q.*2.*art.*8.*dub.vlt.* & alij communiter, & quot quot volunt quod nulla creatura potest eleuari ad producendam vnionem diuinæ essentiæ, cum intellectu beati. Licet enim lumen gloriæ possit concurrere ad eam vnionem dispositiuè, non tamen instrumentaliter physicè, cum non possit hoc modo attingere diuinam essentiam, ex quo sequens ratio efformatur.

203 Prima ratio, ideo non potest aliqua creatura eleuari ad vniẽdam naturam diuinam instrumentaliter physicè cum intellectu creato, quia nulla creatura potest attingere diuinam essentiam physicè instrumentaliter; sed neque potest hoc modo attingere personam diuinam; ergo neque poterit vnire naturam diuinam instrumentaliter physicè cum natura humana. Maior probatur; nam de ratione instrumenti est, quod physicè attingat effectũ; sed natura diuina non potest physicè attingi; ergo, &c. Hæc minor ostenditur, nam attingere aliquid physicè instrumentaliter, est illud sibi subijcere hoc modo, quod naturæ diuinæ nullatenus potest conuenire.

204 Huic rationi occurrere possunt aduersarij, quod ista causa physica instrumentalis non attingat ipsam personalitatem Verbi diuini, sed solum modum vnionis qui postea nectit humanitatem cum diuini Verbi personalitate. Sed contra, nam causa attingens vnionem duorum extremorum, non potest non attingere ipsa extrema vt vnita, vnio namque vnitur vt *quo*, & extrema vniuntur vt *quod*, ac proinde attingens vnionem vt *quo*, vel vt *quod*, debet etiam attingere ipsa extrema, aliàs extrema non vnirentur; sed implicat, quod aliqua creatura attingat diuinam personalitatem, cum deberet eam sibi subijcere; ergo, &c. Nec valet non implicare, quod diuina personalitas subdatur creaturæ quoad hanc rationẽ vnionis, cum etiam hoc modo subdatur creaturæ, scilicet ipsi vnioni. Sed contra, quia licet non implicet, quod diuina personalitas subdatur creaturæ in genere quasi causæ formalis dispositiuè, se tenentis ex parte rei creatæ, eamque disponentis vt diuina personalitas illi nectatur, medio tali modo, implicat tamen quod subdatur eidem creaturæ vt causæ efficienti, etiam instrumentali; cum nihil diuinum possit efficienter procedere à creatura. Exemplum habemus in visione beata vbi essentia diuina quasi dependet à lumine glorię in genere causæ dispositiuæ, quoad istum sensum, quod non vnitur intellectui beati, nisi supposita dispositione per lumen gloriæ, non tamen dependet in genere cau-

sæ

sæ efficientis, vt iam diximus.

205 Secunda ratio, nam ideo, etiam per aduersarios, creatura non potest esse causa principalis vnionis hypostaticæ, non tantum quia non potest agere in diuinam personalitatem, eamque sibi subijcere, sed maximè quia posset naturam quandam in ea ponere, quod implicat, sed hoc idem currit in causa efficienti instrumentali; ergo, &c. Maiorem admittunt aduersarij, præsertim Suarez. Minorem probo; nam dato, quod aliqua creatura posset esse causa instrumentalis vnionis naturæ humanæ cum Verbo, poneret naturam humanam in Verbo, eam illi vniendo, & cõiungendo; sed hoc excedit vires cuiuscũque creaturæ; ergo, &c.

206 Occurres ex doctrina Suarez esse diuersam rationem inter causam secundam principalem, & instrumẽtalem, quod causa principalis habet actionem propriã, implicat autem, quod causa secunda propria actione ponat naturam extraneam in Verbo. At causa instrumentalis non habet propriam actionem, sed eius actio est eadem cum actione principalis agentis, scilicet Dei, ac proinde cum Deus ipse attingat vnionem naturæ humanæ cum persona Verbi; poterit ad hunc finem sibi associare aliquod instrumentum, cum eius actio non sit alia ab ipsa actione Dei. Sed contra, nam licet actio instrumenti qua agit in virtute principalis agentis non sit alia ab actione principalis agentis, tamen ipsum instrumentum habet propriam actionem distinctam, quæ est veluti vehiculum actionis principalis agentis. Et sic in instrumento est instrumentaria, & est actio principalis agentis; ista attingit principaliter, illa instrumentaliter. Et sic Deus medio instrumento creato attingeret principaliter dictam vnionem, & instrumentum, instrumentaliter.

207 Tertia ratio, nam omnis causa efficiens in eo genere in quo est causa debet præcontinere suum effectum, vt causa principalis, debet eum præcontinere principaliter, & propria virtute, & causa instrumentalis debet eum præcontinere instrumentaliter, & in virtute alterius; sed nulla creatura potest etiam virtute diuina præcontinere vnionem hypostaticam; ergo nulla creatura potest etiam virtute diuina eandem vnionem hypostaticam attingere. Maior nota est ex physicis. Minor probatur, nam Deus non potest communicare virtutem vt præcontineat effectiuè diuinum suppositum, diuinamuè personam, cum nihil diuinum possit præcontineri in creatura: aliàs diuina personalitas diuina virtute dependeret à creatura, quod implicat. Tum quia si creatura posset virtute diuina instrumentaliter attingere vnionem hypostaticam, attingeret etiam ipsum Christum, actio namque productiua vnionis hypostaticæ, est factiua Christi; & sic si actio creata attingeret dictam vnionem, esset factiua Christi, quod nullo modo videtur dicendum. Soluuntur argumenta in contrarium:

208 Primum argu. Nam pura creatura potest eleuari ad producendam gratiam instrumentaliter; ergo etiam poterit eleuari ad producendam vnionem hypostaticam. Antecedens est de fide, & constat in Sacramentis, vbi aqua, & alia symbola materialia eleuantur ad producendam gratiam. Conseq. probatur, nam non est magis spiritualis, & supernaturalis vnio hypostatica, quàm sit gratia sanctificans; ergo si gratia sanctificans potest instrumentaliter produci à creatura, etiam vnio hypostatica produci poterit. Resp. negando conseq. Ratio discriminis est, quia ex eo, quod gratia sanctificans, & pleraque alia dona causentur instrumentaliter à creatura, non sequitur, quod Deus subijciatur creaturæ, ab eoq; dependeat. At si semel vnio hypostatica instrumentaliter causaretur à creatura, iam Deus subijceretur creaturæ, ab eaque dependeret, quoad hoc, quod persona diuina vt vnita esset effectus creaturæ.

209 Secundum argum. nam Beatissima Virgo attigit vnionem humanitatis cum Verbo diuino instrumentaliter physicè; ergo, &c. Antecedens probatur, nam aliàs non posset dici Mater Dei. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico, quod ad hoc vt B. Virgo dicatur Mater

tet Dei, sufficit, quod concurrerit ministerialiter, subministrando materiam, vti faciunt aliæ mulieres, vt supra tetigimus, & infra suo loco magis dicetur.

210 Tertium argum. nam si ob aliquã ratione creatura non potest esse causa instrumentalis vnionis hypostaticè, ex eo, quod persona Verbi subijceretur, & dependeret à creatura, sequeretur, quod neque ea vnio posset produci principaliter à Deo, seu à tota Trinitate; hoc est falsum; ergo, &c. Sequela probatur, nam personalitas Verbi diuini non subijcitur Deo, neque ab eo physicè dependet; ergo esset eadem ratio. Resp. negando sequelam. Ad probationem dico, quod licet Deus efficiat eam vnionem, non tamen persona Verbi illi subijcitur, ab eaque dependet; cum enim actiones ad extra sint indiuisæ Trinitatis, non possunt distingui à persona Verbi, sicut non distinguuntur ab alijs personis, ac proinde tunc persona Verbi nec dependet ab ea actione, nec illi subijcitur; aliàs dependeret, & subijceretur sibi ipsi, quod implicat; vnde solus ipse modus vnionis Deo subijcitur, ab eoque dependet. Cæterum si ea vnio produceretur à creatura, iam persona Verbi esset effectus illius, ac proinde illi subijceretur, ab eaque dependeret, quod esse nequit.

DVBIVM XII.

An Verbum diuinum habeat aliquem influxum physicum in humanitatem.

211 DE influxu morali nulla est difficultas, certum namque est, quod Verbum diuinum influat moralem, eamque infinitã dignitatem humanitati assumptæ, & actionibus illius; quocirca supra diximus, quod actiones meritoriæ, & satisfactoriæ Christi D. habeant infinitum valorem in ratione meriti, & satisfactionis. Difficultas ergo procedit de influxu physico.

212 Prima sententia est, quod Verbum diuinum præstat influxum physicum effectiuum, ita quod in eo consistat eiusdem Verbi diuini incarnatio, volunt enim, quod incarnatio in hoc consistat, quod Verbum diuinum intimè præsens humanitati per suam personalitatem, illi influxum conferat peculiarem ad eam sine proprio supposito conseruandam, ratione cuius conseruationis suppositum Verbi dicitur suppositum humanitatis, & sic ex dicto supposito, & ex humanitate vnus Christus cõstituatur. Vnde Verbum diuinum in tantum dicitur incarnatum, & non alia persona diuinã, quia solum sustentat effectiuè humanitatem, nec alio modo nectitur cum humanitate, nisi influendo in illam ipsam sustentando. Sic tradunt aliqui moderni, tradunt etiam auctores sequentis sententiæ.

213 Secunda sententia dicit duo. Primum, quod sicut Deus est intimè præsens cuilibet creaturæ per intimum illapsum, seu penetrationem, quam vocant circuminsessionem, ita Verbum diuinum est intimè præsens humanitati, eamque penetrat per circuminsessionem, modo non diuerso ab eo quo tota Trinitas illabitur creaturis. Secundum quod dicit est, quod sicut tota Trinitas illabitur creaturæ conseruando ipsam in suo esse, & vt possit operari, cooperando illi, ita Verbum diuinum ita humanitatem penetrat vt eam eleuet ad esse diuini suppositi, eamque in eo esse conseruando, & vt suos producat actus cooperando ad illorum productionem. Hanc sententiam tenent Scotus *in 3. dist. 1. q. 1. & quodlibet.* 8. Henric. Gand. *quodlibet.* 13. *q.* 5. Rada *in 3. controu. 1. art.* 5. Perighian: *in 3. dist. 1. art.* 10. & alij ex Scoti discipulis.

214 Nostra sent. seq. concl. explicatur. *Verbum diuinum nullo modo influit efficienter physicè in assumptam humanitatem, sed totus influxus physicus est à tota Trinitate.* Hanc concl. docent Theologi hoc loco, & Scholastici cum Magistro *in 3. dist.* vbi Magister eam probat fortissimè, & colligitur ex Sacra Scriptura, Ioan. 5. sic legitur. *Amen, amen dico vobis, non potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc & similiter filius facit.* Prius

enim dixerat. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*. Et cap. 14. habetur. *A me ipso non loquor, sed Pater in me manens, ipse facit opera*. Vnde est illud commune axioma. *Opera ad extra sunt indiuisa Trinitas, seu opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa.*

215 Probatur 1. nam vbi est vnum tantum principium agendi proximum, & remotum, ibi est tantum vnica ratio agendi, & vnicus terminus indiuisus; sed in tribus personis diuinis est tantum vnum principium agendi ad extra, tam proximum quam remotum; ergo tantum vnica ratio agendi, vnusque terminus indiuisus. Maior nota est, nam multiplicitas termini, & actionis, sumitur ex multiplicitate principij, seu rationis agendi tam proximæ, quam remotæ. Minor probatur, quia in diuinis principium proximum agendi est diuina omnipotentia, & principium radicale, est sola diuina essentia, sed ista duo sunt immultiplicata in tribus personis diuinis; ergo totum id quod ab vna persona diuina efficitur, ab alijs effici debet. Vnde rectè docet S. P. August. *in Enchirid. cap.* 38. vbi loquens ad rem nostram de hoc incarnationis mysterio. Sic fatur. *Sed cum illam creaturam quam Virgo concepit, & peperit, quamuis ad solam personam filij pertinentem, tota Trinitas fecerit, neque enim separabilia sunt opera Trinitatis, cur in ea facienda solus Spiritus S. nominatus? an & quando vnus trium in aliquo opere nominatur, vniuersa operari Trinitas intelligitur? ita verò est.*

216 Probatur 2. nam diuinæ personę ad omne id indiuisæ concurrunt in ordine ad quod non habent realem oppositionē; sed in ordine ad quamcumque operationem ad extra, diuinæ personæ non opponuntur; ergo in ordine ad quamcumque operationem ad extra sont indiuisæ. Maior nota est, vnde videmus id etiam ad intra, Pater, & Filius indiuisè concurrunt ad productionem Spiritus S. quia in ea productione non opponuntur. Tota namque ratio diuisionis, est ratio oppositionis, ac proinde vbi non dabitur ratio oppositionis, non dabitur ratio diuisionis. Minor probatur, nam Pater, & Spiritus S. non opponuntur Filio relatiuè in ordine ad effectum productum ad extra; ergo in ordine ad effectum ad extra productum non diuiduntur, ac proinde indiuisè concurrunt. Antecedens probatur, nam tota oppositio diuinarum personarum est ad intra, vt omnes Theologi tradunt; ergo in ordine ad effectum ad extra productū nullam habent oppositionem; quod si aduersarij velint adesse oppositionem, assignent à quo, vel à quibus relationibus proueniat.

217 Probatur 3. nam non potest in humanitate esse aliquis effectus realis efficientiæ, qui sit à Verbo diuino in ea subsistente, qui etiam non correspondeat alijs personis diuinis; ergo Verbum diuinum nullum habet influxum physicum proprium in humanitate. Antecedens probatur, nam vel iste terminus est aliquid ab humanitate distinctum, vel est ipsa humanitas conseruata sine propria subsistentia; non primum, nam hoc nil aliud esse potest nisi vnio vniens humanitatem Verbi personalitati, sed hæc vnio à solo Verbo non causatur, sed à tota Trinitate, licet solum Verbum vniatur humanitati; ergo, &c. Neque secundum, nam conseruatio humanitatis non est à solo Verbo, sed à tota Trinitate, cum enim esse sit à tota Trinitate, ita & conseruari. Tum quia personalitas Verbi diuini supplet id, quod faceret propria subsistentia, sed propria subsistentia nullum habet influxum effectiuum in naturam; ergo neque subsistentia Verbi.

218 Probatur 4. nam dato, & non concesso, quod Verbum diuinum haberet aliquem specialem influxum in humanitatem assumptam, tamen adhuc vnio hypostatica non potest consistere in illo influxu, quo Verbum diuinum conseruat humanitatem separatam à propria subsistentia, & concurrit ad operationes illius; ergo, &c. Antecedens probatur, nam vnio causæ efficientis cum suo effectu, non est substantialis, & personalis, sed accidentalis; ergo vnio hypostatica quæ est substantialis ex Concilijs, & Patribus contra

Ne-

Nestorium; non potest consistere in illo influxu effectiuo. Tum quia hoc modo Verbum diuinum non esset intrinsecè in humanitate, sed tantum extrinsecè; causa namque efficiens in sententia philosophorum est causa extrinseca. Vnde ex hoc quod Deus effectiuè conseruet accidentia in Eucharistia, non vnitur illis, ita ex eo, quod Verbum æternum conseruaret humanitatem sine propria subsistentia, non sequitur quod illi intrinsecè, & hypostaticè vniatur. Soluuntur argum. in contrarium.

219 Primum argum. Verbum diuinum vt distinctum à Patre, & Spiritu S. assumpsit hypostaticè humanitatem, sed assumere est influere, & aliquem effectum producere; ergo Verbum diuinum vt distinctum à Patre, & Spiritu S. habet influxum in humanitatem. Resp. quod assumere vel accipitur vt est actio, vel assumitur vt dicit terminum: si accipiatur vt est actio, tunc assumptio est à tota Trinitate. Si verò accipiatur vt est terminus, tunc solum Verbum terminauit, seu assumpsit humanitatem, & sic tradit S. Doctor hic *art.* 8.

220 Secundum argu. in quo maximè fidit Henricus Gandauẽsis est, quia incarnari nihil est aliud quam illabi humanitati, illamq; penetrare per quandam circuminsessionem, sed hoc pertinet ad causam efficientem; ergo incarnari est opus causæ efficientis, ac proinde Verbum diuinum habebit influxum specialem in humanitatem. Maior constat. Minorem probat, nam illapsus Verbi diuini debet assimilari illapsui communi Dei omnibus creaturis, sed iste est in genere causæ efficientis producendo earum esse, & conseruari; ergo, &c. Resp. negando maiorem, aliàs Deus diceretur incarnari, & assumere omnes creaturas cum illas penetret, illabatur, &c. quod tamen est falsum vt fides docet. Ac proinde incarnari non est illabi naturæ humanæ, sed eam hypostaticè terminare.

221 Tertium argum. nam agere est perfectio simpliciter simplex; ergo debet esse communis tribus personis diuinis, aliàs in diuinis daretur aliquid quod non esset actiuum, & sic careret perfectione simpliciter simplici. Resp. quod cum agere sit perfectio simpliciter simplex debet esse commune tribus personis diuinis, ac proinde ad extra vna non aget sine alia. Nec verum est, quod in diuinis nihil detur quod non sit actiuum, solum namque diuina essentia est principium radicale agendi, & sola diuina omnipotentia est principium proximum agendi. Totum hoc miro modo explicuit S.P. Aug. *serm. 3. de tempore*, vbi explicat quomodo tres personæ diuinæ efficerint incarnationem, & tamen solum Verbum diuinum fuerit incarnatum, sic dicit. *Ad citharam respice, vt musicum melos sonis dulcibus reddat, tria pariter adesse videntur, ars, manus, & chorda, & tamen vnus sonus auditur, ars dictat, manus tangit, resonat chorda. Tria pariter operantur, sed sola chorda personat quod auditur, nec ars, nec manus sonum reddunt, sed ea cum chorda pariter operantur. Sic nec Pater, nec Spiritus S. susceperunt carnem, & tamen cum Filio pariter operantur. Sonum sola chorda excutit, carnem solus Christus accepit, operatio in tribus constat, sed quomodo ad solam chordam pertinet soni redditio, sic pertinet ad solum Christum carnis humanæ susceptio.* Solet hoc etiam mysterium exemplo familiari explicari, sint tres homines, qui vnum ex se ipsis vestiant: tres verè, & propriè dicuntur vestire, & tamen vnus solum vestitur. Sic totæ tres personæ Trinitatis peregerunt mysterium incarnationis, quatenus humanitatem produxerunt, eamque Verbi diuini personalitati coniunxerunt, cum tamen solum Verbum illi fuerit vnitum; solus filius induit vestem humanitatis, solus fuit incarnatus, solus dependentiam humanitatis terminauit.

DVBIVM XIII.

An humanitas Christi D. meruerit, aut mereri potuerit vnionem hypostaticam.

222 DE merito Christi agemus infra q. 19. ad quæ scilicet se extenderit, an scilicet etiam ad merendam suã incarnationem per merita eam subsequẽtia. Nunc solum agemus de ipsa humanitate, de qua re agunt Theologi hoc loco art. 11. vbi quærit S. Doctor. *Vtrum vnionem Verbi incarnati aliqua merita præcesserint.*

223 Prima sententia est, quod humanitas Christi D. suam vnionem hypostaticam meruerit. In qua re sunt diuisi Theologi, & Hæretici. Nam aliqui Theologi ex antiquis videntur admittere aliquale meritum per opera bona in priori naturæ facta, aut concomitantia incarnationem. Ac hæretici vt Origenistæ vt refert S. Thomas in comment. Epist. ad Hebræos cap. 1. lect. 49. dicebant quod anima Christi simul cum Angelis, & alijs animabus ab ipso mundi exordio fuerit creata, & per bona opera sibi vnionem cum Verbo meruerit. Photinus alia via incedebat, nam vt refert S. Doctor *hic art.* 11. dicebat quod Christus D. à principio suæ productionis fuit purus homo, & suis operibus meruit Deitatem. Notat Card. de Lugo *hic disp. 8. sect. 1. n. 1.* quod qui poneret in Christo aliqua merita cum sola prioritate naturæ ad vnionem, non propterea erraret cum Photino; nam hic posuit humanitatem in tempore antecedenti præcessisse sine vnione, & tunc meruisse vnionem, & etiam posuit eam vnionem factam fuisse ad aliquem effectum accidentalem. Qui autem poneret prius natura meritum, neutrum poneret, sed solum à communi Theologorum sententia, & ab Augustino in re magni momenti discederet.

223 Communis, & vera sententia seq. concl. explicatur. *De facto Christi D. humanitas non meruit incarnationem, seu vnionem cum subsistentia Verbi diuini, neque de condigno, neque de congruo.* Sic S. Doctor *hoc art.* 11. quem omnes scholastici, & Theologi sequuntur. Colligitur ex sacra scriptura, quatenus hoc mysterium soli diuinæ misericordiæ, & charitati tribuitur. Luc. 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Ad Titum 3. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei.* Clarissimè hanc veritatem docuit Clarissimum Ecclesiæ lumen serm. 8. de verbis D. vbi dicit. *Audebit ergo aliquis dicere, quia natura nostra in illo mediatore primum per liberum arbitrium promeruerit Deum, & sic suscipi meruit vt esset homo, & Deus vnus Christus Iesus.* Et in Enchiridio cap. 36. sic dicit. *Quidnam natura humana in homine Christo, vt in vnitatem personæ vnici Filij Dei singulariter esset assumpta? Quæ bona voluntas? Cuius boni propositi studium? Quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur iste homo vt vna fieret persona cum Deo?*

224 Nostra conclusio procedit supposita fide, quod de facto Christi D. humanitas non fuerit producta, nec extiterit prius tempore, quam fuerit assumpta, ac proinde quod in eodem instanti in quo creata fuit anima Christi, & vnita materiæ, assumpta fuit à Verbo diuino. Vnde solum difficultas procedit de merito quod solum natura præcesserit ipsam vnionem, an scilicet potuerit humanitas mereri incarnationem per aliquod opus bonum, quod eandem incarnationem prius natura præcesserit.

225 Nostra concl. sic explicata probatur communi ratione. Natura humana in illo priori in quo intelligitur præcedere incarnationem non est subsistens; ergo in illo priori non potuit facere aliquod opus bonum quo incarnationem meruerit. Antecedens constat, aliàs humana Christi Dom. natura antequam subsisteret subsistentia diuina, subsisteret propria, quod est falsum, & contra Concilia, Patres, & vnanimem consensum Theologorum. Conseq. probatur, nam actiones sunt suppositorum, ac proinde antequam natura intelligatur subsistens, non potest intel-

intelligi operari. Quod actiones sint suppositorum tradunt Aristoteles 1. *metaph. cap.*1. N.S.Ioan.Damasc. *lib.*3. *de fide cap.* 15. Hoc axioma vt aduertit Lorca *disp.* 20. est certissimum, & communiter receptum. Eo vsus est Ioan. Theologus de monte Nigro Procurator Generalis PP. Dominicanorum in Concil. Florẽtino *sess.* 18. disputans cum Græcis, vt redderet rationem quare essentia diuina non generet,& Pater generet, non aliam reddit, nisi quia actiones sunt suppositorum.

226 Pater Vasq. *disp.* 21. *cap.* 3. negat hoc commune axioma, & dicit non esse Aristotelis,neque Damasceni, de Ioanne autem Theologo parum curat, quia licet in Concilio loquatur, non tamen ex auctoritate totius Concilij. Quantum ad auctoritatem Ioannis Theologi, quæ maximè haberi debet, vide quæ dico 1.*p. disp.* 35. *à n.* 85. *cum seq.* quantum autem ad Aristotelem,& N. Damascenum constabit eos videntibus. Sufficiat nobis pro nunc breuiter ostendere veritatem huius axiomatis, fusius namque de hac re agemus vita comite in metaphysica, nam subsistentia est vltimum complementum substantiæ, seu naturæ in genere substantiæ, ergo licet subsistentia non sit formale principium agendi,ad actionem tamen requiretur tanquam conditio. Cum enim actio prodire non possit à non subsistente, sequitur, quod subsistentia requiratur ad agendum saltem tanquam conditio, ac proinde quandiu hæc non intelligitur, actio, seu operatio non habebitur. Tum quia eius est operari cuius est esse, & fieri, sed id non dicitur factum quandiu non est, ac proinde non subsistit; subsistentia namque supponitur ad esse, vt infra videbimus; ergo.

§. I. Soluuntur rationes quibus Vasq conatur dictum axioma euertere.

227 PRima ratio est,nam suppositum neque vt conditio requiritur ad agendum; ergo actiones non sunt suppositorum. Antecedens probatur, nam anima rationalis separata, est principium *quod* operandi, & tamen non est suppositum; ergo non est verum actiones esse suppositorum. Certè anima est principiũ intelligendi, & volendi, & de facto intelligit, & vult in statu separationis. *Resp.* negando antecedens. Ad probationem dico, quod anima separata re vera est principium *quod* operandi, sed incompletum, est enim pars, & dicit essentialem ordinem ad compartem, scilicet materiam,per ordinem ad quam indiuiduatur, & singularizatur, licet hoc ita sit, tamen re ipsa est subsistens, non tamen dicitur propriè suppositum, quia vt supra vidimus, suppositum in natura rationali,conuertitur cum persona, quæ dicit naturam completam subsistentem, quod non competit animæ rationali, quæ non est natura completa, licet sit subsistens, cum autem dicitur, quod actiones sint suppositorum, sensus est, quod sint subsistentium.

228 Secunda ratio, nam quod producitur in *quod*, est principium operandi vt quod, sed humanitas producitur vt *quod*, ergo est principium operandi vt quod. *Resp.* concedendo maiorem,& negando minorem; id enim quod producitur vt *quod*, est suppositum, vt enim supra aduertimus, suppositum est terminus *qui* generationis, & humanitas solum est terminus *quo* totalis, & forma est terminus *quo* partialis; & in nostro casu Christus D. est terminus *qui* incarnationis, & humanitas solum est terminus *quo* formalis.

229 Tertia ratio, nam formæ accidentales dum existunt, & subsistunt in subiecto extraneo vt calor in aqua,& frigus in homine ita operantur, vt suppositum, seu subiectum nihil conferat ad actionem, sed tantum se habet vt sustentans formã, cui soli tota actio tribuitur, non solum vt *quo*, sed etiam vt *quod*, ergo etiam humanitas sine supposito erit principium operandi vt *quod*, ac proinde actiones nõ erunt suppositorum. *Resp.* negando antecedens, dum enim calor existens in aqua calefacit, calefactio tribuitur calori vt *quo*,& aquæ vt *quod*, licet enim aqua, vt aqua non possit esse principium calefactio-

ctionis, tamen aqua calefacta, seu calidum est principium *quod* calefactionis, vnde aqua se habet non vt ratio calefaciendi, sed vt conditio sine qua calor non calefaceret.

230 Quarta ratio per quam praecedens solutio impugnatur est, quia accidentia in Eucharistia, v. g. calor, est separatus à suo subiecto, & tamen calefacit vt *quod*; ergo hoc idem dicendum est de humanitate à subsistentia separata. Resp. 1. ex dictis de Eucharistia, quod sola quantitas existit sine subiecto, cœtera vero accidentia sunt in quantitate fungente officio subiecti *quod*, quantitas autem cum non sit actiua, nullam habere potest actionem. Resp. 2. dato *quod* accidentia in Eucharistia sint separata ab omni subiecto, tunc calor v. g. poterit agere, & agere in *quod* in virtute substantię cui subordinatur, cum enim retineat quod sit virtus ignis vt illius instrumentũ operatur vt etiam substantiam alterius ignis producere possit. Non sic dici potest de humanitate, cum non sit virtus alterius, nec sit alterius instrumentum.

231 Quinta ratio. Aristoteles 3. *de anima cap.* 4. dicit se tractaturum de ea animae parte, quae sapit, & intelligit, vbi actiones tribuit animae rationali, cum tamen non sit suppositum. Resp. mentem Aristotelis esse, quod anima sapiat, & intelligat vt *quo*, vel vt *quod*, non quia sit suppositum, cum non conueniat nisi naturae completae subsistenti, sed quia est subsistens vt *quod*, vt iam aduertimus.

232 Sexta ratio, nam humanitas separata ab omni supposito potest pati; ergo etiam potest agere. Aliqui respondent concedendo antecedens, & negando consequentiam. Rationem distinctionis assignant, quia ad patiendum sufficit quod humanitas existat, putant enim subsistentiam aduenire existenti. At ad agendum requiritur vltima actualitas substantiae per quam completur, scilicet subsistentia. Resp. melius, non posse dari naturam separatam ab omni subsistentia: tum quia subsistẽtia est primus modus afficiens humanitatem, & postea aduenit vltima actualitas, quae est existentia. Tum etiam quia dato humanitatem prius esse existẽtem, adhuc non posset pati, quandiu non est subsistens, actio namque, & passio sunt nata fieri circa idem.

§. *II. Refertur modus dicendi Cardinalis de Lugo, & reiicitur.*

233 CArdin. de Lugo hoc loco *disp.* 8. *sect.* 1. *n.* 5. dicit se non videre quomodo ex illo communi axiomate. *Actiones sunt suppositorum*, quod fatetur esse Aristotelis, Damasceni, Ioannis Theologi, & commune, deduci possit, quod natura non possit accipere subsistentiam dependenter ab aliqua operatione, non enim videt, quomodo Aristoteles, Damascenus, & Ioan. Theologus, dixerint suppositum in ratione suppositi debere praecedere operationem. Aliud enim est actiones esse suppositi, tribui supposito, denominare suppositum, aliud verò procedere à supposito, vt suppositum formaliter est. Primum admittit Lugo non secundum, quod sic probat, quia eodem modo possemus dicere, quod passiones sint suppositorum. Sicut enim, inquit, tu dicis. *Humanitas non generat, sed homo*; ita poteris dicere. *Humanitas non generatur, sed homo*. Item sicut in diuinis debes dicere. *Essentia non generat, sed Pater*; ita debes fateri. *Essentia non generatur, sed filius*; & tamen non dices praerequiri subsistentiam antecedentem ad hoc vt natura humana, v. g. terminet generationem.

234 Probat deinde, quia si subsistentia est modus naturae, necesse est naturam prius terminare generationem quam subsistat. Demum probat, quia licet B. Virgo dicatur genuisse Deum, quia passiones sunt suppositorum, tamen prius intelligitur actio Virginis terminari ad humanitatem quam ad Deum, quia pro eo signo non intelligebatur facta vnio ad hypostasim; ergo similiter licet actiones sint suppositorum, & suppositum dicatur simpliciter operari, & agere; non tamen oportet intelligi subsistentiam pro eo signo priori quo

quo operatio egreditur à natura.

235 Postea respondet ad auctoritatem Ioannis Theologi, quod non assumit actiones esse suppositorum præsupponendo subsistentiam ex parte, sed solum esse suppositorum, idest, in quid, attribui suppositis: ad hoc enim quod actio tribuatur supposito non requiritur quod subsistentia præsupponatur ad actionem, nam Filio tribuitur actio spirandi, & tamen non præsupponitur personalitas filij ante actionem spirandi, nam prius ratione est ratio spirandi in Patre, quàm in Filio, vel saltem non prærequiritur filium esse iam constitutum; ad hoc vt Pater spiret; ergo licet spiratio non procedat à filij personalitate præcedenti, tribui tamen potest supposito filij, eo ipso quod intelligatur tota spiratio in filio: ergo similiter licet operatio Christi esset prior ratione quam vnio ad suppositum, posset tamen dici cum toto rigore esse actionem illius suppositi in illo instanti reali. Et sic illud axioma commune, quod actiones sint suppositorum non conducit ad probandam prioritatem subsistentiæ respectu operationum. Hucusque Lugo.

236 Cœterum in istis videtur Lugo in multis deficere. Primò, nam licet ipse non videat quomodo Aristoteles, Damascenus, & Ioannes Theologus dixerint, quod suppositum in ratione suppositi debeat præcedere operationes, & quod solum sint suppositi, quia in posteriori natura sunt etiam à supposito, vt vult Lugo, tamen sic intellexerunt illi, & omnes Philosophi, & Theologi communiter, aliàs Ioannes Theologus non bene arguisset contra Græcos: vt enim redderet rationem quare diuina essentia non generat, sed Pater, non aliud dixit, nisi quod actiones sunt suppositorum, & cum essentia diuina antecedenter ad paternitatem non sit suppositum, ideo antecedenter ad paternitatem non generat. Hoc argumentum neque à suo competitore, neque ab alio fuit reprobatum, sed ab omnibus acceptatum, quod in sententia Lugo non habuisset vim, cum potuisset aliquis respondere cum doctrina Vasq. & Card. de Lugo, quod ex illo axiomate non probetur, quod subsistentia debeat præcedere operationem, cum in priori natura essentia possit intelligi operari antecedenter ad suppositum, & Ioannes nihil probasset contra Græcos.

237 Secundò deficit Lugo in prima sui dicti probatione, quod scilicet eodem modo possimus dicere, quod passiones sint suppositorum, quod non est dicendum. Nam vt §. præcedenti vidimus, tam actiones, quam passiones sunt suppositorum, & hoc modo verissimum est quod humanitas non generat, sed homo, & humanitas non generatur, sed homo. Vt enim dicebamus, terminus generationis *qui* est suppositum, seu homo, non humanitas. Ita pariformiter dicimus in diuinis. Essentia non generat, sed Pater, & essentia non generatur, sed Filius, & in hoc modo loquendi non solum nullum est inconueniens, sed ita debet dici, & dicunt Theologi in materia de Trinitate.

238 Tertiò deficit in secunda sui dicti probatione, quod scilicet eo ipso, quod subsistentia est modus naturæ, necesse est quod natura prius terminet generationẽ, quam subsistat. Nam subsistentia est quidem modus naturæ, sed eam complens, & perficiens in linea substantiæ, vt sine isto complemento non possit terminare generationem. Vt enim millies diximus, terminus *qui* generationis non est natura, sed suppositum, quod ex natura, & subsistentia coalescit.

239 Quartò deficit in tertia probatione, quod licet B. Virgo dicatur genuisse Deum, quia passiones sunt suppositorum, prius tamen intelligitur actio Virginis terminari ad humanitatem, quam ad Deum, quia pro illo priori non intelligitur facta vnio naturę ad hypostasim, &c. Nam B. Virgo non dicitur genuisse Deum, quia habuerit actionem terminatam ad humanitatem, quia nec B. Virgo, nec aliqua mulier concurrit actiuè ad generationem, sed passiuè, aut ministerialiter subministrando materiam, vt cum Aristotele tradunt omnes Philosophi. Deinde dato, quod B. Virgo dicatur generasse Deum, quia

quia actiuè concurrerit ad productionem humanitatis, cui vnita est subsistentia Verbi, ex hoc non sequitur quod actiones non sint suppositorum, cum actio Virginis fuisset à supposito, sed quod illa actio non fuisset terminata ad suppositum, sed ad solum naturam, quod neque esset verum data illa sententia, quod B. Virgo cõcurrerit actiuè, nam illa actio licet non produceret suppositum, cum esset diuinũ, produceret tamen naturam vnitam dicto supposito.

240 Quintò deficit in ijs quæ adducit ad infirmandam auctoritatem Ioannis Theologi. Et primò non est verum, quod Ioannes non assumat illud principium. Actiones sunt suppositorum, præsupponẽdo subsistentiam ex parte principij, sed quod solum attribuantur suppositis in posteriori naturæ. Nam vt dicebamus, si hoc modo intelligeretur Ioannes, nihil probasset contra Græcos cum iam natura diuina antecedenter ad suppositum intelligeretur agere, seu generare, & sic & Ioannes, & Lugo inciderent in sententiam Durandi ab omnibus Theologis reprobatã, quod diuinæ processiones essent actiones naturæ, & quod solum in posteriori natura attribuerentur suppositis, cum tamen ab illis non essent.

241 Est etiam falsum, quod filio tribuatur actio spirandi, & tamen non presupponitur persona filij ante actionẽ spirandi. Hoc inquam falsum est; nam Filius in diuinis non habet actionem spirandi antequam sit Filius, seu antequam sit, & subsistat; cum filius non prius intelligatur simul cum Patre spirare Spiritum S. nisi postquam completa est eius generatio, ac proinde nisi postquam intelligitur subsistens. Et licet virtus spiratiua prius sit in Patre, & in Filio, cum Filio à Patre communicetur; tamen actio spirandi est simul in Patre, & Filio, cum in hoc eadem actio ab vtraque persona immediatè procedat; & vtraque persona constituunt vnum, & idem principium adæquatum spirandi Spiritum S. Neque est verum, quod ad hoc vt Pater spiret non requiratur, quod Filius sit productus, nam aliàs Spiritus S. procederet à solo Patre in illo priori in quo intelligimus Patrem spirare, & nondum intelligimus Filium productum, & sic Spiritus S. pro illo priori quo intelligimus spirari à Patre, nondum producto Filio, non opponeretur Filio, & incideremus in sententiam Græcorum, quod Spiritus S. à solo Patre procedat. Neque etiam est verum, quod vltimo loco dici Lugo, quod licet operatio Christi esset prior ratione quam vnio ad suppositum, posset tamen dici cum toto rigore esse actionem illius suppositi in illo instanti reali; nam licet in eodem instanti reali illa operatio Christi posset dici actio suppositi, tamen semper verũ erit, quod illa operatio prius esset à natura antequam intelligatur subsistentia, ac proinde quod subsistentia nullo modo se habeat ad actionem, quod ex dictis constat esse falsum; tum quia quomodo actiones possunt dici suppositi, attribui supposito, si antequam suppositum sit iam actio intelligitur, nec ex eo, quod suppositum sit in eodem instanti cũ natura, potest actio tribui supposito, si semel antecedenter ad suppositum actio intelligitur; nam ex eo quod in eodem instanti aliqua duo sint, actio vnius non sequitur quod sit alterius. Aliàs actio substantiæ possit dici accidentis in eodem instanti producti cum substantia.

§. III. Soluuntur argumenta contra conclusionem n. 223. relatam.

242 PRimum argum. desumitur ex illo psal. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo letitiæ*, vbi apertè dici videtur, quod ideo Deus assumpserit humanitatem, & Christum nõstituerit, qui vnctus dicitur, quia prius dilexit iustitiam, & odit iniquitatem. Resp. 1. quod in illo loco nomine vnctionis, non intelligitur vnio hypostatica, sed gloria corporis. Resp. 2. dato quod intelligatur vnio hypostatica, tunc ly *propterea*, non significat causam meritoriam, sed finalem, vt sit sensus: ideo vnxit te Deus vt diligas iustitiam.

Secun-

243 Secundum argum. desumitur ex illo Apocal. 5. *Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem, & diuinitatem*, sed diuinitatem accepit in instanti incarnationis per vnionem hypostaticam; ergo tunc illam promeruit. Resp quod licet Christus D. secundum rem acceperit diuinitatem in instanti incarnationis, non tamen hanc promeruit, sed illius manifestationem, per opera facta post ipsam incarnationem; vt enim infra dicemus, Christus D. meruit manifestationem suæ gloriæ, sui nominis, suæ virtutis, meruit gloriam sui corporis, resurrectionem, &c.

244 Tertium argum. desumitur ex Magno Basilio *hom.* 25. vbi loquens de Christi D. humanitate sic dicit. *Dignus fuit diuinitati coniungi*: ergo elicuit aliquod opus bonum per quod fieret digna ad talem coniunctionem cum diuinitate. Resp. quod eo loco Basilius per nomen *digna* intelligitur idem ac congruum, cōueniens, & consentaneum.

245 Quartum argumentū, quia natura diuina exigit triplicē subsistentiam, seu exigit esse in tribus, ad hoc vt complетè subsistat, & tamen antequam habeat secundam, & tertiam personam cum sola prima, scilicet paternitate intelligitur potens ad producendum Verbum: ergo natura humana ante subsistentiā siue propriam, siue diuinam potest intelligi potēs ad producendum aliquem actum. Resp. distinguendo maiorem, natura diuina exigit triplicem subsistentiam adhoc vt agat ad intra, negatur, adhoc enim sufficit vna vt cōstat de natura diuina vt in Patre. Exigit triplicem subsistentiam, vt adæquatè sit communicata ad intra, & adhoc vt agat ad extra, conceditur. Humanitas autem vnam tantum exigit ratione suæ limitationis, & quandiu illam non habet nō poterit agere.

246 Quintum argumentum nam natura effectiuè producit propriā subsistentiam; ergo agit antecedenter ad illam, & sic non omnes actiones erunt suppositorū, ac proinde si semel non repugnat, quod natura habeat aliquam actionem antecedenter ad subsistentiam, poterit habere quamcumque, & sic potuit natura humana Christi se ad assumptionem disponere, eamque promereri. Ad hoc argumentum Lugo *disp.* 8. *sect.* 1. *n.* 8. dicit, quod quando dicimus, quod natura præsupponitur subsistens ad operationes, non debet intelligi respectu actionis, qua producitur ipsa subsistentia, quia ad hanc non requiritur natura subsistens, tum quia daretur processus in infinitum: tum quia productio subsistentiæ tendit ad ponendam eam in suo determinato modo essēdi. Sed hęc solutio non probatur, nam si semel natura potest agere antecedenter ad subsistētiam ad productionem eiusdem, poterit aliam quamcumque actionem producere, si non in vim axiomatis, quod *actiones sunt suppositorum*, quod per Lugum non probat, saltem in vim alterius, quod ille admittit, quod *modus operandi sequitur modum essendi*, cum enim natura humana pro illo priori nondum existat, vt infra dicemus, non poterit operari. Resp. ergo quod subsistentia maximè in natura humana, non producitur effectiuè à natura, sed concreatur à Deo cum ipsa anima rationali, & sic manet in anima separata, aliàs si effectiuè produceretur à natura, ea destructa destrueretur, & sic anima separata non subsisteret, quod dici nequit.

247 Sextum argum. nam licet humanitati debeatur subsistentia creata, non tamen diuina; ergo hæc potuit dari sine inconuenienti post operationem, sicut habitus gratiæ. Resp. quod licet humanitati non debeatur subsistentia diuina, debetur tamen aliqua vt agat. Et sic cum humanitas Christi non habeat propriam, vt ageret debuit dari diuina, quæ vicem creatæ suppleret.

§ IV. *An Christi D. humanitas per potentiam absolutam potuerit mereri vnionem hypostaticam.*

248 Conueniunt omnes, quod si humanitas Christi D. reali duratione cum sua propria subsistentia vnionē hypostaticam præcessisset, eam de congruo mereri potuisset, eo modo quo dub.

seq. dicemus de Sanctis Patribus legis antiquæ. Ratio clara videtur, quia tam multa, tam insignia veræ virtutis opera exercere potuisset, ex diuinæ gratiæ auxilio, vt eorum intuitu, & propter illa Deus eam sibi conferre potuisset, ac proinde ex merito congruo, non tamen condigno, quia nulla pura creatura qualis tunc esset humanitas Christi D. potest mereri vnionem hypostaticam, cum meritum bonorum operum sufficienter extinguatur per gratiæ augmentum, &c. Tum quia cum gratia sit ordinis inferioris hypostatica vnione, non potest deseruire ad merendam rem ordinis superioris de condigno, vt est vnio hypostatica.

249 Difficultas ergo procedit, an dato quod Christi D. humanitas non præcesserit reali aliqua duratione, sed in eodem instanti quo creata fuit, est à Verbo assumpta, an tunc per diuinam potentiam potuerit saltem de congruo mereri vnionem hypostaticam. Prima sententia affirmat. Hanc tradit P. Orlandus hoc loco *disp.* 5. *q* 4. citans Caiet. Lorcam, Lugum, & alios recentiores. Inferentes quod etiã mereri potuisset de congruo suam electionem ad vnionem hypostaticam. Quia cum hæc electio nihil aliud sit quam decretum efficax diuinæ voluntatis ad compensandum meritum, & naturæ lumine clarum sit, eum qui meretur ab aliquo præmium, quod libera voluntate conferendum est, mereri quoque vt efficaciter conferat. Inferunt etiam ex sua sententia quod humanitas Christi pro illo priori potuerit etiam mereri suam prædestinationẽ, si prædestinationis nomine nil aliud intelligatur, quam efficax Dei volitio dandi hanc vnionem.

250 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Natura humana etiam per diuinam potentiam non potuit etiam de congruo per opera in priori natura præcedentia ipsam incarnationem, seu vnionem hypostaticam mereri eandem vnionem hypostaticam, nec subinde electionem ad vnionem hypostaticam, nec prædestinationem suam.* Sic tradunt Cipullus *q.* 2. *ar.* 11. *dub.* 1. *n.* 12. Suarez *disp.* 10. *sect.* 3. Vasq. *disp.* 21. *cap.* 6. & alij communiter, & iam ferè constat ex dictis.

251 Probatur 1. nam omnis operatio naturæ substantialis supponit existentiam siue propriam, siue alienam; ergo ab humanitate Christi D. pro primo instanti in quo producta, & assumpta fuit, non potest prodire actio meritoria qua vnionem hypostaticam mereretur. Antecedens cõstat ex dicto illo communi axiomate, quod actiones sint suppositorum. Conseq. probatur, ad hoc vt aliqua actio esset meritoria vnionis hypostaticæ, deberet saltem prius natura præcedere dictam vnionem, ac proinde deberet præcedere subsistentiam, sed pręcedere non potest, cum actiones sint suppositorum; ergo, &c.

252 Occurrit Orlandus negando antecedens. Ad probationem dicit, quod illud axioma. *Actiones sunt suppositorum*; est solum verum de potentia ordinaria, quia de potentia absoluta nulla videtur implicantia, quod natura substantialis sine subsistentia operetur, dummodo sit existens. Sed contra 1. nam natura prius est compositum substantiale, quàm accidentale; sed si actio non supponeret subsistentiam, prius esset compositum accidentale, quam substantiale, quod implicat; ergo, &c. Maior constat, nam prius ex natura, & actione immanente (qualis esset illa actio meritoria) fieret vnum compositum accidentale, & per accidens, antequam natura haberet esse per se. Quod autem hoc implicet, probatur, quia ens per accidens supponit ens per se: actus secundus supponit actum primum: non potest aliquid tribuere subsistere, seu sustentare accidens, nisi prius subsistat in se; ergo non poterit sustentare actionem si prius in se non subsistat. 2. Nam natura substantialis non potest prius existere quã subsistere, vt enim infra dicemus existentia est vltima actualitas, complens, & perficiens naturam ad essendum, non ad operandum. Præterea, implicat quod aliqua natura detur à parte rei sine existentia: ergo etiam sine subsistentia. Antecedens constat, existentia namque est id quo natura est vltimò extra causas. Conseq. probatur,

batur, nam subsistentia non est id quo vltimò natura est extra causas, sed est id quo est in via ad essendum extra causas media existentia, quæ est vltima rei actualitas; ergo sicut non potest natura agere nisi existat, ita non poterit agere nisi subsistat. Deinde dato, quod subsistentia non existentia esset vltima actualitas, adhuc natura existens, & non adhuc subsistens non posset operari, nam natura per existentiam non respicit operationem, sed esse, at per subsistentiam natura completur in esse operatiuo.

253 Probatur 2: nam si humanitas Christi pro primo instanti quo creata, & assumpta fuit potuit mereri suam hypostaticam vnionem cum Verbo diuino, maximè per bonam operationem procedentem ab auxilio diuino, & accipientem suum valorem, ac dignitatem ab habitu infuso gratiæ sanctificantis; sed hoc implicat; ergo, &c. Maior constat, nam cum opera bona humanitatis Christi D. pro illo priori quo meruit vnionem hypostaticam non acciperent dignitatem, & valorem ab eadem vnione hypostatica, aliàs principium meriti caderet sub merito, debuerunt accipere à gratia sanctificante. Minor ostenditur, nam tunc Christus D. in eodem instanti reali fuisset filius adoptiuus per gratiam sanctificantem, pro illo scilicet priori quo nondum erat filius naturalis, sed merebatur, merendo vnionem hypostaticam. Et fuisset filius naturalis per eandem vnionem hypostaticam. Cum enim in eodem instanti in quo illa gratia sanctificans dignificabat opera ad merendum vnionem hypostaticam non potuerit non esse, debuit suum effectum producere faciendo filium adoptiuum in eo instanti in quo etiam est filius naturalis.

§. V. An Christus D. suam vnionem meruerit.

254 DIco 1. *Christus D. per opera quæ fecit in primo suæ productionis instanti non potuit suam incarnationem promereri*. Sic docent omnes Theologi hoc loco. Ratio clara est, quia omnis actus meritorius, debuit esse, saltem ordine naturæ, prior suo præmio; sed nullus actus Christi potuit esse ordine naturæ prior ipso Christo; ergo, &c. Explicatur hoc, nam vt Christus D. verè dicatur aliquid mereri necesse est, vt vel reali duratione præcedat suam meritoriam operationem, vel si hoc modo non præcedit, præcedat signo rationis, seu naturæ, vel saltem quod concomitanter se habeat, aut non sit in signo rationis posteriori; sed operatio Christi non potuit hoc modo præcedere vnionem hypostaticam; ergo, &c. Non duratione reali quia implicat quod operatio sit Christi, & non adsit vnio hypostatica. Neque signo rationis, seu naturæ; quia operatio Christi debet esse natura posterior ipso Christo, ac proinde ipsa vnione hypostatica. Neque potest esse concomitans; tum quia operatio non concomitatur personam, sed est ipsa posterior saltem natura. Tum etiam quia per operationem concomitantem non meremur nisi posterius, non id quod concomitatur.

255 Dico 2. *Christus D. per actiones subsequentes suam vnionem hypostaticam, neque per diuinam potentiam potuit mereri eandem vnionem hypostaticam à qua suum valorem recipiebant*. Hæc concl. est contra Suarez *disp.* 10. *sect.* 4. vbi tenet potuisse de potentia absoluta dari vnionem hypostaticam Christi ex meritis illius futuris, ante præuisis. Potuit namque Deus efficaci suo decreto per modum intentionis velle Christum existere, & mereri, ex quo decreto, & efficaci intentione videt Christum esse futurum, & habiturum merita, & ex his meritis præuisis voluit incarnationem exequi; sicut ex eadem incarnatione præuisa contulit gratiam B. Virgini. Vnde infert, quod licet nõ potuerit Chri-

stus mereri prædestinationem suæ incarnationis, quia hæc est prima voluntas, primaque intentio Dei, antequam non potuerunt videri merita Christi futura, potuit tamen mereri incarnationis executionem, quia ante voluntatem executiuam potuerũt præuideri merita Christi futura.

256 Cæterum nostram concl. defendit Vasq. *disp.* 21. *cap.* 5. Lugo *disp.* 8. *sect.* 2. *n.* 13. vbi dicit, quod communiter, & merito sententia Suarez reiicitur Orlandus *disp.* 5. *q.* 5. vbi dicit, quod nostram sententiam communiter omnes ferè Theologi sequuntur. Probatur 1. ex illo communi dicto, quod *principium meriti, non potest cadere sub merito*; sed vnio hypostatica est in Christo principium meriti; ergo non potest cadere sub merito. Maior constat, & docent omnes Theologi, & ratio clara est, nam id, quod est principium actionis meritoriæ, non potest esse præmium, aliàs idem esset causa, & effectus respectu eiusdem: principium namque meriti, est causa meriti, & præmium, est effectus illius. Tum quia vt docet S. Doctor 1. 2. *qu.* 114. *art.* 5. *Præmium est terminus, & finis operis.* In omnium Philosophorum sententia, implicat quod idem sit principium, & terminus respectu eiusdem actionis. Minor probatur, nam omnia opera Christi ab vnione hypostatica procedebant, ab eaque suum sumebant valorem; ergo cum vnio hypostatica esset principium meriti, non poterat cadere sub merito.

257 Occurrit Suarez, quod licet idẽ secundum eandem rationem non possit esse principium meriti, & præmium; causa, & effectus, prius, & posterius, bene tamen secundum diuersam rationem: quod sic in nostro casu contingit: nam incarnatio prout in intentione Dei, est principium meritorum, & prout in executione est præmium. Nulla namque est implicantia, quod Deus decreto efficaci per modum intentionis voluerit Christum esse, & mereri, & postea ex meritis sic præuisis, habuerit voluntatem exequendi incarnationem. Sed contra 1. nam ex eo quod Deus decreto efficaci per modum intentionis voluerit Christum esse, & mereri, non sequitur, quod de facto meruerit, sed quod voluerit eum esse, & mereri; ergo ex præuisione futuri meriti, non sequitur, quod de facto meruerit. Meritum namque vt omnes tradunt, reuocatur ad causam efficientem, quæ non agit nisi existat. Quocirca ex eo quod quis præuideat aliquam causam efficientem fore operaturam, non sequitur eam operari, ac proinde ex eo, quod Deus præuideat Christi merita, solum sequitur, quod cognoscantur vt futura, non vt executa, ac subinde non vt producentia suum effectum, scilicet præmiũ.

258 Contra 2. nã merita prçuisa vt futura, nõ prçuidentur, vt exercentia causalitatem suã sed solum præuidentur vt habitura valorem ex vnione hypostatica, non vt actu habentia valorẽ; ergo vt sic prçuisa non possunt mereri quod vnio hypostatica ponatur. Antecedens constat. Conseq. probatur, nam vt mereri possent vnionem hypostaticam deberent vt futura habere valore, sed vt futura non habent valorem, sed sunt habitura; ergo, &c. Si namque res futura haberet valorem, & præmiari posset, posset etiam malum futurum puniri, & sic posset Deus peccata futura punire, quod nemo dicit.

259 Contra 3. nam principiũ merendi in Christo non est incarnatio vt in intẽtione, sed vt in executione, ergo si semel per Suarez incarnatio cadit sub merito, vt in executione cadet sub merito vt est principium meriti. Antecedens ostẽditur, nam incarnatio non est principium meriti, nisi prout existens, ac proinde prout executa; ergo, &c. Antecedens ostenditur, quia vt dicebamus causa meritoria est causa efficiens, sed causa efficiens non agit nisi vt existens; ergo, &c. Meritum namque respicit præmium vt effectum, ac proinde vt causa efficiens. Tum quia opera Christi nõ erant meritoria, nisi prout reflexiua erant supra suppositum, vel nisi prout suppositũ est quædam circunstantia *quis*, sed vtroq; modo dictæ operationes supponunt suppositum Christi vt existens ad hoc vt ab eo suam dignitatem, suumuè valorem recipiant; ergo, &c. Tum etiam quia merita Christi vt futura non possunt esse meritoria

ria

tia incarnationis Christi vt futuræ, ergo neque possunt esse meritoria incarnationis vt existentis. Antecedens constat, nã merita Christi vt futura supponunt incarnationem vt futuram, ac proinde non possunt illam mereri, quod enim supponitur, non meretur per id à quo supponitur. Conseq. probatur, nam prius est incarnationem esse futuram, quàm esse executam, ergo si merita vt futura non merentur incarnationem vt futuram, neque eam merebuntur vt executam. Maximè quia opera Christi non sunt meritoria, nisi vt egrediuntur ab ipso, ac proinde nisi vt supponunt incarnationem vt executam.

260 Probatur 2. implicat, quod quis mereatur suum primum meritum, implicat, quod quis mereatur primam virtutem merendi, ipsum merendi principium: sed si Christus D. per opera subsequentia mereretur suam incarnationem mereretur suum primum meritum, mereretur suam primam virtutem merendi, suum merendi principium. ergo; &c. Maior cõstat, nam si quis meretur suum primum meritum, iam primum meritum non esset primum: nec prima virtus merendi esset prima: nec primum merendi principium esset tale, sed illud aliud. Minor probatur, nam meritum datur vt per præmium remuneretur, præmium namque datur ad remunerandum meritum, cum eoque comparatur, vt effectus cum sua causa, vnde exigit distinctionem primum meritum à primo præmio. Neque potest quis mereri primam virtutem merendi, quæ in Christo D. est vnio hypostatica. Cũ enim valor meritorũ Christi proueniat ab vnione hypostatica, hæc erit prima virtus merendi, prima virtus valoris, ac proinde non potest cadere sub merito, aliàs principium merendi caderet sub merito.

261 Probatur 3. nam si opera Christi vt ordine præuisa possent esse meritoria incarnationis vt executæ, seu vt est in ordine executionis, ac proinde si diuersitas ordinis intentionis, & executionis sufficeret vt id quod est præuisum in vno ordine mereretur se ipsum sub alio, vt v. g. executum, sequeretur nullam esse repugnantiam, quod homo iustus per primum actum meritorium v.g. per primum actum contritionis, vt præuisum mereretur eundem actum contritionis; hoc est falsum; ergo & illud ex quo sequitur. Sequela constat ex illa sententia P. Suarez. Minorem probo, nam aliàs prima gratia, primum auxilium efficax ad actum meritorium, v.g. contritionis, caderet sub merito, & sic iam gratia non esset gratia: imò homo mereretur habitum ipsum infusum à quo ille primus actus procedit, vnde nil esset supernaturale in homine, quod esset omnino gratis, ac subinde nil esset gratis concessum, sed merces ex merito data.

262 Probatur 4. nam licet merita futura, vt præuisa moueant, non tamen nisi vt videntur exstitura, & secundum valorem quem habebunt, quando reipsa existent; sed quando re ipsa existunt, non possunt mouere ad ponendum id, quod iam habent, ergo quando præuidentur, non possunt mouere vt re ipsa à parte rei ponantur. Vnde cum merita Christi futura non habeant valorem nisi ex vnione hypostatica vt posita, sequitur, quod non possunt illam mereri. Soluuntur argum. in contrarium.

263 Primum argum. quo arguit Suarez est exemplum vulgare de Rege dante militi arma, & equum anticipata solutione pro meritis, seu seruitio ponendo armis, & equo instructo, sed in hoc casu equus, & arma sunt principium merendi, & tamen dantur ob merita; ergo, &c. Resp. quod in dicto casu equus, & arma non dantur vt præmium meritorum futurorũ, cum nondum sint, sed dantur gratis, licet sub conditione futuri obsequi, seu seruitis, seu dantur sub conditione operum futurorum, ita quod ijs positis equus, & arma fiant ipsius militis, & ijs non positis restituantur. Quocirca equus, & arma ab initio data sunt militi non quia ea meruerit, sed vt ea mereretur per obsequium; seu seruitium pro rege præstandum.

264 Secundum argum. nam gloria æterna in intentione præcedit merita, & tamen in executione datur propter merita;

ta; ergo etiam vnio hypostatica in intentione præcedet merita, & in executione erit propter merita. Antecedens constat ex dictis 1. *p. de prædest.* nam prius intelligimus Deum prædestinare ad gloriam, seu velle dare gloriam, & tamen in executione gloria non datur nisi ob merita, aliàs non daretur per modum coronæ. Conseq. probatur, si namque non implicat, quod Deus intendat gloriam, postea dandam ex meritis, ita non repugnabit, quod Deus velit incarnationem postea exequendam per merita. Resp. concedendo antecedens & negando conseq. ratio discriminis est, quia positio gloriæ, seu consecutio illius non est principium merendi in prædestinato, sed est gratia, ipsi prædestinato concessa. At in Christo executio incarnationis est principium merendi, ac proinde non potest esse terminus illius.

265 Tertium argum. per quod solutio data impugnatur, est: nam licet incarnatio vt executa sit principium merendi in Christo, tamen Christi merita in intentione, seu vt præuisa non procedunt ab incarnatione prout executa, sed prout in intentione, ac proinde licet non possint illam mereri vt in intentione, bene tamen vt in executione. Tum quia merita vt præuisa antecedunt incarnationem; ergo possunt illum promereri. Resp. negando antecedens, Christi namque merita non habent valorem ab vnione hypostatica vt futura, sed vt est re ipsa executa. Vnde licet merita Christi vt præuisa antecedant incarnationem vt executam quasi ordine durationis, non tamen ordine causalitatis; cum enim accipiant valorem, & dignitatem ab vnione hypostatica, ab ipsa dependent in genere causæ efficientis, ac proinde non potest in eodem genere vnio hypostatica ab illis dependere.

266 Quartum argum. nam demus, quod Deus decreuerit dare humanitati Christi aliquam subsistentiam vagam, & indeterminatam, cum qua potuit videri bene operari, & mereri, ex quo merito potuit Deus moueri ad dandam illi subsistentiam determinatam Verbi diuini; ergo tunc meruisset vnionem hypostaticam. Resp. quod cum merita sint determinata, debent procedere à causa determinata; tunc autem temporis humanitas non præuideretur vt causa determinata, cum non præuideretur vt subsistens subsistentia determinata, sed indeterminata, & vaga. Vel dicas quod dato illo casu Deus non daret vnionem hypostaticam ex meritis Christi præuisis, quia ista suum valorem sumunt à subsistentia diuina, sed potius ex alijs habitis sub alia subsistentia indeterminata, & vaga.

266 Quintum argum. nam meritum Christi potuit pro aliquo signo priori videri cum solo merito congrui, antequam videatur cum merito condigni, sed Deus pro hoc merito congruo potuit incarnationem decernere; ergo, &c. Minor nota est, Deus enim non solum ob meritum condigni, sed etiam ob meritum congrui potest aliquod beneficium prestare. Maior probatur, nam meritũ Christi potest prius videri vt fundatur in supernaturalitate actus, quam in vnione hypostatica: sed illud est prius isto; ergo. &c. Resp. quod dato merito congrui in Christo, non potest esse nisi dependenter ab vnione hypostatica, ac proinde vnio hypostatica cũ sit principium omnis meriti in Christo, non potest cadere sub merito.

267 Sextum argum. nam de facto Christus D. meruit gratiam Sanctis Patribus veteris testamenti datam; habuerunt namque illi gratiam ex meritis Christi venturi: ergo si opera Christi futura potuerunt mereri gratiam Sanctorum Patrum, potuerunt etiam mereri executionem suæ incarnationis. Resp. quod loquendo propriè Christus D. non meruit gratiam datam Sanctis Patribus, sed dicta gratia fuit data intuitu meritorum illius: nulla namque est implicantia, quod Deus intuitu meritorum Christi dederit antiquis Patribus gratiam. Deinde dato, quod Christus D. propriè meruerit gratiã Sanctorum Patrum, adhuc non sequitur, quod potuerit mereri suam gratiam vnionis. Ratio discriminis est, quia si potuisset mereri suam incarnationem, seu vnionem hypostaticam, iam principium meriti caderet

deret sub merito, non sic merendo gratiã Sanctorum Patrum, cum illa non sit principium merendi, sed terminus meriti, & purum præmium.

268 Septimum argum. quoniam, vt supra tetigimus, Christus D. gratias egit Patri pro beneficio incarnationis, & hæc gratiarum actio fuit æquiualens beneficio; ergo si potuit per opera subsequentia reddere Deo æquales gratias pro beneficio incarnationis, potuit etiam illam scilicet incarnationem promereri. Resp. negando conseq. Ratio discriminis est, quia gratiarum actio potest prouenire ab eodem accepto beneficio, per voluntatem namque agimus Deo gratias, quod nobis dedit eandem voluntatem; at meritum non potest procedere à suo præmio, aliàs præmium esset principium meriti, & terminus, seu effectus illius in eodem genere causæ efficientis. Ex eo autem quod quis per voluntatem gratias Deo agat, non sequitur quod voluntas sit effectus gratiarum actionis, sed solum causa, & principium illius.

269 Octauum argum. nam Christus D. meruit aliquas circumstantias incarnationis; ergo etiam mereri potuit ipsam incarnationem. De hoc argumento erit sermo infra ad q. 19. agentes de merito Christi. Pro nunc dico, quod circumstantiæ incarnationis, siue sint antecedentes, vt gratia parentum, seu progenitorum, maximè B. Virginis, consensus illius, prophetiæ, figuræ de incarnatione, &c. Siue sint concomitantes, vt locus, & tempus incarnationis, quod humanitas sit Verbo, non Patri, aut Spiritui S. vnita. Siue subsequentes, vt laus, & cantus Angelorum, adoratio pastorum, & magorum, Christi resurrectio, &c. sunt in duplici differentia, nam aliæ se tenent per se, & sunt per se requisitæ ex parte principij merendi, quarum existentia ponit, vel auget merita Christi, aut aliquo modo ad illa concurrunt, aut pertinent essentialiter ad rationem vnionis hypostaticæ, vt non esset eadem si non adessent, & de istis dico, quod cum se teneant ex parte principij merendi non potuerunt cadere sub merito: bene tamen illæ, quæ non se tenent ex parte principij merendi, vt gratia progenitorum, prophetiæ, figuræ, locus, & tempus incarnationis, &c. Et sic non potuit mereri, quod incarnatio fieret in persona Verbi, non Patris, aut Spiritus S. sed de his loco citato.

§. VI. An in Christi D. humanitate præcesserit aliqua dispositio ad incarnationem.

270 PRima sententia est, quod in humanitate præcesserit aliqua dispositio, per quam disponeretur, & præpararetur ad vnionem hypostaticam, & hæc fuit gratia habitualis, quæ in humanitate Christi fuit infusa antecedenter ad incarnationem, & per illam dicta humanitas fuit disposita, & coaptata, vt à persona Verbi assumeretur, non quod humanitas in aliqua prioritate temporis recepetit gratiam, & postea vnionem, sed solum in prioritate naturæ. Sic tenent Alexand. Bonau. Gabriel, Ricard. Palud. & alij Scholastici, vt testatur N. Orlandus *hic disp. 5. q. 1. n. 1. in fine.*

271 Nostra sententia sequenti conclusione explicatur. *In Christi D. humanitate nulla dispositio præcessit, neque gratia habitualis.* Sic expresè tradit S. Doctor *hac q. 2. art.* 10. vbi sic habet. *Si gratia accipiatur ipsa Dei voluntas gratis aliquid faciens, vel gratum, seu acceptum aliquem habens; vnio incarnationis facta est per gratiam. Si verò gratia dicatur ipsum gratuitum Dei donum, sic ipsum quod est humanam naturam esse vnitam personæ diuinæ potest dici quædam gratia, in quantum nullis præcedentibus meritis, hoc est factum, non autem ita, quod sit aliqua gratia habitualis, qua mediante talis vnio fiat.* D. Thomam sequuntur omnes expositores hoc loco, præcipuè Orlandus loco citato, Cipullus *art.* 10. & alij communiter.

272 Probatur 1. ratione desumpta ex D. Tho. *d. art.* 10. nam licet potentia quæ eleuatur ad operationem transcendentem debeat confortari per habitum, vt patet de intellectu cum eleuatur ad eli-

eliciendum actum fidei, aut visionis beatificæ, & de voluntate cum eleuatur ad actum charitatis siue viæ, siue Patriæ, tamen quando natura ipsa eleuatur ad esse supernaturale, nullo indiget habitu; vnde cum anima eleuatur per gratiam, non indiget alio habitu, sed sufficit potentia obedientialis, ita cum eleuatur ad esse personæ diuinæ non indiget alio habitu, sicut non indiget habitu cum eleuatur ad esse propriæ personæ.

273 Probatur 2. nam gratia siue habitualis, siue alia quæcumque datur Christo propter vnionem hypostaticam, vnde ad illam consequitur tanquam posterius à suo priori; ergo non potest ad illam disponere humanitatem. Conseq. constat, quod enim aliud supponit, eoq; posterius est, non potest ad illud disponere, aliàs non esset posterius, sed prius: nō supponeret, sed supponeretur. Antecedens probatur, quia vnio hypostatica non solum est finis totius gratiæ, tum Christo, tum omnium aliorum, sed etiam est principium efficiens, sicut essentia est principium efficiens suarum proprietatum, & passionum, ergo, &c.

274 Sed occurres 1. nam vt diximus in *tract. de gratia*, & infra etiam dicemus, actus dilectionis, & cōtritionis, sunt in eodem instanti cum gratia, & charitate, ab illis procedunt in genere causæ efficientis, supponuntque in genere causæ formalis, & efficientis, & tamen præcedunt in genere causæ materialis dispositiuæ: ergo eodem modo in Christo D. actus dilectionis quem in instanti incarnationis elicuit, potuit esse posterior ipsa gratia sāctificante in genere causæ formalis, & efficientis, & hoc modo fuit posterior ipsa vnione hypostatica, & potuit præcedere in genere causæ materialis dispositiuæ, eandem gratiam, charitatem, & vnionem hypostaticam.

275 Sed contra, nam licet illa doctrina de prioritate, & posterioritate in diuerso genere causæ admitti possit etiam in Christo D. inter gratiam, charitatem, & dilectionem, vt gratia, & charitas præcedant in genere causæ formalis, & efficientis, & dilectio præcedat in genere causæ materialis dispositiuæ, non tamen admitti potest, in ordine ad vnionem hypostaticam quatenus vnio hypostatica præcedat in genere causæ efficientis, & formalis, & actus dilectionis in genere causæ materialis dispositiuæ. Nam prioritas, & posterioritas admittitur inter res eiusdem ordinis, & generis, vt inter habitum, & actum; non inter res diuersi generis, vt inter vnionem hypostaticam, & actum dilectionis. Maximè quia vnio hypostatica cum sit primum esse, & omnino independens à quocumq; habitu, vel actu creato, non potest in aliquo genere esse posterior.

276 Occurres 2. nam gratia sanctificans ponitur in anima, non in humanitate; ergo antequam humanitas assumatur, iam anima est per gratiam sanctificata, ac proinde disposita vt assumatur; dispositio autem animæ, ad humanitatem descendit. Sed contra, nam licet gratia ponatur in anima, non tamen antequam subsistat, & loquendo de anima Christi D. gratia sanctificans fuit in ea infusa post vnionem hypostaticam, ac proinde non potuit ad eam disponere. Soluuntur argumenta in contrarium.

277 Primum argum. desumitur ex D. Tho. *in 3. dist. 2. q. 2. art. 2.* vbi apertè docet, quod Christi humanitas se disposuit ad vnionem hypostaticam per gratiā sanctificantem, quod etiam videtur tenere *infra q. 7. art. 12.* quatenus dicit, quod gratia habitualis ordinatur ad gratiam vnionis, ac proinde quod sit quoddā medium ad illam, ac subinde priorem ordine executionis. Resp. cum Caiet. *infra q. 6. art. 6.* quod re vera S. Doctor illo loco sententiarum tenuit illam sententiam, quā hoc loco retractauit. Quod autem infra *d. q. art. 12.* dicit, quod gratia habitualis ordinetur ad gratiam vnionis, non est cōtra nos, nam non omnia media sunt suo fine priora ordine executionis, vt contingit cum finis est causa efficiēs mediorum, solum sunt priora, quando efficiunt finem. Vnde Deus est finis omnium creaturarum, & tamen non eum efficiunt, vt patet.

Secun-

278 Secundum argum. nam in corpore Christi præcessit vnionem dispositio, scilicet optimum temperamentum primarum qualitatum, ex quo sequeretur optima dispositio, & elegantissima pulchritudo; ergo etiam in anima debuit præcedere optima dispositio, & insignis pulchritudo spiritualis per gratiam. Resp. 1. negando conseq. Ratio discriminis est, quia temperamentum primarum qualitatum, non est propria dispositio ad vnionem hypostaticā, sed sine ea potuit esse. At gratia cum petat oriri ab vnione hypostatica, non potest illā præcedere. Resp. 2. melius, quod ante vnionem hypostaticam, non potuit in humanitate esse aliquod accidens, ac proinde neque temperamentum; cum enim esse secundum quid supponat esse simpliciter, non potest natura recipere accidens, quod dat esse secundum quid, antequam subsistat, & habeat esse simpliciter.

279 Tertium argum. nam maximè distantia non vniuntur nisi media aliqua dispositione, quæ minus distet ab vtroque extremo, vt patet in visione beatifica, vbi essentia diuina non vnitur intellectui, nisi disposito per lumen gloriæ; ergo cum natura humana maximè distet à subsistentia Verbi diuini, non illi vnietur nisi per gratiam, aut aliam similem qualitatem disponatur.

280 Ad hoc argum. respondet P. Orlandus *dicta disp.* 5. *q.* 1. *n.* 2. negando antecedens, quia, inquit, sufficit voluntas Dei ad hoc quod extrema quantumuis distantia possint vniri. Et *n.* 3. concedit, quod intellectus de potentia Dei absoluta potest videre Deum sine lumine gloriæ, solum enim lumen gloriæ requiritur vt intellectus quasi connaturaliter videat Deū, & Deus sit obiectum proportionatum intellectus.

281 Cæterum hæc responsio non placet, nam ad hoc vt aliqua duo extrema vniantur debent intrinsecè esse coaptata, nec per extrinsecam Dei voluntatem coaptantur. Quocirca diximus supra, quod sine modo vnionis non potest natura humana vniri diuinæ subsistentiæ, cum sine ea nec proportionetur, nec coaptetur. Vnde diximus quod vnio habet duo munia, vnum coaptandi, & proportionandi naturam humanam diuinæ personalitati, & aliud eam vniendi. Nec id quod dicit Orlandus, quod intellectus beati potest sine lumine gloriæ per diuinam potentiam videre Deum placere potest, cum iam constet esse falsum ex dictis 1. *p. disp.* 12. *De visione Dei*. Nec etiam est verum, quod lumen gloriæ detur ad hoc vt Deus sit obiectum proportionatum intellectus, cū lumen gloriæ non detur ad proportionandum obiectum potentiæ, sed ad proportionandam potentiam, eam eleuando, & complendo, vt fiat capax recipiendi diuinam essentiam per modum speciei, & vt simul cum ipsa producat visionem beatam.

§. VII. An incarnatio fuerit ita libera, vt potuerit fieri solum ad certum tempus vt ad triennium, &c.

282 SVpppono incarnationem fuisse liberè factam, omnia namque quæ Deus ad extra operatur, liberè operatur. Dico ad extra, nam ad intra nihil Deus liberè operatur. Nam licet Scotus, & alij velint processionem Spiritus S. esse liberam, tamen modus loquendi Scoti in re non differt à modo loquendi aliorum, qui dicunt dictam processionem non esse liberam, sed necessariam. Pro quo nota, quod Scotus admittit in voluntate duplicem libertatem, vnam indifferentiæ, qua voluntas potest agere, vel non agere; agere hoc, vel illud, & hanc non habet diuina voluntas ad intra, sed solum ad extra; solæ namque creaturæ possunt esse, & non esse, habent indifferentiam ad essendum, & non essendum; non sic Spiritus S. Vnde eius processio per Scotum, est solum libera libertate essentiali, seu voluntaria, quam libertatem essentialem alij vocant naturam. Quocirca diuina voluntas ad intra est natura, & ad extra, est libertas. Melior tamen modus loquendi est, quod processio Spiritus S. sit necessaria, non libera libertate essentiali.

283 Difficultas præsens est, an incarnatio taliter sit libera, vt potuerit Deus habere decretum de ea ponenda ad tempus determinatum, vt ad triennium, aut decennium, an verò ex suppositione, quod Deus eam decreuerit, debuerit eam velle pro semper, & in perpetuum, vt neque de potentia Dei absoluta possit Verbum diuinum dimittere humanitatem assumptã. Hoc idem quæri solet de beatis, an scilicet possit Deus assumere aliquem ad beatitudinem ad tempus, an solum in perpetuum, vt neque de potentia absoluta possit Deus beatos dimittere.

284 Prima sententia tenet, quod Deus neque de potentia absoluta potuit habere decretũ de incarnatione ad tempus, sed ex suppositione quod voluit incarnari debuit habere decretum de assumenda humanitate in perpetuum, taliter quod nullo modo possit humanitatem assumptam dimittere. Idem dicunt de beatis, quod scilicet non possit Deus assumere aliquem ad beatitudinem ad tempus, sed ex suppositione assumptionis ad illam, debet eum in perpetuum in ea conseruare, vt neque de potentia absoluta possit eum dimittere. Sic tradũt quidam moderni, quod etiam in suis conclusionibus hic Romæ impressis, disputationi exposuerunt.

285 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Potuit Deus habere decretum de assumenda humanitate, ad tempus, v. g. ad triennium, decennium, &c. & postquam eam assumpsit, potest de potentia absoluta eam dimittere; idem dico de beatis, quod scilicet possit Deus eos ad tempus assumere ad beatitudinem, & postquam eos assumpsit, potest de potentia absoluta eos dimittere.* Hanc conclusionem supponunt omnes Scholastici, & Theologi, quatenus dicunt, quod Deus de potentia absoluta potest omnes damnatos ab inferni pœnis liberare, & potest omnes beatos à paradisi gaudijs deicere. Item dicere solent, quod si Deus vellet dimittere Christi humanitatem, & omnes beatos dimittere, & ego possem hoc impedire committendo vnum solum veniale, non possem illud committere, & potius deberem permittere, quod Deus dimitteret humanitatem, &c.

286 Pro intelligentia huius difficultatis nota ex dictis à nobis *De iustitia, & iure disp. 3. n. 14. cum seq.* quod Theologi duplicem distinguere solent potentiam in Deo, scilicet ordinariam, & extraordinariam: potentia ordinaria est illa, quæ intelligitur operari secundum leges communes, & cursum communem rerum. At potentia extraordinaria est illa, quæ non operatur secundum communem rerum cursum, attendendo ad leges communes diuinæ sapientiæ, & prouidentiæ, sed præscindendo, vel ab omni respectu, vel solum ab vno, vel altero. Si præscindat ab omni respectu, dicitur potentia absoluta, quia secundum se solum consideratur; licet enim in re nunquam possit diuina omnipotentia absolui ab omni respectu diuinæ dispositionis, diuinæ regulæ, legumque diuinarum, nihilominus potest considerari secundum se, quò modo diuina omnipotentia dicitur absoluta, cum ab omni ordine absoluatur, ab omni lege, ab omni regula. Quod si præscindat solum ab vno, vel altero ordine dicetur extraordinaria, quæ etiam vocari solet ordinata, quia licet non procedat secundum communem cursum operandi, non tamen præscindit ab omni ordine diuinæ sapientiæ, sed solum à communi; nam cum diuina sapientia habeat infinitos modos operandi, cum respiciat infinitos rerum ordines, secundum quos potest de rebus creatis tractare, & disponere, sequitur, quod licet vnum v.g. ordinarium, & communem relinquat, alium tamen assumit, ac proinde secundum quemcunque operetur, semper ordinatè operabitur, & secundum regulas rectas. Quocirca si modo Deus nouũ mundum crearet, aut alium Solem, aut nouam Stellam: si aliquem de inferno eriperet, si aliquem è Paradiso deiceret, si Christi humanitatem dimitteret, aut quodcumque miraculum faceret, secundum potentiam ordinatam ageret, quia omnia essent tũc regulata secundum sapientiam diuinam, non quidem attento communi re-

rerum cursu, sed alio superiori, & extraordinario. Vnde miracula quæ facit Deus licet non sint secundum communem cursum, seu secundum communes, & ordinarias operandi leges, ac proinde non sint actus potentiæ ordinariæ, nec sint actus potentiæ absolutæ, quia hæc non respicit operationis exercitium, sed secundum se præcisè operetur, & consideretur, nullo attento rerum ordine, nulla attenta regula diuina, nulla considerata conuenientia, nullo attento diuinæ sapientiæ respectu, sunt tamen actus potentiæ extraordinariæ, seu ordinatæ, quæ licet non respiciat communem operandi modum, respicit tamen aliquem superiorem, secundum quem Deus non numquam operatur.

287 Hanc doctrinam explico loco cit. *n.*15. exemplo potestatis, seu potentiæ cuiuscumque Principis, vel reipublicæ, nam Pontifex v.g. per potentiam, seu potestatem ordinariam operatur secundū ius commune, seu secundum leges communes, *cap. innotuit, de elect. cap. proposuit, § licet autem, de concess. præbend.* & ex alijs iuribus tradunt Mandos. *ad reg.*16. *Cancell. q.*6. *n.*6. Menoch. *lib.*2. *præsumpt.*12. *n.*1. Mench. *illustr. cap.*26. *n.*8. & alij. At per potentiam, seu potestatem extraordinariam, quæ vocatur potestas plena, seu plenitudo potestatis, operatur supra, vel præter, vel contra ius commune. Vnde notant Bald. *in l.*2. *C. de seru. & aqua, & in l. impetratam, C quæ sent. rescindi non possit, & in cap. si quis autem, de pace Constantiæ,* Marta *de clauf. p.*1. *clauf.*259. *n.*1. & alij, quod plenitudo potestatis est illa, cuius causa non est inquirenda in Principe, & per hanc potestatem concedit Princeps priuilegia, exemptiones, &c. Et licet tunc Princeps non sequatur leges communes, tamen prudenter, & ordinatè agit, sequendo aliud dictamen superius, & nobilius. Sic Deus licet secundum potentiam extraordinariam ordinatam non sequatur communes leges, seu communem operandi cursum, & modum, ordinatè tamen & regulatè operatur, sequendo aliam regulam superiorem, & altiorem, per quam in legibus communibus dispensare censetur, & priuilegia concedere, &c.

288 Puto ergo non posse vllo modo negari; quod Deus de potentia absoluta secundum se, quæ non respicit operationis exercitium, quæ nullam respicit diuinæ sapientiæ regulam, sed solam factibilitatem vt sic, possit dimittere humanitatem Christi, assumere ad gloriam omnes damnatos, & deicere è Paradiso omnes beatos. Cum enim potentia absoluta Dei non respiciat nisi factibilitatem secundum se, & ista secundum se sint factibilia, nullam inuoluunt repugnātiam, vt ponantur secundum se, præscindendo à quocumq; ordine, & decreto diuinæ voluntatis, &c.

289 Puto etiam non posse negari, quod Deus de potentia ordinaria non possit dicta præstare, non attendendo ad communem rerum cursum, & modum operandi, sed ad superiorem, & altiorem, vt si Deus vellet dimittere humanitatem, vt eam, vel aliam Pater, aut Spiritus Sãs sumerent. Si enim Deus cognosceret, magis expedire ad ostensionem suorum attributorum, quod Christi humanitas dimitteretur, & quod aliam Pater, & Spiritus S. assumerent, negari non posset quin hoc fieri posset, non attento communi rerum cursu, sed alio superiori, & altiori.

290 Difficultas ergo potissima quæ versatur inter quosdam modernos est, an Deus attento hoc rerum cursu potuerit habere decretum de retinenda humanitate solum ad certum tempus, vt ad decennium, &c. negant isti, affirmamus nos in nostra conclusione.

291 Probatur 1. nam incarnatio potissimè facta est ad redimendum genus humanum; ergo isto fine habito potuit Deus dimittere humanitatem. Antecedens constat ex dictis supra. *Venit enim Filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat.* Vnde potuit Deus habere decretum quo decerneret, quod habito isto fine cessaret sustinere humanitatem, quando fuit anima à corpore separata per mortem. Consequ. probatur, nam inducta ad vnum finem, non est necesse, quod extendantur alterius, sed possunt cessare maximè quando ex plenissima libertate

procedunt, vt in nostro casu contingit, Quę namque necessitas fuit, quod habito fine redemptionis humanę per separationē animę à corpore continuaret subsistētia diuina? Deinde nonne potuit Deus habere decretum, quod anima Christi D. maneret à corpore separata, & non fieret resurrectio nisi ad mundi finem, quando omnes resurgemus? ita potuit habere decretum, quod toto eo tempore quo anima maneret separata à corpore, etiam maneret separata à diuinitate, & Verbi diuini personalitate.

292 Probatur 2. nam quæ Deus ad extra operatur, liberè, & eo modo quo vult operatur, & secundum propositum, seu decretum voluntatis suæ; ergo sicut de facto habuit decretum de ita assumenda humanitate, vt nunquam eam dimitteret, ita potuit habere decretum de assumenda humanitate, eaque retinenda quousque genus humanum redimeret, & non vltra, aliàs Deus solum liberè humanitatem assumpsisset, non liberè retineret, sed necessariò, quod est falsum; nam cum conseruatio sit continuata productio, sequitur, quod si productio est libera, etiam conseruatio erit libera; & sic si assumptio humanitatis fuit libera, etiam illius retētio debet esse libera. Tum quia ideo de facto Verbum non dimittit humanitatem, quia fuit decretum de ea non dimittenda, ergo si Deus habuisset decretum de ea dimittenda, liberè dimitteret, & hæc magis patebunt ex solutionibus argum.

293 Primum argu. est, quia si Deus dimitteret humanitatem semel assumptā, violaret leges perfectæ amicitiæ; hoc non potest esse in Deo; ergo, &c. Minor nota est. Maior probatur, nam de ratione perfectæ amicitiæ est, quod sit perpetua, & non violetur, seu non rumpatur nisi contingat defectus ex parte alterutrius; sed in nostro casu non potest contingere defectus ex parte Dei vt patet: neq; ex parte humanitatis, cum sit impeccabilis; ergo, &c. Hoc argumentum procedit etiam de beatis, quod scilicet eorum amicitia sit indissolubilis, cum neq; ex parte Dei, neque ex parte ipsorum, defectus in tali amicitia contingere possit. Resp. negando maiorem. Ad probationem dico, quod de ratione amicitiæ est, quod sit perpetua quandiu manet fundamentum illius; fundamentum autem amicitiæ dupliciter tolli potest, vel per defectum moralem, scilicet culpam, & hoc modo tolli non potest, cum neque ex parte Dei poni possit cum sit indefectibilis, neque ex parte humanitatis, cum sit impeccabilis. Vel tolli potest physicè per destructionem vnionis physicè, & hoc modo hoc fundamentum amicitiæ destrui potest, destructo autem fundamento corruit ædificium, licet aliàs secundum se esset perpetuum, *l. nam origo, ff. quod vi, aut clam, l. egi tecum, ff. de except. rei vendic. & cap. cum Paulus 1. q. 1.* Exemplum habemus in amicitia humana quæ per mortem soluitur, mors namque omnia soluit, *Authent. de nuptijs, §. deinceps, collat. 4.* Anton. de Butrio *cons. 58.* Decian. *cons. 1. n. 10. lib. 1.* Sebast. Medices in suo egregio tract. *Mors omnia soluit.* Gonzal. *ad reg. 8. Cancell. glos. 15. n. 3.* Cardin. Tusch. *litt. M. concl. 391. per totam*, vbi *n. 7.* post Socin. Iun. *cons. 112. n. 9. lib. 1.* dicit, quod per mortem quis dicitur relinquere parentes, filios, amicos, & totum mundum, quia mors omnia extinguit, & soluit.

294 Secundum argum. nam licet Deus potuerit non assumere humanitatē, tamen ex suppositione quod eam voluit assumere, debuit eam assumere modo sibi magis conuenienti, & humanitati magis expedienti, & vtili; sed magis conuenit Deo, & est magis vtile humanitati, quod assumptio sit perpetua; ergo, &c. Minor probatur, quia non videtur Deo decens, quod ea humanitas quę adeo exaltata est, vt assumeretur ad esse diuinum vt esset filius Dei naturalis, primogenitus mortuorum, primus prædestinatorum, &c. postea dimittatur. Nec est vtile humanitati, quod dimittatur, cum omnia prædicta bona, & alia innumera amittat. Resp. quod licet nobis modo videatur magis conueniens, quod humanitas assumatur perpetuò, tamen potuit Deus saltem pro exercitio suæ libertatis eligere quod est minus conueniens;

niens; vt enim supra vidimus, non illud est magis conueniens, quod est maius bonum in se, sed quod est à Deo volitum; sola namque electio diuinæ voluntatis vnius rei præ alia facit, quod res electa sit hic, & nunc magis conueniens, nec Deus semper facit, quod est magis vtile, & magis bonum creaturæ, aliàs debuisset plures humanitates assumere, maiora beneficia conferre, maiores gratias largiri, cum potuisset; & non fecit, vt patet, sed fecit, quod sibi placitum fuit.

DVBIVM XIV.

An antiqui Patres qui Christum præcesserunt meruerint incarnationem, quoad substantiam.

295 CONueniunt omnes Scholastici, & Theologi hoc loco, quod antiqui Patres non meruerint incarnationem Verbi diuini de condigno: merita namque puri hominis quantumuis iusti, & Sancti sufficienter absorbentur, & adæquantur per augmentum gratiæ, & gloriæ. Tum quia res ordinis inferioris non potest condignè pertingere ad rem ordinis altioris, & longè excellentioris; gratia autem vnionis hypostaticæ longè excedit quamcumque gratiam cuiuslibet iusti, qui sit purus homo, & non homo Deus.

296 Difficultas est, an eam meruerint de congruo tum secundum se, tum quoad executionem. Pro quo nota, quod in mysterio incarnationis tria considerari possunt. Primò eius prædestinatio, seu decretum Dei efficax de incarnatione ponenda. Secundò, eius executio simpliciter, & absolutè sumpta, quo modo distinguitur à decreto, hoc enim fuit ab æterno, & executio facta est in tempore. Tertiò considerantur circumstantiæ, de quibus dicemus dub. sequ. Puto omnes debere conuenire, quod Sancti Patres non meruerint neque de congruo incarnationem primo modo, prout scilicet dicit eius prædestinationem, seu decretum de ea ponenda. Cum enim actus Dei quo Deus decreuit incarnationem sit æternus, & ante præuisionem meritorum Sanctorum Patrum, non potest cadere sub merito. Licet enim putem actum Dei vt ponit aliquid ad extra posse cadere sub merito, qui enim meretur Petri conuersionem, v. g. per actum dilectionis Dei super omnia, meretur quod Deus concurrat ad talem dilectionem, sine qua poni non potest, tamen prout actus Dei est æternus, vt est decretum de incarnatione ponenda, sub merito cadere non potest, aliàs merita in aliquo saltem signo præcederent illud liberum Dei decretum. Et sic tota difficultas reuocatur ad executionem incarnationis, ac subinde ad actum Dei quo in tempore eam exequitur, cum non ponat in numero cum incarnatione vt executa, de qua re, & difficultate.

297 Prima sententia est, quod Sancti Patres non meruerint de congruo executionem incarnationis. Pro hac sententia M. Cipullus q. 2. art. 11. dub. 2. num. 3. citat Marsilium, Scotum, Antonium Pantussum, Franciscum Peccardentium, & Vasquezium, quibus addo Mæratium *hic disp.* 15. *sect.* 1. Orland. *disp.* 5. *q.* 6. & Lugo *disp.* 8. *sect.* 4. *n.* 31. dicens esse communem recentiorum.

298 Nostra sent. seq. concl. explicatur. *Sancti Patres qui præcesserunt incarnationem, eam meruerunt de congruo quoad eius executionem.* Sic Sanctus Doctor *hic q.* 2. *art.* 11. vbi sic habet. *Neque etiam opera alterius cuiuscumque hominis potuerunt esse meritoria huius vnionis ex condigno. Primò quidem, quia opera meritoria hominis propriè ordinantur ad beatitudinem, quæ est virtutis præmium, & consistit in plena Dei fruitione. Vnio autem incarnationis cum sit in esse personali transcendit vnionem beatæ mentis ad Deum, quæ est per actum fruentis, & ideo non potest cadere sub merito. Secundò, quia gratia non potest cadere sub merito, quia est merendi principium. Vnde multo minus incarnatio cadit sub merito, quæ est principium gratiæ, secundum illud* Ioan. 1. *Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. Tertiò, quia incarnatio Christi est reformatiua totius humanæ naturæ, & ideo non cadit sub merito alicuius hominis*

nis singularis, quia bonum alicuius puri hominis, non potest esse causa boni totius naturæ. Ex congruo tamen meruerunt Sancti Patres incarnationem, desiderando, petendo: congruum enim erat vt Deus exaudiret eos, qui ei obediebant.

299 Occurrit Mæratius loc. cit. mentem D. Thomæ esse, quod Sancti Patres meruerint incarnationem quoad aliquas eius circumstantias. Sed contra, nam S. Doctor id concedit Sanctis Patribus, quoad meritum congrui, quod illis negat quoad meritum condigni, sed vt patet ex verbis relatis, negat Sanctis Patribus meritum condigni quoad ipsam incarnationē, & non quoad circumstantias, cum nullam faciat mentionem circumstantiarum; ergo, &c. Tum quia glossa Mæratij est contra interpretationem Caietani in illo loco, *vers. Tertia conclusio*. Vnde D. Thomam sequuntur omnes eius discipuli hoc loco.

300 Probatur 1. ex Sacra Scriptura, Psalm. 11. dicitur. *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus.* Et Isa. 19. habetur. *Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem, & propugnatorem qui liberabit eos.* Item rogabant. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, &c.* Orabant namque Sancti Patres, & petebant executionem incarnationis. Isa. 45. 64. & alibi. Oratio autem teste D. Thoma 2. 2. *q.* 83. *art.* 15. est meritoria illius, quod petitur, quando fundatur in amicitia, & charitate, vt erant orationes Sanctorum Patrum, ergo merebantur executionem incarnationis de congruo, cum illam mereri non possent de condigno. Meritum namque congrui fundatur in amicitia, secundum quam congruum est, vt amicus exaudiat amicum cum iusta petit.

301 Respondet Lugo, quod Sancti Patres non petebant executionem incarnationis, sed aliquam circumstantiam illius, cum enim certissimè crederent eam esse futuram, non poterant eam petere, sicut nos non petimus diem iudicij, sed petebant accelerationem, & manifestabant desiderium vehemens eiusdem incarnationis. Sed contra, nam Sancti Patres licet crederent incarnationem certò futurum, tamen sub conditione orationis, petitionis, & obsecrationis eorum, ergo non solum petebant incarnationis accelerationem, sed etiam ipsius executionem. Tum quia omnino tenendum est, quod saltem multi ex Sanctis Patribus habuerint reuelationem temporis determinati in quo incarnatio esset facienda, & tamen orabant Deum vt eam faceret, quia sciebant, quod ea temporis determinatio dependeret ex orationibus, & petitionibus sanctorum; ergo licet scirent quod illius executio esset certò futura, cum putauerint esse futuram medijs eorum orationibus, & obsecrationibus, poterant eam petere. Tum etiam quia loca Sacræ Scripturæ adducta non videntur procedere de circumstantia aliqua incarnationis, sed de ipsamet incarnatione. Sic maximè sonat illud Isa. 45. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum.* Et *vtinam disrumperes cælos, & descenderes.* Et illud Psalm. 105. *Visita nos Domine in salutari tuo*; ergo, &c.

302 Impugnatur magis responsio Card. de Lugo, & aliorum; nam si semel Sancti Patres meruerunt accelerationem incarnationis, debuerunt etiam mereri ipsam incarnationis executionem, executio namque incarnationis continetur in acceleratione illius; quid enim est mereri accelerationem v. g. iudicij, nisi quod iudicium hoc tempore exequatur; ergo mereri accelerationem incarnationis est mereri, quod incarnatio exequatur prius quā exequeretur; acceleratio namque non est circumstantia accidētaliter aduenieus, sed est quid imbibitum in ipsa executione.

303 Præterea, nam Deus pro eo signo quo determinauit incarnationem fieri, determinauit etiam tempus quo facienda erat; ergo si Sancti Patres meruerunt accelerationem, meruerunt etiam incarnationem quoad suam substantiam, pro eo tempore ponendam, quod si non meruerunt incarnationem, neque accelerationem meruerunt. Aliàs Deus prius decreuisset incarnationem absque vlla deter-

terminatione temporis, & postea per orationes Sanctorum Patrum determinasset tempus quo fieri debebat, quod esse nequit, nisi vel ponamus in Deo aliquam mutationem, vel dicamus quod illud primum decretum incarnationis secundum se, non fuerit vsquequaque perfectum, cum non se extenderit ad tempus determinatum ex eo, quod Deus pro illo priori nesciuerit determinatè tempus, sed debuerit expectare præuisionem orationis Sanctorum Patrum, &c.

304 Dices, quod quando Deus decreuit fieri incarnationem, decreuit etiam tempus in quo fieri debebat; sed illud primum decreuit independenter ab orationibus, non hoc secundum. Sed contra, nam si Deus determinauit tempus executionis ex meritis Sanctorum Patrum; ergo iam ipsa executio est ex meritis eorūdem SS.PP. licet incarnatio secundum se, vt præscindens à tempore non sit ex meritis, & est hoc quod nos volumus, & sufficit pro nostra conclusione, & pro tuenda sententia D.Thomæ, & Thomistarum. Tum quia decretum Dei fuit de incarnatione determinatè pro tali tempore, ac proinde non potuit non extendi ad orationes Sanctorum Patrum, vt iam diximus, aliàs non esset omnino perfectum.

305 Probatur 2. nam si ob aliquam rationem Sancti Patres non meruerunt de congruo executionem incarnationis, maximè ob rationem Cardinalis de Lugo loco citato, & aliorum, quod aliàs principium meriti caderet sub merito: credebant namque Sancti Patres Christum D. futurum non vtcumque, sed vt mediatorem vniuersalem, & per consequens vt principium omnis gratiæ, quam ipsi habebant, ac proinde intelligebant Christum futurum independenter ab eorum meritis, & orationibus, causa namque non dependet à suo effectu; sed hæc ratio, si semel vera est, destruit etiam sententiam oppositam; ergo, &c. Minor probatur, nam etiam determinatio temporis incarnationis, seu illius acceleratio fuit principium meritorum Sanctorum Patrum; ergo neq; hæc temporis determinatio potuit esse ex meritis Sanctorum Patrum; aliàs principium meriti caderet sub merito, & causa dependeret à suo effectu. Antecedens probatur, nam Christus D. non meruit gratiam Sanctis Patribus, nisi prout fuit in tali tempore determinato, meruit namque Christus D. secundum quod tali tempore, in talibus circumstantijs fuit, & operabatur; ergo, &c.

306 Ad hoc argum occurrit P. Orlandus dicta *disp. 5. q. 6. n. 60.* quod Christus D. meruit auxilia, & merita Sanctorum præcipuè ex eo, quod erat Deus homo, non quia genitus tali tempore, quia eadem vnio hypostatica esse potuisset, etiamsi Christus alio tempore genitus fuisset. Sed contra, nā licet verum sit, quod si Christus D. fuisset alio tempore, meruisset, & mereri potuisset gratiam Sanctis Patribus, tamen de facto meruit isto tempore, secundum quod incarnatio posita fuit isto tempore, & non alio; ergo Sancti Patres de facto habuerunt gratiam ex meritis Christi prout fuit isto tempore, ac proinde si semel Sancti Pa[...] [...]ruerunt incarnationem pro isto tempore, meruerunt causam, & principium suæ gratiæ, & sic principium meriti cadit sub merito.

307 Probatur 3. nam id quod à Deo est prædestinatum sine vllo merito, potest executioni mandari per merita, vt constat ex dictis 1. *p. disp.* 23. *de prædestinatione*, nam electio ad gloriam fit absque præuisione meritorum, & tamen gloria in executione non datur nisi ob merita, & per modū coronę adultis ergo licet Deus prædestinauerit incarnationē absque meritis, potuit tamen eius executio fieri ex meritis congruis sanctorum Patrum.

308 Huic argum. occurrit P. Orlandus loco citato negando antecedens, ad cuius probationem dicit, aliud esse quod homines eligantur ante absolutam visionem meritorum, aliud verò quod eligantur sine meritis. Primum est verum, secundum est falsum; etsi enim electio prædestinatorū sit ante merita absolutè præuisa, tamen non est sine meritis; quia per illam eliguntur homines ad gloriam, tanquam ad præmium, & coronam, quæ di

cit

cit intrinsecam habitudinem ad merita. Sed contra, si namque homines eliguntur ante absolutam visionem meritorum, non eliguntur ex meritis, quid enim est eligi ex meritis, nisi ex visione meritorum; si enim merita non videntur quando homines eliguntur, non eligentur ex meritis, sed sine illis. Aliud namque est, quod homines eligantur ex meritis, & aliud quod eligantur ad gloriam in executione dandam ob merita, tanquam præmium, & coronam. Quocirca electio Dei est ad gloriam secundum se, & absque præuisione meritorum postea consequendam ex meritis in executione. Soluuntur argumenta in contrarium.

309 Primum argum. nam actus purè naturalis nullam habet vim merendi de congruo gratiam, aut quid aliud supernaturale; ergo actus supernaturales nullam habebunt congruitatem ad merendam executionem vnionis hypostaticæ. Antecedens est certum. Conseq. probat Suarez *infra disp.* 18 *sect.* 3. §. *sed quamuis hæc*, nam minor proportio est inter ordinem gratiæ habitualis, & ordinem vnionis hypostaticæ, quam inter ordinem naturæ, & gratiç habitualis: longè namque magis distat vnio hypostatica à gratia, quàm gratia à natura, quia gratia, & natura sunt intra genus entis creati, intra lineam creaturæ, & vnio hypostatica, & gratia, non sic se habent, nam vnio hypostatica est ordinis diuini, & increati, & gratia est ordinis creati, &c. Resp. concedendo antecedens, & negando conseq. Ad probationem dico esse quidem maiorem distantiam inter gratiam habitualem, & vnionem hypostaticam in esse entis, seu in esse rei, seu in perfectione entitatiua, quam sit inter gratiam habitualem, & naturam, tamen in genere proportionis, & habitudinis est maior proportio inter gratiam habitualem, & vnionem hypostaticam, quã inter naturam, & gratiam, & sic licet opera naturæ non possint mereri de congruo gratiam: opera tamen gratiæ possunt mereri vnionem hypostaticam. Sicut magis distant in esse entis lumen gloriæ, & visio beata, seu diuina essentia visa, quam anima rationalis, & diuina essentia, cum ista duo sint de linea substantiæ, non lumen gloriæ, tamen in ratione proportionis ad videndum Deum lumen gloriæ, & diuina essentia minus distant. Ratio autem maioris proportionis inter gratiam habitualẽ, & vnionem hypostaticam consistit in hoc quod vtraque sit intra genus supernaturalitatis; vnde tam gratia vnionis, quàm gratia habitualis ratione supernaturalitatis pertinent ad eundem ordinem formaliter, licet entitatiuè gratia vnionis sit ordinis diuini, & increati, & gratia ordinis creati.

310 Secundum argum. nam principium meriti non cadit sub merito etiam de congruo; sed incarnatio est principium meriti Sanctorum PP. etiam de congruo; ergo non cadit sub merito. Maior nota est, & tradit S. D. in testimonio allato *n.* 298. Minor probatur, nam omne meritum SS. PP. fuit ex gratia collata per Christum, ergo supponit incarnationem tanquam sui principium. Tum quia ideo S. D. loco citato probat, quod SS. PP. non meruerunt incarnationem de condigno, quia aliàs principium meriti caderet sub merito; sed hoc idem currit in merito cõgrui; ergo, &c. Tum etiam quia, vt arguit Lugo loco cit. omne meritum, & præmiũ datum SS. PP. prouenit ex meritis Christi tanquam à causa vniuersali; sed Christus non meruit de congruo suam incarnationem; ergo neque SS. PP. Tum denique quia aliàs SS. PP. meruissent suam primam gratiam, quod est error Pelagij. Sequela probatur, quia incarnatio est causa primæ gratiæ Sanctorum PP. ergo si ipsi meruerunt incarnationem, meruissent suam primam gratia.

311 Ad hoc argum. respondet Suarez *disp.* 10. *sect.* 6. §. *dicendum*, quod gratia, & auxilia fuerunt data Sanctis PP. propter Christi merita præuisa in diuina prędefinitione, & prædestinatione, nondum exhibita, & ipsi per hanc gratiam non meruerunt prædestinationem incarnationis, sed eius executionem; hæc autem inter se non pugnant, quia licet merita Christi ob quæ data fuit gratia PP. præces-

cesserint gratiam illorum, tamen executio fuit subsecuta.

312 Cæterum hæc solutio non placet, nam Christus D. meruit gratiam SS. PP. non prout erat præuisus, sed prout re ipsa bene operatus est; vnde sicut nostra redemptio non fuit facta nisi per mortem, & passionem re ipsa exhibitam; ita gratia non fuit PP. promerita nisi per mortem,& passionem re ipsa exhibitam, aliàs gratia SS.Patribus data non fuisset redemptiua. Tum quia vnio hypostatica, atque adeo Christi D. merita vt solum præuisa, intenta, & prædefinita, non potuerunt esse causa moralis meritoria alicuius præmij; ergo,&c.

313 Respondet 2. Cipullus loco cit. *n.*10. esse discrimen inter meritum de congruo, & de condigno, quod meritum de congruo,cum nullum inducat debitum iustitiæ propriè, non est causa efficiens moralis eius, cuius est meritum, sed potius dispositiua,& materialis; ad differentiam meriti de condigno, quod habet rationem causæ efficientis, eo quod illud debitum inducat. Ex quo infert primò, non implicare in merito de congruo,quod principium effectiuum illius possit sub ipso cadere,quia effectus causæ efficientis moralis potest illam præcedere in genere causæ materialis. Infert 2. D.Thomam non reputasse inconueniens, quod incarnatio caderet sub merito de congruo, non de condigno, quia inter principium meriti, & præmium non potest esse mutua causalitas in eodem genere causæ efficientis, quæ esset si Sancti PP. meruissent incarnationem de condigno, cum tamen non sit in merito congrui vbi datur mutua causalitas in diuerso genere causæ; nam incarnatio præcedit in genere causæ efficientis, & merita Patrum in genere causæ materialis.

315 Sed neque hæc solutio placet, nam licet verum sit, quod meritum congrui nullum inducat iustitiæ debitum, sed solum quandam decentiam fundatam in ratione amicitiæ, quatenus conueniens est, quod Deus faciat voluntatem timentium se, seu suorum amicorum, maximè quando petunt conducentia ad salutem; tamen falsum est, quod meritum congrui non sit causa moralis efficiens eius cuius est meritum; de ratione namque causæ moralis est, quod agat non efficiendo, & influendo, sed inclinando, orando, petendo, &c. vt sic Deus ponat quod alter petit. Tum quia causa materialis dispositiua siue physica, siue moralis non est meritoria, vt patet de actu contritionis, & dilectionis pro illo priori in quo præcedunt gratiam, & charitatem, & ad illam disponunt, vt omnes tradunt, & nos aduertimus in tract. de gratia, & non ob aliam rationem,nisi quia meritum non consideratur in genere causę materialis dispositiuæ, sed in genere causæ efficientis moralis. Tum etiam quia aliud est mereri aliquid, & aliud est se disponere ad illud, homo per actum contritionis se disponit ad primam gratiam, & tamen nullo modo meretur illam,neque de congruo, vt fatetur idem Cipullus *n.*11.*fine*.

315 Respondetur ergo ad argum. *n.*310. relatum, quod licet principium meriti per modum principij effectiui, non cadit sub merito, quia tunc daretur mutua causalitas in eodem genere causæ efficientis, nam incarnatio esset principium efficiens gratiæ Sanctorum PP. & gratia eadem esset principium efficiens incarnationem, cum esset meritoria illius. At id quod est principium meriti solum in genere causę finalis,vt erat incarnatio Christi futura, potest cadere sub merito effectiuè quoad executionem. Quocirca notauimus supra, quod Christus D. vt futurus, propriè non meruit gratiam Sanctis PP. sed data fuit à Deo intuitu meritorum Christi. Cum enim causa meritoria reuocetur ad causam efficientem, & hæc non agat nisi existat, sequitur,quod Christus D. non potuit re ipsa mereri Sanctis Patribus antequam existeret. Vnde Cipullus videtur sibi contrarius,cum ex vna parte *n.*8. reiciat nostram solutionem licet dicat esse valde probabilem, & ex alia parte *n.*9. dicat: *Adde, quod secundum sanam doctrinam Christus D. per suam passionem exhibitam in re verè meruit gratiam*

tiam SS. PP. sicut & satisfecit pro peccatis illorum. Cum ergo Christus D. non satisfecerit pro peccatis SS. PP. antequam re ipsa mereretur, ita non meruit illam re ipsa gratiam antequam re ipsa moreretur, licet intuitu meritorum Christi futurorum Deus dederit gratiam Sanctis Patribus.

316 Tertium argum. si Sancti Patres meruissent executionem incarnationis, eorum orationes, & petitiones debuissent esse motiuum, quo Deus vellet eiusdem incarnationis executionem; sed hoc esse nequit; ergo, &c. Minor probatur, nam præscientia orationis Sanctorum PP. præsupponit decretum Dei de ipsa incarnatione ponenda; ergo non potest positio incarnationis dependere ab orationibus Sanctorum PP. Resp. distinguendo maiorem, debuerunt esse motiuum primarium: nego maiorem: secundarium, concedo. Deus namque post decretum incarnationis, decreuit ob Christi D. merita dare gratiam antiquis Patribus, qua peterent, & desiderarent ipsam incarnationem, ac proinde voluit nouo quodam titulo dare eandem, vt præmium eorumdem Sanctorum Patrum. Hoc explicat Aluarez hoc loco exemplo Principis, aut Regis qui statuit condonare vitam alicui ob delictum commissum, tamen vt honoret suos amicos, facit vt instanter gratia ab ipsis petatur.

317 Quartum argum. quo conuincitur Mæratius est, nam meritum, quod negatur B. Virgini, non debet concedi Sanctis Patribus; sed B. Virgo non meruit incarnationem de congruo; ergo neque Sācti Patres. Minorem docet S. Doctor *hic art. 11, ad 3.* vbi negat incarnationis meritum in Virgine, & solum concedit illud respectu maternitatis. Sic enim fatur. *Beata Virgo dicitur meruisse portare Dominū omnium, non quia meruit ipsum incarnari; sed quia meruit ex gratia sibi data illum puritatis, & sanctitatis gradum, vt congruè posset esse Mater Dei.* Resp. cum Caiet. & alijs Thomistis hoc loco, quod cum Diuus Thomas negauit, quod B. Virgo non meruit Deum incarnari, loquitur de merito condigno; at quando dixit, quod meruit congruè vt esset Mater Dei, quod sine incarnatione esse nequit, meruit de congruō Christum portare, seu eiusdem incarnationis executionem, quæ in Virginis visceribus executa est.

318 Quintum argum. nam qui non meruit incarnationem quoad eius prædefinitionem, prædestinationem, & intentionem, neque illam meruit quoad executionem; sed SS. PP. non meruerunt incarnationem quoad intentionem; ergo neque quoad executionem. Maior probatur, nam executio incarnationis sequitur infallibiliter decretum, & Intentionem illius: ergo, &c. Tum quia in Deo non distinguuntur ordo intentionis, & executionis, sed est tantum vnus, & idem propter maximam efficaciam diuinæ voluntatis, quæ eo ipso quod vult aliquid efficaciter, facit illud esse, eo modo quo vult illud. Resp. negando maiorem, exemplo prædestinatorum, qui non meruerunt suā intentionem, seu electionem ad gloriam, & tamen merentur executionem, seu consecutionem illius. Vnde non solum in nobis, sed etiam in Deo distinguuntur ordo intentionis, & executionis. Et licet diuina voluntas sit efficacissima, non ob hoc tollitur quod in executione non possit dari meritum, quod respectu intentionis non datur, vt ex dictis constat.

DVBIVM XV.

An antiqui Patres meruerint aliquas circumstantias incarnationis.

319 PRo intelligentia notandum circumstantias esse in duplici differentia, aliæ namque per se, & necessariò requiruntur ad incarnationem, vt in carne passibili futuram, vt quod nasceretur ex aliqua gente, ex aliqua muliere, quod pateretur, & moreretur aliquo tempore indeterminato, &c. Aliæ requiruntur quasi per accidens, & non necessariò, vt quod incarnatio fieret ex illa determinata gente, ex determinata Tribu, ex determinata muliere, eo determinato tempore, tam cito, &c.

320 Conueniunt Theologi hoc loco, quod

quod Patres antiqui meruerint de cōgruo eas circumstantias, quæ per accidens, & non necessariò requiruntur in incarnatione. Colligitur apertè ex Genes. 22. vbi Deus sic loquitur Abrahæ. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ*. Vbi particula causalis *quia* significat, quod Deus dedit Abrahæ in præmium illius singularis obediētiæ, quod Christus D. ex suo semine nasceretur. Quocirca quando S. Doctor 1.2.q.8 *art.4. in corpore* dicit, quod ea promissio non fuit facta Abrahæ ex eius meritis, intelligi debet de meritis prouenientibus ex solis naturæ viribus, vel de merito condigno, de quo postea. Colligitur etiam ex Dan. 9. vbi tempus incarnationis faciendæ dicitur abbreuiatum orationibus eiusdem Danielis.

321 Difficultas potissimè procedit de circumstantijs, quæ per se, & necessariò requiruntur ad incarnationem, de qua. Prima sententia est, quod Sancti Patres neque de condigno, neque de congruo eas meruerint. Sic tenet Ysambertus hoc loco *disp.3. ad q.6. art.3. concl.* 1. Pro hac sententia citat Cipullus Suarez *disp.* 10. *sect.6.* & Vasq. *disp.22.* citatur etiam Lorca *disp.* 22. vbi etiam dicit, quod Sancti Patres non meruerunt incarnationis accelerationem, quod videtur opponi loco citato *Dan.* 9. ibi. *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum.*

322 Nostra sententia sequentibus conclusionibus explicatur. Prima concl. *Sancti Patres meruerunt de congruo circūstantias, quæ per se, & necessariò requiruntur ad incarnationem, non tamen de condigno.* Prima pars constat ex dictis toto dubio præcedenti, cum enim Sancti Patres meruerint incarnationē quoad eius executionem secundum se, de congruo, sequitur, quod etiam meruerint circunstantias cum ea necessariò, & per se connexas. Quod autem non meruerint eas de condigno etiam constat, nam cum dicti Sancti Patres non meruerint incarnationem de condigno, neque etiam meruerunt de condigno circunstantias per se, & necessariò cum ea connexas, connexorum namque idem est iudicium; vt etiam ex legibus ciuilibus, & canonicis habetur, *l.3. §. iudicio contrario, ff. de contrar.act. tutel. l. proinde, ad leg. aquil. l. cum actum ff. de negot.gestis, cap. translato, de constit. & cap. præterea de offic.deleg.* Vnde Sygismund. Scaccia *de appellat.qu.17.n.26.* ait, quod connexa, & indiuidua reputantur idem, de quo etiam Anchar. *cons.160.n.2.* Crauet. *cons.275.n.4. & 5. & consil. 461.n. 50. & consil.936.n.27.* Surd. *decis.199. nu.13.* & alij. Quocirca Sancti PP. nec meruerunt, nec mereri potuerunt, quod Verbum diuinum assumeret hanc numero humanitatem, & hoc de condigno, bene tamen de congruo. Si namque Sancti PP. meruissent, quod Verbum assumeret hāc numero humanitatem de condigno, meruissent de condigno ipsam incarnationem vt de facto secuta est, ac proinde meruissent principium sui meriti de facto, quod ex dictis supra implicat.

323 Secunda concl. *Sancti Patres meruerunt incarnationis accelerationem de condigno.* Sic tradit S. Doctor *in 3. ad Anibaldum, distinct. 4. q. vnica art. 1.* vbi sic dicit. *Sancti Patres incarnationem meruerunt merito congrui, non merito condigni; quamuis sic potuerunt mereri eius accelerationem;* quod etiam dicendum est de circunstantia loci, vt scilicet nasceretur in tali loco, quod fieret ex tali tribu &c. colligitur ex illo Deuter. 33. *Audi Domine vocem Iudeæ, & ad populum suū introduc eum.* Colligitur etiam ex illo psal. 78. *Citò anticipent nos misericordiæ tuæ.*

324 Sed quæres 1. an Sancti Patres meruerint de congruo vt Christus pro nobis pateretur, mereretur, & nos redimeret? Resp. affirmatiuè, ratio constat ex dictis dubio præcedenti, nam licet passio, & mors Christi D. fuerit principium meriti Sanctorum Patrum in genere causæ finalis, quatenus intuitu mortis, & passionis Christi, seu meritorum eius fuerit gratia data Sanctis Patribus, non tamen in genere causæ efficientis, vt loco citato explicuimus. Et sic potuerunt Sancti Patres mereri quod Christus D. per suam passionem, & mortem nos redimeret, &c.

325 Quæres 2. an etiam Sancti Patres mereri potuerint de condigno, quod Christus pateretur pro nobis, quod moreretur, quod nos redimeret, &c. Videbitur alicui affirmatiuè respondendum, nam quod Christus pateretur, moreretur, &c. videtur circumstantia per accidens, & non necessariò requisita ad incarnationē, & circunstantiæ per accidens, vt acceleratio, locus, tempus, &c. potuerunt mereri de condigno, vt in secunda conclusione vidimus; ergo, &c. Nihilominus dicendum est non meruisse SS. PP. de condigno, quod Christus D. pateretur, &c. quia ista circumstantia non est per accidens, sed per se, & necessaria ad incarnationem, prout modo facta est in carne passibile ad redimendum genus humanum, &c.

326 Quæres 3. quo sensu verum sit, quod Sancti Patres meruerīt accelerationem incarnationis? Aliqui dicunt intelligi in hoc sensu, quod propter meritum Sanctorum Patrum, Verbum diuinum citius venit in mundum quam æterno Dei decreto fuerat statutum antequam Sanctorum Patrum merita præuiderētur. Sed iste modus dicēdi inuoluit implicantiam, ex eo namque sequeretur mutatio in diuina voluntate, quod esse nequit; nō enim Verbum diuinum venit nisi tempore à Patre præfinito. Alij volunt, sensum esse, quod Deus ante præuisionem meritorum Sanctorum Patrum decreuit Filium suum mittere in mundum, non tamen designauit tempus in quo mittere deberet, & Patrum merita iam præuisa, ab illisque motus Deus prædefiniuit tempus certum, & determinatum eiusdē incarnationis. Sed neque iste modus dicendi placet, cum ponat in Deo imperfectionem indeterminationis repugnantem illi primo incarnationis decreto. Communis responsio est, dictæ accelerationis sensum esse, quod Deus disposuit mandare executioni incarnationem Filij sui, tali tempore non solum propter efficaciam diuini decreti, sed etiam propter Sanctorum Patrum merita, orationes, &c. quibus meruerūt de congruo ne beneficium incarnationis vltra tempus definitum protraheretur, sicut hominum peccata reposcebant, & Deus absolutè protraheret, seu differre poterat. Quo modo explicari solet illud Matt. 24. quod dies tribulationis Antichristi breuiabuntur propter electos; idest, vt explicat D. Hierony. ibi, & Iansenius *in sua concordia cap.* 123. Deus propter electos statuit illos dies esse pauciores quam malorum iniquitas reposcebat. Soluuntur argum. in contrarium.

327 Primum argu. nam acceleratio incarnationis pertinebat ad bonum commune totius naturæ humanæ, cum redundaret in bonum omnium, sed homines particulares non possent, saltem de condigno, mereri quod pertinet ad bonum commune totius naturę; hoc enim est proprium capitis naturæ, non aliquorum mēbrorum; ergo, &c. Resp. distinguendo maiorem: pertinet ad bonum totius naturæ, secundum se consideratę: conceditur: vt erat præmium Sanctorum Patrum, negatur. Hoc enim modo solum pertinet formaliter ad bonum Sanctorum Patrum. Vnde prout redundabat in bonum omnium, solum de congruo potuit promereri, ob rationem dictam. At vt erat bonum Sanctorum Patrum, potuit de condigno promereri.

328 Secundum argum. Opera Sanctorum Patrum non potuerunt esse meritoria de condigno alicuius præmij maioris beatitudine æterna, sed acceleratio incarnationis est premium maius quacūque beatitudine; ergo, &c. Maior constat, nam beatitudo æterna adæquat omnino opera cuiuscumque hominis iusti. Minor etiam constat, nam acceleratio incarnationis includit ipsam incarnationē, quæ est infinitæ excellentiæ, & dignitatis, ac proinde longè excedit visionem beatificam, quæ est dignitatis, & excellentiæ finitæ. Resp. negando minorem, ad probationem dico, quod acceleratio licet connotet incarnationem, non est tamen ipsa incarnatio, sed circunstantia accidentalis illius, non excedens valorem operum Sanctorum Patrum. Vel etiamsi est inclu-

includat; adhuc de congruo potest eam mereri.

339 Tertium argum. nam opera bona Sanctorum Patrum sufficienter absorbebantur per præmium vitæ æternæ, ergo non poterant esse etiam meritoria de cōdigno accelerationis incarnationis. Antecedens constat, alias Deus per dationem vitæ æternæ non præmiaret ad æqualitatem opera bona iustorum. Conseq. probatur, nam opus, quod sufficienter absorbetur per meritum de condigno per vnum præmium, non potest etiam de congruo mereri aliud, aliàs esset adæquatum, & non esset. Resp. quod licet idem non possit esse meritorium de condigno duorum præmiorum adæquatorum, quando sunt disparata, tamen potest hoc habere quando sunt subordinata, & vnum est via ad aliud: vt contingit in nostro casu, nam acceleratio incarnationis merebatur quasi vt medium conducens ad vitam æternam, quo modo iustus per opera bona meretur de condigno augmentum gratiæ, & gloriæ: illud vt medium ad illud.

340 Posset hic aliquis inquirere, an Sancti Patres meruerint etiam durationem incarnationis, & quo modo, an scilicet de congruo, an de condigno, & an etiam illam mereamur nos. M. Cipullus *q.2.art.11.dub.3.n.21.* dicit, quod Sancti Patres meruerunt durationem incarnationis de condigno quatenus consideratur in esse physico, non quatenus consideratur in esse moris. Ego dico 1. quod Sancti Patres dictam durationem de congruo mereri potuerunt, si enim ipsam incarnationem meruerunt de congruo, etiā eius durationem mereri potuerunt. An autem de facto meruerint, nescimus, dependet enim ex eo, an ad hoc sua merita, orationes, & petitiones ordinauerint, quod nescimus. Dico 2. quod Sancti Patres potuerunt mereri eandem durationem incarnationis de condigno, cum duratio sit circunstantia quædam accidentalis eiusdem incarnationis, sicut est acceleratio; solum namque est de intrinseca ratione incarnationis aliqua duratio, eo namque ipso, quod ponitur, aliquam durationem habere debuit, saltem illam quæ ad illius finem ponendum necessaria erat; at amplior duratio, est circunstantia purè accidentalis, quæ potest cadere sub merito, tum Sanctorum Patrum, tum nostrum, de facto tamen nec illi, nec nos eam meremur, quia vel merita ad hoc non fuerunt ordinata, vel pactum de hoc non intercessit, quod ad meritum condigni requiritur.

DVBIVM XVI.

An Beata Virgo meruerit esse Matrem Dei, seu Dei Maternitatem.

341 De hac re variæ sunt Theologorum sententiæ. Prima est Petri de Lorca *disp.12.* & aliorum, qui putant, quod B. Virgo neque de congruo meruit esse Matrem Dei. Secunda est Maioris *in 3.dist.4.q.4.* Almayn. *ibid.q.1.dub.3.* Abulens. *paradoxo 1.cap.34.* quam probabilem reputat Cabrera *hic disp. 6.* & alij, quod B. Virgo meruit maternitatem Dei de condigno. Tertia sententia est, Marsilij *in 3.dist.5.art.3.dub.1.concl.2.3.& 4.* D. Bonau. *in 3.dist.4.art.2.q.2.* & aliorum, quod B. Virgo meruit esse matrem Dei merito digno, non tamen condigno.

342 Pro intelligentia veritatis notandum 1. quod nomē meritum duobus modis accipi solet. Primò minus propriè, scilicet pro aliqua coaptatione, & correspondentia vnius ad alterum, qua ratione dici solet, quod talis vir probus, & doctus meretur talem, aut talem dignitatem, quo loquendi modo aliud dicere non intendimus, quam eum habere conditiones conuenientes ad talem dignitatem, non tamen quod talis dignitas sit ei debita, vel quod suis actibus eam promeruerit. Secundò accipitur magis propriè, prout dicit actum bonum relatum ad aliquid obtinendum, vel ex se, vel ex intentione operantis, & inducit alium ad conferendum præmium de condigno, aut de congruo.

343 Notandum 2. non esse idem, quod B. Virgo meruerit siue de congruo, siue

siue de condigno gradum illum gratiæ, & sanctitatis, quo est facta conueniens Mater Dei, & quod meruerit siue de congruo siue de condigno ipsam maternitatem. Sicut enim non est idem mereri gradum perfectionis quo quis efficitur conueniens alicui dignitati, & quod mereatur eandem dignitatem. Nam ad primum non sequitur aliqua obligatio ex debito iustitiæ, vel decentiæ ad dandam illam dignitatem ad quam talis perfectio reddit conueniens, & aptum suum subiectum. Cæterum ad secundum sequitur aliqua obligatio, vel ex iustitia, vel ex decentia ad dandam eam dignitatem.

344 Loquendo ergo in nostro casu de Beatissima Virgine, & idem est de suo gloriosissimo sponso Sancto Ioseph, cuius hodie festum celebramus, puto quod gloriosissima Virgo propriè meruerit de condigno illum gratiæ, perfectionis, & sanctitatis gradum, quo facta est decens, & conueniens mater Dei; & idem puto de sanctissimo illius sponso, quod scilicet verè, & propriè meruerit illum gradum perfectionis quo esset decens sponsus tantę Virginis, & vt esset Pater Filij Dei putatiuus. Hoc secundum ex illo primo sequitur. Primum ergo docet S. Doctor *hic art.* 11. *ad* 3. vbi licet neget B. Virginem meruisse incarnationem de condigno, affirmat tamen eam meruisse illum gradum puritatis, & sanctitatis, vt congruè, seu conuenienter esset mater Dei. Vbi illud *congruè*, non se tenet ex parte meriti, sed ex parte termini, scilicet rei promeritæ, vt sensus sit, B. Virgo meruit de condigno, vt esset congruè, & conuenienter mater Dei. Colligitur ex illo Ecclesiæ. *Qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus, & animam, vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu S. cooperante præparasti*. Vbi insinuatur, quod B. Virgo speciali Deo auxilio adiuta promeruit illum puritatis, & sanctitatis gradum, qui conueniebat dignitati eius, quæ Mater Dei erat futura. Et ratio est, nam ad meritum de condigno tria requiruntur, scilicet condignitas in opere, gratia sanctificans in operante, & pactum, seu promissio in præmiante; sed ista fuerunt in bonis operibus B. Virginis respectu illius sanctitatis gradum, &c. ergo. Nam gratia in B. Virgine fuit ab instanti suæ conceptionis: fuit condignitas in operibus, quia opera insigniter meritoria habent condignitatem ad insigne gratiæ augmentum, ad insignem sanctitatem, ad gradum altissimum perfectionis, quem B. Virgo suis bonis operibus promeruit, & peruenit. Hinc ab Angelo vocata fuit plena gratia. *Aue gratia plena*. Intercessit etiam pactum, quia Deus pepigit cum hominibus se daturum illis gratię, & virtutum augmentum in præmium bonorum operum.

345 Notandum 3. quod si nomen meriti accipiatur non ita propriè, iuxta primum notandum, concedi potest, quod B. Virgo promeruit maternitatem Dei. Quatenus namque fuit varijs gratiæ ornamentis instructa, habuit quandam coaptationem, & correspondentiam ad maternitatem Dei. Et hoc modo intelligi debent illi qui videnter dicere, quod B. Virgo meruit merito condigno Dei maternitatem, quod meritum solet explicari per hoc, quod B. Virgo fuerit digna. His positis.

346 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Beata Virgo meruit maternitatem Dei de congruo, non tamen de condigno*. Sic tradunt communiter Theologi hoc loco post D. Tho. dicto *art.* 11. *ad* 3. Caiet. Aluarez, Medina, Cipullus, Suarez, Vasq. Lugo, Orland. & alij. Quod B. Virgo non meruerit Dei maternitatem de condigno. Probatur, quia si B. Virgo meruisset esse Matrem Dei, meruisset quod Deus ex illa nasceretur, & carnem assumeret, sed hoc non meruit; ergo, &c. Maior nota est, idem namque est esse matrem Dei, & concipere Deum, ac proinde idem erit mereri maternitatem, & mereri quod Deus ex illa nascatur, & carnem assumat. Minor probatur, nam incarnatio non potuit de condigno mereri, cum sit ordinis superioris, & hypostatici.

347 Pater Orlandus *disp.* 5. *q.* 7. *n.* 68. probat hoc quia totus valor condignus meritorum B. Virginis, accepit præmium gratiæ, & gloriæ; ergo non habuerunt valorem

lorem ad condignè merendum vlterius præmium. Confirmat, quia merita Virginis sunt finiti valoris, ergo præmium illis correspondēs est quid finitum, sed præmium adæquatè, ac condignè correspondens est augmentum gratiæ, & gloriæ; ergo non potuit de condigno mereri maternitatem.

348 Cæterum istæ rationes non probant, nam licet non possit idem opus esse meritorium duorum præmiorum adæquatorum, non subordinatorum, potest tamen esse meritorium duorum, aut plurium præmiorum adæquatorum subordinatorū, vt supra notauimus; iustus namque eodem opere meretur augmentū gratiæ, quod est præmium adæquatum, & gloriam, tamen quia sunt subordinata, vtrumque cadit sub merito; idem dicimus de incarnatione, de gratia, & gloria, cum sint subordinata.

349 Quod autem B. Virgo meruerit maternitatem de congruo probatur 1. ex illo Ecclesiæ. *Regina cæli lætare, quia quem meruisti portare*, &c. Cum autem non meruerit de condigno, aliàs meruisset de condigno incarnationem quæ fuit principium sui meriti, sequitur quod meruerit de congruo. Idem cecinit Venantius Fortunatus lib. de æternis gaudijs. *Virginitas fœlix, quæ partu digna Tonantis, Quæ meruit Dominum progenerare suum.*

350 Probatur 2. nam meritum Beatissimæ Virginis excedit meritum omniū Sanctorum Patrum; sed Sancti Patres, vt supra vidimus, meruerunt de congruo incarnationem, & omnes circumstantias, & illas maximè, quæ tantum per accidens requiruntur ad incarnationem, cuiusmodi est ipsa maternitas ex hac numero fœmina; ergo multo magis eam meruit ipsa B. Virgo.

351 Sed quæres, an B. Virgo de potentia absoluta potuerit de condigno mereri Maternitatem Dei? De hac re tres dantur sententiæ. Prima affirmans, & hāc sequitur Suarez, quem alij sequuntur. Secunda est Card. de Lugo, & aliorum, & negat. Tertia est P. Orlandi, qui respondet cum distinctione. Nam absolutè loquendo non implicat, quod B. Virgo meruerit Dei Maternitatem de condigno; ex suppositione tamen, quod Beata Virgo meruit augmentum gratiæ, & gloriæ, non potuit mereri de condigno maternitatem, quia merita Virginis cum extinguantur per augmentum gratiæ, & gloriæ non potuerunt habere valorem ad aliud meritum de condigno. Cæterum ista definitio non placet, vt enim patet ex dictis *n.* 347. idem opus potest mereri duo præmia adæquata, quando sunt subordinata, vt vnum sit via ad aliud, secus quando sunt disparata. Resp. ergo ad difficultatem propositam implicare contradictionem, quod B. Virgo meruerit de condigno Maternitatem Filij, cum implicet, quod meruerit incarnationem, quia principium meriti caderet sub merito, quod implicat, si namque mereretur maternitatem de condigno, mereretur etiam incarnationem vt diximus *n.* 346. & sic mereretur principium sui meriti.

§. I. Soluuntur argumenta probantia B. Virginem meruisse Maternitatem de condigno.

352 PRimum argum. nam meritum B. Virginis habuit omnia requisita vt esset de condigno respectu maternitatis Filij Dei; ergo eam meruit de condigno. Antecedens probatur, nam habuit valorem non inferiorem ipsa maternitate, ac proinde habuit gratiam ex parte operantis, & demum fuit promissio ex parte præmiantis, scilicet Dei; ergo, &c. Quod meritum Virginis hebuerit valorem respectu maternitatis ostenditur, nam opus quod est meritorium vitæ æternæ, & augmenti gratiæ, non est inferius ad dignitatem maternitatis, vt colligitur ex illo Luc. 11. *Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*, vbi Christus D. vt notat glos. ibi præposuit vitę sanctitatem, maternitati Dei. Vnde S. P. August. tract. 10. in Ioan. ad rem sic fatur. *Et Mater mea quamquam appellastis fœlicem, inde fœlix, quia verbum Dei custodiuit, non quia in illa Verbum caro factum est.* Et lib. de sancta virginit. cap. 3. dicit.

Bea-

Beatior Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. Et post aliqua subdit. *Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi fœlicius Christum corde, quàm carne gestasset*. Resp. negando antecedens; ad probationem dico, quod valor meriti Virginei non habuit valorem condignum ad maternitatem, non quia maternitas secundum se excedat gloriam, & gratiam, nec quia Deus plus æstimet maternitatem nudam quam sanctitatem, sed quia vt dicebamus, non potest mereri maternitas nisi mereatur incarnatio, ratione cuius meritum Virgineum est longe inferius.

353 Secundum argum. nam B. Virgo vocatur ab Ecclesia dignum Filij Dei habitaculum: *vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur*: & communiter à Sanctis Patribus vocari solet digna mater Dei: ergo dignè, seu de condigno meruit maternitatem Filij Dei. Resp. quod B. Virgo vocatur digna mater Dei, non quia habuerit meritum condignum maternitatis, sed quia, vt dicebamus, & docet S. Doctor hoc *art. 11. ad 3.* dignè meruit illum gradum gratiæ, & sanctitatis, quo fuit congrua, & conueniens mater Dei.

§. II. *Soluuntur argumenta probantia B. Virginem non meruisse Maternitatem Dei de congruo.*

354 Primum argum. nam B. Virgo non potuit mereri maternitatem de congruo, nisi etiam mereretur eodem modo incarnationem: sed B. V. non meruit de congruo incarnationem: ergo neque maternitatem. Minor probatur, nam incarnatio fuit principium omnis meriti Virginis, principium autem meriti non cadit sub merito. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem constat ex dictis supra, quod incarnatio fuit principium meriti Virginei in genere causæ finalis, & meritum Virginis fuit in genere causæ efficientis: nulla autem est repugnantia, quod principium meriti in genere causæ finalis cadat sub merito in genere causæ efficientis moralis, & in ordine ad executionem, vt supra vidimus. Solum repugnat quod principium meriti in genere causæ efficientis, cadat sub merito, quod etiam est causa efficiens quia tunc idem esset principium, & terminus, causa, & effectus, quod implicat.

355 Secundum argum. nam vel Beata Virgo meruit maternitatem merito impetratorio, vel retributorio; neutro eam meruit; ergo nullo modo. Minor probatur, nam non eam meruit merito impetratorio, quia non videtur verisimile, quod B. Virgo orauerit, & postulauerit vt fieret Mater Dei, non enim hoc consonare videtur Euangelio, vbi hanc dignitatem vt rem inopinatam accepit, & quæ nunquam in eius mentem venerat. Tum quia videretur contra maximam Virginis humilitatem, tam grandem dignitatem petere. Neque eam dignitatem meruit merito retributionis, nam ad hoc requiritur aliqua promissio, aut pactum de danda ea mercede, siue præmio, quod ex Sacra Scriptura nō colligitur. Resp. concedendo maiorem, & negando minorē, fuit namque meritum Virgineum impetratorium, non quia B. Virgo postulauerit, vt fieret Mater Dei, sed quia postulauit vt Deus mitteret Filium suum. Fuit etiam retributionis, cum eius opera facta fuerint in obsequium Dei, ac proinde merebantur retributionem. Neque ad meritum de congruo requiritur pactum, aut promissio, sed sufficit, quod opus congruum Deus congruè accipiat ad præmium pro sua benignitate, & humanitate, hoc enim meritum non tollit quin præmium sit donum, & gratia.

356 Tertium argum. nam merita Christi cum fuerint causa meriti Virginis præcedunt meritū eiusdem Virginis, ergo etiam humanitas Christi indiuiduata ex tali anima, corpore, & vnione debent præcedere idem meritum Virginis: ac proinde etiam præcedere debet ratio matris, seu maternitas, quia ad hanc numero humanitatem, requiritur hęc numero mater, cum hac numero maternitate: diuersa namque numero mater, diuersam numero ministrat materiā, ac proinde diuer-

sa

-sa numero erit humanitas. Si ergo hæc numero mater supponitur ad hanc numero humanitatem, non potuit B. Virgo mereri maternitatem, cum hæc supponeretur cum humanitate, quod autem supponitum ad meritum Virginis non cadit sub merito, etiam congruo illius.

357 Ad hoc argum. respondet B.M. Orlandus *disp. 5. q. 7. n. 74.* quod ad hanc numero humanitatem nō requiratur hæc numero mater, quia Christus singulariter consideratus etiam cū hac materia sumpta ex corpore Virginis non necessariò postulat esse Filium Virginis. Vnde maternitas non est, inquit, circumstantia per se incarnationis, neque se tenet ex parte principij merendi, cum eadem numero humanitas Christi potuerit esse absque eo, quod B.Virgo esset eius mater; cum potuerit illa humanitas formari à Spiritu Sancto absque eo, quod B.Virgo non solum illam nutriret, & aleret, sed etiam absque eo, quod illam conciperet, & præpararet vitali modo talem sanguinem, aut materiam, ex qua formaretur, quod requiritur ad veram rationem matris.

358 Cæterum hæc responsio non placet, nam licet incarnatio fieri potuerit in quacumque, & ex quacumque muliere, sicut etiam potuit Spiritus S. assumere materiam ex B.Virgine, aut ex alia quacumque muliere, absque concursu vitali illius, quo materiam vitaliter præpararet, & subministraret, & sic absque eo quod esset mater, tamen implicat, quod sit eadem numero humanitas, vbi non est eadem mater, ac proinde cum merita B.Virginis supponant hanc numero humanitatem, debent etiam supponere hanc numero matrem, scilicet Virginem, antecedenter ad sua merita, prius enim est, quod Virgo sit, & supponatur à Christi humanitate, quam in virtute illius mereatur; ergo, &c. Antecedens tradit S. Doctor *quodlib. 5. art. 8.* dicens. *Impossibile est, eundem filium nasci, siue sit alius pater, siue sit alia mater: sicut etiam non est idem numero sigillum, siue sit alia cera, siue sit aliud corpus sigilli, ex cuius impressione cera sigillatur*.

359 Occurrit Orlandus loco citato *n. 76.* D.Thomam intelligendum esse cōnaturaliter, non supernaturaliter. Vnde, inquit, nihil contra nos, qui dicimus eandem numero materiam sanguinis, quàm ministrauit B.Virgo, potuisse ministrare aliam matrem si disponeretur à Deo, &c. Sed contra, nam S. Doctor putat hoc esse impossibile, cum dicat *impossibile est, &c.* Tum quia impossibile est, quod eadem materia numero, quæ à B. Virgo fuit subministrata, subministraretur ab alia fœmina, cum enim materia sit hæc numero per sigillationem ad hanc numero quantitatem, & quantitas vnius indiuidui, non sit eadem numero, quæ est in alio, & hoc neque per diuinam potentiam, sequitur, quod neque per diuinam potentiam materia vnius fœminæ, possit esse eadem numero cum materia alterius, aliàs duæ fœminæ essent duæ, & essent vna, & in communi resurrectione, ad hoc vt resurgeret idem indiuiduum per diuinam potentiam, sufficeret habere quamcumque materiam & vnum posset habere materiam alterius.

360 Hac respōsione omissa, resp. quod argumentum procedit via intentionis, quod scilicet prius Deus decreuerit incarnationem in hac numero humanitate, desumpta ex hac numero Virgine, & merita dictæ humanitatis via intentionis, & in genere causæ finalis præcesserunt merita Virginis, hæc tamen in genere causæ efficientis moralis congruè præcesserunt executionem incarnationis, & maternitatis, ac proinde potuit B.Virgo in hoc ordine, & genere mereri eandem maternitatem, & incarnationem de congruo, vt ex dictis supra constat.

361 Quartum argum. nam post decretum de humanitate accipienda est Maria visus est Christus D. à Deo existens cū hac numero productione, organis, atque figura; ergo dignitas matris non fuit separabilis ab humanitate accepta ex Virgine, ac proinde non potuit mereri, cum supponeretur inseparabiliter cum dicta humanitate. Tum quia fuit Christus D. visus existens prout de facto fuit, sed de facto fuit Filius Virginis, & terminauit eius

Hh pro-

productionem, ergo sic visus fuit, & sic vt iam supponens maternitatem.

362 Hoc argumentum, inquit Orlandus supra num. 81. valde torquet ingenia Theologorum, nam probare videtur, quod non solum B. Virgo non potuerit mereri maternitatem, sed quod nec ipse Christus potuerit offerre sua merita pro maternitate ex Maria, quia si Christus præuisus est necessariò existẽs vt genitus à Maria, iam principium meriti caderet sub merito, si ipse eligeret Mariam ad maternitatem. Qua ergo, inquit, ratione componi possit cum Christo præuiso prius ratione quã gigneretur à Maria, hoc opus, hic labor est. Deinde respondet, quod post decretum de accipienda humanitate ex Maria, visus fuit Christus existens cum hac numero productione à solo Deo proueniente, per quam existit hæc numero humanitas formata ex materia eiusdem Virginis; vnde sic visa humanitate sic existente secundum omnia sua indiuidualia, præuidetur Christus bene operans, & merens gratiam Virginis, per quam ipsa mereatur, quod talis humanitas in eius vtero concipiatur, & sic B. Virgo potuit mereri maternitatem. Ad aliam probationem dicit, quod Christus pro illo signo fuit visus prout de facto fuit, secundum omnes suas conditiones indiuiduantes. At quod Christus sit filius Virginis, & terminet eius productionem, concomitanter se habuit ad constituendum hunc numero Christũ, cum Christus potuerit esse cum eadem numero humanitate, absque eo, quod Beata Virgo esset eius mater.

363 Verum si hoc argumentum deberet solui, vt soluitur ab Orlando, torqueret mentes Theologorum, cum re vera solutio Orlandi multa contineat, quæ meritò torquerent mentes Theologorum vt sustinerentur. Nam quomodo componi possunt, quod post decretum de accipienda humanitate ex Maria, Christus videatur existens cum hac numero productione vt à solo Deo? Si decretum fuit de accipienda humanitate ex Maria, Christus debuit post dictum decretum videri existẽs ex productione Dei, & Mariæ, aliàs Deus post decretum productionis Christi ex Maria non cognosceret, quod per decretũm determinasset, quod maximam imperfectionem poneret in Deo, non cognoscendo post decretum, quod per illud determinaret. Tum quia Christus D. non meruit gratiam Virgini, prout eius humanitas consideratur, & præuidetur existere hac numero productione à solo Deo proueniente, sed merun gratiam illam prout re ipsa existit à parte rei, vt scilicet nõ solum est Filius Dei, sed etiam vt est filius hominis, seu Virginis. Tum etiam quia licet potuerit dari Christus absque eo, quod esset filius Virginis, tamen de facto non datur nisi vt filius Virginis; ergo de facto non fuit visus nisi vt filius Virginis; ac proinde non meruit Virgini de facto gratiam nisi vt eius filius, & sic principium meriti cadit sub merito, vel Beata Virgo non meruit maternitatem.

364 Ad argumentum ergo n. 361. relatum resp. ex dictis n. 360. quod re vera in ordine intentionis maternitas non est separabilis ab humanitate Christi ex Virgine accepta, nam re ipsa Deus decreuit, quod Verbum acciperet humanitatem ex Virgine cum hac numero productione, organis, figura, &c. & intuitu huius humanitatis sic existentis, & præuisæ, &c. Deus dedit gratiam Virgini, vt mereretur maternitatem in ordine executionis, eo modo quo prædestinati eliguntur ad gloriam, quam postea per gratiam in executione merentur. Per quæ patet ad aliam probationem. Fuit namque Christus D. præuisus vt filius Virginis, vt terminauit eius productionem, & huius intuitu fuit data gratia Virgini qua in executione mereretur Dei maternitatem.

DISPV-

DISPVTATIO III.

IN QVAEST. III. DIVI THOMAE.

De modo vnionis ex parte perſonæ aſſumentis.

1 AEC q. octo habet articulos. In 1. art. docet Sanctus Doctor, quod aſſumere naturam propriiſſimè coueniat perſonæ, quia perſona eſt principium, & terminus aſſumptionis, quorum vtrumque includitur in verbo *aſſumendi*. Aſſumere namque naturam, eſt eam ad ſe ſumere. In art. 2. dicit, quod licet eſſe principium aſſumptionis conueniat naturæ diuinæ ſecundum ſe, eo quod virtute illius fiat aſſumptio; tamen aſſumere conuenit illi ſecundariò, quia verbum *aſſumo* præter hoc quod eſt eſſe principium aſſumptionis, ſignificat etiam eſſe terminum. Sola autem perſona Verbi primariò terminauit dependentiam naturæ humanæ communicando illi ſuam ſubſiſtentiam: & quia natura diuina identificatur cum perſona, conſequenter etiam ipſa in perſona naturam humanam aſſumpſit, non in ſe. In art. 3. quærit, an abſtracta perſonalitate per intellectum, natura poſſit aſſumere? id eſt, an ſi natura diuina intelligeretur ſine relationibus perſonalibus, & ſine perſonis, quas fides catholica agnoſcit (quomodo Iudæi, & Ethnici imaginantur Deum exiſtere, & eſſe vnam tantum perſonam, an tunc poſſet alienam naturam aſſumere? Reſpondet, quod natura diuina ſic conſiderata poſſet intelligi vt aſſumens, quia remaneret in noſtra conſideratione vt ſubſiſtens, & vt perſona, remaneret etiam Dei virtus, & omnipotentia. In art. 4. declarat quomodo vna perſona poſſit aſſumere naturam, alia non aſſumente. Quia aſſumptio importet operationem, & terminum, id autem quod eſt operationis, eſt commune tribus perſonis, non id quod eſt termini. In art. 5. oſtendit Patrem, & Spiritum S. potuiſſe carnem aſſumere, quia cum Patris, & Filij, & Spiritus S. ſit eadem virtus, potuit eandem naturam humanam vnire cuilibet iſtarum perſonarum. In art. 6. probat, quod plures perſonæ diuinæ poſſint eandem numero naturam aſſumere, cum non repugnet ex parte naturæ, neque perſonarum, cum habeant eandem omnipotentiam. In art. 7. docet, quod vna perſona diuina, duas, aut plures naturas humanas aſſumere poſſit, eſt enim eadem ratio infinitatis perſonæ. In art. 8. probat fuiſſe magis conueniens, quod Filius incarnaretur, quam Pater, aut Spiritus S. Primò, quia ſicut per Verbum omnia facta ſunt *Ioan.* 1. ita per illud reficerentur. Secundò, vt efficeremur Filij Dei adoptiui per eum qui eſt Filius naturalis. Tertiò, vt homo qui per appetitum ſcientiæ lapſus erat, per eum cui ſapientia appropriatur repararetur, & vt qui appetens Dei ſimilitudinem peccauerat, per naturalem Patris imaginem ſanaretur.

2 Addo alias congruentias. Prima eſt, vt qui ab æterno Filius Dei erat ex Patre ſine matre, in tempore fieret Filius hominis ex matre ſine Patre. 2. Vt Verbum quo omnia dicuntur, nobis Patris voluntatem diceret. 3. Vt manerent immobiles proprietates, etiam in noſtro ſermone, ne Patrem ingenitum vocaremus genitum, nec Spiritum Sanctum appellaremus Filium, cum enim tunc Pater, & Spiritus S. naſcerentur ex Virgine, dicere-

tur Pater natus, & Filius eiusdem Virginis, & Spiritus Sanctus, & natus, & Filius diceretur; cæterum sic.

DVBIVM I.

An persona creata de potentia Dei absoluta possit alienam naturam terminare.

3 PRo intelligentia huius dubij notandum est ex D.Thoma *hic art.* 1.& *q.*1.*art.*8. quod personam assumere aliquam naturam, nihil aliud sit quam eam esse simul, & semel, & principium assumptionis, & terminum illius. Cumque vtrumque horum conueniat personæ diuinæ, sequitur personam diuinam posse alienam terminare naturam. Habet namque persona diuina omnipotentiam qua naturam extraneam assumat, & habet personalitatem qua potest terminare dependentiam cuiuslibet substantiæ creatæ. Difficultas est de persona creata, non quidem naturaliter, & de potentia ordinaria, cum certum sit hoc esse non posse, cum personalitas creata naturaliter sit inclinata, & determinata ad terminandum solum propriam naturam ratione suæ finitatis, & limitationis, sed supernaturaliter, & per diuinam potentiam.

4 Præterea notandum, posse dubium procedere de vnione immediata, & mediata quatenus persona creata posset vnire suæ substantiæ aliam substantiam, & mediante hac vnione illam propria personalitate terminare. Potest etiam dubium intelligi, an subsistentia creata non solum possit purè terminare alienam naturam, sed etiam an possit habere rationem modi eandem naturam modificantis. Seu an subsistentia creata non solum possit terminare, sed etiam modificare, vel non possit terminare, nisi etiam modificet.

5 Difficultas præsens solet solũ proponi de terminatione, an scilicet persona creata possit alienam naturam terminare, & non mouetur difficultas de efficientia, cum tamen vt dicebamus cum D.Thoma, in assumptione alienæ naturæ duo inuoluantur, scilicet efficientia, & terminatio. Fortè quia de hoc est minor difficultas; aliqui namque non reputabunt adeò difficile, quod de potentia absoluta non possit persona Petri eleuari à Deo vt per potentiam obedientialem eleuet alienam naturam, sibique copulet, & vniat, & postea terminet, suppleatque dependentiam à propria subsistentia.

6 Prima ergo sententia est, quod persona creata possit per diuinam potentiam eleuari ad terminandam alienam naturã. Sic Scotus, & omnes eius discipuli in 3. *dist.*1. Ocham *ibid.q.*1. Gabriel *q.*2.*art.*3. Maior *q.*5. Almayn. *q.*2. & Ysambert. *hic q.*3. *disp.*1. *art.*1. *n.*6. dicens esse plurium recentiorum. Secunda sententia est, quod nulla persona ex de facto creatis, possit alienam naturam terminare, tamen est possibilis aliqua persona creabilis, quę potest alienam naturam terminare. Sic Valentia *hic disp.*1.*puncto* 4.

7 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Non potest persona creata, nec creabilis per quamcumque potentiam terminare alienam naturam.* Est expressa sententia D.Thomæ *hic art.*1. *ad* 2. Sic etiam tenent Durand. *in* 3.*dist.*1. *q.*5. Palud. *q.*1. *art.*2. Henric. *quodlib.*11. *q.*10. Caietan. & omnes Thomistæ hoc loco. Suarez *disp.* 13.*sect.*4. Vasq. *disp.*25. Lugo *disp.*12.*sect.*7. Orland. *disp.*6.*q.*4. & alij communiter.

8 Probatur 1. nam vt docet S. Doctor *hic art.*4. *ad* 2. ad hoc vt aliqua persona possit terminare alienam naturam, requiritur, quod sit actu infinita: sed nulla persona creata est huiusmodi, ergo nulla persona creata potest alienam naturam terminare. Minorem probat Caiet. nam si daretur vna subsistentia quæ posset subsistere in duabus naturis, scilicet in propria, & aliena, posset etiam subsistere in infinitis, sed ad hoc requiritur infinita perfectio, quæ nulli personæ creatæ competere potest; ergo, &c. Maiorem probat Caietanus ex Arist. 4. *phys. tex.* 76. quia vbi pluralitas non facit differentiam, nec infinitas illã faceret, si infinitas esset possibilis. Tum quia non est maior ratio de duabus, ac de infinitis naturis; ergo, &c.

9 M. Cipullus impugnat hanc Caietani

tani rationem, & primò argumentatur ad hominem contra ipſum, nam *art. 6. §. ad confirmationem*, docet, quod nulla apparet implicantia, quod Deus det alicui accidenti vnitatem numeralem in ſe, & illam conſeruando, ponat illud in pluribus ſubiectis, & tamen inquit Cipullus, non inde ſequitur, quod hoc accidens debeat eſſe infinitum, cum hæc infinitas ſit impoſſibilis in quocumque accidente, non minus quàm virtus infinita in terminando in quacumque ſubſiſtentia creata. Vnde poteſt ſic fieri argumentum contra Caietanum; Accidens quod poteſt actuare diuerſa ſubiecta, poteſt actuare infinita, ac proinde deberet habere virtutem infinitam, quod eſſe nequit.

10 Cæterum hæc impugnatio non eſt tantæ efficaciæ, vt putat Cipullus, quod debeamus probationem tanti Doctoris deſerere, poſſumus ergo reſpondere aſſignando manifeſtam diſparitatem, nam ex eo, quod ſubſiſtentia creata poſſet terminare plures, & inde infinitas humanitates, ſeu naturas, ſequitur, quod habeat infinitam virtutem, & perfectionem in terminando; at ex hoc, quod accidens ponatur in diuerſis, & inde in infinitis ſubiectis, non ſequitur, quod habeat infinitam virtutem, & perfectionem, ſed potius imperfectionem maximam: eſt namque perfectio eſſe in ſe, & per ſe, & facere, quod alia hoc modo ſint: at eſſe in alio eſt non leuis imperfectio. Tum quia, vt poſtea dicemus contra eundem Cipullũ, ſubſiſtentia debet præcontinere vim, & perfectionem omnium ſubſiſtentiarum quas ſupplet, quod non currit in accidente in infinitis ſubiectis poſito, vt patet.

11 Secundò impugnat Cipullus probationem Caietani hoc modo, quia ſimile argumentum fieri poteſt ad probandũ, quod ſubiectum, quod poteſt recipere plura accidentia, deberet eſſe infinitæ virtutis in ſuſtentando, nam ſi poteſt recipere plura, etiam infinita. Neque hoc argumentum deſtruit rationem Caietani, nam purum, & nudum ſubiectum non eſt neceſſe quod præcontineat perfectionem in ſe accidentium. Tum quia potius ſubiectum deprimitur, & imperficitur recipiendo in ſe entis entia. At naturæ perficiuntur recipiendo ſubſiſtentiam, cum trahantur ad eſſe in ſe, & per ſe.

12 Alij probant illam minorem D. Thomæ, quia perſonalitas, ſeu ſubſiſtentia terminans plures, & inde infinitas naturas, deberet eſſe infinita ex eo, quod deberet præcõtinere formaliter, aut eminenter, ſeu virtute perfectionem omnium ſubſiſtentiarum quas ſuppleret, ac proinde cum iſtæ eſſent infinitæ, deberet continere infinitas perfectiones, & ſic eſſet infinita.

13 Hanc etiam probationem reicit Cipullus, quia vt aliqua ſubſiſtentia creata terminet alienam naturam, non eſt neceſſe quod in ſe præcontineat formaliter, & eminenter perfectionem perſonalitatis propriæ illius naturæ: perſonalitas enim terminando illam naturam, non tribuit illum eundem effectum in indiuiduo, imò nec etiam ſemper in ſpecie, quem propria perſonalitas tribueret; ſed alium valde diuerſum. Tum quia eſt differentia inter cauſam efficientem, ex vna parte, & materialem, & formalem ex alia; nam cauſa efficiens communicat ſui effectui diuerſum eſſe, diuerſamq; perfectionem, & ſic quot effectes producit, tot perfectiones communicat; at cauſa materialis, & formalis non producunt diuerſam perfectionem à ſe ipſis, cum non aliter agant, niſi per dationem ſui ipſius: vnde licet darent ſe infinitis effectibus, non infinitas perfectiones communicarent, ſed vnam, eandemque.

14 Verùm neq; hæc impugnatio tollit veritatem dictæ probationis; nam negari non poteſt quin ſubſiſtentia ſupplens defectum alterius, non præcontineat illius virtutem, & perfectionem: quomodo nãque vnum poteſt ſupplere defectum alterius, & facere, quod illud facit, niſi ſaltem virtute præcontineat perfectionem illius. Ideo namque Sol ſupplet defectum ignis calefaciendo, &c. quia continet virtute perfectionem ignis. Nec verum eſt quod non tribuat illa perſonalitas eundem effectum ſaltem in ſpecie, nam alias ſubſiſtentia

stentia diuina in Christo non tribueret naturæ humanæ incommunicabilitatem humanam, & esse hominem, & sic Christus non posset dici Deus, & homo. Nec illa differentia inter causam efficientem, & materialem, & formalem est ad rem; nam, vt dicebamus, assumere, seu terminare alienam naturam duo importat, scilicet efficientiam,& terminationem; efficientia non potest non tribuere diuersum esse, diuersamque perfectionem,& terminatio, si est per modum puri termini, & non informantis, cum non sit per dationē sui, si semel tribuit perfectionem, debet esse diuersa, cum non sit per communicationem sui, sed suæ virtutis,tribuendo esse in se, & per se.

15 Præterea alij probant illam minorem D.Thomæ, quia si semel personalitas creata posset alienam naturam terminare, id faceret propria, connaturali, & innata virtute; sed ad hoc vt personalitas propria, & innata virtute alienam naturam terminaret, deberet esse infinita; ergo, &c. Minor probatur, nam terminare alienam naturam propria,& innata virtute, est supra totam facultatem naturæ creatæ, non minus ac facere miracula, propria,& innata virtute. Maior constat, nam illa personalitas nō posset terminare alienam naturam per aliquid superadditum, nam aliud superadditum vel esset personalitas, & tunc esset eadem ratio: vel non esset de linea personalitatis,& per illud non posset aliena natura terminari.

16 Etiam hanc probationem reicit Cipullus, nam si illa, inquit, esset efficax, probaret etiam, quod humanitas Christi ex sua propria, & connaturali virtute haberet vniri personalitati Verbi diuini. Similiter quod anima, sua propria, & connaturali virtute, haberet sustentare gratiam,&c. quandoquidem non habent ista perficere per aliquid superadditum, sed per proprias entitates, ac proinde essent infinita, &c.

17 Sed neque ista distinctio vim dictæ probationis eneruat, nam re vera si subsistētia creata posset alienam naturā terminare, hoc faceret ex proprijs, & non ex aliquo superaddito, cum nihil superadditum intelligi posset à quo iste effectus præstari posset. Nec illud quod dicitur de humanitate Christi est ad rem; nam aliud est humanitatem passiuè assumi, ad hoc enim sufficit potentia obedientialis; & aliud est, quod aliqua subsistētia creata eam assumat, eam faciat esse in se, & per se; cum enim hoc non habeat connaturaliter, nec sufficiat potentia obedientialis,cum hæc non sit actiua, sed passiua, oportet, quod aliquid ei addatur, & hoc vel est subsistentia,& de hac currit eadem difficultas, vel aliud non pertinens ad lineam subsistentiæ, & hoc ad nihil deseruit. Per quod patet ad illud quod dicit Cipullus de anima, nam vt sustentet gratiam cum hoc passiuum quid sit, sufficit potentia obedientialis passiua, quæ non sufficit in nostro casu, vt patet.

18 Demum Cipullus probat illam minorem Diui Thomæ, quia si aliqua subsistentia creata posset alienam naturam terminare, deberet esse irrecepta, & per se subsistens, quod autem est per se subsistens, & irreceptum, est infinitum, est enim proprium Dei, ergo, &c. Maiorem probat,nam illa persona potest vniri alienæ naturæ, cuius personalitas potest propriam, & alienam naturam terminare, sed sola personalitas irrecepta hoc potest; ergo, &c. Nam personalitas recepta est modus suæ naturæ, ac proinde non potest in alia natura recipi.

19 Hæc probatio reici potest, nam non est de ratione subsistentiæ,vt sic quod sit, vel non sit recepta, sed quod exerceat rationem termini, seu quod terminet naturam: an autem sit de ratione subsistentiæ creatæ, quod sit recepta, vt modus, dicemus ratione sequenti. Tum quia dato, quod subsistentia creata sit modus respectu propriæ naturæ, non tamen sequitur, quod sit modus respectu naturæ alienæ. Vnde sicut vnio inter naturam humanam, & personalitatem Verbi, est modus receptus in natura humana,& non est modus, nec respectus in personalitate diuini Verbi; ita quis dicere posset de personalitate

crea-

creatâ, quod reſpectu propriæ naturæ ſit modus, & reſpectus, vt reſpectu alterius naturæ ſit ſolus terminus non modus, non reſpectus. In creata namque ſubſiſtentia poſſunt duæ formalitates diſtingui, vna modi, & reſpecti, & hæc habetur reſpectu propriæ naturæ; alia termini tantum, & hæc haberi poteſt reſpectu alterius naturæ.

20 Probatur 2. ab aliquibus noſtra concl. quia modus non poteſt communicare ſuum effectum formalem, niſi illi cuius eſt modus; ſed ſubſiſtentia creata eſt modus; ergo non poteſt communicare ſuum effectum formalem niſi naturæ propriæ cuius eſt modus. Maior probatur, de ratione namque modi eſt dicere intrinſecam connexionem cum re cuius eſt modus, vnde ab illa ſeparari non poteſt. Cõſtat inductione in alijs modis; nam neque inhærentia alicuius accidentis, poteſt eſſe alteri accidenti ratio inhærendi; neque ſeſſio alicuius poteſt eſſe ratio ſedendi alterius, eumque ſedentem conſtituere: neque actio qua Petrus producitur, poteſt eſſe productio Pauli: neque vnio qua mea materia vnitur cum mea forma poteſt eſſe ratio vniendi tuam materiam cum tua forma, &c.

21 Hæc probatio licet videatur communiter efficax, tamen facile negatur ab aduerſarijs, iuxta dicta num. præcedenti contra Cipullum. Nam licet modus non poſſit ſeparari a re cuius eſt modus, & non poſſit alteri tribuere effectum formalem intrinſecum informandi niſi rei cuius eſt modus, tamen effectum terminandi poteſt tribuere: nam demus, quod Deus intimè vniat alienam naturam meæ naturę, ſine propria ſubſiſtentia, poterit mea ſubſiſtentia, ſe extendere ad terminandam illam naturam præcisè, abſque eo quod deſinat informare meam naturam, quod non ita facile euerti poteſt, niſi ad rationem diui Thomæ, & probationes ſupra poſitas recurramus. Sicut enim ſubſiſtentia Verbi diuini ita terminat naturam humanam vt faciat illam ſubſiſtere in Verbo: ita perſonalitas Angeli poſſet terminare naturam humanam Petri, vt faciat illam ſubſiſtere in ſuppoſito Angelico: nã tunc natura Petri, nõ eſſet in ſe, ſed in alieno ſuppoſito: ſubſiſtẽtia propria facit ſubſiſtere in ſe, & aliena in alieno ſupoſito, cui illa natura eſſet vnita, & intimè præſens.

22 Probatur 3. nam terminare alienam naturam, ſeu eam aſſumere ad propriam perſonalitatem dicit duo, ſcilicet actionem aſſumptiuam, & terminationem naturæ aſſumptæ; ſed ſubſiſtentia creata nullam habet potentiam actiuam, qua aſſumat, ſibi vniat, faciatque ſubſiſtere naturam creatam; ergo non poteſt eam terminare, terminare namque ſupponit actionem qua fiat ſubſiſtere natura terminanda. Maior patet in ſubſiſtentia diuina, quæ vt faciat ſubſiſtere naturam humanã debet per virtutem diuinæ omnipotentiæ ſumere naturam, impediendo pullulationem propriæ ſubſiſtentiæ, & poſtea eam terminat. Propterea docent Theologi, quod actio aſſumptiua eſt communis toti Trinitati licet formaliſſima terminatio ſit propria ſubſiſtentia Verbi. Minor probatur, nam ſi ſubſiſtentia creata haberet aliquam actiuam potentiam ad faciendum ſubſiſtere naturam alienam, vel illa potentia eſſet naturalis, & hoc non, vt etiam concedunt aduerſarij, vel eſſet obedientialis, & neque hæc cum non detur potentia obedientialis actiua. Soluuntur argum. in contrarium.

23 Primum argum. nam ad hoc vt aliqua ſubſiſtentia poſſit alienam naturã terminare, tria requiruntur, & ſufficiunt. Primò, quod impediatur produci propria perſonalitas. Secundò, quod aliena ſubſiſtentia vniatur naturæ quam debet facere ſubſiſtere. Tertiò, quod ea ſubſiſtentia aliena habeat vim ſufficientem ad terminandam alienam naturam, eam complendo vt poſſit conſtituere aliquod ſubſiſtens per ſe; ſed ſubſiſtentia creata poteſt hæc tria habere per diuinam potentiam; ergo, &c. Maior conſtat ex myſterio incarnationis, vbi illa tria dantur, & ſufficiunt. Minor probatur quoad ſingulas partes. Prima conſtat, nam ſicut Deus impediuit ne pullularet ſubſiſtentia humani-

manam vt appropriata Filio, sequitur, quod non Filius fuerit incarnatus, sed natura ipsa diuina vt appropriatam Filio, ac proinde non de Filio, sed de natura diuina deberet dici quod fuit incarnata, quod fuerit passa, mortua, &c. Nec id quod addit Durandus est verum, quia cum Pater, & Spiritus S. sint hic Deus sine addito, etiam sine addito dici posset, quod essent incarnati, quod est falsum.

37 Probatur 4. nam subsistentia Verbi diuini habet totum id, quod requiritur ad terminandam naturam humanam, non subsistentia absoluta, nec natura diuina; ergo vnio hypostatica facta est in subsistẽtia Verbi, non in natura diuina, aut subsistentia diuina absoluta. Antecedens probatur, nam ad terminandam naturam humanam solum requiritur, quod sit id per quod subsistat, & reddatur incommunicabilis; sed hæc duo solum conueniunt subsistentiæ personali, non naturæ diuinæ, nec subsistentiæ absolutæ; ergo, &c. natura namque diuina, & subsistentia absoluta, cum non sint incommunicabiles ad intra, neque possunt tribuere incommunicabilitatem ad extra naturæ humanæ assumptæ. Soluuntur argumenta in contrarium.

38 Primum argum. nam humanitas Christi D. ab eo formaliter terminatur, per quod Verbum diuinum est in se, & per se subsistit: sed hoc habet à subsistentia absoluta; ergo, &c. Resp. distinguendo maiorem. Per quod Verbum in se, & per se subsistit incommunicabiliter, conceditur: communicabiliter, negatur. Vt enim constat ex dictis 1. *p. disp.* 29. *dub.*5. *per totum*, natura diuina per subsistentiam absolutam non est incommunicabilis, sed communicabilis, ac proinde persona Verbi per naturam diuinam subsistentem subsistentia absoluta non intelligitur incommunicabilis, quandiu non aduenit subsistentia relatiua per quam redditur subsistens incommunicabiliter.

39 Secundum argum. quoniam illa subsistentia debet terminare naturam humanam quæ continet eminenter perfectionem subsistentiæ creatæ; sed subsistentia relatiua non continet dictam perfectionem subsistentiæ creatæ, bene tamen subsistentia absoluta; ergo ista, non illa debet terminare naturam humanam. Maior nota est, cum enim subsistentia diuina debeat supplere id quod præstaret subsistentia creata, non potest non continere perfectionem illius. Minor etiam nota est ex dictis de Trinitate, quod scilicet subsistentia relatiua nullam dicat perfectionem, quod enim perfectionem non dicit, non potest perfectionem continere. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dico, quod relationes diuinę dicunt perfectionem per modum transcendentis, licet eam non exprimant secundum suum conceptum *ad*. Ratio autem subsistendi non exprimit *ad* vt *ad*, sed *ad* per modum cuiusdam actus actuantis, & terminantis naturam, quod magis apparet in diuina subsistentia Verbi vt terminat naturam humanam, quia ita terminat vt non referat, ac proinde non eam terminat secundum expressionem ipsius *ad*.

40 Tertium argum. nam si Verbum diuinum formalissimè, proximè, & immediatè communicaret humanitati suã subsistentiam, seu personalitatem relatiuam, & non quid absolutum, sequeretur, quod humanitas non diceretur Filius Dei, sed Filia; hoc est falsum; ergo, &c. Minor nota est. Maior probatur, nam talis debet esse denominatio, qualis est forma denominans; sed forma denominans est relatiua, & generis fœminini; ergo, &c. Resp. quod licet forma denominans sit generis fœminini, tamen denominatio Filij, aut Filiæ non desumitur à forma denominante in abstracto, sed in concreto, seu à supposito, aliàs etiam in diuinis Verbum diceretur Filia, quod est falsum.

41 Quartum argu. nam si ob aliquam rationem, ratio terminandi humanitatem non esset quid absolutum, maximè quia incarnatio fuisset communis tribus personis diuinis, & sic etiam Pater, & Spiritus S. fuissent incarnati; sed hoc non sequitur; ergo, &c. Minor probatur, nam in Patre ratio, seu principium, & ratio formalis

& Ethnici, poſſet hypoſtaticè aſſumere aliquam naturam creatam. Secundus eſt abſolutus, an tunc præciſis mente trium diuinarum perſonarum ſubſiſtentijs relatiuis natura diuina in ſe habeat per quod poſſit alienam naturam terminare? Alij ſic hoc dubium proponunt, an Deus poſſit alienam naturam aſſumere per aliquid abſolutum, ſeu an Deus vt vnus poſſit per ſubſiſtentiam abſolutam alienam naturam terminare, ſeu etiam, an natura diuina vt præintelligitur ſubſiſtens, & hic Deus, poſſit alienam naturam terminare.

47 De hoc dubio ſequentes inuenio ſententias. Prima eſt illorum, qui negant in diuinis ſubſiſtentiam abſolutam, & ſolum admittunt tres ſubſtantias relatiuas, & ſunt Alenſis 3. p. q. 7. membr. 1. art. 2. & 3. Bonau. *in 3. diſt.* 1. *art.* 1. *q.* 3. & *diſt.* 5. *art.* 1. *q.* 4. Vaſq. *hoc loco diſp.* 27. *cap.* 2. Lorca *diſp.* 24. *n.* 16. Hurtad. *diſp.* 16. *ſect.* 2. & alij, dicentes, quod tunc non poſſit Deus alienam naturam aſſumere. Secunda ſententia eſt eorum, qui admittunt ſubſiſtentiam abſolutam, & tamen dicunt quod cum non ſit incommunicabilis, non poteſt in ea fieri aſſumptio, ſic Capreolus *in diſt.* 1. *q.* 1. *art.* 3. *ad argum. contra* 4. *concl.* Orlandus hoc loco *diſp.* 6. *q.* 3. citans alios. Tertia ſententia eſt, quod etiam ſi non detur ſubſiſtentia abſoluta, adhuc natura diuina ſecundum ſe, & præciſa quamcumque ſubſiſtẽtia, poteſt alienam naturam terminare. Pro hac ſententia Orlandus citat Valentiam.

48 Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Deus poteſt terminare alienã naturam. Seu Deus ratione ſuæ ſubſiſtentiæ abſolutæ poteſt alienam naturam terminare.* Sic docet S. Doctor *art.* 3. quatenus vult, quod abſtractis per intellectum perſonalitatibus, remanebit vna perſonalitas Dei, ſeu vna ſubſiſtentia abſoluta, in qua aſſumptio fieri poterit. D. Thomam ſequuntur Caiet. hoc loco, & alij Thomiſtæ, & magis communiter recentiores, vt obſeruat Cipullus *art.* 3. *dub. vnico n.* 3. vbi pro ſententia D. Thomæ citat etiã Scotum, Durandum, Riccardum, Almaynum, & O.hamum.

49 Probatur 1. nam data ſubſiſtentia abſoluta, vt communiter eam concedunt Thologi, & nos eam conceſſimus, & probauimus 1. *p. diſp.* 29. *dub.* 5. *per totum* poteſt in ea fieri vnio hypoſtatica; ergo vnio hypoſtatica fieri poteſt in aliquo abſoluto, licet de facto ſit facta in aliquo relatiuo, ſcilicet in ſubſiſtentia relatiua, & perſonali Verbi. Antecedens probatur, nam ideo vnio hypoſtatica potuit fieri in ſubſiſtentia relatiua, quia eſt ſuum ſubſiſtere, eſt ſua terminatio, eſt infinita in linea terminandi, & ſubſiſtendi; iſta non minus conueniunt ſubſiſtentiæ abſolutæ, quàm relatiuæ; ergo, &c.

50 Probatur 2. nam ſubſiſtentia abſoluta non eſt minus perfecta quàm relatiua, ergo ſi poteſt ſubſiſtentia relatiua terminare alienam naturam, idem etiam poterit præſtare ſubſiſtentia abſoluta. Conſeq. conſtat. Nam ſubſiſtentia abſoluta conſtituit hunc Deum, vt præintelligitur tribus perſonis diuinis, Deus autem vt præintelligitur tribus perſonis diuinis non eſt quid minus perfectum quàm ſit Pater, Filius, &c. Tũ quia abſoluta in diuinis dicunt, & exprimunt perfectionem, non relatiua.

51 Occurrit Orlandus loco citato negando conſeq. quia ex eo, quod ſubſiſtẽtia abſoluta ſit magis perfecta non ſequitur, quod poſſit alienam naturam terminare; nam omnipotentia, & alia attributa ſunt magis perfecta quàm ſubſiſtentia relatiua, & tamen non poſſunt alienam naturam terminare. Sed contra, nam noſtra ratio non procedit de quacumque perfectione, ſed de perfectione in linea ſubſiſtentiæ, vt poſſit eſſe terminus terminans alienam naturam; ſed ſubſiſtentia abſoluta eſt perfectior in linea ſubſiſtentiæ, in ratione termini terminantis; ergo, &c. Subſiſtentia namque abſoluta ita terminat naturam diuinam, eamque in linea ſubſtantiali ita complet vt conſtituat hũc Deum præintellectum perſonis.

52 Nec valet iterum occurrere cum Orlandus ſupra *n.* 34. quod licet ſubſiſtẽtia abſoluta ſit ſubſiſtentia, non tamen eſt terminus, quia eſſe terminum ſolum con-

Suarez *diſp.12. ſect. 1. §. ſed occurrit.* Cabrera *ſupra art.1. diſp.3.* & alij communiter. Pro quo nota, quod vt docet Aluarez loco citato, eadem quæſtio eſt de myſterio Euchariſtiæ, an ſcilicet natura diuina, & Pater, & Spiritus S. ſint in Euchariſtia per concomitantiam, quam quæſtionem explicuimus *de Euchariſtia diſp. 9. q. 4. per totam*, vbi poſt alios diximus, quod natura diuina eſt in Euchariſtia per concomitantiam mediatam, ſed proximam, & Pater, & Spiritus S. ſunt in ea per concomitantiam mediatam, ſeu remotam, quam alij vocant identificationem. Idem dicimus hoc loco de hoc myſterio, nam perſona Verbi eſt in humanitate, vt immediatè, & proximè terminans; natura diuina eſt ibi mediatè, & ratione perſonalitatis Verbi cum qua identificatur. At perſona Patris, & Spiritus S. ſunt magis mediatè, quatenus ſcilicet perſonalitas Verbi identificatur cum natura diuina, & iſta identificatur cum perſona Patris, & Spiritus S. Vbi enim ponitur natura diuina ibi ponitur Perſona Patris, & Spiritus S. In humanitate ratione perſonalitatis Verbi ponitur natura diuina; ergo ratione illius ponitur Perſona Patris, & Spiritus S. Quod autem aliqui hoc vocent identificationem, ſeu poſitionem ratione identificationis, & non ratione concomitantiæ nil refert, cum non faciamus vim in verbis, ſed in re ipſa.

67 Probatur 1. noſtra concl. nam Ioan. 4. Chriſtus D. dixit Philippo. *Non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt.* Ergo ex verbis Chriſti D. Pater eſt in Chriſto, ac ſubinde Spiritus S. Rurſus. *Pater in me, & ego in Patre.* Et 2. Corint. 5. dicitur. *Quoniam Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi*, quem locum explicans D. Ambroſ. dicit. *Pater per id intelligitur eſſe in Filio, quod vna eorum ſit ſubſtantia. Rectè igitur dicitur: Deus erat in Chriſto, hoc eſt Pater in Filio, mundum reconcilians ſibi,* Vbi Pater eſt in Chriſto ratione vnitatis eſſentię, quã habet cũ Patre. Et S.P. Aug. ſer. Dominicæ 3. Aduentus. ſic fatur. *Cum ergo vna ſit Deitas, vna ſit diuinitas, impleuit quidem carnem Chriſti, & Pater, & Spiritus Sanctus.*

68 Occurrit Aluarez, quod Sancti Patres, & Scriptura ſolum volunt docere, quod Pater ſit in Filio ſecundum quod eſt Deus, propter naturalem connexionem, & identitatem. Addit Cipullus *dicto dubio 2. n. 9.* quod Pater, & Spiritus S. ſunt quidem in Chriſto, non quia vnio hypoſtatica Verbi diuini cum humanitate ſit ratio formalis quare illæ perſonæ ſint ibi, hæc enim vnio nec ſecundariò, & mediatè facta eſt ad Patrem, & Spiritum S. cum nec ſecundariò hæ perſonæ ſint incarnatæ, ſed quia nequit eſſe eſſentia ſine perſonis, nec vna perſona ſine alia propter identitatem, & connexionem, inter ipſas perſonas.

69 Sed contra, nam licet vnio hypoſtatica non ponat diuinam eſſentiam, nec perſonam Patris, & Spiritus S. in humanitate niſi ſuppoſita dicta connexione, & identitate, tamen negari non poteſt, quin ea connexione, & identitate ſuppoſita nõ etiam ponat eſſentiam, & illas perſonas, nam ſuppoſito quod aliqua ſint connexa, & vnum illorum trahatur ab aliquo, negari non poteſt quin & aliud trahatur. Et ſic in humanitate licet ſit eſſentia, Pater, & Spiritus S. non tamen dici poteſt quod carnem aſſumpſerit eſſentia, Pater, aut Spiritus S. ſed ſolus Filius, licet Filius trahat ad carnem eſſentiam, Patrem, & Spiritum S. & hoc eſt eſſe per concomitantiã.

70 Probatur 2. Licet eſſentia diuina, Pater, & Spiritus S. non eſſent vbique per immenſitatem, tamen ratione vnionis hypoſtaticæ, ſeu ratione huius myſterij non poſſet Verbum non eſſe in humanitate, & ratione identificationis eſſentiæ cum Verbo, non poſſet nõ eſſe ibi eſſentia, & ratione identificationis Patris, & Spiritus S. cum eſſentia, non poſſint non eſſe ibi etiã iſtæ duæ perſonæ; licet enim vnio hypoſtaca non ponat dictam identificationem, ea tamen poſita, ea eſt vis, & efficacia vnionis hypoſtaticæ, vt ponat in humanitate omnia quę cũ perſona Verbi habẽt connexionem; quod eſt ponere per concomitantiam. Videantur dicta à nobis de Euchariſtia *diſp. 9. q. 4.*

ſtentia Patris, & Spiritus S. ergo adhuc poteſt ab illis terminari. Conſeq.conſtat. Antecedens probatur, nam natura humana antecedenter ad vnionem cum ſubſiſtentia Verbi habebat potentiam obediẽtialem vt terminaretur à ſubſiſtentia Patris, & Spiritus S. ſed per aſſumptionem à Verbo non tollitur potentia obedientialis quam habebat vt aſſumeretur à Patre, & Spiritu S. ergo, &c. Minor probatur, nam ſubſiſtentia Patris, & Filij, &c. non ſunt incompoſſibiles; ergo non deſtruunt potentiam obedientialem naturæ ad illas.

77 Occurrunt aduerſarij, quod licet ſubſiſtentia Patris, Filij, & Spiritus S. non ſint incompoſſibiles in ordine ad propriã naturam, ſcilicet eſſentiam diuinam, ſunt tamen incompoſſibiles in ordine ad naturam extraneam, ſeu alienam, vt eſt natura humana. Sed contra, quia formæ quæ ſecundum ſe non dicunt incompoſſibilitatem in nullo ſubiecto eam dicunt; ſed ſubſiſtentię diuinę relatiuæ ſecundum ſe non dicunt incompoſſibilitatem; ergo neque eam dicent reſpectu naturæ alienæ.

78 Probatur 3. nam tanta eſt vis terminandi humanitatem in Patre, quam ſit in Filio, & Spiritu S. & potentia obedientialis, eiuſdem humanitatis vt terminetur hypoſtaticè ab aliqua diuina perſona, eſt tam reſpectu vnius diuinæ perſonæ, quam aliarum, nec vna perſona quoad hoc præſtatandum vni, & eidem humanitati excludit aliàs; ergo, &c. Antecedens probatur, nam hæc humanitas eſt quid abſolutum, & perſonæ diuinæ non excludunt ſe inuicem ab aliquo abſoluto; ergo diuinæ perſonæ poſſunt vnam, eandemque naturam aſſumere: ideo namque ſubſiſtentiæ diuinæ non ſe excludunt à diuina eſſentia, quia eſt quid abſolutum: ideo non ſe excludunt à diuina omnipotentia, miſericordia, &c. quia ſunt quid abſolutum: ideo non ſe excludunt ab omni opere ad extra, quia ſunt quid abſolutum; ergo cum etiam natura humana ſit quid abſolutum in ratione terminabilis, in ea non ſe excludent diuinæ perſonæ. Soluuntur argum. in contrarium.

79 Primum argum. deſumunt ex auctoritate D. Anſelmi *lib. 2. Cur Deus homo*, vbi ita ſcribit. *Plures enim perſonæ nequeũt, & eundem hominem aſſumere in vnitate perſonæ: quare in vna perſona tantum hoc fieri neceſſe eſt*. Reſp. quod, vt etiam ex citatis verbis colligitur, S. Anſelmus ſolum vult non poſſe tres perſonas aſſumere vnam humanitatem in vnitate perſonæ, vt ſcilicet eſſet vna tantum perſona, in caſu autem quod tres perſonæ diuinæ aſſumerent eandem humanitatem, non aſſumeretur humanitas in vnitate perſonæ, ſed in vnitate trium perſonarum. Vnde ſic ille homo eſſet ſicut Deus, ſcilicet vnus homo in tribus perſonis, ſic vt eſt vnus Deus in iiſdem tribus perſonis diuinis.

80 Secundum argum. quia licet ſubſiſtentia aliena non ita terminet naturam, vt faciat illam per ſe ſubſiſtentem, facit tamen illam ſubſiſtentem in alieno ſuppoſito; ſicut ſubſiſtentia propria facit naturam in ſe ſiſtentem; nam ſubſiſtentia Verbi facit naturam ſubſiſtere, ſeu ſiſtere in Verbo; ergo non poteſt ſimul terminari ab alio ſuppoſito. Conſeq. probatur, nam ſicut repugnat terminari in ſe, & in alio, ita repugnat in ſuppoſito Verbi terminari, & terminari in ſuppoſito Patris, vel Spiritus Sancti. Terminari namque eſt ibi ſiſtere & non vlterius progredi, ſi autem natura terminata à Verbo, vlterius terminaretur à Patre, vlterius progrederetur, & ſic terminaretur, & non terminaretur, quod implicat.

81 Reſp. quod ſubſiſtentia aliena re vera facit naturam ſiſtere, ſeu ſubſiſtere in alio ſuppoſito, non in proprio, & ſic ſubſiſtentia Verbi facit naturam humanã ſiſtere in Verbo, ſeu ſubſiſtere in ſuppoſito Verbi, & ſic conceditur antecedens, & negatur conſequ. Ad probationem dico, quod dato, quod natura humana ſubſiſtens in ſe per propriam ſubſiſtentiam, nõ poſſit ſubſiſtere in alio per alienam ſubſiſtentiam; tamen ſubſiſtens in alio per ſubſiſtentiam Verbi, poteſt ſubſiſtere iterum in alio per ſubſiſtentiam Patris, aut Spiritus S. Ratio eſt, quia ſubſiſtentiæ diuinę non ſe excludunt, vt faciunt diuina, & humana, de quo infra dicemus diſp. 4. dub. 4.

subsistentia namque Verbi terminat quidem totaliter naturam humanam intensiuè, non extensiuè, & sic relinquit locum alijs subsistentijs diuinis.

82 Tertium argum. quoniam idem numero effectus non potest simul dependere à duabus, aut pluribus causis adæquatis, non subordinatis, vt traditur in physicis; sed quælibet persona diuina est terminus adæquatus naturæ humanæ; ergo non potest terminari simul ab illis omnibus. Resp. 1. concedendo maiorem, & distinguendo minorem: quælibet persona diuina est terminus adæquatus intensiuè, & extensiuè simul, negatur: intensiuè tantum, conceditur. Nulla autem est implicantia, quod vnus, idemque effectus adæquatus tantum intensiuè prodeat à duplici causa adæquata, vt patet in diuina essentia respectu trium subsistẽtiarum relatiuarum. Resp. 2. distinguendo eandem minorem; quælibet persona diuina est terminus adæquatus in ordine ad terminum *qui*, conceditur: in ordine ad terminum *quo*, negatur. Nam licet eadem natura humana sit illa, quæ terminatur, ac proinde sit idem terminus *qui* triũ personarum diuinarum; non tamen esset tunc idem terminus *quo*, quia vnaquęque persona diuina vniretur humanitati per suam propriam vnionem hypostaticam. Vbi autem sũt plures termini *quo*, seu plures effectus *quo* non implicat quod sint plures causæ, &c.

83 Quartum argum. quia implicat, quod idem numero accidens sit simul in tribus subiectis; ergo etiam implicabit, quod eadem humanitas sit simul in tribus suppositis. Resp. negando consequ. ratio discriminis est, quia dependentia accidentis à subiecto, est tanquam à causa, at dependentia naturæ à supposito est solum tanquam à termino quasi extrinseco. Vel dicas non implicare, quod idem numero accidens ponatur in tribus subiectis non circumscriptiuè; sicut enim eadem substantia potest poni in pluribus locis non circumscriptiuè, vt patet in Sacramento altaris, ita & idem accidens poterit poni in pluribus subiectis non circumscriptiuè.

85 Quintum argum. Si vna natura posset terminari à pluribus personis, posset etiam terminari ab infinitis; sed hoc est falsum, ergo, &c. Resp. quod, vt supra vidimus, solum naturam alienam persona diuina terminare potest, non persona creata, vt infra etiam dicemus. Personæ autem diuinæ non sunt, nec possunt esse nisi tres. Quod si per impossibile essent infinitæ, omnes possent vnam, eandemque naturam terminare, cum non esset maior ratio de tribus, ac de infinitis.

85 Sextum argum. quoniam si tres personæ diuinæ possent assumere eandem naturam, tunc non essent plures homines sed vnus homo qui esset Pater, Filius, & Spiritus S. sed hoc est falsum; ergo, &c. de maiori dicemus § seq. Minor probatur, nam tunc per communicationem idiomatum possent tres personæ diuinæ in concreto prædicari, dicendo Pater est Filius, &c. sicut modo prædicatur Deus de homine, & è diuerso, dicendo Deus est homo, & homo est Deus. Resp. negando minorem. Ad probationem dico, quod communicatio idiomatum tunc solum reperitur quando aliqua vniuntur in vno, eodemque supposito, vt in Christo D. non quando sunt plura supposita, vt etiam videre est in natura diuina, vbi non valet dicere Pater est Filius, &c.

86 Septimum argum. si tres personæ diuinæ assumerent eandem naturam, non communicarent proprium, & quidditatiuum conceptum subsistentiæ; hoc est falsum; ergo, &c. Sequela probatur, nam est de conceptu formali, & quidditatiuo subsistentiæ personalis reddere naturam incommunicabilem alteri vt supposito, sed tunc non sic esset, nam natura assumpta à tribus personis diuinis non redderetur incommunicabilis à singulis subsistentijs, sed subsistentia Patris relinqueret eam communicabilem Filio, &c. ergo. Resp. negando maiorem; nam proprius conceptus subsistentiæ est terminare naturam, & secundarius est reddere eam alteri incommunicabilem, qui affectus impedibilis est à Deo, & sic tunc temporis natura illa tribus suppositis communicaretur. Vel dicas,

tas, quod etiam tres ſubſiſtentiæ diuinæ redderent naturam illam incommunicabilem in ſua linea. Nam ſubſiſtentia Patris redderet illam incommunicabilem vt Patri, & ſubſiſtentia Filij redderet illam incommunicabilem vt Filio, &c.

§. I. An in caſu quo tres perſonæ diuinæ aſſumerent eandem naturam humanam, eſſent tres homines, an vnus homo.

87 PRima ſententia eſt, quod in eo caſu eſſent tres homines. Sic Gabriel *in 3. diſt. 1. q. 1. art. 3. dub. 3.* Marſilius *q. 2. art. 2. dub. 2.* Caietan *hic q. 3. art. 6.* Medina, & alij hoc loco. Noſtra ſententia ſeq. concluſione explicatur. *Si tres perſonæ diuinæ aſſumerent eandem humanitatem, tunc eſſet vnus homo, non tres.* Sic S. D. *in 3. d. 1. q. 2. art. 4. ad 6. hic q. 3. art. 6. ad 1.* Altiſiodorenſis *lib. 3. ſumma tract. 1. cap. 1. q. 6.* Alenſis *3. p. q. 2. membr. 4.* Capreolus, & Hiſpalenſis *in 3. diſt. 1. q. 1.* Ferrarienſ. *4. contr. Gent. cap. 11.* & communiter expoſitores D. Thom. hoc loco, & ex modernis Orland. *diſp. 6. q. 6. n. 82.* Cipull. *q. 3. art. 7. dub. 1.* & alij.

88 Pro intelligentia difficultatis notãdum eſt cũ dictis auctoribus hanc eſſe differentiam inter nomen, ſeu concretum adiectiuum, & concretũ ſubſtantiuũ, quod ad multiplicationem concreti ſubſtantiui requiritur tum pluralitas ſuppoſiti, tũ pluralitas formę. At ad multiplicationẽ nominis, ſeu concreti adiectiui, ſufficit pluralitas, ſeu multiplicatio ſuppoſiti, ſeu ſubiecti. Vnde videmus, quod vbi ſuppoſita, vel ſubiecta ſunt plura, licet forma ſit vna, ſunt plura nomina adiectiua; quocirca ſi vna albedo eſſet in duobus ſubiectis, dicerentur duo alba, & ſi duo corpora ponerentur in eodem loco, dicerentur duo locata. Etſi quis vnico actu amoris amet plures, dicuntur plures amati, licet amor ſit vnus, & res viſæ dicuntur plures licet viſio ſit vna. Cæterum ad multiplicationem nominis ſubſtantiui, requiritur multiplicatio tam ſuppoſiti, ſeu ſubiecti, quam formæ. Vnde homo habens duas artes, eſt tantum vnus artifex. In Deo non dicuntur plures Dij, quia licet multiplicentur ſuppoſita, non tamen multiplicatur forma, ſcilicet diuinitas. Item Pater, & Filius non dicuntur duo ſpiratores Spiritus S. quia licet multiplicẽtur ſuppoſita, nõ tamẽ multiplicatur virtus ſpirandi. Ratio vtriuſque eſt, quia nomen adiectiuum ſupponit pro ſubiecto, & formam ſignificat per modum adiacentis, ac proinde ſi ſuppoſitum eſt vnum, licet formæ multiplicentur, nomen eſt vnum. At nomen ſubſtantiuum non ſupponit immediatè neque pro forma, neque pro ſuppoſito, ſed pro conſtituto ex illis, ac proinde non multiplicatur ex multiplicatione ſuppoſiti, aut formæ, ſed ex ſola multiplicatione huius conſtituti. Cum ergo in noſtro caſu nomen homo ſit ſubſtantiuum, adhoc vt multiplicetur, debet multiplicari conſtitutum, nec ſufficit multiplicatio formæ, aut ſuppoſitorum, vt in noſtro caſu, vbi ſola ſuppoſita multiplicantur non formæ, ſcilicet humanitates, ac proinde neque conſtituta multiplicantur, & ſic in eo caſu non erunt plures homines, ſed tantum vnus homo.

89 Sed obijcies 1. nam ſi tres perſonæ diuinæ aſſumerent vnam humanitatem eſſent tres ſubſiſtentes in natura humana, ſeu eſſent tres habentes naturam humanam: ergo eſſent tres homines. Antecedens conſtat. Conſeq. probatur, nam homo nil eſt aliud quam habens naturam humanam: ergo ſi eſſent in eo caſu tres habentes naturam humanam, eſſent tres homines. Reſp. concedendo antecedens, & negando conſeq. Ad probationem dico, quod homo non eſt habens naturam humanam ſi accipiatur ſubſtantiuè, benè tamen ſi accipiatur adiectiuè. Habens autem naturam humanam accipitur adiectiuè; ſubſtantiuè namque eſt conſlatum ex ſuppoſito, & natura humana, quod vocatur homo. Vnde in ea probatione ſubſtantiuum explicatur per ſuũ adiectiuum.

90 Obijcies 2. nam hoc nomen *homo* licet ſecundum ſe ſit ſubſtantiuum, tamẽ applicatum diuinis perſonis dicitur adiectiuè: ergo dicitur pluraliter. Conſeq. cõſtat,

stat, nam quod dicitur adiectiuè de diuinis personis, dicitur pluraliter, licet forma non multiplicetur. Antecedens tradit S.Doctor *hic art.7. ad 2.* tum quia humanitas habet se per modum indumenti respectu personæ diuinæ assumentis, sed indumentum dicitur adiectiuè, de vestito, ergo, &c. Tum etiam quia licet natura humana in se sit substantia, tamen respectu personæ diuinæ illam assumentis, habet rationem accidentis, cum ei adueniat post esse completum, sed accidens dicitur de suo subiecto adiectiuè; ergo, &c. Resp. negando antecedens. Ad 1. probationem ex D. Thoma dico, Diuũ Thomam solum explicuisse nomen substantiuum per adiectiuum, quia multoties vix aliter explicari potest. Ad 2. probationẽ dico, quod licet humanitas adueniat personæ Verbi iam constitutæ, non tamen aduenit accidentaliter, sed substantialiter, cum eleuetur ad esse personale illius. Per quod patet ad 3. probationem.

§. II. *An si vna persona diuina assumeret duas humanitates esset vnus homo, an plures.*

91 HAec difficultas ferè habetur ex dictis §. præcedenti. Nihilominus gratia claritatis, sigillatim excitatur. De qua prima sententia est, quod tunc essent plures homines. Sic tenent Scotus *in 3. dist. 1. q. 3.* Durand. *ibid.* Altisiodorensis *lib. 4. summæ tract. 1. cap. 1.* Vasq. *1. p. q. 155. cap. 5.* quam etiam tenuit S. Doctor *in 3 dist. 1. q. 2. art. 5. ad 2. & 3.* quam etiam aliqui moderni sequuntur.

92 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Si vna persona diuina assumeret duas aut plures humanitates, non plures essent homines, sed vnus tantum.* Hanc tenet S. D. *hic art. 7. ad 2.* Almayn. *in 3. dist. 1. q. 2. dub. 3.* Marsil. *q. 2. art. 3. dub. 3.* Caiet. *hic art. 7.* Suarez *disp. 13. sect. 3.* Cipullus *art. 7. dub. 1.* & omnes ferè expositores. Ratio constat ex dictis §. præcedenti, quia ad multiplicationem nominis substantiui requiritur non solum multiplicatio formæ, sed etiam suppositorum: sed in dicto casu licet multiplicarentur formæ, non tamen multiplicarentur supposita; ergo non multiplicarentur homines.

93 Obijcies 1. nam concreta substãtiua multiplicantur secundum multiplicationem formæ per nomen significatæ: sed si vna persona diuina assumeret plures humanitates, darentur plures formæ per hoc nomen substantiuum *homo* significatæ, ergo tunc multiplicarentur concreta substantiua hominis. Minor nota est: maiorem docet S.Doctor *1. p. q. 39. art. 3.* Tum quia vbi multiplicatur directũ significatum huius nominis *homo*, ibi multiplicantur homines, sed in casu dicto multiplicatur significatum huius nominis *homo*, scilicet humanitas: ergo, &c. Resp. negando maiorem, vt enim diximus, concreta substantiua multiplicantur ad multiplicationem tum formæ significatæ, tum suppositi. Ad 1. probat. dico, quod D. Thoma eo loco solum voluit docere quod tam concretum substantiuum, quam adiectiuum requirunt ad sui multiplicationẽ, multiplicationem formæ, licet postea cõcretum substantiuũ requirat vlterius multiplicationem suppositi; Ad 2. probat. dico, quod directum significatum huius nominis *homo*, non est humanitas, sed conflatans ex humanitate, & supposito, ac proinde vbi solum hoc multiplicatur, homo multiplicatur.

94 Obijcies 2. nam si assumens duas humanitates esset tantum vnus homo, etiã assumens humanitatem, & equinitatem, esset vnum animal: hoc est falsum: ergo, & id vnde sequitur. Maior constat ex paritate rationis. Minor probatur, nam aliàs idem animal simul, & semel esset in duabus speciebus, esset essentialiter à se diuisum. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dico, quod licet vnum, & idem animal quando eius vnitas desumitur tum ex vnitate formæ, tum ex vnitate suppositi, non possit pertinere ad species diuersas, bene tamen quando non est vnum ex vnitate formæ, sed solius suppositi, tunc enim ratione pluritatis formæ potest pertinere ad plures species.

Quæ-

95 Obijcies 3. nā demus, quod Verbum diuinum aſſumeret aliam humanitatem, tunc non eſſet idem homo, ſed alius: primus eſſet Ieſus, ſecundus ſit Sortes; ergo, &c. Antecedens probatur, nam aliàs ſequerentur plura abſurda, poteſt enim vnus, ſcilicet Ieſus mori, & ſaluare nos à peccatis, non alter: poſset vnus flagellari, non alter: poſſet vnus prædicare, non alter; ſi autem eſſent idem homo, ſi vnus moreretur, etiam alter mori deberet. Tū quia in eo caſu eſſent plura indiuidua naturæ humanæ, ergo etiam plures homines; indiuiduum namque naturæ humanæ eſt hic homo. Antecedens probatur, nàm ibi ſunt plura indiuidua, vbi ſunt plures naturæ ſingulares, hoc eſſet in eo caſu; ergo, &c. Reſp. negando antecedens, eſset enim tunc vnus homo habens duas naturas, & ratione illarum duarum naturarum, poteſt in vna mori, non in alia, &c. Ad probationem dico, quod tunc eſsent plura indiuidua in abſtracto, non in concreto; eſsent enim plures naturæ ſingulares, non tamen plura indiuidua in concreto, cum non ſint plura ſuppoſita. Vel dicas eſse plura indiuidua in eodem ſuppoſito, non tamen plures homines, quia ad hoc non ſufficit pluralitas indiuiduorum, ſed etiam ſuppoſitorum.

96 Sed quæres 1. an ſi vna perſona diuina aſſumeret duas naturas diuerſæ ſpeciei, vt hominis, & leonis, fieret communicatio idiomatum inter illas, vt proprietates vnius, attribuerentur alteri in concreto? Negant Caietanus, Valentia, & alij. Sed non eſt recedendum à communi ſententia affirmatiua. Ratio eſt, quia communicatio idiomatum in eo non conſiſtit, quod in Chriſto D. vna natura idētificetur cum ſuppoſito, vt volunt illi, ſed in eo, quod duæ naturæ ſubſiſtant per vnicam tantum ſubſiſtentiam, ratione cuius in concreto ad inuicem annunciantur, eo quod nomina ſignificantia naturam in concreto ſupponunt pro ipſa perſona, ac proinde quod tribuitur ſuppoſito ſuſtentanti vnam naturam, eidem tribuitur prout ſuſtentat & alteram; at in caſu poſito ambæ naturę communicarent in vna, eademque ſubſiſtentia, ergo ad inuicem fieret inter illas communicatio idiomatum in concreto.

97 Quæres 2. an dato, quod vna perſona diuina aſſumeret duas naturas, illæ duæ naturæ ita inter ſe coniungerentur, ſicut coniungerentur, ſeu vnirentur cum diuina natura? Reſp. negatiuæ, nam illæ naturæ ita vnirentur in eadem perſonalitate diuina vt nullo modo inter ſe idētificarētur, ſed ſemper ad ſe inuicem comparatæ totis ſe ipſis remanerent diſtinctæ. At cum natura diuina haberēt aliquam vnionem mediatam, licet cum ea non identificentur. Vnde dictæ naturæ cum perſonalitate ſolum vniuntur veluti cum tertio; at cum natura diuina vnaquæque vnitur ſaltem mediatè, & ſic quantum ad hoc vnaquæque natura magis vnitur, & eſt magis vnum cum natura diuina, quam ſint præciſè ad inuicem.

DISPV-

DISPVTATIO IV.

IN QVAEST. IV. DIVI THOMAE.

De modo vnionis ex parte naturæ assumptæ.

1 N 1. art. docet S. Doctor, quod natura humana est magis assumptibilis à Filio Dei, quã alia, si congruitatem spectemus, non quidẽ ex parte potentiæ passiuæ naturalis, sic enim nulla creatura est assumptibilis, sed ex conditionibus naturę assumendæ inexistentibus, quæ in proposito sunt duæ, scilicet dignitas, & necessitas. Dignitas non est in naturis inferioribus. Necessitas non est in natura Angelica. Tum quia non tota cecidit. Tum quia cecidit irreparabiliter. Tum etiam quia peccauit sola propriæ voluntatis auersione, sine exteriori tentatione. In art. 2. asserit Filium Dei non assumpsisse personam; quia quod assumitur secundum ordinem naturæ præintelligitur assumptioni, sola autem natura præintelligitur assumptioni. Quod si assumeretur persona, vel oporteret corrumpi in ipsa assumptione, & sic frustra assumeretur, vel essent duæ personæ, quod fidei repugnat. In 3. art. ostendit, quod non propriè dicitur, quod Filius Dei assumpserit hominem, eo quod homo est nomen personæ significans humanitatem vt subsistentem; Filius autem Dei non assumpsit personam; dicitur autem assumpsisse hominem pro parte, scilicet pro humanitate. In art. 4. declarat, quod non sit conueniens Filium Dei assumere naturam ab omnibus indiuiduis separatam, tum quia hoc est inconueniens; tum quia est impossibile. In 5. art. dicit Deum non debuisse assumere naturam humanã in omnibus indiuiduis. In 6. art. ait fuisse conueniens, quod Filius Dei assumeret naturam humanam ex stirpe Adæ, vt diabolus per eandem naturam qua vicerat, vinceretur. Sed sit.

DVBIVM I.

An qualibet natura completa sit assumptibilis à persona diuina.

2 PRo intelligentia sciendum ex Diuo Thoma *hac q. 4. art. 1.* duplicem esse assumptibilitatem: vna est secundum puram potentiam obedientialem secundum se præcisè consideratam, & consistit in non repugnantia naturæ vt assumatur à Deo. Alia est quidem secundum potentiam obedientialem, sed addit quandam congruentiam se tenentem ex parte naturæ, quæ mouet Deum vt eam præ alijs assumat, & vocari solet assumptibilitas secundum congruentiam. Hæc assumptibilitas congruentiæ subdiuiditur in assumptibilitatem congruentiæ puræ, & in assumptibilitatem congruentiæ, quæ simul sit necessitatis, & indigentiæ, quatenus ipsa necessitas, & indigentia, inducunt congruentiam assumptionis. Prior vocatur à D. Thoma congruentia dignitatis. Posterior, necessitatis, & dignitatis simul.

3 Conueniunt omnes, quod assumptibilitas congruentiæ puræ dignitatis, seu dignitatis tantum, solum in Angelis reperiatur, & in natura humana, quia solæ istæ duæ naturæ sunt capaces amoris, & intellectionis. Cæterum loquendo de assumptibilitate secundum dignitatem, & indigen-

gentium ſimul, ſola natura humana, eſt aſſumptibilis, quia hæc ſola tota perierat quoad omnia ſua indiuidua ab Adamo deſcendentia per ſeminalem propagationem. At ex tota natura Angelica aliquot ſolum indiuidua, & non omnia perierant. Et ſic conſtat, quod quantum ad ambas illas conditiones, ſimul, ſola natura humana erat aſſumptibilis, cum in ea tantum ſimul reperiantur.

4 Præſens difficultas procedit de aſſumptibilitate ſecundum puram potentiã obedientialem, vel etiam ſecundum puram congruentiam. De qua prima ſententia eſt, quod ſola natura humana, non Angelica, nec alia ſit hoc modo aſſumptibilis. Sic Magnus Albertus *in 3. diſt. 2. art. 2.* quantum ad naturam Angelicam. Et quoad naturam irrationalem, quod nõ ſit aſſumptibilis tradunt Henricus *quodlib.* 13. *q.* 5. Alex. de Aleſ. *3. p. q. 2. membr* 7. D. Bonau. *in 3. diſt. 1. q. 1. art. 1.* Carthuſ. *diſt. 2. q. 2. art. 3.* Picus Mirand. *in ſua apolog. in defenſ. 3. propoſitionis*, & alij.

5 Noſtra ſententia ſequentibus concluſionibus explicatur. Prima concl. *Poteſt natura Angelica aſſumi à diuina perſona, ſeu natura Angelica eſt aſſumptibilis à Deo.* Ita S. D. *hic art. 1. & 4. contra Gent. cap. 55. ad 3. & 4.* Omnes ferè Scholaſtici, & Theologi hoc loco, vt teſtantur Cipullus *q. 5. art. 1. dub. 1. n. 3.* Orland. *diſp. 7. q. 1.* Colligitur ex illo Apoſtol. ad Hebræos 2. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ, &c.* Hoc eſt, Filius Dei in hoc commendauit charitatem ſuam, quod nõ naturam Angelicam ſibi hypoſtaticè vniuit, ſed naturam humanam ab Abraham deſcendentem. Vbi patenter ſupponitur, quod Deus potuerit aſſumere naturam Angelicam, aliàs Apoſtoli argumentum ad commendandam charitatem Dei non eſſet efficax.

6 Probatur 1. nam vbi ſuppoſitum diſtinguitur à natura, Deus poteſt aſſumere naturam impediendo ne pullulet ſuppoſitum, vel poſtquam pullulauit poteſt illud deſtruere, & ſuum ſubrogare, ſed in Angelis ſuppoſitum diſtinguitur à natura; ergo, &c. Confirmatur, non eadem eſt conditio animæ rationalis, & naturæ Angelicæ quoad aſſumptibilitatem, nam ambæ ſunt ſubſtantiæ ſpirituales, ambæ ſubſiſtentes extra corpus quando anima eſt ſeparata, ſed anima ſeparata eſt aſſumptibilis; ergo & Angelus. Maior nota eſt. Minor conſtat, nam de facto anima Chriſti D. in triduo mortis erat ſeparata è corpore, & tamen erat aſſumpta, & vnita Verbo diuino.

7 Probatur 2. non repugnat aſſumptio naturæ Angelicæ neque ex parte Dei, neque ex parte ipſius naturæ; ergo poteſt aſſumi. Antecedens probatur, nam non repugnat ex parte Dei, quia Deus eſt infinitus in terminando, eſt ſua terminatio, ac proinde ſicut ob hanc rationem poteſt aſſumere, & de facto aſſumpſit naturam humanam, ita poteſt aſſumere Angelicam. Neque repugnat ex parte naturæ Angelicæ, nam natura Angeli poteſt per diuinam potentiam ſeparari à propria ſubſiſtentia. In creatis namque nulla natura eſt ſuum eſſe, & ſuum ſubſiſtere, aliàs eſſet Deus.

8 Secunda concl. *Natura irrationalis quæcumque completa etiam inſenſibilis, eſt aſſumptibilis à perſona diuina:* Sic tenent omnes Scholaſtici *in 3. diſt. 1.* & Theologi hoc loco. Probatur 1. nam multi hæretici putarũt Verbũ diuinum de facto aſsũpſiſse corpus ęthereum, vt Valentiniani, & Gnoſtici apud D. Irenæum. Alij ſolum corpus & non animam, vt Apollinaris, & tamen non refelluntur à Sanctis Patribus ob impoſſibilitatem, quaſi Verbum non potuerit aſſumere vel corpus aliquod ſolummodo æthereum, vel ſolummodo terrenum; ergo ſignum eſt Sanctos Patres putaſſe poſſe Deum aſſumere quamcumque naturam completam etiam inſenſibilem. Vnde S. P. Auguſt. *lib. de vera Religione c.* 16. dicit, quod Verbum potuit aſſumere corpus æthereum noſtro vſui accommodatũ. Et S. Gregor. Nyſſenus, *orat. catechiſtica cap.* 27. dicit, quod omnes naturæ ſunt eiuſdem rationis in ordine ad aſſumptionem, & quod differentia vnius ab alia non eſt alicuius momenti in ordine ad diuinam omnipotentiam.

9 Probatur 2. ratione desumpta ex citato testimonio Nysseni; nam omnes creaturæ sunt eiusdem rationis in ordine ad assumptionem, quia earum differentiæ non sunt alicuius momenti in ordine ad diuinam omnipotentiam, quia non respiciunt diuinam omnipotentiam, nec illi subduntur quatenus exprimunt proprias differentias, sed quatenus dicunt potentiam obedientialem quæ in omnibus creaturis æquè reperitur; ergo omnes æquè sunt assumptibiles quantum est ex parte diuinæ omnipotentiæ.

10 Probatur 3. nam omnis ea natura est capax assumptionis à Deo, quæ habet subsistentiam à se realiter distinctam, realiterque separabilem, sed omnis natura sensibilis, & insensibilis completa, est huiusmodi, ergo omnis est assumptibilis. Maior constat, vnio namque hypostatica in eo consistit, quod à natura aliqua vel impediatur resultantia propriæ subsistentiæ, vel postquam resultauit, destruatur, & subsistentia diuina subrogetur; sed hæc fieri possunt per diuinam potentiam, vbi subsistentia distinguitur à natura; ergo, &c, Minor probatur, nam natura quæ dicit potentiam, & capacitatem ad aliquid distinguitur ab illo, & realiter ab eo separari potest; sed omnis creatura cum non sit suum esse, & suum subsistere dicit potentiam, & capacitatem ad illud; ergo, &c.

11 Probatur 4. nam de facto corpus Christi D. in triduo mortis fuit sine anima vnitum diuinæ subsistentiæ Verbi; ergo id ipsum dici potest de quolibet alio corpore, vel natura, quod scilicet possit à Verbo diuino assumi. Valet namque argumentum à facto ad posse. Præterea in triduo etiam sanguis saltem naturalis fuit vnitus hypostaticè Verbo diuino, & tamen tunc non informabatur anima rationali; ergo, &c.

12 Occurres cum Henrico Gandau. *quodlibet.* 13. *q.* 1. esse disparem rationem corporis, & sanguinis Christi D. in triduo, & aliarum rerum, seu naturarum irrationalium, quod corpus humanum ordinatur ad animam, vt perfectibile ad suum perfectiuum, & in quo anima suam operationem intellectualem perfectius exerceet, ac proinde ratione huius ordinis ad animam, cui breui erat reunendum, & cum anima esset hypostaticè Verbo vnita debuit etiam Verbum ratione huius ordinis manere vnitum corpori, & sanguini. Sed contra, quia potentia, & capacitas creaturæ vt assumatur à Verbo diuino, nõ fundatur in aliquo ordine ad animam, sed in potentia obedientiali; sed ista reperitur in qualibet natura, & in qualibet re exigente aliquam subsistentiam, vt si sua impudiatur, alia substituatur; ergo. &c.

13 Sed obijcies 1. nam illud est capax hypostaticæ assumptionis, seu vnionis quod est capax visionis beatificæ; sed nulla creatura irrationalis est capax visionis beatificæ; ergo nulla creatura irrationalis est capax vnionis hypostaticę. Maior probatur, nam vnio hypostatica cum sit quoddam esse, debet esse principium alicuius operari, non alterius quam visionis beatificæ; ergo, &c. Resp. negando maiorem; plura namque requiruntur ad visionem beatificam, quam ad vnonem hypostaticam; ad hanc enim sufficit sola potentia obedientialis, at ad visionem beatificã requiritur cognitio intellectus, seu requiritur intellectus qui eleuetur per lumen gloriæ, &c.

14 Obijcies 2. nam natura incapax personalitatis est etiam incapax vnionis hypostaticæ cũ aliqua persona diuina; sed creatura irrationalis est incapax personalitatis; ergo est incapax vnionis hypostaticę. Maior nota est. Minor probatur, quia sola natura est capax personalitatis: persona namque est rationalis naturæ indiuidua substantia. Resp. negando maiorem: subsistentia namque diuina vnita naturæ rationali, constituit personam, at vnita naturæ irrationali, constituit suppositum. Vnde subsistentiæ in tantũ dicuntur personalitates, in quantum vniuntur naturæ rationali.

15 Obijcies 3. Ea tantum natura est capax vnionis hypostaticæ, quæ est capax sanctitatis, sed nulla creatura irrationalis est capax sanctitatis; ergo, &c. Maior nota est, vnio namque hypostatica non potest

teſt non neceſſariò ſanctificare naturam aſſumptam. Minor etiam conſtat, nam ſanctitas conſequitur naturam rationalẽ in finem ſupernaturalem eleuatam. Reſp. diſtinguendo maiorem, ea ſolum natura eſt capax vnionis hypoſtaticæ, quæ eſt capax ſanctitatis ſuppoſitalis, conceditur: quæ eſt capax ſanctitatis gratiæ habitualis, negatur. Sanctitas namque gratiæ habitualis tunc ſolum ſequitur ad vnionem hypoſtaticã, quando vnio fit in natura rationali, ſecus ſi fieret in natura irrationali.

16 Obijcies 4. nam ſi perſona diuina poſſet aſſumere aliquam naturam ſine gratia ſanctificante, poſſet etiam aſſumere aliquam aliquo lethali peccato infectã; ſed hoc eſt falſum, & Deo indignum; ergo, &c. Reſp. negando maiorem, eo namque ipſo, quod Deus aſſumeret naturam aliquo peccato infectam, ſtatim ea ſanctificaret tum ratione ſanctitatis perſonalis, tum ratione gratiæ habitualis quæ ſanctitatem perſonalem conſequeretur.

17 Obijcies 5. nam ſi perſona diuina aſſumeret naturam irrationalem, ſequeretur, quod proprietates illius dicerentur de Deo, & è contra; vnde ſi aſſumeret lapidem, poſſet dici *Deus eſt lapis*; ſi aſſumeret brutum, poſſet dici *Deus eſt brutũ*: ſed iſta ſunt indigna Deo; ergo, &c. Reſp. concedendo maiorem, & negando minorem. Sicut enim modo non eſt indecens dicere, quod Deus eſt mortuus, paſſus, flagellatus, &c. quia iſta dicuntur ratione diuerſarum naturarum in eodem ſuppoſito, ita & tunc.

18 Sed quæres 1. an Deus poſſit per abſolutam potentiam aſſumere naturam cadaueris? Reſp. affirmatiuè, ſicut enim de facto in triduo cadauer Chriſti D. mãſit vnitum hypoſtaticè Verbo diuino, ita poſſet aſſumere aliud quodcumque. Notandum tamen, quod licet propter communicationem idiomatũ poſſet dici *Deus eſt cadauer*, demonſtrato cadauere illo Chriſti, & de illo potuiſſet dici, *hoc cadauer eſt Deus*, tamen debent concionatores abſtinere ab his, & ſimilibus propoſitionibus, quæ ratione communicationis idiomatum fieri poſſunt, quia piæ fidelium aures, maximè ſimplicium, offendi ſolent.

19 Quæres 2. an ſi Deus aſſumeret equum, vel bouem, &c. poſſet dici, ſaltem per communicationem idiomatum, *equus eſt Filius Dei*, demonſtrato illo equo aſſumpto? Reſp. negatiuè, natura namque equina non eſt capax filiationis Dei, & ſic cum communicatio filiationis ſit effectus ſecundarius filiationis Dei, non communicatur niſi vbi datur capacitas. Sed contra, nam natura equi eſt capax filiationis, poteſt namque equus dici filius, & eſſe alterius equi; ergo cum ſit capax ſubſiſtentiæ, erit etiam capax filiationis. Reſp. negando antecedens, nam de ratione filij eſt ſimilitudo in natura, fundans ius ad hæreditatem Paternam, quę reſpectu Dei ſunt gratia, & æterna beatitudo, cuius nõ eſt capax equus, cum careat natura intellectuali, quæ ſola eſt capax filiationis Dei, cum hæc ſola ſit capax mutuæ amicitiæ ſupernaturalis, &c.

DVBIVM II.

An naturæ incompletæ, & partiales ſint capaces vnionis hypoſtaticæ.

20 Partes naturæ creatæ ſiue ſubſtantiales, & eſſentiales, ſiue integrales, poſſunt duobus modis conſiderari, ſcilicet vt ſunt inter ſe vnitæ, ſeu, vt de facto componunt totum; & vt ſunt ſeparatæ, ſeu ſeorſim poſitæ, & extra totum, vtroque modo conſideratæ cadunt ſub dubio præſenti.

21 Prima ſententia dicit, quod materia prima ſiue ſeparata à forma, ſiue illi vnita eſt aſſumptibilis à perſona Verbi ad vnionem hypoſtaticam, idem dicit de forma ſubſtantiali, ſiue ſpirituali, ſiue materiali, & idem dicit de partibus integralibus,, vt ſunt cor, caput, &c. Sic Suarez *diſp. 14. ſect. 3.* Orlandus *diſp. 7. q. 2. concl. 1. 2. & 3.* & alij. Secunda ſententia tenet, quod excepta anima rationali nulla forma eſt aſſumptibilis ſiue ſeparata à materia, ſiue illi vnita, idem tenet de partibus integrabilibus, quod ſcilicet non poſſint immediatè aſſumi, ſiue ſeparatæ; ſiue cõ-

iunctæ, quia non habent propriam subsistentiam. Ita Vasq. *disp.* 30. *cap.* 5. Cabrera *hic disp.* 4. & alij.

22 Nostra sententia sequentibus cõclus. explicatur. Prima concl. *Quando materia, & forma sunt vnita, non potest vna pars sine alia assumi*. Vnde non potest Deus assumere animam rationalem, vel equinam, nec materiam illarum, sine alia comparte. Sic tradunt Thomistæ communiter, vt testatur Cipullus *q.* 4. *art.* 1. *dub.* 2. Quantum ad materiam primam probatur, nam materia prima non habet propriam existentiam, & subsistentiam, cum sit pura potentia sine vllo prorsus actu, ergo non potest assumi separata, cum separata esse non possit; neque potest assumi vnita, non assumpta forma; nam materia non est capax subsistentiæ, & existentiæ nisi vt vnita formæ; ergo non potest assumi nisi vt vnita formæ, ac proinde nisi simul cum forma; non enim assumi potest nisi vt est capax subsistentiæ. Quantum ad formas ostenditur, nam si forma vnita materiæ assumeretur sine materia, iã materia subsisteret, & existeret per se, & immediatè, & non per formam, & sine existentia, & existentia, quod esse nequit. Tum quia formæ materiales dependent in suo esse, & subsistere à materia; ergo sine illa non possunt assumi.

23 Secunda conclusio. *Forma quacumque substantialis à materia separata, est assumptibilis à persona diuina.* Sic tradunt Medina *hic art.* 1. Aluarez *disp.* 22. *concl.* 4. Nazar. *controu.* 1. *q.* 4. Cipullus *hic dub.* 2. *n.* 10. Ysamb. *ad q.* 4. *disp.* 1. *art.* 5. & alij communiter. Quantum ad animam rationalem, certa res est, & constat ex triduo mortis Christi, vbi anima rationalis illius, à corpore separata mansit vnita hypostaticè Verbo, quod enim semel assumpsit, nunquam dimisit. Quod autem aliæ formæ separatæ à materia possint assumi à persona diuina colligitur ex communi doctrina Philosophorum, quod scilicet possint per diuinam potentiam separari à materia, quia licet de facto formæ materiales dependeant à materia in fieri, & conseruari, cum educantur de potentia materiæ, tamen non implicat quod separentur à materia, & ab illa separatæ maneant, cum enim sint actus, & non pura potentia vt materia, possunt habere esse dependenter à materia, vel conferente Deo illis propriam existentiam, & subsistentiam, vel supplente Deo per quandam manutenentiam propriam subsistentiam, vt dicunt plures de accidentibus panis, & vini post consecrationem, & tunc quoquomodo formæ materiales maneant separatæ à materia, potest Deus eas assumere, complendo, & terminando illas per propriam subsistentiam.

24 Sed obijcies 1. nam formæ materiales non sunt capaces subsistentiæ propriæ; ergo neque sunt capaces diuinæ. Conseq. constat, nam subsistentia diuina subrogatur loco propriæ, & præstat id, quod propria præstaret, ergo vbi propria esse non potest, neque diuina esse poterit. Antecedens probatur, nam formæ materiales dependent in esse, & fieri à materia; ergo etiam in conseruari, ac proinde non existent, neque subsistent, nisi vnitæ materiæ per existentiam, & subsistentiam totius, seu compositi. Tum quia forma materialis vnita materiæ non est capax nisi subsistentiæ communis materiæ, ac proinde vt vnita non habet propriam subsistentiam; ergo neque eam habere potest separata; ex vi namque separationis non potest fieri capax subsistentiæ propriæ, cuius capax non erat ante separationem. Resp. negando antecedens loquendo in ordine ad diuinam omnipotentiam, & dato casu separationis; tunc enim fit capax propriæ subsistentiæ, ac proinde forma materialis erit etiam tunc capax alienæ. Per quæ patet ad probationem.

25 Obijcies 2. nam dato quod forma materialis possit diuinitus separari à materia, & sic separata sit capax propriæ subsistentiç, tamen adhuc Deus non potest eam subsistentiam supplere subrogando suam; ergo, &c. Minor probatur, nam licet Deus possit supplere vices subsistentiæ completæ, & perfectæ, non tamen imperfectæ, & partialis, cum conceptus subsistentiæ partialis sonet imperfectionem à

Deo

Deo insupplebilem: Resp. quod illa subsistentia nō est partialis, sed est subsistentia partis, sicuti subsistentia animæ rationalis dicitur partialis quatenus est partis, non quatenus sit pars, est enim modus substantialis, & actus actuans, & complens formā, quæ aliàs est pars.

26 Obijcies 3. nam forma materialis non est vnibilis personæ diuinæ; ergo non est assumptibilis. Conseq. constat, nihil enim est aliud formam materialem assumi à persona diuina, quam vniri personæ diuinæ. Antecedens probatur, nam natura personabilis, & vnibilis, debet proportionari personæ cui vniri debet; sed persona est completa: ergo etiam natura: tum quia persona est ordinis intellectualis; ergo etiam natura vnibilis debet esse eiusdem ordinis. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico sufficere proportionem in ratione terminabilis, & terminatiui, quod in nostro casu habetur, licet non proportionentur in gradu intellectiuo, &c.

27 Tertia concl. *Potest persona diuina assumere partes integrales quando earum forma est diuisibilis, alijs non assumptis, licet ab alijs non sint diuisæ: non tamen potest assumere eas partes integrales, quarum forma est indiuisibilis.* Explicatur. Detur quo lapis cuius forma est diuisibilis sit bibalmaris, & sic habeat duas partes integrales, tunc Deus potest assumere vnam partem non assumpta alia, licet non sint prius diuisæ. Eo modo quo Sacerdos potest consecrare dimidiam hostiæ partem, non consecrata alia. Vbi enim forma est diuisibilis potest vna pars assumi, alia non assumpta. Cæterum quando forma est indiuisibilis non potest vna assumi sine alia. Vnde non potest Deus assumere caput hominis, non assumptis alijs partibus. Cum enim eadem forma indiuisibilis sit in omnibus partibus, nisi diuidantur, non potest vna assumi absque alia, aliàs forma non esset indiuisibilis; si autem diuiderentur, vt si in triduo quis caput Christi abscidisset, mansisset vnitum hypostaticè Verbo. At quando sunt indiuisæ, & eadem indiuisibili forma informantur, non potest vna assumi quin assumatur alia, aliàs eadem anima secundum vnam partem subsisteret subsistentia diuina, & secundum alias, subsistentia propria, quod implicat, secus quando forma est diuisibilis, tunc enim, saltem ratione quantitatis, dantur partiales substantiæ, ac proinde partiales subsistentiæ, & ratione eiusdem quantitatis separabiles.

28 Obijcies 1. repugnat, vt dicebamus, quod Deus suppleat vicem partis, cum sit quid incompletum, & sonet imperfectionem; sed modus partis integralis est essentialiter pars; ergo non potest Deus assumere partem integralem, supplendo modum illius. Minor probatur, nam sicut partes integrales habent suam formam partialem, suam partialem entitatem, ita debent habere suum modum partialem, qui cum alijs modis partialibus aliarum partium vnum integrum modum constituant, sicut constituunt vnum integrum totum. Resp. concedendo maiorem, & distinguendo minorem: modus partis est essentialiter pars, quatenus cum alijs modis componit, vel integrat vnum totalem modum, seu vnam integram, seu totalem subsistentiam, & conceditur, & hoc modo non potest assumi ab aliqua persona diuina: quatenus ita afficit partem, vt eam aptā constituat vt toti inexistat, & cum alijs partibus illud componat, & negatur, ac proinde hoc modo potest assumi. Hoc enim modo ille modus ita complet partem ac si non esset pars, & quasi quoddam totum.

29 Obijcies 2. nam illa pars vel subsistit, vel non, neutrum dici potest; ergo non est capax assumptionis. Non potest dici quod subsistat, quia partes non subsistunt, sed subsistunt subsistentia totius. Neque potest dici quod non subsistat, quia quod non est capax subsistentiæ, non est capax assumptionis. Resp. quod illa pars ante separationem, vel assumptionem consubsistit, inexistit enim toti, est tamen capax subsistentiæ propriæ per diuinam potentiam, saltem post separationem, & sic assumi potest à persona diuina.

30 Sed quæres, an si persona diuina assumeret aliquam partem sine substantia-

tia-

tialem, siue integralem, posset fieri communicatio idiomatum? Resp. negatiuè propriè loquendo, imò illa pars assumpta à Filio Dei non posset etiam in concreto denominari Filius Dei. Sicut neque modo partes humanitatis Christi D. à Verbo assumptæ v.g. anima, corpus, caput, manus, &c. non possunt dici Filius Dei: vnde non possumus dicere: Anima est Deus: est Filius Dei, est Verbum, & è contra. Filius Dei est anima: est corpus, est caput: est manus, &c. Ratio est, quia istæ denominationes, hypostaticam vnionem consequentes, competunt tantum naturis ex se, & sua conditione aptis constituere totum, & integum aliquod suppositum, vel quæ possunt aduenire substantiæ completæ, vt sunt accidentia, vt ex dicendis dub.seq.magis videbitur.

DVBIVM III.

An persona diuina possit accipere, seu sumere hypostaticè aliquod accidens.

31 NOn procedit dubium de assũptione mediata, certum namque est quod etiã de facto persona Verbi assumendo humanitatem, etiam illius accidentia mediatè assumpsit. Sed procedit dubiũ de assumptione immediata terminando immediatè dependentiã illius. De quo prima sententia est, quod accidens non possit hypostaticè assumi ab aliqua persona diuina. Hanc sequuntur Suarez *disp.* 14. *sect.* 4. Vasq. *disp.* 30. *cap.* 5. Granado, & alij quos refert, & sequitur Orlandus *disp.* 7. *q.* 3. Secunda sententia dicit, quod Deus potest assumere accidentia ad existentiam diuinam, non tamen ad diuinam personalitatem, seu subsistentiam. Hanc defendunt Aluarez *disp.* 22. *concl.* 5. Cabrera *disp.* 5. *& 6.* Cipullus *q.*4. *art.*1. *dub.* 3. *concl.* 1. & alij.

32 Nostra sententia seq.concl. explicatur. *Accidentia possunt assumi immediatè à Deo ad subsistentiam diuinam; seu possunt assumi hypostaticè ab aliqua persona diuina.* Idem namque est accidentia assumi hypostaticè à persona diuina, & assumi ad subsistendum. Vnde in sententia Aluarez, & Cipulli, non possunt assumi hypostaticè, neque à persona diuina, sed solum à Deo, vt præscindit à personis, & dicit existentiam absolutam, quæ sola datur in diuinis, non enim dantur tres existentiæ relatiuæ, vt dantur tres subsistentiæ relatiuæ. Nostram sententiam docent Maior *in* 3.*dist.*2.*q.*3. Marsil.*q.*3.*ar.*1. Almay. *q.*2. Medina *hic art.*1. Nazar.*contr.* 1.*q.*6. & alij communiter.

33 Pro intelligentia difficultatis nota, quod vt aduertimus de *Eucharistia disp.*1.*q.*1.*ad* 2.*argum.* & alibi, quod sicut substantia habet propriam subsistẽtiam, & existentiam per quam ponitur extra causas, nam per subsistentiam ponitur extra causas vt sit in se, & per se, & per existentiam, vt sit vltimatè extra causas. Ita accidens habet propriam subsistentiam, & existentiã, per quam ponitur extra causas, per subsistentiam potest esse ita in alio, vt tamen possit esse in se actu, licet aptitudine sit in alio, & per existentiam est extra causas completè. Cum differentia tamen, nam subsistentia, & existentia subsistentię, faciunt substantiam esse extra causa sine ordine, vel dependentia ab aliquo, non solum actuali, verùm etiam aptitudinali. At subsistentia, & existentia accidentis, faciunt illud existere extra causas, sed cum dependentia à substantia, quæ duplex est, aptitudinalis, & hæc illi conuenit per modum subsistentiæ, quæ licet possit actu tribuere esse in se, & non in alio, tamen ob suam imperfectionem, cum sit modus accidentis, quod est existens, conseruat capacitatem, & aptitudinem in accidente vt possit esse in alio. Et actualis qua accidens medio modo actualis inhærentiæ actu dependet à substantia tamquam à subiecto sustentante. His positis.

34 Probatur 1. concl. Nam accidens habet propriam subsistentiam per quam potest esse in se; ergo potest assumi ad vnionem hypostaticam. Conseq. constat, nam omne id est capax assumptionis ad vnionem hypostaticam quod habet, vel est capax propriæ subsistentiæ; ergo si semel

mel accidens est capax, vel habet propriam subsistentiam, poterit assumi ad vnionem hypostaticam. Antecedens probatur, nam id est capax propriæ subsistētiæ, quod est capax essendi in se, seu sistendi in se, sed de facto videmus, quod saltem quantitas subsistit in se, non per additionem alicuius modi substantialis superadditi, vt loco cit. *de Euch.q.3.* ostēdimus, sed ratione propriæ subsistentiæ; ergo, &c.

35 Probatur 2. nam ideo in substantia vltra existentiam datur substantia, quia natura abhorret transitum ab extremo ad extremum sine medio, & sic cum in productione rei detur extremū à quo est realitas substantiæ, & extremum ad quod est existentia, debet intermediare subsistentia, vt sic fiat substantia capax vltimæ actualitatis, scilicet existentiæ. Sed hæc eadem ratio currit in accidentibus; ergo, &c.

36 Probatur 3. nam de ratione accidentis non est actu inhærere, vt fides docet, sed solum aptitudinaliter; ergo potest esse in se, & per se; sed hoc est munus subsistentiæ: ergo, &c. Si namque de ratione accidentis est solum aptitudinaliter inhærere, & non actu, sequitur, quod possit actu non inhærere, quod autem actu non inhæret, est in se, & per se, ac proinde subsistit, non per subsistentiam substantiæ, cum sit ab illa separatum, ergo per propriam; quod autem est capax propriæ subsistentiæ, est capax immediatæ assumptionis ad vnionem hypostaticā; ergo, &c.

37 Occurres 1. cum Orlando dicto *disp. 7. q. 3. n. 28.* quod accidens dum separatur à substantia, & caret actuali inhærentia, habet modum essendi per se negatiuè, non tamen positiuè. Accidentia namque separata à subiecto dicuntur esse per se negatiuè, quatenus non sunt actu dependenter à subiecto, quod nihil aliud est, quàm conseruari sine subiecto. Sed contra, nam accidens separatum, est in se positiuè, ergo per modum positiuum; quod enim non est positiuè in alio, debet esse positiuè in se. Accidens secundum se, seu secundum suam essentiam non dicit esse actu in se, nec actu in alio, sed negatiuè se habet, at hic, & nunc vel debet esse in se, vel in alio. Tum quia si accidens separatum conseruatur sine subiecto, erit in se: quid enim est accidens conseruari sine subiecto, nisi facere quod sit in se, & non in subiecto.

38 Occurres 2. cum Cipullo dicto *dub. 3. n. 4.* quod licet accidens separatum subsistat, habeatq; modum essendi similē substantiæ, non tamen est substantialis, ac proinde non est vera subsistentia, in cuius locum possit subrogari subsistentia diuina. Quod autem modus essendi per se non sit vera subsistentia probat, quia accidens non est capax veræ subsistentiæ, sicut nec subsistentia inhærentiæ in subiecto: vnde est modus aliquis accidentalis analogicę similis subsistentiæ. Sed contra, nam de ratione subsistētiæ est facere rem sistere in se, & non vlterius progredi, ergo si accidens per diuinam potentiam potest esse in se, & non vlterius progredi, vt scilicet subsistat in alio tanquam in subiecto, habebit propriam subsistentiam. Vnde ratione subsistentiæ substantiæ est facere subsistere in se tanquam in proprio supposito, & tamen potest subrogari subsistentia diuina, quæ facit subsistere in alieno supposito, & non ob aliam rationem nisi quia de ratione subsistentiæ, est facere subsistere: sed hæc ratio conuenit etiam subsistentiæ accidentis; ergo, &c. Deinde dato quod subsistentia accidentis non sit ita propriè subsistentia, sed modus similis subsistentiæ substantiæ, adhuc sequitur quod accidens possit à Deo assumi, & sustentari sine eo modo, nulla namque apparet implicantia in hoc, quod diuina subsistentia sustentet accidēs separatum præstando id, quod præstabat ille modus, sustentando accidens in se, sine imperfectione inhærentiæ.

39 Neque ex eo quod substantia nō sit capax inhærentiæ, seu essendi in alio, sequitur quod accidens non sit capax essendi per se, & in se, ac proinde subsistendi. Nam quod substantia inhærere nequeat, & accidens possit in se subsistere, & manere sine inhærentia, prouenit ex

pro-

propria vtriusque natura. Substantia inhærere nequit, quia semper debet habere aliquam subsistentiam per quam subsistat, & sit extra causas, ac proinde implicat, quod habeat modum repugnantem, quo sit in alio. Cæterum accidens cum de necessitate inhærere non debeat, cum hoc sit eius essentiæ imperfectio, cum sola propria subsistentia, nisi diuina subrogetur, contentum erit. Soluuntur argum. in contrarium.

40 Primum argum. nam quod non est capax propriæ subsistentiæ, neque est capax alienæ; sed accidens non est capax propriæ subsistentiæ; ergo neque alienæ, scilicet diuinæ. Minorem probat Cipullus, quia subsistentia est vltimum complementum substantiæ in linea, seu genere substantiæ; sed accidens non est capax vltimi complementi in genere substantiæ; ergo, &c. Resp. negando minorem. Ad probationem negatur maior. De ratione namque subsistentiæ vt præscindit à subsistentia substantiæ, & accidentis non est, quod sit vltimum complementum substātiæ, sed vltimum complementum rei in suo ordine, seu genere. Vnde subsistentia substantiæ, est vltimum complementum in hoc genere, faciendo eam sistere in eodem genere, & subsistentia accidentis, est vltimum complementum in hoc genere, faciendo illud sistere, saltem per diuinam potentiam, in eodem genere. Dixi, saltem per diuinam potentiam, quia connaturaliter subsistentia accidētis propter suam imperfectionem exigit modum inhærentiæ, quo sit in alio, tanquam in subiecto.

41 Secundum argum. nam assumi ad subsistendum subsistentia diuina, est fieri vltimo completum in genere substantiæ per subsistentiam diuinam; sed repugnat accidenti esse vltimò completum in genere substantiæ; esse enim aliquid completum in genere substantiæ, supponit illud esse substantiam: sicut compleri in genere accidentis, supponit esse accidens. Resp. negando maiorem, assumi namque ad subsistendum subsistentia diuina formalissimè, est assumi ad essendum, seu ad sistendum in supposito diuino, quod tam conuenit substantiæ, quàm accidenti. Cum enim de ratione subsistentię sit terminare, & terminare formalissimè non dicat esse substantiam, vel accidens, sequitur quod subsistentia diuina non debeat esse, nec tribuere accidenti rationem substantiæ, nec terminet sub ratione substantiæ, sed sub ratione termini, quæ ratio præscindit à ratione substantiæ, & accidentis.

42 Tertium argum. quia de essentia accidentis, est aptitudinalis inhærentia; sed aptitudinalis inhærentia repugnat cū actuali subsistentia; ergo accidens non potest habere actualem subsistentiam. Sicut enim quia substantia petit subsistere, non potest esse in alio, ita quia accidens petit esse in alio; non potest per se subsistere. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Optimè namque stat aptitudinalis inhærentia, cum actuali subsistentia. Ad illud quod dicitur de substantia, quod non possit esse in alio, constat ex dictis *num. 39.*

DVBIVM IV.

An substantia creata retenta propria personalitate, seu subsistentia, possit à persona diuina assumi.

43 Certum est, & de fide tenendum quod de facto Verbum diuinum assumpsit humanitatem sine propria subsistentia, aliàs duæ personæ essent in Christo, quod reprobant Concilia, & Patres contra Nestorium. Vnde quando dicitur, quod Verbum assumpsit hominem, tunc concretum pro abstracto vsurpatur, scilicet pro humanitate. Est etiam certum, quod ipsa personalitas, seu subsistentia creata sit inassumptibilis, illud namque tantum est assumptibile, quod ita potest alteri communicari, vt per illud subsistat, sed subsistentia creata est ex se, suaque natura incommunicabilis alicui, vt fiat per illud subsistens: quod est enim ratio subsistendi, non potest subsistere per aliud, sicut vnio non vnitur per aliam vnionem. Tum quia si subsistentia assumi

mi posset, iam non esset vltimus naturæ terminus, cum terminaretur ab illa à qua nouum reciperet subsistere; ergo,&c.

44 Sed dices, quia licet implicet, quod subsistentia creata subsistat per aliã creatam, & eiusdem ordinis, propter rationes factas, non tamen implicat, quod subsistat per subsistentiam increatam, & diuersi ordinis, à qua trahitur ad ordinem superiorem, & nobiliorem. Licet enim subsistentia creata sit ipsa subsistentia in ordine creato, ac proinde in hoc ordine non possit subsistere per aliud, non tamen est ipsa subsistentia in ordine supernaturali, ac proinde non implicabit, quod in hoc ordine subsistat per subsistentiam diuinam. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico, quod licet subsistentia creata non sit sua, seu ipsa subsistentia in linea supernaturali, est tamen vt sic, & absolutè sua subsistentia, ac proinde excludit quamcumque aliam terminationẽ. Tum quia cum de essentia subsistentiæ sit esse id quo aliud subsistit, non potest esse id quod subsistit, aliàs non esset de eius essentia esse id quo. Tum etiam quia si subsistentia creata posset esse subsistens per subsistentiam diuinam, deberet fieri subsistens *vt quod*, ac proinde deberet habere esse *vt quod*, quod repugnat essentiæ subsistentiæ creatæ.

45 Dubium ergo præsens solet tractari de ipsa substantia, seu natura creata; an v.g. humanitas terminata propria subsistentia, seu retinendo propriam subsistentiam possit assumi hypostaticè à persona diuina per absolutam Dei potentiam, non assumpta ipsa eius subsistentia. Concedunt omnes, quod si eadem natura humana poneretur in duobus locis, in vno posset habere propriam personalitatem, & in alio personalitatem diuinam. Vnde Deus facere posset, quod Christus Dom. in cælo subsisteret personalitate Verbi, & in Eucharistia haberet eius humanitas propriam personalitatem, vel è contra. Deinde Deus facere potest, quod eadem numero anima in duobus locis definitiuis replicetur, & in vno retineat propriam subsistentiam, & in alio habeat diuinam; tunc enim nulla inuoluitur contradictio, quod sit in se, & in alio, nam est in se in vno loco per propriam subsistentiam, & est in alio, in alio loco, & per vnionem hypostaticam, seu per subsistentiam alienam.

46 Difficultas ad hoc tantum reuocatur, an eadem substantia in eodem loco, sine replicatione, retinens propriam subsistentiam, possit simul alienam, scilicet diuinam admittere. Prima sententia negat. Hanc sequuntur Scotus *in 3. dist.1.q.1.* Durand.*ibid.q.3.* Isamb. *ad q.4. disp.1. art.3.* Mæratius *disp.20. sect.1.* vbi dicit, quod hæc pars negatiua est tam cõmunis inter Theologos, vt nullus reperiatur ex ijs, qui scripta sua in lucem ediderunt, qui affirmatiuam defendat. Sed decipitur Mæratius, vt numero seq. videbimus. Eandem sententiam sequitur Paludanus, & Caiet. quos refert, & sequitur Cipullus *q.4. art.2. dub.1.* Suarez, Vasq. & Lugo *disp.12. sect.6.* vbi dicit difficile posse rationem adduci qua hæc sententia probetur, & contraria reprobetur.

47 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Persona diuina potest assumere naturam, v.g. humanam, retenta propria personalitate, eaque non assumpta.* Hanc conclusionem tenet N. Bacconius vir doctissimus, quem in Schola sequitur Religio Carmelitana *in 3. dist.5. art.5.* Et licet nos in vim nostrarum Constitutionum sequamur D.Thomam, vbi Bacconium habemus contrarium, vbi tamen D. Thomas non contrariatur Bacconio, vt in nostra conclusione, Bacconium sequimur. Quare autem sequamur D.Thomam, est ob Angelicam eius Doctrinam, quæ redundans in nostram Congregationem, magnum illi affert honorem. Quocirca de D.Thoma dicere possumus.

Thomas Aquinas Doctor et Angelicus.

Anagramma purissimum.

A quo est magnus Discalceatis honor.

Et de vtriusque Religionis stemmate dicitur.

Carmeli quæ clara micant insignia Montis,

Cum Dominice Tuo stemmate sedus habens.
Illa ferunt aeternos stellati luminis ignes,
Luce sacra radians sidus, & ista ferunt.
Candidus igniuomo Carmelus fulgurat ense,
Fulgurat ignito flammeus ore canis.
Lucet vterque animis, flammas accendit vterque,
Ore quod ille docet, vindicat iste manu.

Sententiam Bacconij, extra Scholam Bacconitanam sequuntur Hurtad. *disp.* 37. *hoc loco*. Et *disp.* 11. *Metaphys. sect.* 8. dicens se vidisse eam defendi à viris doctis. Ariaga *disp.* 4. *sect.* 3. Ouiedo *controu.* 6. *Metaphys. punct.* 5. quos refert, & sequitur P. Orlandus *hic disp.* 6. *q.* 5. *n.* 56.

48 Probatur 1. ratione N. Bacconij. Subsistentia creata nullam habet incompossibilitatem cum subsistentia diuina in eadem humanitate; ergo per diuinam potentiam possunt eandem humanitatem terminare, ac proinde poterit natura humana retenta propria subsistentia à subsistentia diuina terminari. Antecedens ostẽditur, nam subsistentia propria modificat, afficit, & determinat naturam humanam secundum rationem potentiæ naturalis, & subsistentia diuina determinat eandem naturam secundum rationem potentiæ obedientialis, sed nulla est implicantia, quod eadem natura modificetur diuersimodè secundum rationem potentiæ naturalis, & obedientialis; ergo, &c. Ob hanc rationem diximus in 1. 2. *disp.* 11. *dub.* 2. *n.* 13. quod virtutibus per se infusis nullum vitium directè opponatur, licet sint in eadem potentia, quia virtutes infusæ subiectantur formaliter in potentia obedientiali, seu qua obedientialis est, at vitia subiectantur in potentia qua naturalis est, & sic non opponuntur neque contrariè, cum non respiciant idem subiectum formaliter. Idem dicendum est in nostro casu; nam subsistẽtia naturalis respicit naturam humanam qua naturalis est, ac proinde quasi subiectatur in ea vt in subiecto naturali. At subsistentia supernaturalis respicit naturam humanam qua supernaturalis est, seu qua dicit potentiam obedientialem; sed hoc modo non dicunt oppositionem, vt patet; ergo, &c.

49 Respondebunt aduersarij, quod licet potentia naturalis, & obedientialis distinguantur formaliter, tamen realiter idẽtificantur, ac proinde subsistentia diuina adueniens humanitati subsistenti per propriam subsistentiam, iam terminaret eandem naturam realiter; & sic eadem natura realiter est in se, & in alio, seu in alieno supposito. Sed contra, quia nulla est contradictio, quod eadem natura sit realiter in se, & in alio, secundum rationem formaliter diuersam. Esset contradictio si secundum eandem rationem formalem esset natura in se, & in alio, non secundum diuersam rationem. Infinita possent afferri exempla. Idem amor Dei in Christo vt erat ratio diligendi Deum præcisè non erat meritorius, sed necessarius, at vt erat ratio diligendi creaturas, seu vt terminabatur ad Deum, vt erat ratio diligendi creaturas, erat liber, & meritorius. Christus D. vt subsistens in natura humana, satisfecit sibi vt erat subsistens in natura diuina. Et in humanis eadem entitas est actio, passio, & motus, quæ formaliter distinguuntur, & fundant non solum diuersos conceptus, non oppositos contradictoriè, sed pertinentes ad diuersa prædicamenta.

50 Probatur 2. nam non minus terminat naturam humanam subsistentia diuini Verbi quàm terminet propria subsistentia; sed natura humana terminata subsistentia Verbi diuini, potest terminari subsistentia Patris, & Spiritus S. ergo etiã terminata propria subsistentia poterit terminari aliqua diuina. Maior constat. Subsistentia namq; diuini Verbi supplet modo perfectissimo subsistentiam creatam. Minor constat ex dictis supra, quod scilicet tres personæ diuinæ possint eandem naturam assumere, & terminare.

51 Occurrit Cipull. loco cit. *n.* 7. quod ideo natura humana terminata propria subsistentia non potest terminare aliena, bene tamen pluribus alienis, Patris, Filij, &c.

&c. quia ſubſiſtentia propria conſtituit naturam ſubſiſtentem in ſe, & per ſe, at ſubſiſtentia aliena conſtituit ſubſiſtentem in alio:ſubſiſtere autem in ſe,& in alio, repugnat, non ſubſiſtere in pluribus alienis ſuppoſitis, quia plures modi ſubſiſtendi in alio non habent inter ſe repugnantiam.

52 Sed contra, quia non minus repugnat ſubſiſtere in duobus ſuppoſitis alienis, quàm in vno alieno, & alio proprio; ergo ſi prior repugnantia non tollit quin poſſit natura humana ſubſiſtere in duobus ſuppoſitis alienis, neq; tollet quin poſſit ſubſiſtere in proprio, & in alieno. Antecedens probatur, nam ideo per Cipullum ſubſiſtere in proprio, & in alieno ſuppoſito repugnat, quia modus ſubſiſtendi in ſe, & in alio ſunt duo modi ſubſiſtendi quorum vnus includit negationē alterius,quia eſſe in ſe, dicit negationem eſſendi in alio, ſed hoc idem dicunt duo modi eſſendi in alio; nam modus eſſendi in alio v.g.A. dicit negationem eſſendi in alio, ſcilicet B. nam ſicut A. dicit negationem B. ita eſſe in A. dicit negationem eſſendi in B. Tum quia nulla eſt implicantia, quod ſecundum diuerſas ſubſiſtentias eadem natura ſecundum diuerſas rationes, ſcilicet potentiæ naturalis,& obediētialis ſit in ſe, & in alio; ſubſiſtat in proprio, & in alieno ſuppoſito. Tum etiam, quia ſicut de eodem ſuppoſito Verbi ratione diuerſarum naturarum, ſine vlla contradictione dicitur quod ſit mortale, & immortale ante mortem, ita ratione diuerſarum ſubſiſtētiarum de eadem natura dici poterit, quod ſit in ſe,& in alio.

53 Probatur 3. Nulla poteſt aſſignari implicantia quominus eadem natura humana retenta propria ſubſiſtentia, non poſſit terminari aliena ſcilicet diuina; ergo non poteſt hoc negari diuinæ omnipotentiæ. Conſeq. conſtat: diuinæ namq; omnipotentiæ nihil eſt negandum, niſi manifeſtam inuoluat contradictionem. Antecedens probatur, nam implicantia, ſeu contradictio debet afferre affirmationem eiuſdē de eodem,ſecundum eandem rationem; ſed in caſu quo natura v.g. humana retenta propria ſubſiſtentia, terminaretur diuina,non ſequeretur affirmatio, & negatio eiuſdem de eodem, ſecundum eandem rationem, ſed ſecundum diuerſam, vt ſcilicet eſſet in ſe per propriam ſubſiſtentiam, & in alio, ſeu non in ſe, per alienam; ergo, &c.

54 Caietanus, & Medima dicunt repugnantiam eſſe, quia non poteſt aſſumi natura ſubſiſtens, quin ſubſiſtentia aſſumatur: implicat autem ſubſiſtentiam aſſumi; ergo, &c. Sed hæc non probat,nam in diuinis ſubſiſtentia Filij terminat naturam diuinam ſubſiſtentem ſubſiſtentia Patris, & tamen non terminat eandem ſubſiſtentiam Patris,ſed tantum naturam diuinam: ergo etiam ſubſiſtentia Filij poterit terminare naturam humanam ſubſiſtentem, non terminando eandem ſubſiſtentiam. Ideo namque Filius in diuinis non terminat, ſeu non aſſumit ſubſiſtentiam Patris, quia eſt inaſſumptibilis: ſed etiam ſubſiſtentia creata eſt in aſſumptibilis; ergo, &c.

55 Paludanus, & alij putant repugnantiam eſse, quia ſubſiſtentiæ diuinæ ſunt relatiuæ: ideo vna fert alterius conſortium in eadem natura ſiue diuina, ſiue creata. At ſubſiſtentia creata eſt abſoluta, ideoque non poteſt ferre in eadem natura alterius conſortiū ſiue relatiuæ,ſiue abſolutæ. Sed contra,quia gratis dicitur, quod ſubſiſtentia abſoluta non poſſit ferre alterius conſortium, ſaltem abſolutæ,ſicut relatiua fert conſortium alterius relatiuæ.

56 Alij inferunt repugnantiā ex eo, quod ſubſiſtentia creata eſt eſsentialiter quædam incommunicabilitas alteri vt ſuppoſito, cum nulli communicari poſſit, & etiam eſt eſsentialiter modus ſuæ naturæ, qui exiſtere nequit niſi ſuam naturam modificet, & modificando, ſuum formalem effectum tribuat, qui eſt eam alteri vt ſuppoſito reddere incommunicabilem. Sed contra, nam etiam ſubſiſtentia v.g. Filij in diuinis eſt eſſentialiter quædam incommunicabilitas,non minus quam ſubſiſtentia creata, cum nec illa, nec iſta poſſit alteri vt ſuppoſito communicari, & tamen ſubſiſtentia Filij non obſtante ſua incommunicabilitate alteri vt

supposito, non reddit naturam diuinam quam afficit, & modificat incommunicabilem alteri vt supposito; ergo, &c. Hoc idem currit in Christo D. nam subsistentia Verbi diuini est alteri incommunicabilis vt supposito, & tamen non tribuit hunc suum effectum formalem naturæ humanæ, aliàs assumi non posset ab alijs personis diuinis. Soluuntur argum. in contrarium.

57 Primum argum. desumunt ex auctoritate Patrum,& Conciliorum asserentium humanitatem Christi sua propria carere subsistentia, ex eo quod hypostaticè assumpta est à Verbo; sed hæc illatio non esset bona, si natura creata retinens suam propriam subsistentiam posset à diuina persona assumi, ergo, &c. Resp. quod Concilia, & Patres non loquuntur de possibili, sed de facto, & quod connaturaliter, & absque nouo miraculo non possit natura creata vniri diuinæ, retinendo propriam subsistentiam. Aliàs Christus D. prius fuisset purus homo, quam homo Deus.

58 Secundum argum. desumunt ex testimonijs D.Thomæ, nam hic art. 1. ad 3.dicit. *Non posse assumi Angelum, nisi destructa eius personalitate*, & art. 6. ait. *Esse impossibile, vt plures diuinæ personæ assumant vnam hypostasim,vel vnam personam humanam*. Resp. D.Thomam in primo testimonio loqui in sententia aliorum. Sic enim dicit. *Quidam dicunt Angelum non esse assumptibilem, quia à principio suæ creationis est in sua personalitate perfectus, cum non subiaceat generationi,& corruptioni; vnde non posset in vnitate diuinæ personæ assumi, nisi eius personalitas destrueretur*. Secundum testimonium non est contra nos, sed potius pro nobis, dicit enim non posse assumi hypostasim,vel personam humanam,quod & nos fatemur.

59 Tertium argum. in quo maximè fundatur Cipullus est,quia implicat,quod vna, eademque natura simul sit in se, & in alio; ergo, &c. Antecedens probatur, quia licet esse in se, & esse in alio non sint contradictoria formaliter,cum ambę partes sint positiuæ, sunt tamen contradictoria virtualiter, cum vna pars importet negationem alterius,nec aliquid concipi potest esse in se, sine negatione essendi in alio, & è contra. Resp. quod licet esse in se, & esse in alio respectu eiusdem, & secundum eandem rationem possint esse modi oppositi, non tamen respectu diuersorum, seu secundum diuersam rationem; nam subsistentia Verbi diuini tribuit naturæ diuinæ esse in se, & naturæ humanæ esse in alio. Si ergo vna, eademque subsistentia potest diuersis naturis tribuere esse in se, & esse in alio, ita eadem natura à diuersis subsistentijs potest recipere esse in se, & esse in alio, maximè non secundum eandem formalem potentiam, sed secundum diuersam, scilicet secundum potentiam naturalem, & obedientialem.

60 Quartum argum. non potest vna, eademque res simul subsistere, & inhærere, ergo neque potest simul esse in se,& in alio. Antecedens admittunt omnes. Conseq. probatur, nam subsistere,est esse in se; inhærere,est esse in alio, ergo si non potest vna, eademque res subsistere, & inhærere, neque poterit esse in se, & esse in alio. Resp.1. negando antecedens,de potentia absoluta, & secundum diuersas potentias, naturalem, & obedientialem. Vnde posset aliquod accidens secundum potentiam naturalem inhærere, & secundum potentiam obedientialem esse in se, seu subsistere, vt si Deus illud assumeret. Resp.2. quod licet substantia non possit simul, nec diuisiuè, seu successiuè subsistere, & inhærere, quia inhærentia opponitur propriæ naturæ, potest tamen simul esse in se, & in alio, quia hæc non repugnat propriæ naturæ, item accidens potest esse in se per propriam subsistentiam, & inhærere, quia ista non repugnant naturæ accidentis,vt supra vidimus.

DV-

DVBIVM V.

An humanitas Christi D. habeat appetitum ad propriam ſubſiſtentiam.

61 SVpra egimus de hoc dubio, propterea breuiter eſt reſoluendũ, cum etiam hoc loco tradi ſoleat. Non procedit dubium de appetitu elicito, ſed innato, non per modum gaudij, quod eſt rei præſentis, ſed per modum deſiderij. Pro quo nota, quod cum appetitus innatus dicatur per metaphoram ad appetitũ elicitum, totidem modis dicetur, ac dicitur elicitus. Vnde cum appetitus elicitus explicetur per tres actus, ſcilicet per amorem quo tendimus in bonum ſecundum ſe, vt abſtrahit à præſenti, & abſenti. Per gaudium per quod tendimus in bonum præſens, & per deſiderium per quod tendimus in bonum abſens. Ita appetitus innatus explicari ſolet per amorem ſimplicem, ſeu per complacentiam prout res tẽdit in bonum abſolutè, & ſecundum ſe, abſtrahendo ab illa vt præſenti, & abſenti. Explicatur per deſiderium cum tendit in bonum vt abſens. Et explicatur per gaudium, & quietem cum tendit in illud vt præſens. Certum ergo eſt, quod in Chriſti humanitate non ſit appetitus innatus per modum gaudij, & quietis, cum hoc ſit ad bonum præſens, propria autem ſubſiſtentia non eſt præſens, ac proinde de illa non poteſt humanitas gaudere. Habet tamen humanitas appetitum innatum per modum amoris, nam cum iſte appetitus nil aliud ſit, quam naturalis conformitas, & coaptatio ad propriam perfectionem ſecundum ſe, & hæc coaptatio, & conformitas reperiatur in Chriſti humanitate ad propriam ſubſiſtentiam, ſequitur quod habeat appetitum innatum per modum amoris, ſeu complacentiæ ad propriam ſubſiſtentiam. Difficultas ergo ſolum procedit de appetitu innato per modum deſiderij.

62 Prima ſententia eſt, quod humanitas Chriſti D. habeat proprium appetitum innatum deſiderij ad propriam perſonalitatem, ſeu ſubſiſtentiam. Sic Scotus *quodlibet.* 19. *q.* 3. Vaſq. *hic diſp.* 34. Cabrera *diſp.* 8. & alij hoc loco, & alibi. Noſtra ſent. ſeq. concl. explicatur.

63 *Humanitas Chriſti D. non habet appetitum innatum per modum deſiderij ad propriam ſubſiſtentiam.* Sic tenent communiter Thomiſtæ, Caiet. hic, Aluarez *diſp.* 27. Medina *hoc loco*, Suarez *diſp.* 3. *ſect.* 4. Cipullus *hoc loco q.* 4. *art.* 2. *dub.* 2. *n.* 3. & alij communiter.

64 Probatur 1. nam vbi non datur indigentia naturalis, ibi non datur deſiderium naturale, ſed humanitas Chriſti non habet indigẽtiam naturalem propriæ ſubſiſtentiæ, ergo non habet deſiderium, ſeu appetitum naturalem deſiderij. Maior colligitur ex illo Ariſtotelis 1. Phyſ. text. 81. *Formam non ſe ipſam appetere, quia non indiget ſui*, ex quo colligunt Philoſophi, quod vbi non eſt indigentia, ibi non eſt appetitus deſiderij. Minor probatur, nam tunc non habetur indigentia abſentis, nec illud expectatur, nec deſideratur, quando id quod præſtaret illud abſens, nobiliori modo præſtatur ab aliquo præſenti, ſed id quod præſtaret ſubſiſtentia propria humanitatis, præſtat nobiliori modo ſubſiſtentia diuina; ergo, &c. Subſiſtentia namque diuina confert humanitati, & præſtat, quidquid propria ſubſiſtentia præſtaret, nobiliori, & perfectiori modo. Tum quia humanitas ſi deſideraret propriam ſubſiſtentiam, deſideraret dimiſſionem à Verbo, cum non poſſit propriam ſubſiſtẽtiam habere, ſine dimiſſione ſubſiſtentiæ diuinæ, cum ſine nouo miraculo ſimul eſſe non poſſint, vt dubio præcedenti dictum eſt.

65 Probatur 2. nam obtento fine ceſſat motus, ſeu deſiderium illius; ſed humanitas Chriſti D. per ſubſiſtentiam Verbi diuini obtinuit finem eſſendi extra cauſas, & ſubſiſtendi; ergo ceſſat motus, ſeu deſiderium ad illum. Ita namque ſe habet motus appetitus ad ſuum terminũ, ſicut ſe habet motus voluntatis ad finem, quem intendit; ergo ſicut voluntas obtento fine, non adhibet media, ita natura obtento ſuo termino non deſiderat illum.

Pro-

66 Probatur 3. nam vel subsistentia Verbi diuini satiat humanitatem, vel non: si satiat, non amplius desiderat propriam subsistentiam. Si non satiat cum nunquam sit habitura propriam subsistẽtiam, sequitur quod hoc desiderium sit frustraneum, & quod ipsa humanitas sit in perpetuo statu violento, contra illud Aristotelis. *Nullum violentum perpetuum*. Soluuntur argum. in contrarium.

67 Primum argu. nam appetitus naturalis, seu innatus per modum desiderij nihil est aliud quam naturalis capacitas ad propriam perfectionem qua caret, sed humanitas Christi D. habet capacitatem ad propriam subsistentiam qua caret; ergo habet appetitum innatum desiderij ad illam. Nec valet dicere, quod humanitas per subsistentiam diuinam habeat totam eam perfectionem quam haberet per propriam personalitatem. Nam contra est, quia subsistentia diuina satiat appetitum quasi obedientialem humanitatis, nõ naturalem; tribuit perfectionem supernaturalem, non naturalem; ergo, &c. Resp, concedendo maiorem, & negando minorem; licet enim humanitas careat propria subsistentia, non tamen caret propria perfectione, cum subsistentia diuina tribuat, quod propria tribueret. Nec complet solum potentiam obedientialem, sed etiam naturalem.

68 Sed dices, quod subsistentia diuina nec tribuit, nec tribuere potest, quod tribueret subsistentia propria; ergo, &c. Antecedens probatur, nam subsistentia propria tribueret esse in se, & per se; at subsistentia diuina non tribuit esse in se, & in proprio supposito, sed in alieno; ergo, &c. Resp. quod dum subsistentia diuina tribuit esse in alieno supposito, scilicet in supposito Verbi, tribuit eminenti modo esse in se, quantum ad perfectionem. Tanta namque est perfectio quam habet natura humana ex hoc quod est in supposito Verbi, quod nulla omnium creatorum suppositorum perfectio etiam simul sumpta potest ei æquari.

69 Secundum argum. per quod impugnatur præcedens solutio est, quia si ob aliquam rationem humanitas non appeteret propriam subsistẽtiam, maximè quia diuina subsistentia continet eminẽter perfectionem subsistentiæ creatæ; sed hæc ratio est nulla; ergo, &c. Minor probatur, nam anima rationalis continet eminenter perfectionem omnium formarum, & tamen materia prima dum ea informatur adhuc appetit eas; ergo, &c. Resp. concedendo maiorem. Ad minorem dico, quod licet anima rationalis contineat perfectionem formarum inferiorum secundũ quandam rationem communem, non tamen secundum specificas earum rationes. At subsistentia diuina, continet subsistentias creatas secundum proprias, & specificas earum rationes, ac proinde anima rationalis non potest satiare appetitum desiderij materiæ primæ, bene tamen subsistentia diuina potest satiare desiderium humanitatis.

DVBIVM VI.

An dici possit in veritate sermonis, quod persona diuina assumpserit hominem.

70 DE hoc dubio aliqua diximus supra, nunc breuiter est absoluendum cum D. Thoma *art.* 3. vbi hoc dubium proponit. Ludouicus Viues vir doctus, & eruditus in grammatica, & litteris humanioribus *in lib. 9. de ciuit. Dei cap.* 17. irridet S. Thomam doctorem Angelicum, aliosque scholasticos, eo quod non admittat hanc locutionẽ, quod Deus sumpserit hominem, cum tamen eã admittant Patres tam Græci quam Latini.

71 Vera, & communis sententia sequ. concl. explicatur. *Non dicitur propriè, quod Filius Dei assumpserit hominem.* Sic tradit S. doctor *hic art.* 3. & omnes eius expositores. Nam *homo* non significat naturam humanam vtcumque, sed in supposito, vt tradit N.S.P. Ioan. Damas. *lib. 3. de fide cap. 4. in princ. & cap.* 11. *circa finem.* Sicut hoc nomen *Deus* non significat naturam diuinam, vtcumque, sed suppositatam, seu habens naturam diuinam: sed Filius Dei non assumpsit naturam hu-

manam

manam in ſuppoſito, ſeu ſuppoſitatam, ſed ante ſuppoſitationem; ergo Filius Dei non aſſumpſit hominem. Quocirca quando Patres, & Concilia vſurpant eo modo loquendi, quod Deus ſumpſerit hominē, accipiunt concreto pro abſtracto.

72 Sed dices, nam prædicata, quæ competunt humanitati poſſunt propriè enunciari in concreto de homine; ſed aſſumi à Verbo eſt prædicatum competens humanitati, ergo poteſt enunciari de homine in concreto. Maior probatur, nam propriè dicimus hominem eſſe genitum, eſſe conceptum ex Virgine, cum tamen humanitas terminauerit generationem humanam in ſigno priori ante vnionem ad Verbum diuinum. Reſp. quod licet prædicata quæ conueniunt humanitati iā ſuppoſitatæ poſſint conuenire, & enunciare de homine, non tamen illa quæ conueniunt humanitati reſpectu, ſeu in ordine ad ſuppoſitum cui vnitur, non enim dicimus, homo eſt vnitus, vel vnitur hypoſtaticè ſubſiſtentiæ, cum ante ſubſiſtentiam non ſit homo, ſed natura. Ad illud quod dicitur de B. Virgine dico, quod eius actio, ſeu quaſi actio non fuit terminata quandiu natura humana non fuit à Verbo aſſumpta, aliàs non diceretur propriè Mater Dei, quod eſt falſum.

73 In art. 4. quærit S. Doctor an Filius Dei debuerit aſſumere humanam naturam abſtractam ab omnibus indiuiduis. Ponit tres concluſiones. In prima concluſione dicit, quod licet natura humana haberet eſſe ſeparatum ab omnibus indiuiduis, vt Platonici ponebant, adhuc non fuiſſet conueniens, quod ſic aſſumeretur à Verbo, nam aſſumptio terminatur ad perſonam, natura autem illa cōmunis non poteſt eſſe perſona. Tum quia natura illa communis non haberet niſi communes operationes, & vniuerſales, ſecundum quas homo non meretur. Tum quia natura illa communis vt ponebatur à ſuis auctoribus non erat ſenſibilis, ſed intelligibilis, Filius autem Dei debebat viſibilis apparere.

74 In 2. concl. dicit, quod non potuit aſſumi natura humana vt abſtracta ab indiuiduis, vt eſt in intellectu diuino, quia hoc modo, nihil eſt aliud quàm natura diuina. In 3. concl. ait, quod neque humana natura aſſumi potuit abſtracta ab indiuiduis vt eſt in intellectu humano, quia vel eſſet quid fictum, vel aſſumeretur intellectio, ſeu cognitio naturæ humanæ, non ipſa natura humana.

75 In art. 5. docet S. Doctor, quod non conueniebat, quod Filius Dei aſſumeret naturam humanam in omnibus indiuiduis, tum quia tolleretur multitudo ſuppoſitorum humanæ naturæ. Tum etiā quia tolleretur dignitas primogenituræ in multis fratribus, nam omnes eſſent Filij Dei naturales. Tum denique, quia ſicut vnum ſolum ſuppoſitum diuinum eſt incarnatum, ita vna ſola natura aſſumi debebat. In art. 6. dicit, quod fuit conueniens quod natura aſſumpta eſſet ex ſtirpe Adæ, vt ſic peccatum Adę repararetur, &c.



DISPV-

DISPVTATIO V.

IN QVAEST. V. DIVI THOMAE.

De modo vnionis ex parte partium humanæ naturæ.

1 N artic. 1. docet Sanctus Doctor, quod Filius Dei assumpsit verum corpus, contra Marcionistas, & Manichæos, qui tribuebant Christo corpus phantasticum, & hoc partim ne cogerentur dicere Christum D. sordibus vteri muliebris inquinatum: partim quia putabant omne corpus esse à malo principio, ideoque malum. In art. 2. probat, quod corpus Christi non fuit ex materia cælesti, sed ex illa materia qua cæterorum hominum corpora constant, id est ex quatuor elementis, & ex humoribus per sanguinem significatis, quæ doctrina est contra Valentinianos, qui dicebant Christum D. nihil accepisse de Beata Virgine, sed per eam tantum transiuisse, & corpus ex cælesti materia attulisse. Dicitur autem Christus D. *secundus homo de cælo cælestis*, vel quia est de cælo secundum diuinitatem, vel post resurrectionem fuit cælestis ratione qualitatum corporis, scilicet immortalitatis, impassibilitatis, gloriæ, &c. Vel etiam quia secundum corpus cælesti virtute est efformatum. At corpus Adæ licet à Deo immediatè sit formatum non tamen dici potest de cælo, quia factum est non speciali quodam miraculo, sed eo naturali modo, quo primum speciei humanæ indiuiduum fieri poterat. Vnde nec aliarum rerum primæ productiones inter specialia miracula cōputantur. At Christi D. corpus miraculosè factum est, non solum quia à Verbo assumptum, sed etiam quia instituta iam natura, naturalique modo nascendi, præter illum est supernaturaliter efformatum. In art. 3. & probat Filium Dei assumpsisse animam rationalem, & intellectum, contra Arium, & Apollinarem hæreticos, qui primùm Christo ademerunt animam quācumque. Postea sensitiuam concedentes, rationalem negarunt, dogmatizantes Verbum fuisse carni loco animæ. Quæ vt explicentur, sit.

DVBIVM I.

An Verbum diuinum assumpserit verum corpus humanum.

2 POstquam vidimus cum D. Thoma quænam Verbum diuinum assumere potuerit, videndum est, quænam de facto sumpserit, & incipiendo ab altera humanitatis parte quæ est corpus, quærimus, an de facto assumpserit corpus. A tempore ferè Apostolorum quidam hæreticus nomine Cerdon, vt referunt Tertullianus *lib. de præscriptionibus cap.* 52. Diuus Epiphanius *hæresi* 41. S. P. August. *lib. de hæresibus hæresi* 41. & alij, dicebat Christum D. non habuisse verum corpus, sed phantasticum, seu apparens, sicut apparet vmbra. Hunc errorem postea secutus fuit Marcion, contra quem scripsit Tertull. Idem tenuit Manes à quo dicti sunt Manichæi. Item Priscillianus, à quo Priscillianistæ. Idem etiam Valentinianus, docens Christum D. non habuisse corpus terrenum, idest ex quatuor elementis, & quatuor humoribus compositum, sed cæleste, quod aduenit secum è cælo, proindeque nihil accepit ex Virgine, sed solū-

modo

modo quasi per canalem transijt. Tandem Apelles dicebat carnem Christi esse compositam ex quatuor elementis eo modo quo sunt corpora ab Angelis assumpta, sed eius morte fuit resoluta in quatuor elementa, sicut resoluuntur corpora ab Angelis assumpta.

3 Veritas catholica seq.concl. explicatur. *Verbum diuinum non assumpsit corpus phantasticum, sed verum, terrenum, & eiusdem rationis cum nostris corporibus.* Hæc concl. est de fide vt constat ex Concilio Chalcedonensi *art.* 5. ex 6. Synodo Gen. *art.* 11. ex Concilio Lateran. sub Innoc. III. & refertur *cap. Firmiter, de summ. Trinit.* & alibi. Habetur ex illo Ioann. 1. *Et Verbum caro factum est.* Et ex illo Luc. vlt. *Palpate, & videte, qui Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.*

4 Primum argum. hæreticorum est, nam Christus D. ab Apost. ad Philipp. 2. Dicitur factus in similitudinem hominum, & habitu inuentus vt homo; ergo non est verus homo, sed tantum similitudinariè. Resp. quod Christus D. dicitur factus in similitudinem hominum, quia factus est eiusdem speciei cum alijs hominibus secundum naturam humanam. Sic explicat Sanctus Doctor *art.* 1. *ad* 1. vbi nomine similitudinis intelligit vniuocam, & specificam conuenientiam Christi D. cum alijs hominibus. Alij SS. Patres hoc modo explicant illum locum Apostoli, vt Christus intelligatur factus in similitudinem hominum quatenus secundum externam faciē, & apparentiam videbatur purus homo similis aliis puris hominibus, cum tamen intus seruaret Deitatem.

5 Secundum argum. quia omnia terrena sunt facta à malo principio, scilicet Dæmone; ergo non fuit conueniens quod Verbum diuinum assumeret corpus terrenum. Conseq. constat; cum Verbum diuinum venerit vt destrueret opera Diaboli, non debuit sumere opus eiusdem Diaboli. Antecedens probabant Manichæi. quia omnia terrena sunt incitantia, & occasio mali; ergo non possunt esse nisi à malo principio. Resp. negando antecedens, vt enim ostendimus 1. p. implicat, quod dentur plura principia prima. Nec Diabolus, nec vlla creatura potest aliquid ex nihilo producere. Ad probationem dico, quod homo ex sua peruersitate potest sumere occasionem mali ex rebus terrenis. Sancti tamen viri sumunt occasionem laudandi, & benedicendi Deum, qui in omnibus est mirabilis, & dignus omni laude.

6 Tertium argum. nam Christus D. *cap.* 2. *& 6. cap. Ioannis*, dicitur descendisse de cælo; ergo non habuit corpus terrenum, sed cæleste, de cælo delatum. Resp. quod Christus D. dicitur descendisse de cælo quoad diuinitatem, non quoad humanitatem, quam de Virgine assumpsit: Non quod diuinitas physicè descenderit, sed metaphoricè, quatenus Deus exinaniuit se ipsum formam serui accipiens.

7 Quartum argum. Angelus Gabriel. nuncians incarnationem dixit. *Spiritus S superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*, vbi totum opus incarnationis tribuitur Spiritui S. non Virgini, ac proinde corpus Christi non potuit esse terrenū, cum non fuerit de Virgine sumptum. Et idem Angelus dixit S. Ioseph. *Quod enim in ea natum est: de Spiritu S. est*; vbi significatur, quod Christus solummodo est natus de Virgine, non ex ea, cum nihil de suo ministrauerit. Resp. quod Christus D. dicitur esse de Spiritu S. quia B. Virgo illum concepit, non ex semine virili, sed ex sola virtute, & operatione Spiritus S. dum autem Angelus dixit. *Quod in ea natum est, &c.* bene dixit, cum idem sit nasci in ea, & de ea.

DVBIVM II.

An Verbum diuinum in incarnatione sumpserit sanguinem.

8 Conueniunt omnes Theologi hoc loco, quod Verbum diuinum assumpsit immediatè omnes illas humani corporis partes, quæ anima rationali informantur: sicut quod etiam omnes illas partes integrantes assumpsit, quæ sunt necessariæ ad consistentiam veri, & integri

corporis humani. Verbum namque fieri hominem nihil est aliud quam assumere immediatè humanitatem, ac proinde est Verbum fieri integrum, & perfectum hominem, tam perfectione essentiali, quam integrali. Quia autem de aliquibus partibus dubitatur, an anima rationali informentur, ac proinde an pertineant ad essentiam, vel integritatem humani corporis, & præcipuè de sanguine, ideo hoc dubium excitamus, de quo.

9 Prima sententia est, quod Verbum diuinum nullum sumpserit sanguinem. Sic Durand. *in 4. dist.* 10. *q.* 1. *n.* 19. Gabriel *lect.* 53. *in can.* & alij. Secunda sententia tenet, quod Verbum diuinum omnem sanguinem absolutè assumpsit. Capreolus *in 4. dist.* 11. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 3. Turrecrem. *in cap. inuitat, de consecrat. dist.* 2. Magnus Albertus *tract. de Sacrificio Missæ*, & alij. Tertia sententia tenet, quod sanguis Christi fuit quidem immediatè à diuino Verbo assumptus, dum erat in corpore, sed statim ac exiuit in triduo ante resurrectionem, caruit vnione hypostatica. Sic Franc. de Mayronis *in 4. dist.* 43. *q.* 1. Ricard. *in 3. dist.* 2. *q.* 1. *ad* 2. Franciscus de Ruere Cardinalis S. Petri ad Vincula, *in suo tractatu de sanguine Christi verit.* 3. qui postea fuit Pontifex Sixtus IV.

10 Nostra sententia sequenti concl. explicatur. *Verbum diuinum assumpsit sanguinem naturalem, non nutrimentalem.* Sic Caiet. *infra q.* 54. *art.* 2. Syluester *q.* 31. Aluarez *disp.* 28. Cipullus *q.* 5. *art.* 1. *dub.* 1. *concl.* 2. N. Complut. *de anima disp.* 6. *q.* 1. Et alij communiter. Hinc non bene dicit P. Orlandus *disp.* 8. *q.* 2. quod Christus D. assumpsit totum sanguinem, & quod hoc teneant communiter Theologi, & rursus quod bene dicat Suarez, quod opposita sententia, neque sit pia, neque secura. Videantur Medina, Nazar. & alij hoc loco.

11 Pro quo notandum, ex communi Philosophorum sententia, quod sanguis est duplex, scilicet naturalis, & nutrimentalis. Sanguis naturalis est perfectus, perfectèque decoctus, qui est actu pars humani corporis, necessarius ad eius integritatem, & consistentiam. At sanguis nutrimentalis, non est perfectè decoctus, est alimentum corporis, quatenus per actionem caloris illum transmutantis, tendit ad perfectam sanguinis formam, & iste sanguis non est per se necessarius ad corporis compositionem, nec pertinet ad naturæ humanæ veritatem.

12 Quod vt perfectè capias sciendum, quod ex communi Philosophorum, & medicorum intelligentia nomen sanguinis non est vniuocum, sed æquiuocum ad sanguinem propriè dictum qui vnus est ex quatuor humoribus, & pars actu corporis humani ad eius integritatem, & perfectionem pertinens, & ad sanguinem propriè dictum, qui scilicet nondum habet formam, & speciem sanguinis, sed ad eam tendit per actionem caloris continuè transmutantis, ac proinde non est pars humanæ naturæ sed humor nutrimentalis non plenæ decoctus, quem Caietanus *infra q.* 54. *art.* 2. vocat sanguinem nutrimentalem. Vnde iste non pertinet ad veritatem humanæ naturæ, bene tamen ille. Dicimus ergo, quod sanguis naturalis fuit assumptus à Verbo, non sanguis nutrimentalis. Quocirca bene notat Sylu. *in Aurea rosa q.* 31. quod sanguis ille, qui terra mixtus in vitrea Ampulla Sanctæ Mariæ Magdalenæ in Ecclesia Sancti Maximini asseruatur, non est sanguis naturalis, sed nutrimentalis. Et idem asserit de sanguine, qui Mantuæ à Longino, vt fertur, delatus, in Ecclesia Sancti Andreæ custoditur.

13 Quod Verbum diuinum assumpserit sanguinem naturalē colligitur apertè ex Clem. VI. *in extrauag. vnigenitus, de panit. & remisi.* vbi loquens de Christi sāguine dicitur. *Guttam sanguinis modicam propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficere potuisse. &c.* Et in Concilio Ephesino, & Chalced. dicitur Filium Dei *assumpsisse carnem, & sanguinem.* Et quod Filius Dei factus fuerit *particeps carnis, & sanguinis.*

14 Aliqui probant ex eo, quod nostra redemptio, peccatorumque nostrorū remissio in Sacra Scriptura adscribatur san-

sanguini: Cæterum hæc ratio efficax non est, nam etsi nullus sanguis esset Verbo diuino vnitus, adhuc meritò posset nostra redemptio, nostrorumque peccatorum remissio effusioni sanguinis adscribi; non enim adscribitur nisi quatenus fuit in eius effusione vis redimendi, vis autem illa non fuit nisi per modum meriti cõdigni, quod meritum in eius effusione æquè fuisset, licet Verbo hypostaticè vnitus non fuisset, cum hoc non ex re oblata, seu effusa deriuetur, sed ex offerentis, & effundentis dignitate. Quocirca si Christus D. redimere nos voluisset non sanguinis effusione, sed effusione lachrymarum, aut sudoris, id præstitisset condignè, licet nec lachrymæ, nec sudor fuerit hypostaticè vnitus Verbo, &c.

15 Vera ratio est, quia cum Verbum diuinũ assumpserit verum corpus humanum, integrum, & completum, debuit eas omnes partes assumere, quę pertinent ad conplementum, & integritatem humanæ naturæ, ac proinde quæ rationali anima informantur; anima namque rationalis non informat nisi partes pertinentes ad eius integritatem, & complementum vt sunt quatuor humores, scilicet sanguis, flaua billis, atra bilis, & pituita.

16 Quod autem Verbum diuinum non assumpserit sanguinem nutrimentalem probatur, nam iste sanguis non informatur anima rationali; ergo non fuit assumptus. Consequ. constat, quia quod anima rationali non informatur, non est pars pertinens ad complementum & integritatem humanæ naturæ, vt sunt fęces & omnia excrementa. Tum quia tã Verbum non assumpsisset humanam naturam quæ vna est, sed naturam humanam & naturã sãguinis, quę alia est ab ea diuersa, diuisa, & separata. Antecedens probatur, tũ materia quę extrahitur ex cibo, potuq; vi caloris naturalis, & vocatur Chilus, non habet formam, & speciem sanguinis, antequam recipiatur in epate, secundum medicos, vel in corde secundum Aristotelem, & tamen in calore, & alijs accidentibus magnam habet cum sanguine affinitatem, & inseruit nutritioni, estque materia illius, ergo non informatur anima rationali. Conseq. probatur, quia in corpore humano nihil informatur anima rationali, nisi postquam media nutritione in substantiam alitu conuersum est; ergo quandiu est materia nutritionis, non potest informari anima rationali, vt est sanguis nutrimentalis, aliàs nutrimentalis non esset.

17 Probatur 2. nam vt tradunt medici, in venis dantur etiam alij humores, vt pituita, colera, malenconia, qui deseruiunt ad nutrimentum aliorum, & non informantur anima rationali, quandiu non sunt perfectè decocti, & in aliorum naturam conuersi; ergo hoc idem dicendum est de sanguine nutrimentali. Tum quia omnino certum est, quod pituita in sanguinem transmutatur, & nonnullam habet similitudinem cum eo, antequam formam, & speciem assequatur; ergo hoc idem dicendum est de sanguine nutrimẽtali. Vnde licet admittam, quod aliqui ex Medicis dicunt, quod sanguis nutrimentalis qui proximè ex alimento, aut ex chilo generatur in epate, aut venis ducentibus ad epar quas Medici meseraicas appellant, informetur anima rationali, non tamen ille qui ex pituita generatur, cum sit eadem vtriusque ratio, cum vterque sit imperfectus, cum vterque sit nutrimentalis, ordinatus ad alterius nutritionem; cum vterque non sit bene concoctus, &c.

18 Probatur 2. ex Doctrina D. Thomæ *in 4. dist. 44. q. 1. art. 2. quæstiunc. 4.* Sylu. loco citato, & alijs communiter, quod in hoc statu vitæ mortalis duplex sanguis est homini necessarius. Primus est, qui veram, & propriam habet sanguinis formam, & iste simpliciter appellatur sanguis, anima informatur, & à Verbo diuino in humanitate fuit assumptus. Secundus est qui est in via transeundi ad formam sanguinis, & potest in duplici statu considerari, primò vt est in principio transmutationis. Secundò, vt est in progressu, & incipit rubescere, vtroque modo est nutrimentalis, non perfectè concoctus, non informatus anima rationali, ac subinde à Verbo non assumptus. Etiam sanguis na-

turalis potest considerari dupliciter, primò vt est in principio transmutationis in carnem v.g. & vocatur *Ros*. Secundò, vt est in progressu transmutationis, & incipit dealbari,& vocatur Cambium. Mutatio, seu transmutatio sanguinis nutrimentalis in naturalem, est essentialis, cum sit transitus à non esse sub forma rationali ad esse sub illa. At transmutatio sanguinis naturalis in carnem v.g. non est essentialis, sed accidentalis cum solum sit transitus sub eadem anima ab esse fluido,ad esse solidum.

19 Probatur 3. directè, nam si etiam sanguis nutrimentalis fuisset à Verbo assumptus, non esset verum illud dictum commune Theologorum ex N. S. Ioanne Damasceno desumptum, *quod* scilicet Verbum *semel assumpsit nunquam dimisit*. Sequela probatur, namque constat aliquas sanguinis guttas non fuisse reassumptas à Christo D. cum in aliquibus Ecclesijs aliquid sanguinis Christi asseruetur.

20 Occurrunt 1. aduersarij, quod dictum axioma intelligatur de pręcipuis humanitatis assumptæ partibus, & quidem integris, ac totalibus, vt de anima, corpore, carne, ossibus, capite, brachijs, & similibus, non de quibuslibet harum partium particulis, cum nulli dubium sit, quod aliquæ carnis partes in Christo D. fuerint consumptæ actione caloris naturalis, sicut & in nobis. Sed contra, nam illud axioma, quod *Deus semel assumpsit nihil dimisit*. Licet non intelligatur de illis partibus, quæ vi caloris naturalis destruuntur, & aliæ per nutritionem subrogantur; vt etiam fit in nobis per nutritionem; tamen negari non potest quin intelligatur de illis partibus quæ non inferunt aliarum subrogationem, vt contingit in sanguine nutrimentali qui non aliter desinit, nisi per conuersionem in sanguinem naturalem, seu nisi ex vi actionis nutritiuæ, ergo si aliunde separetur à corpore, vt contigit in Christo D. tempore suæ passionis, debebat reassumi, cum non ex vi actionis naturalis fuerit separatus, sed ex vi actionis violentæ. Vnde si aliquis partem ossis, vel dentis euulsisset in eius passione, eam assumere debuisset, maximè si superflua non esset. Quocirca si Christus D. habuisset vnum dentem superfluū, aut sex digitos, non eum reassumpsisset, quia in statu glorioso superfluit.

21 Sed dices, nam præputium non est pars superflua, & tamen Christus D. non eam reassumpsit in resurrectione, saltem namque aliqua illius pars seruatur in Sancta Sanctorum Scalæ Sanctæ, vt ibi in carta reliquiarum, quæ ibi asseruantur, legitur. Resp. quod illa pars, saltem quoad significationem, reputabatur superflua, ac proinde potuit non assumi, maximè quia est pars valde minima, de minimis autem non habetur ratio, seu de minimis non curat Prætor, vel minima non habentur in consideratione, *l. scio, ff. de in integr. restit. l. 4. in fine ff. de adilit. edicto.* Et illustrant Isas. *in l sciendum, ff. qui satisd. cog.* Bald. *in cap. cum adeo, de rescriptis.* Crauet. *consil.* 182. *n.* 14. *&* 15. & alij. At in nostro casu agitur de satis magna quantitate, nam si semel poneretur sanguis qui asseruatur in ampulla S. Mariæ Magdalenæ, & Longini, de quo supra, & de guttis quæ reperiuntur in Scala Sancta, & de eo sanguine quo sunt intinctæ spinæ, &c. esset in satis magna quantitate. De præputio vide infra n. 26.

22 Occurrit 2. Valentia *hic disp. 1. q. 5. puncto 1. ad 3.* quod ille sanguis, qui in Christi resurrectione nō fuit reassumptus, adhuc manet Verbo hypostaticè vnitus; vnde verificatur, quod id quod Deus semel assumpsit, nunquam dimisit. Sed contra, quia videtur inauditum, quod ille sanguis qui in terris reperitur, adhuc maneat Verbo hypostaticè vnitus; tum quia iam non habet ordinem ad humanitatem, cum non pertineat ad eius integritatem, aliàs fuisset reassumptus. Tum etiam quia partes materiæ, quæ vi caloris naturalis fuerunt separatæ, deberent manere Verbo vnitæ. Deinde quorsum manent illæ guttæ vnitæ? vel vt aliquando reassumantur, vt in die iudicij, vel vt non amplius reassumantur: non primum, quia non pertinent ad integritatem naturæ, aliàs fuissent reassumptæ, vel vt nunquam reassuman-

sumantur, sed vt in vltima conflagratione destruantur, & tunc currit eadem difficultas.

23 Ex quibus infertur, quod sanguis Christi D. naturalis cum prius esset Verbo vnitus, etiam in triduo remansit vnitus, & postea in resurrectione eum reassumpsit. At sanguis nutrimentalis cum non fuerit à Verbo assumptus antequam effunderetur, neque postea in resurrectione fuit à Verbo reassumptus. Vnde cum iste sanguis sit solum talis secundum quid, & sit solum quoddam nutrimentum, non pertinens ad complementum, & integritatem naturæ, seu corporis gloriosi, totus fuit effusus, partim in horto per sudorem, partim in passione, & postea non fuit reassumptus.

24 Sed quæres 1. an sanguis copiosissimus, qui effluxit ex imagine Christi D. quam Iudæi crucifixerunt in ciuitate Berytò, de quo D. Athanasius scripsit libellum quem approbauit Nicęna Synodus 2. Item sanguis qui aliàs ex scissis, flagellatis, & punctim cæsis imaginibus Christi, & hostijs Eucharistiæ consecratis, effluxit, si alicubi reperiatur debeat adorari adoratione latriæ? Resp. affirmatiuè, tum propter contactum Sanctissimi Corporis Christi, tum maximè quatenus repræsentat Christi D. passionem. Idem dic de præputio Christi, quod scilicet debeat adorari adoratione latriæ. Placet quod de præputio notat Iodocus Lirichius *in thesauro verbo Christus n. 60* ex D. Thoma, quod si Christus D. non reassumpsit particulam præputij, aliam sibi fecit ex materia quapiam, vt sic Christus D. conformetur legi gratiæ cuius est auctor, cum inter viuos voluerit conformari Iudæis in Circumcisione, ne quid mali haberent dicere de illo.

25 Quæres 2. quænam sint mysticæ significationes sanguinis? Resp. esse sequentes. 1. Significat salutem corporis, & animæ, iuxta illud Ezech. 3. *Sanguinem eius de manu tua requiram*. Hinc viri sanguinum dicuntur, qui aliorum vitæ insidiantur, vt homicidæ, prædones, latrones, oppressores pauperum, hæretici, qui perdunt animas, &c. 2. Sanguis significat humanam sapientiam, & doctrinam, iuxta illud Christi D. ad Petrum. *Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cælis est*. Matth. 16. 3. Sanguis significat peccata, iuxta illud Psalm. 50. *Libera me de sanguinibus*. Et Oseæ 4. *Sanguis sanguinem tetigit*, idest peccata peccatis, noua veteribus addiderunt. 4. Significat vltionem, vt constat ex illo dicto Iudæorum Matth. 27. *Sanguis eius sit super nos, & super filios nostros*. Et ex illo Psalm. 57. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris*, idest viri pij ex pœnis, & flagellis peccatorum, discent Deum amplius timere, ardentius amare, & plura bona opera facere.

DVBIVM III.

Quas alias partes sumpserit, vel non sumpserit Verbum æternum in incarnatione.

26 PRima difficultas est, an Verbum diuinum sumpserit eas partes, quas medici vocant secundas humiditates in quas mutari debet sanguis priusquam in substantiam viuentis conuertatur, præsertim in solidas, & vocantur gluten, Ros, & cambium. Resp. quod cum istæ secundæ humiditates non differant essentialiter à sanguine naturali, sed solum addant quandam maiorem siccitatem, vt sic conuertantur in carnem, neruos, ossa, &c. informantur anima rationali, ac proinde fuerunt assumptæ à Verbo diuino. Quod si procederet difficultas de illis partibus, quæ sunt veluti nutrimentum sanguinis nutrimentalis, & sunt in via ad illam, tunc dicendum esset non informari anima rationali, nec subinde fuerunt à Verbo diuino assumptæ, cum non pertineant ad integritatem humanæ naturæ, sed tantum habent quandam rationem nutrimenti, qua ratione non ponũtur in corporibus beatorum, quæ nullo indigebunt nutrimento.

27 Secunda difficultas est, an Verbum

bum diuinum assumpserit Spiritus vitales & animales. Illi qui volunt hos Spiritus non distinqui essentialiter à saguine naturali, sed esse partes illius subtilissimus, & virtuosissimas, dicunt informari anima rationali, ac subinde fuisse à Verbo diuino assumptos. Ex illis qui volunt Spiritus nō informari anima rationali, aliqui dicunt non fuisse assumptos, alij fuisse assumptos, quia putant, quod Verbum diuinum assumpserit omnes partes pertinentes ad integritatem, & perfectionem humanæ naturæ, vt sunt Spiritus, licet anima rationali non informentur; anima namque rationalis non informat nisi eas partes quæ quandam habent rationem continui, quod non videtur contingere in Spiritibus, qui cū continuò trāscurrant per venas, & arterias, non habent continuationem cum alijs partibus. P. Suarez vtramque partem probabilem defendit. Magis tamen propendit in partem negantem, quod scilicet Verbum diuinū non assumpserit Spiritus, quia Spiritus ferè continuam habent transmutationem, non sic alij humores. Mihi videtur dicendum, quod Verbum diuinum assumpserit Spiritus tam vitales, quam animales, & quod anima rationali informentur quandiu sunt in corpore, neque eorum facilis mobilitas, instabilitas, ac variabilitas impedire potest quin informentur anima rationali, ceterisque corporis partibus vniantur, sicut vnitur sanguis naturalis cum alijs partibus corporis, licet sit irriguus per venas, & per illas deriuetur citissimè in totum corpus, & in omnes partes eius. Vnde in hoc oportet corrigere imaginationem. Benè verum est, quod post resurrectionem quando natura perfecta donatur incorruptibilitate, Spiritus cum sua locali mobilitate non amplius desinent esse, sed sine vlla corruptione durabunt.

28 Tertia difficultas, an dentes, capilli, & vngues fuerint à verbo assumpti Resp. affirmatiuè cum D. Thoma *in 4. dist. 44. q. 1. art. 2. quæstiunc. 2. ad 3.* quia informantur anima rationali, cuius signum est, quia nutriuntur, ac proinde debent ab anima perfici, & cum in homine sit vnica tantum anima rationalis præstat ea quæ præstantur ab anima sensitiua, & vegetatiua, consequens est, quod si prædicta nutriuntur, vt etiam experientia docet, quod ad operationem perficiantur ab anima rationali, ac proinde ab ea informentur.

29 Quarta dificultas, an pituita, colera, & malencholia fuerint à Verbo diuino assumpta. Resp. quod sicut in sanguine datur duplex distinctio, scilicet sanguinis naturalis, & nutrimentalis, ille vtpotè perfectè decoctus informatur anima rationali, ac subinde fuit à Verbo assumptus, non iste. Ita in illis tribus humoribus datur proportionata distinctio, vnde quandiu non sunt perfectè decocti non informātur anima rationali, nec subinde à Verbo fuerunt assumpti, cum tunc sint alimentum, & nutrimentum, bene tamen quando sunt perfectè decocti. Hic Philosophus, & Medici admittunt pituitam, bilem, & malenchoniam excrementitiam quę per se non sunt necessarię ad corporis nutritionem; tum quia licet ex sui ratione quando sunt perfectè concoctę sint partes Corporis humani, ad eius integritatem pertinentes, tamen quia sæpè redundant, vt facit aliquando caro, &c. ideo vt excrementa reici debent.

30 Quinta difficultas, an Verbum diuinum assumpserit sudorem, sputum, &c. Resp. negatiuè. Ratio clara est, quia ista, & alia similia sunt quædā excrementa quæ anima rationali non informantur, ideo neque à Verbo assumpta fuerunt; vt patet ex dictis. Idem dicendum de lacrymis, quod scilicet non fuerint assumptæ à Verbo diuino, cum lacrymæ sint quædam capitis excrementa.

31 Sexta difficultas, an Verbum diuinum, assumpserit sanguinem naturalē, dentes, capillos, &c. immediatè, an mediatè; Resp. assumpsisse immediatè, cum ista informentur anima rationali, & pertineant ad integritatem humanæ naturæ, cumque vnam perfectam, integramque naturā cum ea cōponant, sequitur, quod ea immediatè assumpserit. Secus dicendum est de accidentibus in humanitate

inhæ-

inhærentibus, & alijs, proprijsque formis habentibus, vt est calor, frigus, &c. ista namque solum mediatè censentur assumpta, nam assumpta humanitate, censentur assumi omnia, quæ in illa inexistunt; cum quo stat, quod retineant propriam inhærentiam, & subsistentiam. Eam autem non retinerent si immediatè; & in se assumerentur, secus cum solum assumuntur in alio. Eo modo quo accidentia in Eucharistia retinent propriam inhærentiam respectu quantitatis, cum sola quantitas sine ea maneat, vt post D. Thomam, & Thomistas trado *de Eucharistia*.

34 Ex quibus infertur 1. quod Verbum diuinum assumpsit immediatè animam; eo namque ipso quod assumpserit immediatè humanitatem constantem ex anima, & corpore, assumpsit immediatè partes illius, scilicet animam, & corpus: humanitas namque dicit animam, & corpus vnita, vt vnio solum importetur *vt quo*, & partes *vt quod*, ac proinde partes *vt quod* fuerunt immediatè assumptæ, & vnio *vt quo*. Infertur 2. quod etiam intellectus, & voluntas fuerunt assumpta immediatè, prout considerantur vt quasi partes pertinentes ad integritatem, & perfectionem, seu complementum humanitatis, secus si considerentur vt potentiæ realiter distinctæ ab anima, tunc enim solum mediatè, seu media anima censentur assumptæ.

DISPVTATIO VI.

IN QVAEST. VI. DIVI THOMAE.

De modo asumptionis quantum ad ordinem.

1 IN artic. 1. docet Sanctus Doctor, quod Filius Dei non assumpsit carnem mediante anima, si spectemus ad ordinem temporis, si tamen spectemus ad ordinem naturæ, siue dignitatis, & causalitatis, assumpsit corpus mediante anima, & animam priusquã corpus, eo quod anima sit dignior corpore, & quodammodo causa cur corpus sit assumptibile, non enim est assumptibile, nisi in ordine ad animam, à qua habet, quod pertineat ad naturam humanam. In 2. art. declarat quomodo Verbum assumpsit animam mediante spiritu, seu mente. Per Spiritum intelligit superiorem animæ partem, seu portionem, seu intellectum, & per animam intelligit potentias inferiores. In 3. art. explicat, quod loquendo de prioritate temporis, anima non prius fuit assumpta quam caro, quia non antea fuit creata quam assumpta. In 4. art. ostendit carnem non prius tempore fuisse Verbo vnitam quam animæ rationali, quia nõ prius est assumpta quam esset caro humana, non fuit autem caro humana nisi per animam. Vnde eodem temporis momento caro Christi fuit concepta, perfectè formata, animata, & à Verbo assumpta. In 5. art. declarat Verbum assumpsisse partes humanitatis mediante toto, si ordinem intentionis spectemus, quia ordine intentionis perfectum est prius imperfecto, & totum prius suis partibus, nam ideo est voluntas partium, quia est voluntas totius. At ordine executionis, vel operationis, prius natura sunt assumptæ partes, tum quia sunt priores toto, tum quia existentia totius, pendet ab existentia partium. In 6. art. dicit, quod natura humana non est assumpta mediandian-

diante gratia, siue vnionis, siue habituali.

DVBIVM I.

An Verbum diuinum prius tempore assumpserit animam, vel carnem, an vtramque simul.

2 PRo intelligentia dicendorum, notandum, triplicem esse ordinem de quo disputari potest. Primus est temporis, seu durationis realis. Secundus est dignitatis. Et tertius est causalitatis. Ordo causalitatis est duplex, *intentionis*, secundum causalitatem finalem, & *executionis*, qui est secundum causalitatem efficientem, aut quasi efficientem. Ordo executionis est iterum duplex. Primus, qui est secundum veram temporis durationem, aut saltem secundum instans reale. Secundus, qui nullam importat temporis, aut instantis antecessionem, sed solum antecessionem naturæ. De hoc ordine executionis procedit præsens dubiũ, an scilicet anima prius tempore fuerit à Verbo diuino assumpta, an caro, &c.

3 Origenes apud D.Thomam *in Epistola ad Hebræos lect.* 4. voluit animam Christi D. fuisse ab initio mundi simul cũ cæteris animabus, quæ merito singularis suæ dilectionis erga Deum, fuit à Verbo diuino assumpta, & post aliquot annorum millia, tempore per Deum ordinato, fuit carni vnita, & sic Verbum diuinum prius tempore assumpsit animam, quam carnem.

4 Veritas catholica seq. concl. explicatur. *Non prius anima Christi fuit à Verbo assumpta, quam caro, sed simul tempore*. Habetur in Epistola Sophronij, quæ fuit lecta; & approbata in 6. Synodo, vbi sic dicitur. *Simul quippe caro, simul Dei Verbo caro, simul caro animata rationalis*. Et in 5. Synodo can. 2. dicitur. *Si quis dicit, aut sentit animam Domini præextitisse, vnitamque esse Dei Verbo ante incarnationem, & natiuitatem ex Virgine, anathema sit*. Per natiuitatem ex Virgine, intellige incarnationem. Incarnatio namque est prima natiuitas, iuxta illud Gabrielis Archangeli. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est*. Secunda natiuitas est, quando puer ex vtero matris egreditur.

5 Probatur 1. nam vt fides docet, anima rationalis non prius creatur, & postea vnitur, sed in eodem instanti creationis suo corpore vnitur, quo sensu dicebat Philosophus, quod anima humana non venit de foris, quia licet veniat de foris quantum ad creationem, non tamen venit de foris quantum ad locum, vel tempus, cum enim anima sit forma corporis, non debet alibi, nec prius creari quam disposito corpore. Tum quia si anima fuisset creata ab ipso mundi exordio vt volebat Origenes, cum sit subsistens, intelligens, & volens, recordaretur suarum intellectionum, sicut recordabitur post reunionem ad corpus, quæ in nobis fiet in communi resurrectione, sed nullus est qui recordetur suarum operationum; ergo, &c.

6 Probatur 2. nam si Verbum assumpsisset animam prius tempore, quam vniretur carni, iam B. Virgo non esset Mater Dei, quod tamen negabat Origenes, volebat namque B. Virginem verè, & propriè esse Matrem Dei; ergo, &c. Sequela probatur, nam in tantum B. Virgo est vera Dei Mater, in quantum suo modo concurrit ad vnionem animæ, & corporis, subsistentis subsistentia diuina, quatenus in eodem instanti in quo natura debebat habere propriam subsistentiam, Verbum diuinum subrogauit propriam; sed Verbum diuinum non subrogaret in eodem instanti propriam subsistentiam, cum iam anima Christi ea prius subsisteret; ergo, &c.

7 Primum Origenis argum. desumebat ex illo Psalm. 44. *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*, ex eo quia dilexit iustitiam, & odiuit iniquitatem. Sic enim fatur. *Dilectionis ergo merito vngitur oleo lætitiæ, idest anima Christi cũ Verbo Dei vnum efficitur: vngi namque oleo lætitiæ, non aliud intelligitur, quam Spiritu S. repleri, &c.* Resp. communem Sanctorum PP. expositionem esse quod Christus D. fuit vnctus oleo lætitiæ in resurrectione, quia

quia dilexit iustitiam, & odiuit iniquitatem. Deinde dato, quod intelligatur iste locus de vnctione per incarnationem, tunc non fit sensus causalis, quia scilicet anima Christi meruit per dilectionem incarnationem, seu assumptionem, ideo fuit assumpta; sed sensus est consecutiuus, indicãs quid anima Christi esset factura post vnionem ad Verbum; ex ista namque vnione factum est, vt anima Christi diligeret iustitiam, & odio haberet peccatum, in tantum quod illud destrueret, redimendo homines ab eiusdem peccati seruitute, & diaboli captiuitate. Aliàs iste locus opponeretur illi Isa. 61. vbi in persona Christi sic loquitur. *Spiritus D. super me, eo quod vnxerit me ad annuntiandum mansuetis: misit me vt mererer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem.*

8 Secundum Origenis argum. desumebat ex illo Isaiæ 8. *Priusquam sciret puer Patrem, aut Matrem vocare, auertit se ab iniquitate.* Resp. quod iste locus non est ita ad verbum in ipso textu, licet possit reuocari ad eundem sensum. Verus autem sensus non est contra nos, sed pro nobis. Verus namque sensus est, quem affert ibid. S. Hieronymus per hæc verba. *Futurũ vt Christus adhuc existens in vtero matris, & ante adultam ætatem sit nobis promeriturus saluationem.* Vt enim infra dicemus, Christus D. cœpit pro nobis mereri ab instanti suæ conceptionis, & sic priusquam sciret inuocare Patrem, aut Matrem, seu priusquam inuocaret Patrẽ, aut Matrem, auertit se ab iniquitate, quatenus cœpit detestari nostra peccata, & per odium illorum se auertere ab illis.

DVBIVM II.

An in eodem instanti Christi D. corpus fuerit conceptum, & Filio Dei vnitum, & quodnam illud fuerit instans.

9 QVantum ad primum certa res est, quod corpus D. in eodem temporis instanti in quo fuit conceptum, seu formatum, fuit Verbo diuino vnitum; in eodem namque instanti in quo fuit formatum, fuit anima rationali informatum, ac proinde natura humana integrè completa, & sic assumpta. Nam vt docent Sancti Patres, præsertim D. Basilius *hom. 25. De humana Christi D. generatione*. Et N.S.P. Ioannes Damascenus *lib. 3. de fide cap. 2.* Dignitas Christi requirebat, quod caro Christi non prius esset sub forma embryonis, quam esset animata anima rationali. Opera namque Spiritus S. factum est, quod efformaretur corpus Christi cum sufficienti organizatione, & in eodem instanti anima rationalis infunderetur, natura efformaretur, & Verbo diuino vniretur. Vnde in instanti corpus Christi formatum fuit, & in eodem fuit rationali anima informatum, & à Verbo assumptum. Ideo namque in nobis corporis efformatio non fit in instanti, sed tractu temporis, tum quia virtus efformatiua agentis debilis est: tum etiam quia datur resistentia patientis; debent namque dispositiones contrariæ expelli, & propriæ introduci. Cæterum in casu nostro de Christo D. agens efformans corpus est infinitæ virtutis, Spiritus Sanctus, scilicet, vt constat ex illo Symboli. *Qui conceptus est de Spiritu S.* Et Luc. 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et ex illo. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est.* Quocirca cum in hoc casu virtus agentis fuerit infinita, & nulla potuerit adesse resistentia, debuit in eodem instanti corpus formari, informari anima rationali, & à Verbo assumi.

10 Ratio est conuincens, nam aliàs sequeretur Christum D. non assumpsisse veram carnem humanam, caro namque cui non est vnita humana anima, non est humana; ergo oportuit, quod in eodem instanti in quo caro, seu corpus Christi fuit formatum, fuerit etiam animatum, ac subinde assumptum. Sicut enim si anima præcessisset incarnationẽ, oporteret, quod in ipsa incarnatione eius subsistentia corrumperetur, vt daret locum subsistentiæ diuinæ, ita si corpus præcederet anima-

tionem, & Verbi assumptionem, deberet habere aliquam subsistentiam, quæ in ipsa assumptione destrueretur, vt in eius locum subsistentia diuina succederet.

11 Sed obijcies 1. nam S. P. August. lib. 83. quæst. q. 65. explicans illud D. Ioannis. *Quadraginta sex annis ædificatum est templum hoc*, dicit quod caro, seu corpus Christi D. fuit formatum in vtero Virginis quadraginta sex diebus. Resp. cum D. Tho. *infra q. 32. art.* 1. quod S. Pater loquatur de augmento perfectæ quantitatis, quia corpus Christi D. in illo primo instāti habuit corpus in minima quantitate at reliquo tēpore quo fuit in vtero Virgineo creuit ad eam quantitatis mensuram, quę pro illo statu conueniebat corpori illo.

12 Obijcies 2. quia ad formationem corporis sufficienter organizati pro introductione animæ rationalis, requiritur non modica sanguinis materia, quam B. Virgo non potuit in vnico instanti subministrare; ergo non potuit illud corpus in vnico instanti formari. Antecedens probatur, nam ad formādum illud corpus debuit sanguis condensari, ac proinde in magna quantitate requiri; ergo, &c. Resp. quod tota illa sanguinis quantitas, quæ requirebatur ad efformationem illius corporis potuisset & de facto fuit in B. Virgine. Vnde non placet quod aliqui dicunt, quod sicut Deus dum Euam formauit ex costa Adæ addidit aliam materiam, ita sumpsit Spiritus S. aliquid materiæ, seu sanguinis Virginei, & postea addidit aliam materiam sufficientem pro illius corporis efformatione. Hoc enim tolleret rationem, & perfectionem veræ Conceptionis ex Virgine, & maiorem saltem Virginis dignitatem, cum ex solo eius sanguine Christi corpus non fuisset efformatum, sed solum quoad aliquam eius partem, vt quoad cor, caput, &c. Hinc reicitur aliquorum dictum, quod Spiritus S. ex purissimo Virginis sanguine solum efformauerit præcipua Christi corporis membra, vt cor, caput & hepar, & reliqua ex alia materia vel de nouo creata, vel alibi assumpta. Nam, vt dicebamus, tolleretur perfecta Virginis maternitas, & dignitas in ratione matris.

13 Obicies 3. nam si corpus Christi in eodem instanti fuisset formatum, animatum anima rationali, & à Verbo diuino assumptum, sequerentur plura absurda. Primum, quod corpus Christi spatio 9. mensium quo fuit in vtero Virgineo, vel habuisset maiorem quantitatem quā alij, & hoc est falsum; vel fuisset impedita ratio augmentatiua qua cresceret, vt scilicet taliter temperaretur, vt non plus quantitatis haberet, quam alij pueri habere solent spatio 9. mensium, quod etiam falsum videtur. Nam Corpus Christi in instanti suæ conceptionis debuit eā quantitatem habere quam alij habent spatio duorum mēsium quo materia disponitur, & organizatur pro intrudictione animæ, quam materiā, & organizationem habuit Christus D. in primo instanti, vt sic anima rationali informaretur, & sic cum semper deberet crescere ad proportionem, debebat habere satis maiorem materiam ratione duorum mensium augmentationis, quæ in alijs non est. Neque potest dici quod actio augmentatiua taliter temperaretur, vt non esset illæ excessus, quia nouum adesset miraculum in illo actionis temperamento.

14 Secundum absurdum est, quod anima Christi mansisset per 9. menses integros in vtero Virginis, cum tamen aliorum animæ solum maneant per septem menses. Cum enim anima in alijs non introducatur nisi post duos menses à conceptione, secundum communiorem sententiam, sequitur, quod solum septem mensibus maneat anima in vtero matris. At cum in Virgine in primo instanti conceptionis corpus Christi D. fuerit animatum, debuit animatum anima rationali manere per nouem menses.

15 Resp. negando sequelam. Ad 1. absurdum dico 1. quod cum in hoc mysterio tot miracula facta sint, non videtur inconueniens, quod etiam hoc sit factum, vt licet corpus Christi in primo suæ conceptionis instanti habuerit tantam quantitatem quantam alij habent spatio duorum mensium à conceptione, tamen eius postea augmentum ita temperatum fuit à

Deo

Deo vt pedetentim fieret, ne ante tempus ad sibi debitam magnitudinem perueniret. Dico 2. nullum in hoc fuisse miraculum, quia corpus Christi in eo instanti habuit minimam quantitatem, similem quantitati aliorum hominum, licet fuerit organizata prout requirebat introductio animæ; cum autem hæc magnitudo non consistat in indiuisibili, tum in conceptione, tum in natiuitate, potuit Christus D. eam habere, quæ pro eo statu requirebatur. Ad 2. absurdum dico, nullum esse absurdum, quod anima Christi manserit in vtero Virginis per spatium 9 mensium, cum aliæ solum maneant communiter per spatium septem mensium, cum enim conueniens esset, quod in ipso incarnationis instanti caro Christi esset humana, ac proinde anima rationali informata; debuit toto illo tempore manere in vtero Virgineo.

16 Sed quæres, an sit de fide, quod corpus Christi D. in eodem instanti temporis quo fuit conceptum, seu formatum, fuerit animatum anima rationali, & à Verbo diuino assumptum? Isambertus *ad q. 6. disp. 1. art. 2.* dicit non videri de fide, quia hoc non inuenitur definitum, nec expressum in sacris litteris; accedit tamen ad fidem; quia formatio corporis, & eius animatio, ac proinde vnio cum Verbo dicuntur fuisse simul peracta in Epistola Sophronij in 6. Synodo approbata. Communis tamen Ecclesiæ sensus videtur tenere hanc veritatem vt de fide. Volunt enim omnes fideles, quod in eodem instanti in quo Beatissima Virgo præbuit cōsensum per illa verba. *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum Verbum tuum*, Verbum caro factum sit; de quo num. sequenti.

17 Quantum ad secundum in titulo dubij propositum, est difficultas in quonam instanti temporis corpus D. formatum fuerit? Aliqui putant formatum fuisse quando Angelus salutauit Virginem dicens. *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Hoc enim Verbum: *Dominus tecum*, est verbum practicum, continens efficacitatem Spiritus S. qui corpus Christi efformauit, &c. Pro hac sententia citatur Petrus Alexand. *lib. de Deitate*, citatur etiam S.P. August. *serm. 14. de natiuit.* & S. Bern. *serm. 3. super Missus est.* Communis sententia est, quod corpus D. fuerit formatum, animæ vnitum, & à Verbo assumptum postquam B. Virgo præbuit consensum per illa verba. *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Sic Sanctus Doctor *infra q. 30. art. 1. in corpore*, vbi sic habet. *Congruum fuit Beatæ Virgini annuntiari quod esset Christum conceptura. Primò quidem, vt seruaretur congruus ordo coniunctionis filij Dei ad Virginem, vt scilicet prius mens eius de ipso instrueretur, quam carne eum conciperet. Vnde August. dicit in lib. de Virginit. Beatior est Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi, & postea subdit, Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi fœlicius Christum corde, quam carne gestasset. Secundò, vt posset esse certior testis huius Sacramenti, quando super hoc diuinitus erat instructa. Tertiò vt voluntaria sui obsequij munera Deo offerret, ad quod se promptam obtulit dicens. Ecce ancilla Domini. Quartò vt ostenderetur esse quoddam spirituale matrimonium inter filium Dei, & humanam naturam, & ideo per annuntiationem expectabatur consensus Virginis, loco totius humanæ naturæ.*

18 Ex quo testimonio sequentes deducuntur rationes. Prima, quia B. Virgo prius instrui debebat per Angelum de hoc ineffabili mysterio, antequam perageretur; vnde debebat Angelus auferre ab ea turbationem: *turbata est, & cogitabat qualis esset ista salutatio.* Secunda, quia cum hoc mysterium sit quoddam matrimonium spirituale, debuit expectari Virginis consensus, quem ipsa præstitit nomine totius generis humani. Tertia, quia decebat, quod B. Virgo prius conciperet Deum mente per fidem, quam ventre. Nec Sancti Patres in contrarium allati eam teneant sententiam, cum solum velint, quod ad completum colloquium, quod ab illa salutatione incepit, facta sit Verbi diuini incarnatio, prout illud colloquium comprehendit ipsum Virginis consensum.

DVBIVM III.

An non solum formatio corporis Christi sit facta in instanti, sed etiam organizatio sanguinis ad locum generationis.

19 PRima sententia est, quod congregatio, seu descensus sanguinis ad locum generationis sit facta in instanti, sicut & ipsa formatio corporis in instanti facta est, sicut & organizatio non solum in facto esse, sed etiam in fieri. Hanc sententiam tenet Maior *in 3. dist. 2. q. 3. & dist. 3. q. 2.* vbi etiam dicit, quod adhoc vt B. Virgo ad hoc concurreret, fuit diuinitus eleuata. Putat namque. Maior quod Deus non solum potest mouere aliquid de loco ad locum in instanti, sed etiam potest ad hoc eleuare aliquam creaturam vt de facto eleuauit B. Virginem ad motũ instantaneum proprij sanguinis ad locum generationis. Sumpsit namque Spiritus Sanctus purissimum Virginis sanguinem ex corde, & transtulit ad locum generationis, vbi corpus sufficienter organizauit proco statu, vt anima Christi sanctissima in illud introduceretur.

20 Secunda sententia est, quod illa transportatio, seu delatio sanguinis à corde Virginis sit facta per quandam mutationem instantaneam, non qua sanguis à corde in instanti transiret ad locum generationis pertransito medio, hoc enim reputant impossibile, sed qua à corde fuit à Deo translatus ad locum generationis, absque eo quod pertransiret medium, sed eo impertransito, ad eum modum quo 1. p. *disp. 43. dub. 4. & 5.* per totum diximus posse Angelum naturaliter moueri de loco ad locum, absque eo quod transeat per medium. Hanc sententiam probabilem vocat Maior supra, illam docet Pethigianus *in 3. dist. 4.* dicens esse sententiam Scoti. Eandem defendit Suarez *infra q. 33. sect. 1. & 2.*

21 Nostra sententia duabus conclus. explicatur. Prima concl. *Implicat, quod sanguis Virgineus descenderit, vel transportatus, aut congregatus fuerit in instanti in loco generationis.* Sic Sanctus Doctor *infra q. 33. art. 1.* vbi proponit hoc argumentum quod est secundum in ordine. *Ad formationem corporis Christi requirebatur motus localis quo purissimi sanguines de corpore Virginis ad locum generationis congruum peruenirent. Nullum autem corpus potest moueri localiter in instanti, eo quod tempus motus diuiditur secundum diuisionẽ mobilis; ergo corpus Christi non fuit in instanti formatum.* Ad quod sic respondet. *Ad 2. dicendum, quod motus ille localis non comprehenditur infra ipsam conceptionem, sed est conceptioni praeambulus.* D. Thomam sequuntur omnes Theologi, & scholastici.

22 Rationem tangit S. D. in allato testimonio, quia nullum corpus potest moueri in instanti, quia motus per Philosophum diuiditur secũdum diuisionem mobilis, commensuratur namque mobili, sed mobile est diuisibile, & non potest esse secundum omnes sui partes in vna tantum parte, sed vna pars debet correspondere vni parti spatij, & alia alteri; ergo, &c. Si namque corpus moueretur in instanti, oporteret quod omnes partes mobilis simul corresponderent vni parti, quod implicat. Tum quia de intrinseca ratione motus localis est, quod sit successiuus, cum includat prius, & posterius, cum sit actus entis in potentia prout in potentia, quę sine tempore esse non possunt, ille autem descensus sanguinis non potest non esse per motum localem.

23 Obijcit Maior, nam virtus infinita ad mouendum potest mouere in instanti, sed Spiritus S. habet virtutem infinitam ad mouendum purissimum Virginis sanguinem, ergo in instanti potest illum mouere ad suum debitum locum. Resp. quod motus localis nõ ideo est successiuus, quia virtus agentis est finita, aut ratione resistentiae mobilis, sed quia mobile esset simul, & semel in omnibus spatij partibus, & partes mobilis essent simul, quod, vt diximus cum D. Thoma, implicat.

24 Secunda concl. contra secundam sententiam. *Delatio sanguinis non est facta per*

per mutationem seu motum in instanti, quo à corde v.g. transijt ad locum generationis, absque eo quod transiret per medium. Sic tradunt communiter Theologi. Tum quia non est necesse recurrere ad hoc miraculum faciendo, quod res corporea transeat de loco ad locum impertransito medio; non enim sunt multiplicanda miracula sine necessitate. Vnde tempore breuissimo potuit Spiritus S. congregare sanguinem Virginis ad locum generationis, & in instanti terminatiuo motus potuit formare corpus Christi D. illi animam infundere, & totam naturam assumere.

24 Praeterea probatur, quia ideo Angelus potest moueri de loco ad locum impertransito medio, quia mouetur per operationem, & sic cum possit operari hic, & desinere operari, & operari alibi absque eo quod operetur per medium, ideo potest moueri de loco ad locum absque eo, quod operetur in medio, ac proinde absq; eo quod transeat per medium; sed res corporea v.g. sanguis, non est in loco per operationem, sed per extensionem ad locum; ergo non potest moueri nisi transeundo per medium, aliàs res extensa ad locum, desineret esse extensa, & habere correspondentiam ad locum. Tum quia res quanta, & extensa in ordine ad locum non mouetur nisi peruadendo medium; ergo cum sanguis Virginis esset quantus, quantitate habente extensionem partium in ordine ad locum non potuit moueri nō transeundo per mediū, nisi fortè amitteret extensionem in ordine ad locum dum per mediū transit, quod nō est dicendum. Denique quia hoc modo tolleretur à Virgine vera ratio matris, quia ad illum sanguinis motū non concurreret, nisi fortè vt eleuata, & tanquam causa instrumentalis, quae tollerent veram rationem matris, vt patet.

25 Sed quaeres, an organizatio corporis Christi sit facta in instanti, an in tēpore. Aliqui distinguunt de duplici organizatione, alia enim est in fieri, & hanc dicūt factam esse per motū; alia in facto esse, & hanc dicunt factam esse in instanti. Caeterū si per organizationem in fieri intelligant ipsā congregationem sanguinis ad locum generationis, quatenus & congregabatur & disponebatur, & aptabatur diuersimodè pro diuersitate partium corporis Christi D. Et per organizationem in facto esse intelligunt illam quam habuit sanguis virgineus in vltimo instanti suae cōgregationis ad locum deputatum, in quo instanti anima rationali fuit informatus, admitti potest. Secus si per organizationem in fieri intelligant aliquam organizationem factam post dictam congregationem, tunc enim nullus potest esse motus.

DVBIVM IV.

Quaenam pars sit prius à Verbo assumpta anima, an corpus prioritate naturae, tam secundum ordinem intentionis quam secundum ordinem executionis.

26 PRo intelligentia notandū 1. aliud esse vnum assumi mediante alio, & aliud assumi prius alio; nam partes assumuntur mediante vnione, quae est inter materiam, & formam, non tamen vnio prius assumitur; quod enim mediat *vt quo*, est ratio aliquo modo, qua aliqua assumentur, non tamen prius assumitur, cum assumi sonet esse *vt quod*, non *vt quo*, si tamen medium esse tale *vt quod*, est pariter qui medias inter fundamentum, & tectum, & vt est corpus, quod medias inter caput, & pedes, tunc assumeretur *vt quod*.

27 Notandum 2. quod quantum ad praesens variae fieri possunt comparationes. Prima est totius humanitatis ad partes. Secunda, est partium humanitatis ad inuicem. Tertia, est animae ad mentem, seu spiritum. Licet enim anima, mens, & spiritus sint idem secundum rem, tamen diuersas sortiuntur denominationes. Vocatur anima quatenus est fons, principiū, & origo potentiarum vegetatiuarum, & sensitiuarum. Dicitur spiritus, vt est origo potentiarum spiritualium, scilicet intellectus, & voluntatis, vnde qui viuunt secundum rectam rationem, dicuntur spirituales, quia viuunt secundum rectitudinem potentiarum spiritualium. Dicitur mens qua-

quatenus dicit apicem partis ſpiritualis, quaſi mons, & pars ſuperior ſpiritus, quæ ſcilicet regulatur ſecundum rationes altiſſimas legis æternæ.

28 Notandum 3. quod anima non eſt medium, quod vocant colligantiæ, & neceſſitatis quo caro eſt à Verbo aſſumpta, neque è contra. Ratio huius notabilis eſt, quod in triduo mortis Chriſti partes humanitatis erant à ſe inuicem ſeparatæ,& tamen erant vnitæ Verbo diuino; ergo anima non poteſt eſſe medium neceſſitatis, & colligantiæ neceſſariæ. Eſt tamen anima medium tam dignitatis, quàm congruitatis reſpectu carnis aſſumptæ; item natura humana poteſt dici medium *quod*, & quaſi *quo* ſimul, & etiam congruitatis reſpectu corporis, & animæ. Quod anima ſit medium tam dignitatis, quàm congruitatis in ordine ad aſſumptionem carnis, conſtat; anima namque præſtat carne, & congruum eſt quod ſpiritus ſit ratio aſſumendi carnem; non è contra. Quod autem natura humana ſit medium *quod* patet, quia aſſumitur;quod etiam ſit medium *quo*, etiam conſtat,quia eſt aliquo modo id quo partes aſſumuntur. Quod deinde ſit medium congruitatis, conſtat, quia congruum eſt, quod totum ſit ratio aſſumendi partes, non è contra. His prænotatis.

29 Prima ſententia eſt, quod in aſſumptione nullus ordo naturæ ſeruetur, ſeu nulla prioritas naturæ inter partes humanitatis, ſed totum prioritas rationis. Sic Durandus *in 3.diſt.2. q.2. n. 12.* Secunda ſententia eſt, quod in aſſumptione aliquis ordo naturæ, ordine executionis ſeruetur, quatenus anima prius quantum ad executionem fuerit aſſumpta, quàm corpus. Sic tenere videtur Aluarez *diſp.* 30. Tertia ſententia eſt,quod ordine executionis prius fuerit aſſumptum corpus, quàm anima. Sic Iſambert. *ad q.6. diſp. 1. art. 8. concl. 3.*

30 Noſtra ſententia ſequentibus cõcluſionibus explicatur. Prima concl. *Ordine intentionis anima prius fuit aſſumpta, quàm corpus.* Probatur, nam illud prius ordine intentionis aſſumitur, quod eſt ratio, & finis aſſumendi aliud; ſed anima eſt ratio,& finis aſſumendi corpus; ergo anima prius ordine intentionis aſſumitur, quàm corpus. Tum quia corpus eſt propter animam, & ordinatur ad animam, & bonum corporis eſt propter bonum animæ; ergo etiam aſſumptio corporis erit propter aſſumptionem animæ, & ſic aſſumptio animæ erit prior in genere cauſæ finalis quàm aſſumptio corporis.

31 Secunda concl. *Ordine executionis partes humanitatis, ſcilicet anima, & corpus ſimul aſſumpta fuerunt.* Ratio eſt euidens, quia vt dub.ſeq.dicetur, anima, & corpus non prius fuerunt aſſumpta, quàm inter ſe ſe vnita, ita quod prius natura intelligatur anima corpori vnita, & conſtituta humanitas, quàm aſſumpta, aſſumptio namque ad humanitatem terminatur,& media humanitate ad partes, vel ad partes vt conſtituunt humanitatem.

32 Tertia concl. ex præcedenti deducta. *Corpus non prius ordine executionis fuit aſſumptum quàm anima.* Hæc concl. eſt contra Iſambert. Probatur 1. nam licet totum ordine executionis prius aſſumatur quàm partes, non tamen partes eſt aſſumantur in toto ita ſe habent, quod vna prius aſsumatur quàm alia, & in noſtro caſu ſi ſemel vna prius deberet aſsumi quàm alia, deberet eſse anima, cum enim corpus aſsumatur propter animam, prius deberet aſsumi anima.

33 Probatur 2. nam corpus non aſſumitur niſi vt animatum, niſi vt corpus humanum; ergo ratio aſsumendi corpus debet eſse anima, ſi ſemel ordine executionis vna pars eſt ratio aſsumendi aliam. Tum quia illud prius ordine executionis aſsumitur, quod prius ordine executionis ſubſiſtit, ſubſiſtentia namque diuina ſupplet,& eſt in ſupplementum humanæ; ergo ſi ſemel anima prius ſubſiſtit quàm corpus, prius etiam aſsumetur quàm corpus;ſed anima rationalis prius,non ſolum in intentione, ſed etiam in executione, ſubſiſtit quàm corpus, cum ipſa anima tribuat ſubſiſtere corpori; ergo, &c.

34 Probatur 3. nam prioritas naturæ, eſt prioritas dependentiæ, id enim quod

quod eſt natura poſterius alio, dependet ab eo, quod eſt prius: ſed anima non dependet à corpore, ſed potius corpus ab anima, à qua accipit eſse informatum, eſse animatum, eſse humanum: ergo neq; in aſsumptione anima dependebit à corpore, ſed potius corpus ab anima: ita nãque anima ſe habet ad aſsumptionem, quo modo ſe habet ad eſſe; ergo ſi quantum ad eſse anima non dependet à corpore, neq; dependebit quantum ad aſsumptionem. Tum quia vnio corporis cum anima, non dependet ab vnione eiuſdem Verbi cum corpore, ſed potius è contra: ergo, &c. Antecedens probatur, nam in triduo Verbum diuinum erat vtrique vnitum, & poterat vnum ſine alio ſumere: ergo, &c.

35 Obijcit Iſambertus, nam corpus in eodem inſtanti fuit à Verbo aſsumptum, quo ſibi relictum ſubſiſteret propria ſua partiali ſubſiſtentia, quia terminatio Verbi fuit illi, & alijs partibus loco propriæ ſubſiſtentiæ: ſed Corpus Chriſti D. ſibi relictum habuiſset prius natura ordine executionis propriam ſuam partialem ſubſiſtentiam; ergo prius natura ordine executionis fuit aſsumptum. Minorem probat, nam in eo inſtanti Corpus Chriſti D. ſibi relictum habuiſset propriam partialem ſubſiſtentiam, quo fuit perfectè organizatum, quia in eo inſtanti incipit eſſe humanum per proximum ordinem ad animam rationalem vt ad propriuum ſuum actum; ſed corpus prius ordine naturæ eſt perfectè organizatum quam anima rationalis creatur; ergo, &c.

36 Reſp. negando maiorem, nam corpus Chriſti ſibi relictum non habuiſſet propriam partialem ſubſiſtentiam, ſed ſubſiſteret ſubſiſtentia animæ; in nobis nãque corpus nõ habet propriam partialem ſubſiſtentiam, ſed ſubſiſtit ſubſiſtentia animæ. Deinde negatur minor. Ad probationem dico, quod corpus antecedenter ad animam non habet perfectam organizationem, hæc enim oritur ab anima & vocatur organizatio formata, ſed ſolum habet quandam organizationem imperfectam, & pro illo tempore corpus habet ſubſiſtentiam ab anima ſenſitiua, quæ adueniente anima rationali, ſimul cum eadem anima ſenſitiua corrumpitur, & corpus incipit ſubſiſtere ſubſiſtentia animæ rationalis, in cuius locum in Chriſto fuit ſubrogata ſubſiſtentia Verbi diuini.

DVBIVM V.

An anima, & corpus prius natura fuerint inter ſe vnita, quam aſſumpta à Verbo diuino.

37 PRima ſententia eſt, quod loquẽdo de ordine intentionis vnio animæ cum corpore eſt prius natura, quã vnio eiuſdem animæ, vel corporis cum Verbo diuino. Cæterum loquendo de ordine executionis, anima, & corpus prius natura fuerunt aſſumpta à Verbo diuino, quam inter ſe vnita. Hanc ſententiam docet Iſamb. *ad q.6.diſp.1.art.9.*

38 Noſtra ſententia duabus concluſionibus explicatur. Prima concl. *Loquendo de ordine intentionis, prius eſt vnio animæ, & corporis cum Verbo diuino, quam inter ſeſe.* Hæc concluſio videtur euidens, nam illud eſt prius ordine intentionis reſpectu alterius, quod eſt finis illius; finis namque eſt prius in intentione ijs, quæ ſunt ad finem, cum finis in intentione moueat ad executionem eorum quæ ſunt ad finem; ſed vnio hypoſtatica eſt finis vnionis animæ, & corporis, cum Deus ex intentione huius vnionis fuerit motus ad creandam animam, eamque corpori vniẽdam; ergo, &c. Vnde rectè dicebat Apoſtolus loquens de ordine intentionis. Omnia propter hominẽ, homo propter Chriſtum, & Chriſtus propter Deum.

39 Occurrit Iſamb. quod ipſum eſſe hominem, quod eſt corpus, & animam eſſe vnita inter ſe eſt aliquo modo finis vnionis hypoſtaticæ, quatenus illa fuit ordinata ad faciendum Verbum diuinum hominem. Sed contra, nam licet vnio hypoſtatica aliquo modo ordinetur ad hominem, ſeu ad vnionem corporis, & animæ tanquam ad finem effectum, ſeu tanquam ad finem cui, quomodo & ipſa in-

incarnatio ad nostram salutem est ordinata, vt canit Ecclesia in symbolo. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est*, tamen loquendo de fine intento, seu de fine cuius gratia, de quo solo verificatur, quod sit primum in intentione, negari nõ potest, quin vnio animæ, & corporis cum Verbo diuino non sit prius in intentione, prius volita, & intenta, quam vnio animæ, & corporis, cum hæc ad illam ordinetur.

40 Secunda concl. *Loquendo de ordine executionis, anima, & corpus prius natura sunt inter se vnita, quam à Verbo assumpta.* Sic apertè S. Doctor *hic art.* 1. vbi sic dicit. *Secundum ordinem causalitatis, ipsa anima est aliqualiter causa carnis vniendæ filio Dei: non enim esset assumptibilis, nisi per ordinem quem habet ad animam rationalem, secundum quem habet, quod sit caro humana.* Vbi vult, quod caro intantum est assumptibilis, in quantum est humana, quod non potest esse nisi per vnionem carnis cum anima, ratione cuius est assumptibilis. Et articulo 4. dicit. *Caro non debuit ante assumi, quam esset caro humana, quod factum est anima rationali adueniente.* Et in solutione 3. ait. *Vnione personali prius secundum intellectum, oportet, quod caro vniatur animæ quam Verbum.*

41 Occurrit Isambertus, quod Sanctus Doctor intelligatur de duratione temporis, ita vt caro aliquo instanti temporis non debuerit prius assumi, quam esset informata anima rationali. At nos, inquit, loquimur tantum de prioritate naturæ secundum ordinem executionis, & existentiæ, iuxta quem corpus est perfectè organizatum, licet nondum habeat in se ipso animam, quia tamen est vltimò dispositum ad illam, potest appellari humanum. Sed contra, nam implicat etiam in aliquo priori naturæ, quod corpus sit humanum, nisi per animam humanam; omnis enim denominatio ab aliqua forma proueniens, supponit eandem formam à qua prouenit, sicut effectus supponit suã causam; sed denominatio humani non desumitur à dispositione ad formam humanam, sed ab ipsa forma humana; ergo implicat, quod corpus sit humanum, & non supponat formam humanam. Tum quia Sanctus Doctor dicit quod caro humana, non est talis quia sit vltimò disposita ad formam humanam, sed à forma humana adueniente, seu informante. Tum quia falsum est, quod S. Doctor intelligatur de prioritate temporis, cum dicat, quod caro prius secundum intellectum vnitur animę quam Verbo, vnio autem secundum intellectum non est vnio temporis, seu durationis non denotat prioritatem temporis, sed vix denotat præcedentiam naturæ.

42 Probatur 1. nam id per quod anima, & corpus redduntur idonea vt assumantur, est prius natura assumptione illorum, sed anima, & corpus redduntur idonea vt assumantur per illorum vnionẽ ad inuicem; ergo prius anima, & corpus vniuntur ad inuicem quam assumantur. Maior nota est, nam omne medium qua medium, est prius executione ipso fine, cum finis per medium exequatur. Minor ostenditur, nam vnio hypostatica est, vt Verbum sit homo, iuxta illud. *Et Verbum caro factum est*, sed anima, & corpus non constituunt hominem nisi media vnione; ergo, &c. Et hoc argumenetum procedit siue de medio necessitatis, siue de medio congruitatis; imò in hoc casu vnio animę, & corporis est medium necessitatis ad hoc vt anima, & corpus constituant hominem.

43 Probatur 2. nam illud prius debet assumi, cui prius communicatur subsistentia diuina, sed subsistentia diuina prius intelligitur communicata naturæ, quam partibus eius, ergo prius partes supponuntur vnitæ, & constituere naturam humanam, quam assumantur à Verbo. Maior constat. Minor probatur, nam subsistentia diuina prius intelligitur constituere personam, facere vnum per se, vnum completum; sed si prius assumeret partes non vnitas prius intelligeretur constituere ens incompletum, partiale, &c. ergo, &c. Soluuntur argum. in contr.

44 Primum argumentum. Corpus secun-

cundum ordinē executionis eſt prius natura aſsumptū à Verbo diuino, quàm ſit vnitum animę rationali: item anima rationalis ſecundum eundem ordinem executionis, & exiſtentiæ, eſt prius natura aſsumpta ab eodem Verbo, quam ſit vnita corpori: ergo corpus, & anima Chriſti prius ſunt vnita Verbo diuino, quam ſint inter ſe vnita. Antecedens probatur quantum ad corpus, hoc enim fuit in eo inſtāti aſsumptum à Verbo diuino, in quo fuit perfectè organizatum: ſed fuit perfectè organizatū ſecūdum ordinē executionis antequam anima rationali informaretur: g. &c. Deinde probatur quantum ad animam, quia anima in eo inſtāti fuit aſsūpta in quo ſibi relicta haberet propriam ſubſiſtētiam, ſed eam haberet ante vnionem ad corpus: ergo ante vnionē ad corpus fuit aſsumpta.

45 Reſp. negando antecedens. Ad probationem quantum ad corpus dico, quod corpus antecedēter ad animam rationalem habet quidem quandam organizationem vialem, imperfectam, inchoatam, & informem, quæ non eſt ab anima rationali, ſed ſenſitiua, quæ in inſtanti introductionis animæ rationalis, ſimul cum eadem anima ſenſitiua deſtruitur. At organizationem formatam, & perfectam habet ab eadem anima rationali, & ſic vt eam tribuat corpori, debet illud informare. Ad probationem, quantum ad animam, dico quod anima non fuit aſſumpta pro illo priori naturæ, quo haberet propriam ſubſiſtentiam, ſi Deus illam non impediret, ſed pro illo poſteriori natura quo intelligitur informare corpus, illique tribuere denominationem humani, cui & tribueret ſubſiſtere, ſi Deus non impediuiſſet pullulationem propriæ ſubſiſtentiæ in priori natura.

46 Secundum argum. Prius eſt aliquam ſubſtantiam ſubſiſtere, quàm operari; ergo etiam prius erit ſubſtantiam partialem ſubſiſtere partiali ſua ſubſiſtentia, quam facere vnum per ſe cum illa; ergo cum Verbum diuinum aſſumpſerit animam, & corpus quando debebant ſubſiſtere ſuis partialibus ſubſiſtentijs, & hoc ſit ante vnionem, ſequitur quod ante vnionem debuerint aſſumi. Reſp. quod anima, & corpus non habent ſuas partiales ſubſiſtentias, ſed in homine tam anima, quam corpus habent vnicam tantum ſubſiſtentiam, ſubſiſtunt eadem ſubſiſtentia, vt omnes tradunt. Deinde dato, quod haberent partiales ſubſiſtentias, adhuc non ſequitur, quod deberēt aſſumi pro illo priori, quo intelliguntur habere illas partiales ſubſiſtentias, ſed pro illo inſtanti quo intelliguntur vnita, & conſtituere naturam integram à Verbo diuino aſſumptibilem. Aſſumptio namque non ad partes debet terminari, ſed ad naturam integram, & completam, vt ſic homo conſtituatur, & Deus.

DVBIVM VI.

An in Chriſto D. ſint tres vniones, an vna tantum.

47 Prima ſententia eſt, quod in Chriſto D. dentur tres vniones, duæ partiales ad animam, & corpus, & vna totalis ad humanitatem. Sic tenent illi qui putant totum diſtingui à ſuis partibus ſimul ſumptis, ſibique inuicem vnitis. Sic etiam docet Iſambertus *ad q. 6. diſp. 1. art. 12.* licet putet quod totum non diſtinguatur à ſuis partibus ſimul ſumptis, ſibique inuicem vnitis. Citat Capreolum, & Suarium; illum *in 3. diſt. 15. q. 1. art. 3.* Hunc hoc loco *diſp. 17. ſect. 5.*

48 Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *In Chriſto D. vnica tantum vnio datur, qua Verbum diuinum vnitur humanitati, & in illa animæ, & corpori.* Sic tradunt communiter Theologi hoc loco, & tenent omnes illi qui inter materiam, & formam non ponunt partiales vniones, ſed vnam tantum. Conſtat ex dictis dubio præcedenti, nam ſi Verbum diuinum aſſumpſit animam, & corpus quæ prius natura erant vnita, ergo non per duplicem vnionem, ſed per vnam totalem terminatam ad animam, & corpus vnita.

49 Probatur 1. nam ſi darentur duæ vniones partiales, vel vnirentur ſe ipſis, vel media alia vnione; neutrum dici poteſt;

test; ergo non dantur. Maior nota est. Minor probatur, non vniuntur se ipsis, quia per illum auctorem ideo dantur istæ duæ vniones partiales, quia pro illo priori in quo assumuntur anima,& corpus,non sunt vnita, sed assumuntur vt vniantur per aliquid superadditum, quæ enim vnita non sunt, non vniuntur nisi per aliquid superadditum;ergo cum illæ partiales vniones pro illo priori non sint vnitæ, non vnientur nisi aliquid superaddatur: sequũtur namque illæ vniones conditionem partium quarum sunt vniones. Neque vniuntur per aliquid superadditum, scilicet per aliam vnionem; vnio namque non vnitur per aliam vnionem, aliàs non esset vnio, sed pars vnibilis. Tum quia illæ duæ vniones partiales iam assumerentur ad vnionem hypostaticam per aliam vnionem, ac proinde non solum essent id *quo*, sed etiam id *quod* vnitur.

50 Probatur 2. nam vel Verbum diuinum per vnionem qua assumpsit humanitatem, assumpsit etiam animam,& corpus, vel non. Si primum, superfluunt illæ duæ vniones partiales, quibus anima, & corpus assumuntur. Secundum dici non potest, cum humanitas assumi non possit sine suis partibus essentialibus. Dices, assumi partes prius vt non vnitas, per vniones particulas, postea per vnionem totalem assumuntur iterum collectiuè, & vnitæ. Sed contra, quia posita vnione totali qua partes humanitatis assumuntur vt vnitæ, deberent cessare illæ partiales vniones quibus partes fuerunt assumptæ vt diuisæ; cum enim illæ partes cessent esse diuisæ, sed sint vnitæ, debent cessare vniones, quibus fuerunt assumptæ vt diuisæ; manente vnione qua maneãt vnitæ Verbo vt vnitæ. Soluuntur argumenta in contrarium.

51 Primum argum. tot sunt vniones in hoc mysterio, quot sunt res,& substantiæ realiter distinctæ,diuino Verbo vnitæ; sed istæ sunt tres; ergo tres vniones. Minor nota est; sunt enim anima, corpus,& tota humanitas. Maior probatur, nam vniones distinguuntur penes subiecta quibus suo modo insunt, sed subiecta sunt dicta tria; ergo, &c. Resp. quod tot sunt vniones, quot sunt res, & substantiæ totales realiter distinctæ,non partiales. Verbum namque diuinum assumpsit humanitatem,& in ea partes vnitas, non partes diuisas.

52 Secundum argum. nam humanitas vt est quoddam totum resultans ex partibus vnitis, distinguitur realiter ab illis etiam simul sumptis; ergo saltem debent dari duæ vniones, vna quæ terminetur ad partes simul sumptas, & alia quæ terminetur ad totum à partibus simul sũptis distinctum. Quod autem humanitas vt est totum à partibus simul sumptis, distinguatur, probatur, nam vnum supra partes componentes addit aliquem modum substantialem quo inter se coniunguntur, & coniunctæ faciunt vnam totalem, & completam humanitatem. Tum quia partes vt componentes importantur in recto, at totum importat partes in obliquo, & se ipsum in recto; vbi autem est diuersus modus importandi, aliqua distinctio esse debet. Resp. negando antecedens. Ad 1. probationem dico, quod tam totum, quam partes componentes importãt aliquem modum substantialem, scilicet vnionem, & sic non est distinctio. Ad 2. probationem dices, quod tam in toto, quam in partibus componentibus, simul sumptis idem modus importandi reperitur, scilicet, quod omnia in recto importentur.

53 Tertium argum. nam vnio hypostatica eo modo sese habet siue ad partes humanitatis, siue ad ipsam humanitatem quo se haberet propria subsistentia si adesset; sed si adesset propria subsistentia, ita se haberet, vt subsistentia partialis corporis, & animæ sese vnirent ad componendam vnam totalem humanitatis; ergo etiam subsistentia diuina debet per totidem vniones vniri. Antecedens probatur, nam modi substantiales sequuntur conditionem suarum substantiarum, siue partialium, siue totalium. Resp. concedendo maiorem in ijs quæ nullam inuoluunt imperfectionem. Deinde negatur minor, si enim adesset propria subsistentia, esset tan-

tantum vna, quæ faceret subsistere partes in humanitate. Nec verum est, quod modi multiplicentur ad multiplicationem substantiarum partialium, sed totalium: vt patet de vnione quæ est inter materiã, & formam, quæ vna existens in vnum eas copulat, & vnit.

54 Quartum argum. nam in triduo mortis Christi anima, & corpus fuerunt duabus partialibus vnionibus vnitæ Verbo diuino; ergo sic prius fuerunt assumptæ; eo namque modo fuerunt assumptæ, quo erant capaces assumptionis, sed erant capaces assumptionis partialis, vt patet in triduo; ergo, &c. Resp. concedendo antecedens, & negando conseq. prius namque fuerunt assumptæ simul, & vnitæ, quia erant vnitæ, at cum in triduo essent separatæ fuerunt per vniones partiales separatas terminatæ. In instanti ergo separationis animæ à corpore in virtute prioris assumptionis fuerunt productæ duę vniones partiales illa priori totali destructa, & quando postea iterum fuerunt vnitæ, illæ duæ vniones partiales fuerunt destructæ, & alia, vel prior totalis reproducta. Neque hoc est nouum cum illud videamus in omnibus totis quando in suas partes diuiduntur, tunc enim prior vnio destruitur, vt cum vna aqua in plures diuiditur, & aliæ producuntur. Et cum iterum vniuntur, plures vniones destruuntur, & vna producitur.

DVBIVM VII.

An Verbum diuinum prius assumpserit animam, & corpus, quam accidentia eorum.

55 PRima sententia est, quod Verbum diuinum assumpsit has partes antequam in eis aliqua essent accidentia, & sic assumpsit animam, antequam in ea essent intellectus, & voluntas: assumpsit corpus, antequam in eo essent aliqua accidentia. Hanc sententiam sequitur Suarez hic *disp. 17. sect. 6.* quem aliqui recentiorum sequuntur.

56 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Verbum diuinum assumpsit animam & corpus, vt suis proportionatis accidentibus informantur: vnde non assumpsit prius animam quam haberet intellectum, & voluntatem, nec prius assumpsit corpus, quam haberet debitam pro eo tempore organizationem.* Sic tradunt communiter Theologi, Vasq. *disp. 12. cap. 3. cum seq.* Ilambertus hoc loco *ad q. 6. disp. 1. art. 14.* & alij. Colligitur hæc concl. ex Patribus, & Concilijs condemnantibus Apollinarẽ, dicentem Verbum diuinum nõ assumpsisse intellectum, sed animam nudam. Et in Concilio Calcedonensi definitur, quod Verbum diuinum assumpsit naturam humanam integram, & perfectam, non esse autem integra, & perfecta, nisi habeat intellectum, & voluntatem, & corpus suas proprietates, & perfectiones accidentales ad corporis perfectionem requisitas.

57 Occurrunt aduersarij bene loqui Concilia, & Patres, quod Verbum diuinum assumpsit intellectum, & voluntatẽ, & omnia accidentia quæ requiruntur ad consistentiam, & perfectionem corporis humani, nam inquiunt, etiam hoc nos dicimus, sed quod dicimus est, quod non assumpsit illas partes cum suis accidentibus in eo priori in quo eas Verbum asũpsit, sed dicta accidentia assumpsit postea. Sed contra, nam id quod assumitur præsupponitur assumptioni, ergo cum Concilia, & Patres dicant quod Verbum diuinum assumpsit naturam humanam perfectam, quod assumpsit animam intelligentem, & volentem, &c. debent intellectus, & voluntas præsupponi assumptioni animæ, ac proinde ad verificanda dicta Patrum, & Conciliorum non sufficit, quod ea postea sumpserit post animæ asũptionem, sed debuit intellectum, & voluntatem simul cum anima assumere, & sic in priori naturæ debuit præsupponi anima cum intellectu, & voluntate.

58 Præterea Patres, & Concilia docent, quod Verbum æternum assumpsit corpus organizatum sufficienti organizatione pro eo statu assumptionis: assumpsit corpus humanum, assumpsit carnem hu-

manam, sed tunc tantum corpus incipit esse perfectè humanum, cum est organizatum, quæ organizatio non habetur, nisi per quædam accidentia; ergo, &c.

59 Dices, Concilia, & Patres intelligi de organizatione substantiali, quæ dicit animam prout est radix accidentium causantium organizationem formalem, & accidentalem. Et sic anima in illo priori assumptionis in quo dicit gradum organici substantialis, & fuit assumpta, adhuc nullum dicit accidens. Sed contra, quia antequam intelligatur anima rationalis tribuens gradum organaci substantialem, prius intelligitur in corpore organizatio initiatiua, & dispositiua ad organizationem substantialem; sed organizatio initiatiua, & dispositiua includit accidentia; ergo &c. Nam vt docent N. Complut. *disp.* 1. *de anima*, anima prius tribuit gradum substantiæ, & ab isto gradu pullulant accidentia disponentia ad hoc vt tribuat gradum viuentis: & ab isto pullulant accidentia disponentia ad gradum sensitiui, qui sine organizatione esse non potest: & à gradu sensitiuo pullulant accidentia ad gradum atomum, & specificum rationalis, ac proinde implicat, quod Verbum diuinum assumpserit naturam humanam, & corpus humanum, seu habens gradum humanum, seu animam vt tribuit gradum istum, & non prius intelligatur anima recepta secundum priores gradus, & vt tribuit accidentia pro illorum dispositione. Soluuntur argumenta in contrarium.

60 Primum argum. nam assumptio partium humanitatis intelligitur facta in eo instanti in quo fuisset propria illorum subsistentia; sed propria illorum partium subsistentia fuisset antecedenter ad accidentia; ergo, &c. Minor ostenditur, nam illud est prius in anima v. g. quod est magis intrinsecum; sed propria subsistentia est illis magis intrinseca, imò accidentia sunt extrinsecus aduenientia; ergo, &c. Tum quia anima prius debet esse subsistens in se, quàm substerni accidentibus: ergo, &c. Resp. quod licet propria subsistentia prius intelligatur pullulare ab anima, illique tribuere esse in se, quàm substerni accidentibus, tamen subsistentia diuina non assumpsit animam pro illo priori, aliàs non sumpsisset animam in natura, sed separatam, antequam intelligeretur vnita corpori, & naturam constituere, quod iam impugnauimus. Sed subsistentia diuina assumpsit animam in natura, ac proinde vnitam corpori, antequam autem anima, & corpus intelligantur vnita, secundum gradum rationalem, habent sua accidentia: anima intellectum, & voluntatem, & corpus sufficientem organizationem pro eo statu. Per quæ patet ad probationes minoris.

61 Secundum argum. quoniam tam actiones, quàm passiones sunt suppositorū, sed ad hoc vt anima agat debet prius esse subsistens; ergo etiam antequam patiatur recipiendo proprias passiones, & accidentia, debet prius esse subsistens: in eo autem priori in quo fuisset subsistens, fuit assumpta; ergo. Resp. ex dictis, quod anima non fuit assumpta pro eo priori in quo primò fuisset subsistens, sed in quo primò fuit natura completa formata, in qua assumpta fuit, non in eo priori in quo nondum intelligitur corpori vnita, & natura humana formata.

DVBIVM VIII.

An natura humana sit assumpta mediante gratia.

62 HOc dubium proponit S. Doctor *hic art.* 6. quod alij sic proponunt, an gratia habitualis fuerit medium, & dispositio ad vnionem hypostaticam. Alij sic, an gratia habitualis potuerit esse medium morale exornans humanitatem, & ei conferens proportionem aliquam cum vnione hypostatica. Alij etiam vniuersalius sic proponunt, an humanitas sit assumpta à Verbo diuino prius natura, quàm informaretur accidentibus extraneis. De accidentibus intraneis, & naturalibus diximus dub. præcedenti, de extraneis, seu extrinsecis, siue naturalibus, siue supernaturalibus, vt est gratia, & alia dona Spiritus S. agemus in hoc dubio, & sic

sic retento titulo D. Thomæ dubium de gratia procedit, quia quod dicetur de gratia, de alijs accidentibus extraneis, seu extrinsecus aduenientibus, intelligi debet.

63 Prima sententia est, quod natura humana sit assumpta mediante gratia habituali, tanquam dispositione omnino necessaria ad vnionem hypostaticam. Sic Alensis *3. p. q.* 17. *memb.* 2. *art.* 1 *&* *q.* 12. *memb.* 1. *art.* 1. quod censet probabile Gabriel *in 3. dist.* 2. *q. vnica art.* 2. *concl.* 2. Secunda sententia est, quod vnio hypostatica supponat gratiam non ex necessitate, sed ex congruentia. Ita Richard. *in 3. dist.* 2. *art.* 2. *q.* 3. Palud. *q.* 2. *art.* 3. Carthus. *in 3. dist.* 2. *q.* 5. Marsil *q.* 10. *art.* 1. & videtur tenere S. Doctor *in 3. dist.* 2. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 1. & ad Anibald. *eadem dist. q. vnica, art.* 3.

64 Pro intelligentia difficultatis sciẽdum, duplex esse medium, scilicet necessitatis, & est id sine quo extrema coniungi non possunt. Et congruitatis, & est id sine quo extrema absolutè coniungi possunt, non tamen ita congruè. Primum vocatur medium morale, secundum vocatur medium physicum. Et de vtroque medio dubium moueri solet, tum de facto, tum de possibili, an scilicet gratia habitualis potuerit supponi ad vnionem hypostaticam tanquam medium siue physicum, siue morale, quæ in sequentibus §§. explicabuntur.

§. I. *An gratia habitualis potuerit, & an de facto fuerit præsupposita, vt medium physicum ad vnionem hypostaticam.*

65 PRima conclusio. *Gratia habitualis de facto non fuit præsupposita in Christi D. humanitate tanquam medium necessitatis, seu physicum ad vnionem hypostaticam.* Sic tradit Sanctus Doctor hic *art.* 6. vbi eius interpretes. Videantur Cipullus *ibid. dub. vnico*, qui alios citat Orlandus *disp.* 9. *q* 3. & alij. Ratio D. Thomæ est, quia gratia habitualis se habet vt effectus consequens vnionem, seu assumptionem, iuxta illud Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.*

66 Probatur 1. gratia habitualis non præcessit ipsam assumptionem; ergo non fuit præsupposita in Christi humanitate tanquam medium, aut dispositio ad vnionem hypostaticam. Conseq. constat. Antecedens probatur, nam tam natura, quam anima subsistunt diuina subsistentia, antequam habeant gratiam habitualem; ergo, &c. Antecedens probat Cipullus, quia tam anima, quam natura prius debent subsistere in Verbo, quam accidentaliter perficiantur. Tum quia subsistentia est modus magis intrinsecus, quam sint quęcumque accidentia. Sed istæ rationes nimis probant, quia inde sequeretur, quod Verbum diuinum non assumpsisset intellectum, & voluntatem, nec corpus organizatum, quod supra reprobauimus. Probatur ergo illud antecedens, quia cum in Christo, vt dicit S. Doctor in articulo, gratia habitualis comparetur ad gratiam vnionis tanquam effectus ad causam, non potest ad illam præsupponi. Probant tamen illæ rationes quoad accidentia extranea, non quoad accidentia propria, & intrinseca, vt est intellectus, & voluntas respectu animæ, & durities, molities, &c. respectu organizationis. Vnde quando dicitur, quod non potest natura prius recipere esse secundum quid quam esse simpliciter, intelligitur prius prioritate temporis non naturæ, & quasi in genere causę materialis.

67 Probatur 2. nam eo modo subsistentia diuina vnita est humanitati quomodo fuisset vnita propria subsistentia; sed propria subsistentia dum vnitur naturæ, & animæ, nullam supponit dispositionem, nullum medium; ergo neque subsistentia diuina supponit gratiam, vt medium, & dispositionem. Antecedens constat, subsistentia namque diuina subrogatur in locum propriæ; ergo si propria non requirit præcedentem dispositionem; neque diuina id requiret.

68 Sed obijcies 1. nam S. Doctor *q. seq. art.* 13. *ad* 2. vocat gratiam habitualẽ, *dispositionem humanæ naturæ ad vnionem personalem*; ergo, &c. Hoc argumentum pro-

proponit Isambertus *ad q.6. disp.2. art.1. vers.neque his obstat*. Cæterum S Doctor in toto illo art. oppositum docet, & maximè in solutione secundi, vbi sic fatur. *Sicut dispositio in via generationis præcedit perfectionem ad quam disponit in his quæ successiuè perficiuntur, ita naturaliter perfectionem sequitur quam aliquis iam consecutus est: sicut calor qui fuit dispositio ad formam ignis, est effectus profluens à forma ignis iam præexistentis. Humana autem natura in Christo vnita est personæ Verbi à principio absque successione. Vnde gratia habitualis non intelligitur vt præcedens vnionem, sed vt consequens eam sicut quædam proprietas naturalis. Vnde & August. dicit in Ench. quod gratia est quodammodo Christo homini naturalis.*

69 Obijcies 2. quoniam ea quæ maximè distant non vniuntur immediatè, sed per aliquid quod minus distat ab vtroque extremo; sed natura humana, & persona Verbi diuini maximè distant;ergo debent vniri per gratiam, quæ minus distat ab vtroque extremo. Resp.hoc argumentum probare, quod nos supra docuimus, quod debeat dari modus vnionis per quem natura prius eleuatur, postea vnitur personę diuinæ. Vel dicas quod tunc duo extrema maximè distantia indigent alio medio eleuante, & disponente, quando ea eleuatio, seu quando vnum extremum eleuatur ad operationem excedentem vt cōtingit in visione beata, secus quando non eleuatur ad agendum, sed tantum adesse, tunc enim sufficit potentia obedientialis, & quod extrema comparentur per modum termini,& terminabilis.

§.II. *An gratia habitualis fuerit supposita ad vnionem hypostaticam, vt medium morale, seu decentiæ.*

70 Communis sententia seq. conclusione explicatur. *Gratia habitualis, nec vllum aliud accidens extraneum fuit de facto præsuppositum ad vnionem hypostaticam tanquam medium decentiæ, seu tanquam medium morale*. Ratio communis constat ex dictis S.præcedenti. Tum quia prima gratia, origo, & fons omnis gratiæ, nullam supponit dispositionem nec physicam, nec moralem seu decentiæ, aut congruentiæ, sed gratia vnionis hypostaticæ est prima gratia, fons, & origo omnium gratiarum; ergo non debet aliquod medium, seu dispositionem congruam supponere. Minor nota est. Maior probatur, nam si prima gratia, seu si gratia vnionis supponeret gratiam habitualē, iam non esset prima, cum iam aliam priorem supponeret. Tum quia dispositio congrua, est meritum quoddam congruum, & sic iam gratia vnionis de facto caderet sub merito congruo. Tum etiam quia iam daretur aliqua gratia, quæ non esset effectus gratiæ vnionis, & gratia vnionis non esset ratio merendi omnem gratiam, ac proinde daretur aliqua gratia,quæ non caderet sub merito gratiæ vnionis, & quā Christus D. non meruisset. Tum denique quia data dicta gratia habituali, adhuc non posset esse medium, & dispositio ad gratiam vnionis, cum sit ordinis longè inferioris.

71 Obijcies 1. quia natura humana secundum se spectata est ordinis longè inferioris ad vnionem hypostaticam;ergo fuit congruum quod per gratiam aliquo modo disponeretur, & illi appropinquaret. Resp.concedendo antecedens,& negando conseq. quantò enim magis natura humana, & Verbi subsistentia distant, tantò magis apparet gratia, & benignitas nostri Dei, qua voluit adeò semetipsum exinanire serui formam accipiens. Magis etiam splendet diuina omnipotentia, quæ potuit res adeo distantes vnire,& in vnam personam copulare, quæ non tantum apparuissent, si humanitas aliquo intermedio disposita fuisset.

72 Obijcies 2. B. Virgo fuit disposita ad maternitatem Dei per gratiam habitualem; ergo etiam congruum fuit, quod humanitas Christi per eandem gratiam disponeretur. Antecedens docuimus supra, quocirca diximus, quod B.Virgo dictam maternitatem meruit de congruo. Conseq.constat ex prioritate rationis,magis

gis

gis namque congruit dispositio ad vnionē hypostaticam, quam ad maternitatem, cum illa sit maior ista; vbi autem est maior dignitas, & excellentia, ibi maior dispositio congruit. Resp. concedendo antecedens, & negando conseq. Ratio discriminis est, quia quod B. Virgo se disposuerit ad maternitatem, fuit ex meritis Christi, & sic ex hoc non tollitur quod gratia vnionis non sit prima gratia. Bene autem tolleretur, si gratia pręcessisset ipsam vnionem, vt iam diximus.

§. III. An de potentia absoluta potuerit supponi ad vnionem hypostaticam gratia habitualis tanquam medium siue physicum, siue morale.

73 PRima sententia negat de vtroque medio, vt scilicet neque de potentia absoluta potuerit Deus facere, quod ad vnionem hypostaticam supponeretur gratia habitualis tanquam medium siue physicum, siue morale. Sic tenet Cabrera *q. 2. art. 10. disp. 2.* § 10. Secunda sententia est Isamberti *ad q. 6. disp. 2. art. 5. & 6.* vbi duo dicit. Primò. *Gratia habitualis, non potuit esse medium aliquod morale, praparans humanitatem ad vnionem hypostaticam.* Secundò. *Gratia habitualis potuit esse medium exornans animā Christi D. & dans ei proportionem aliquam maiorem cum ipsa vnione hypostatica.* Hæc duo videntur contraria.

74 Prima conclusio. *Gratia habitualis potuit prasupponi in humanitate de potentia Dei absoluta tanquam medium morale, praparans humanitatem ad vnionem hypostaticam.* Ratio videtur euidens, nam medium morale ad aliquid, est illud, quod aliquo modo mouet agens morale, & liberum, & quantum est de se determinat illud ad conferendum id ad quod est medium morale; sed gratia habitualis potuit conferri humanitati, & mouere Deum, eumque aliquo modo, saltem de congruo determinare, ad assumendam dictam humanitatem hypostaticè; ergo, &c. Maior nota est. Minor probatur, nam gratia habitualis potuit conferri humanitati subsistenti prius propria subsistentia, & Deus potuit pacisci cum dicta humanitate quod si taliter ex gratia operaretur, quod excitaretur, & moueretur ad assumendam eandem humanitatem hypostaticè, de quo nulli dubium esse potest. Potuit etiam gratiam conferre humanitati in priori naturæ ante assumptionem & ab ea moueri ad eam assumendam in eodem instanti. Tum quia vnio adulti cum Deo per gratiam sanctificantem potest, imò de facto prærequirit aliquas dispositiones, vt actū fidei, spei, contritionis, dilectionis, & ad has dispositiones sufficit præcedentia in genere causæ materialis dispositiuæ; ergo etiam in humanitate Christi potuit gratia præsupponi de potentia saltem diuina, quicquid sit de facto, tanquam medium morale, & dispositiuum ad vnionem hypostaticam. Tum etiam quia est valde probabile, quod Christus D. se disposuerit ad gratiam habitualem, vt solent adulti per actus charitatis; ergo etiam potuit saltem de potentia absoluta disponi ad vnionem hypostaticam, licet de facto non fuerit sic dispositus.

75 Secunda concl. *De potentia absoluta potuit supponi humanitas ad vnionem hypostaticam cum gratia habituali eam eleuante, proportionante, & coaptante ad eandem vnionem, ac proinde potuit habere quandam rationem medij physici.* Constat ex dictis §. præcedenti. Nil enim impedit, quin Deus potuerit infundere gratiam in anima Sanctissima Christi, quæ ipsam cū sua humanitate eleuaret, proportionatam, & coaptatam redderet ad vnionem hypostaticam, maximè quia isti sunt effectus gratiæ, scilicet eleuare animam, ornare, ac proinde eam magis proportionatam reddere vnioni hypostaticæ; est enim magis proportionata, & coaptata vnioni hypostaticæ anima existens in gratia, quam sine ea, licet enim gratia non sit ordinis hypostatici, conuenit tamen cum ea in ratione supernaturali, in quo non conuenit anima sine gratia. Soluuntur argum. in contrarium.

76 Primum argum. desumitur ex auctoritate D. Thomæ *q. sequenti art. vltimo*, vbi

vbi probat, quod vnio humanæ naturæ ad diuinam personam præcedat gratiam habitualem, natura,& intellectu, & hoc tripli ratione. *Primò quidem secundũ ordinem principiorum vtriusque. Principium enim vnionis est persona filij, assumens humanam naturam, quæ secundum hoc dicitur missa in mundum, quod humanam naturam assumpsit. Principium autem gratiæ habitualis, quæ cum charitate datur, est Spiritus Sanctus, qui secundum hoc dicitur mitti, quod per charitatem mẽtem inhabitat. Missio autem filij secundum ordinem naturæ, prior est Missione Spiritus S. sicut ordine naturæ Spiritus S. procedit à filio, & à sapientia dilectio. Vnde & vnio personalis secundum quam intelligitur Missio filij, est prior ordine naturæ habituali gratia, secundum quam intelligitur Missio Spiritus S. Secundò accipitur ratio huius ordinis ex habitudine gratiæ ad suam causam, &c. Tertiò, ex fine gratiæ, ordinatur enim ad bene agendum, actiones autem sunt suppositorum, &c.*

77 Nec valet dicere S. Doctorem loqui de potentia ordinaria, non de potentia absoluta. Nam istæ tres rationes videntur procedere etiam de potentia absoluta, implicat namque, quod fiat missio Spiritus S. per gratiam sanctificantem, sine missione Filij per incarnationem. Item implicat, quod detur gratia sine sua causa, incarnatio autem est causa omnis gratiæ. Demum implicat, quod actiones non sint suppositorum.

78 Resp. sustinendo traditam solutionem, quod scilicet D. Thomas intelligatur de facto, & secundum potentiam ordinariam, non secundum potentiam absolutam. Nec rationes D. Thomæ procedunt de potentia absoluta, sed tantum de facto, & secundum potentiam ordinariam. Licet enim missio inuisibilis Spiritus S. per gratiam non fiat sine missione inuisibili Filij per fidem, tamen missio inuisibilis Spiritus S. per gratiam, non supponit necessariò missionem visibilem Filij, seu incarnationem, vnde communiter dicitur, quod gratia data Angelis, & primis parentibus non fuit data ex meritis Christi, & sic gratia non supponit ex necessitate incarnationem, ac proinde potuit dari ante illam humanitati, & sic patet ad 2. & 3. rationem.

79 Secundum argu. implicat, quod natura humana recipiat gratiam habitualem nisi prius subsistat, vel propria, vel aliena subsistentia; ergo subsistentia diuina non potest supponere gratiam eleuantem, proportionantem, &c. Resp. sufficere quod eam supponat in priori natura, & quod eam Deus infundat in priori naturæ. Ad quod sufficit, quod natura in eo instanti subsistat eadem subsistentia diuina ad quam disponit. Sicut in sententia eorum, qui dicũt quod primus actus contritionis quo homo disponitur ad gratiam, non est à gratia, sed ab auxilio, & tamen medium, seu dispositio, est ad eandem gratiam, quæ in eodem instanti datur.

80 Tertium argum. nam sequeretur, quod Christus D. potuerit mereri incarnationem; nam pro illo priori quo humanitas haberet gratiam, & charitatem, posset operari, sed opus esset meritorium, & posset ordinari ad merendam incarnationem; ergo, &c. Resp. concedendo totum de potentia absoluta, & quantum ad meritum congrui, non quantum ad meritum condigni, cum opera ex gratia facta sint inferioris ordinis vnione hypostatica.

DISPV-

DISPVTATIO VII.

IN QVAEST. VII. DIVI THOMAE.

De gratia Christi prout est quidam singularis homo.

1 IN 1. artic. probat Sanctus Doctor, quod in anima Christi fuit gratia habitualis: iuxta illud Ioann. 1. *Plenum gratia, & veritatis, &c.* In 2. art. tradit quod in Christo fuerunt omnes virtutes, quæ nullam important, aut inuoluunt, seu supponunt imperfectionem. In art. 3. & 4. docet, quod in Christo non fuit fides, & spes, quia includunt imperfectionem repugnantem suæ beatitudini: nam fides est de non visis, & spes de non habitis. Cum enim istæ virtutes non maneant in beatis, neque in Christo manebunt, cum fuerit beatus ab instanti suæ conceptionis. In art. 5. & 6. dicit, quod in Christo fuerunt dona Spiritus S. & specialiter dicit, quod fuit donum timoris, eo quod in eo specialis difficultas appareat. Constat ex illo Isa. 11. *Requiescet super eum Spiritus D. &c.* In 7. art. ostendit ex D. August. & ratione, quod in Christo D. fuerunt omnes gratiæ gratis datæ, de quibus 1. *Corint.* 12. In art. 8. declarat Sanctus Doctor, quod Christus verè, & propriè fuerit propheta, ac proinde quod in eo fuerit donum prophetiæ; annunciabat namque quæ erant remota. Constat ex illo Deuteron. 18. *Prophetam suscitabit vobis Deus*. In art. 9. ostendit quomodo in Christo fuerit plenitudo gratiæ, habuit namque illam perfectè, & totaliter, siue quoad intensionem, siue quoad virtutem, tantam enim habuit, quanta esse potest de potentia ordinaria. In art. 10. declarat, quomodo plenitudo gratiæ sit propria Christi, quia solus Christus habuit gratiam tum in maxima excellentia, tum in maxima virtute in ordine ad omnes effectus gratiæ. In art. 11. explicat quomodo gratia vnionis sit infinita, at gratia habitualis est finita in genere entis, cum sit quid creatum, & in subiecto creato existens, in genere tamen gratiæ, seu gratificandi, potest dici infinita. In art. 12. probat, quod gratia Christi non possit augeri de potentia Dei ordinaria. In art. 13. dicit, quod gratia habitualis, sequitur ad gratiam vnionis velut passio sequitur essentiam. Hæc vt magis intelligantur, sit.

DVBIVM I.

An in Anima Christi D. fuerit gratia habitualis.

2 PRima sententia est quorundam Theologorum apud Paludanum *in 3. dist. 3. q. 2.* qui putant, quod in Christo D. non fuit gratia sanctificans, vbi enim est sanctitas per essentiam, non debet dari sanctitas per participationem: vbi datur sanctitas personalis, non debet dari sanctitas accidentalis.

3 Vera, & communis sententia seq. concl. explicatur. *In Anima Christi D. datur gratia sanctificans*. Constat ex illo Ioan. 1. *Plenum gratiæ, & veritatis*. Et ex illo Isa. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini*, requies autem Spiritus S. est per gratiam sanctificantem, idem habetur alibi, & tradunt Sancti Patres. D. Athanasius fusè *oratione 2. contra Arium*. D. Hierony. *in psal. 133.* ad illum versum. *Sicut*

vnguentum in capite. D. Aug. *lib.15. de Trinitate cap. 26.*

4 Probatur 1. nam homines iusti sunt Sancti per gratiam sanctificantem; ergo etiam Christus D. debuit esse Sanctus per gratiam sanctificantem, ac proinde vltra sanctitatem personalem, debuit habere etiam sanctitatem habitualem. Antecedens est de fide, cum enim iusti sint sancti per sanctitatem inhærentem, vt ostendimus in *tract. de iustificatione*, & hæc nō sit aliud quàm gratia habitualis, sequitur, quod debeant esse iusti per illam. Conseq. probatur, nam iusti sunt prædestinati vt sint conformes imaginis Filij Dei, sed hæc conformitas cum Christo non est in gratia vnionis, ergo est in gratia sanctificante. Minor constat. Maior est Apostoli ad Rom. 8. ibi. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui*. Et rationem reddit dicens. *Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Omnes namq; iusti sunt fratres Christi ratione gratię sanctificantis.

6 Sed dices, quod omnis perfectio quę continetur in gratia santificante, continetur eminenter in gratia vnionis hypostaticæ; ergo data ista, frustra dari debet illa. Sed contra, nam si in Christo admitteretur sola gratia vnionis, iam non admitteretur omnis sanctitas extensiuas non daretur sanctitas hoc determinato modo, secundum suam propriam rationem. Si namque Deus non cognosceret possibilia, non esset perfectus, nec comprehenderet se ipsum, cum tamen eminenter dictæ creaturæ contineantur in diuina essentia. Nec ex eo quod in scientia beata Christi contineantur eminenter omnes aliæ sciētiæ, non ob id excluduntur à beatis, nec excluduntur à Christo D. vt infra videbimus, neque sunt inutiles; ergo, &c.

7 Probatur 3. nam si Christus D non haberet gratiam, & charitatem, non eliceret actus illius connaturaliter, imò nullo modo; hoc est falsum; ergo & id vnde sequitur. Minor constat. Maior probatur, nam licet demus, quod homo cum solo Dei auxilio possit elicere actum charitatis, non tamen connaturaliter nisi fiat à proprio habitu charitatis, qui est proprium, & connaturale principium talis actus. Imò, vt alibi ostendimus, implicat, quod actus charitatis oriatur nisi ab habitu charitatis; debet namque potentia esse eleuata per virtutem proximam ad hoc vt eliciat actum transcendentem: auxilium autem solum se habet vt virtus efficiens, non vt principium formale eleuans, & confortans potentiam ad agendum actum excedentem, vnde in se debet præcontinere principium etiam formale, quod per solum auxilium non habet.

8 Probatur 4. nam quod ex suo conceptu affert perfectionem, & nullam imperfectionem, non debet Christo D. denegari, sed gratia sanctificans affert perfectionem, & nullam imperfectionem in suo conceptu formali; ergo non debet Christo D. denegari. Minor probatur; nam conceptus gratiæ, cum sit participatio diuinæ essentiæ, est conceptus primæ, & perfectissimæ sanctitatis, non excludentis, nec dicentis negationem sanctitatis personalis, sed ista bene possunt esse simul ergo, &c. Soluuntur argumenta in contrarium.

9 Primum argum. quia de ratione gratię est facere hominem Deum per participationem, iuxta illud. *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi*. Vt enim dicitur. 2. Petri 1. *Maxima, & pratiosa nobis promissa donauit, vt efficiamur consortes diuinæ naturæ*: sed implicat quod Christus D. sit filius Dei, aut Deus per participationem, cum sit Deus per essentiam, ergo implicat quod in Christo ponatur gratia habitualis. Ad hoc argum. respondet S. Doctor hic artic. 1. ad 1. *Quod Christus est verus Deus secundum personam, & naturam diuinam, sed quia cum vnitate personæ remanet distinctio naturarum, anima Christi non est per suam essentiam diuina: vnde oportet quod fiat diuina per participationem, quæ est secundum gratiam*. Licet ergo suppositum Christi sit Deus per essentiam, imò hoc concretum *Christus* sit Deus per essētiam, concretum namque stat pro supposito; tamen anima, vel humanitas, quæ est abstractum, non est Deus per essentiam,

tiam, sed quid creatum, ac proinde capax diuinitatis per participationem.

10 Secundum argum. anima Christi D. erat infinitè sancta per gratiam vnionis; ergo frustra ponitur gratia sanctificans. Antecedens constabit ex dicendis dubijs sequentibus. Conseq. probatur, nam vbi est sanctitas infinita, non potest fieri additio alterius sanctitatis finitæ, infinito namque nulla fieri potest additio. Resp. concedendo antecedens, & negando conseq. ad probationem dico, quod sanctitati infinitæ personali non potest fieri additio alterius sanctitatis personalis maioris, bene tamen potest fieri additio alterius sanctitatis accidentalis, finitæ, & diuersi ordinis; cuius est capax anima Christi, & cuius habet necessitatem vt sit principium formale operationis supernaturalis.

11 Tertium argu. nam si gratia habitualis esset necessaria in anima Christi, maximè, vt dicebamus, vt esset principium formale operationis supernaturalis, sed ad hoc non est necessaria: ergo nullo modo. Minor probatur. 1. Quia gratia habitualis non est habitus operatiuus, cum detur ad esse, nec subiectetur in potentijs operatiuis, sed in anima. 2. Nam si gratia esset principium necessarium operationis supernaturalis, iam existens in peccato mortali non posset connaturaliter elicere actum fidei, spei, & timoris, quod est falsum. Nam ideo habitus supernaturales supponunt gratiam, quia supponunt hominem eleuatum ad finem supernaturalem, sed Christus D. per gratiam vnionis est iam sic eleuatus; ergo in ipso non debet supponi gratia habitualis.

12 Resp. quod gratia non ponitur in Christi D. anima vt principium formale proximum operationis, sed vt principium radicale. Cum enim operari sequatur ad esse, oportet quod anima prius habeat esse supernaturale, quam operari. Per quod patet ad 1. probationem. Ad 2. probationem dico, quod existens in peccato mortali non elicit omnino connaturaliter actus fidei, spei, &c. quia licet in peccatore detur respectu illorum actuum aliqua connaturalitas respectu principij proximi, scilicet habitus, nõ tamen respectu principij radicabilis, cui illi habitus debeat conformari, ac proinde habitus fidei, spei, &c. in peccatore, nec sunt omnino connaturaliter, nec operantur omnino connaturaliter, cum non nectantur cum suo principio radicali, à quo formam, vitam, & statum virtutis accipiunt, in peccatore namque fides, & idem dic de spe, mortua est. Ad 3. probationem dicas, quod vnio hypostatica eleuat ad ordinem hypostaticum, vltra quem debet dari gratia habitualis per quam eleuetur ad ordinem gratiæ sanctificantis formaliter, &c.

13 Quartum argum. nam vbi non dantur effectus gratiæ sanctificantis, ibi neque datur gratia sanctificans, sed in Christo D. non dantur effectus gratiæ sanctificantis; ergo neque dari potest gratia sanctificans. Minor probatur, nam præcipus gratiæ sanctificantis effectus, est facere filium Dei adoptiuum, sed iste effectus implicat in Christo; ergo, &c. Resp. concedendo maiorem, loquendo de effectu formali primario, secus de secundario & dispensabili. Deinde distinguitur minor: in Christo non datur effectus primarius gratiæ sanctificantis, negatur: non datur secundarius, conceditur. Datur primarius, qui est facere gratum, sanctum, & Deo carum, sanctitate accidentali, non datur secundarius, qui est facere filium Dei adoptiuum, quia cum iam supponatur filiatio naturalis, non potest dari adoptiua vt infra magis dicemus.

14 Quintum argum. nam gratia ad hoc est necessaria vt homo bene operetur & vitam æternam consequatur; sed ista duo habentur in Christo; ergo in Christo non est necessaria gratia. Maior constat, datur namque gratia ad operandum iuxta illud Apostoli. 1. Cor. 15. *Abundantius omnibus laboraui, non ego autem, sed gratia Dei mecum*. Datur ad consequendam vitam æternam, iuxta illud Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna*. Minor probatur, nam vita æterna debetur Christo vt filio naturali. Bene operari sequitur ad Christum ex eo quod est Verbum, per quod facta

sunt omnia. Resp. concedendo maiorem & distinguendo minorem, Christo D. debetur vita æterna per modum hereditatis, & vt filio Dei naturali, & qua ratione operatur operationes diuinas, conceditur. Debetur quatenus operatur operationes humanas sine gratia, negatur. Per operationes autem humanas non poterat operari operationes formaliter supernaturales nisi gratia informarentur, de quo infra dicemus. Videatur Sanctus Doctor *hic art. 1. ad 2.*

DVBIVM II.

An sit de fide, quod in Christo Dom. fuerit gratia habitualis, & an sit eiusdem speciei cum nostra.

15 PRima sentētia tenet esse de fide, quod in Christo detur gratia habitualis. Sic tenet Suarez *disp. 18. sect. 2.* quæ censura nimis acris visa est Vasquez *disp. 41.* Nazar. hic *controuersia 1.* & alijs, vt testatur Cipullus *q. 7. art. 1. dub. 1. nu. 2.* Secunda sententia tenet esse valde temerarium negare gratiam habitualem in Christo. Cipullus, & alij.

16 Nostra sententia duplici conclus. explicatur. Prima concl. *De fide est quod in Christo D. sit gratia sanctificans, prout nomine gratiæ sanctificantis intelligitur donum creatum sanctificans formaliter, abstrahendo ab eo, quod sit aliquid permanens vel transiens.* Hanc concl. tradunt communiter Theologi, colligitur ex Sacra Scriptura, tradunt Concilia, & Patres. Sic apertè significauit Isaias 42. vbi inducit Patrem æternum sic loquentem. *Ecce puer meus, quem elegi, ponam Spiritum meum super eum.* Facit quod dicitur ab eodem Propheta de Christo. *Requiescet super eum Spiritus Domini*, quod non fit nisi per gratiam, seu nisi per aliquod donum gratiæ. Hinc D. Ambrosius *lib. 3. de Spiritu S. cap. 11.* arguens insipientiam quorumdam hæreticorum sui temporis, qui putabant Christum esse natum de Spiritu S. & negabant esse renatum ex eodem S. Spiritu per gratiam, seu putabant non habere gratiam Spiritus S. sic loquitur. *Magna insipientia est, vt quod singulare est hominum confiteamini, & quod commune est hominum negemini:* Est autem commune hominum esse sanctificatos per gratiam, & hoc negabant hæretici de Christo: singulare est nasci de Spiritu S. & hoc confitebantur. Vnde si quis negaret hāc propositionem. *Anima Christi est formaliter sancta sanctitate interiori*, deberet vt hæreticus puniri.

17 Secunda concl. *Licet non sit proximè, & formaliter de fide, est tamen proximum fidei, aut saltem temerarium dicere, quod in anima Christi non sit gratia habitualis*, sic Cipullus post Vasq. Nazarium, & alios, patet ex dictis à nobis in *tract. de gratia*, vbi diximus, quod non est formaliter de fide quod detur gratia habitualis, licet sit formaliter de fide quod detur gratia vt donum sanctificans, quidquid sit, an sit habitualis nec ne. Nullibi namque est apertè definitum quod detur gratia sub isto nomine habitus, vel habitualis. Dices colligi ex illo verbo Isaiæ *Requiescet*, respond. quod hoc verbum intelligi potest de gratia ad patrandum miracula. Vel requiescet, quia non poterat peccare mortaliter, & sic gratiam illam expellere, quicquid sit an sit habitus.

18 Quantum ad secundum in titulo propositum, an scilicet sit eiusdem speciei gratia Christi cum nostra. Dico 1. *Loquēdo de gratia habituali in esse physico, est eiusdem speciei cum nostra.* Sic tradunt cōmuniter Theologi hoc loco. Colligitur ex illo Apostoli Rom. 8. vbi iusti dicuntur per gratiam *conformes fieri imaginis Filij sui.* Tum quia charitas, & aliæ virtutes sunt eiusdem speciei in Christo, & in nobis, ergo etiam gratia, cum virtutes infusæ pullulent à gratia tanquam illius proprietates, & passiones.

19 Dico 2. *Gratia Christi D. in esse moris, est diuersæ speciei à nostra.* Ratio est, quia gratia Christi est tanti valoris, & virtutis vt sit quoddam generale principium omnis, & cuiuscumque gratiæ, nam propter coniunctionem ad suppositum Verbi, habet quod sit quoddam vniuersale

sale principium omnium aliarum gratiarum; principium autem generale differt specie ab effectibus particularibus.

20 Sed quæres 1. an sit probabilis sententia Ludouici Meratij hoc loco *disp.* 23. *sec.* 4. de qua mentionem fecimus in nostro tract. *de gratia disp.* 1. *q.* 1. *nu.* 9. *ad finem*, quod nostra gratia sit eadem numero cum illa quæ est in Christo D. quatenus Deus ob Christi excellentiam dum in nobis infundit gratiam, non eam nouã educit de potentia animæ, sed eam accipit de Christo, & replicat in nobis, ita quod idem numero gradus gratiæ, qui est in Christo sit in nobis replicatus, vt sic omnes de plenitudine eius accipiamus. Resp. hoc posse quidem fieri cum vna, eademque res possit poni in pluribus locis definitiuè, non circumscriptiuè, an autẽ ita de facto factum sit, nõ video fundamentum ad id asserendum: nam licet ista sententia videatur ex vna parte redundare in Christi D. dignitatem, & nostram, quod illius gratia in nobis replicetur, & nos simus grati eadem numero gratia, qua ille gratus est. Tamen ex alia parte redundare videtur in non leuem irreuerentiam, quod ab hominibus non solũ parui habeatur, sed etiam quod floci fiat, contemnatur, & turpiter per peccata expellatur. Si homines gratiam æstimarent, vt par esset, & vt ad hoc magis excitarentur, posset ea sententia deseruire, posset à concionatoribus prædicari.

21 Quæres 2. an dici possit, quod sãctitas personalis quam humanitas Christi habuit ex persona Verbi, sit consumata, aucta, & perfecta per sanctitatem prouenientem à gratia habitualis. Resp. quod loquendo de sanctitate diuini suppositi, non potest dici augeri, consumari, perfici, cum enim sanctitas suppositi diuini, sit sanctitas diuina, ac proinde infinita, non potest augeri per sanctitatem creatam. Si verò loquamur de sanctitate humanitatis præcisè, potest dici aucta per gratiam habitualem, nam per eam humanitas acquisiuit nouum modum sanctitatis, scilicet gratiam, quæ est forma creata inhærens, sed de hoc infra.

DVBIVM III.

An anima Christi sit Sancta per gratiam habitualem, an per gratiam vnionis.

22 Prima sententia est Petri de Palude, seu Paludani *in* 3. *dist.* 13. *q.* 2. Marsilij *in* 3 *q.* 10. *art.* 1. à qua non dissentit Cabrera *hoc loco disp.* 2. & aliquorum recentiorum, vt testatur Cipull. *hic q.* 7. *art.* 1. *dub.* 2. *n.* 2. qui volunt, quod gratia sanctificãs qua nos formaliter iustificamur, & sancti sumus, fuit absolutè necessaria animæ Christi D. diuino Verbo vnitæ, vt esset sancta, & grata Deo, sanctitate, & gratitudine supernaturali, ex eo, quod sanctitas proueniens ex vnione hypostatica non est formalis, sed tantum remota, & radicalis, quatenus tribuit ius ad gratiam, quæ est formalis sanctitas supernaturalis.

23 Nostra sententia sequenti concl. explicatur. *Anima Christi D. per solam gratiam vnionis seclusa gratia habituali, est singulariter sancta, grata, & accepta Deo sanctitate, & gratitudine supernaturali.* Hanc sententiam sequuntur commentatores D. Thomæ hoc loco, vt testatur Cipullus loco citato. Non dixi in conclusione quod Anima Christi sit sancta sanctitate formali, sed quod sit singulariter sancta, grata, & accepta Deo, sanctitate, & gratitudine supernaturali. Nam si loquamur de sanctitate propriè formali, Anima Christi D. est formaliter sancta per gratiam habitualem.

24 Pro quo sciendum, quod quantũ ad presens attinet, & docẽt omnes Theologi, sanctitas est duplex, *Personalis* scilicet, & *formalis*. Sanctitas personalis, est illa quæ prouenit à persona Verbi, quæ etiam solet appellari substantialis, ad distinctionem formalis, quæ est accidentalis. Sanctitas formalis, est illa quæ prouenit à gratia quæ est forma inhærens in anima. Anima namque per gratiam tanquam per formã inhærentem, & sibi inexistentem redditur potens elicere actus supernaturales. Istæ duæ sanctitates conueniunt,

niunt,& differunt. Conueniũt primò, quod proueniant ab aliquo reali,& physico, non tantum moraliter, sed etiam physicè vnito eidem animæ; persona namque diuina est physicè vnita humanitati,& etiam gratia sanctificans est in eadem anima physicè: Secundò conueniunt, quod animam eleuant ad aliquod esse diuinum. Differunt primò, quod persona Verbi eleuat ad esse diuinum personale, seu hypostaticum. At gratia eleuat ad esse diuinum participatum, & accidentale. Differunt 2. quod persona Verbi vnitur solum terminatiuè, at gratia vnitur per informationem. Modo ergo dicimus, quod anima Christi non est solum radicaliter sancta quatenus per vnionem hypostaticam fit sancta tantum radicaliter, seu quatenus persona Verbi est radix sanctitatis, sed est verè, & propriè sancta, accepta, & Deo grata per ipsam vnionem hypostaticam.

25 Probatur 1. ex Sacra Scriptura. Psalm. 44. dicitur. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Vbi nomine vnctionis intelligitur nõ quælibet sanctificatio, sed illa quæ habetur per vnionem hypostaticam, vt colligitur ex Apost. *ad Habreos* 1. & Danielis 9. ibi. *Vngatur Sanctus Sanctorum.* Habetur etiã nostra concl. ex illo Ioan. *Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemo, quia filius Dei sum.* Vbi illud. *Quem Pater sanctificauit,* idem est, ac quem Pater Christum fecit, conferendo sanctitatem per vnionem hypostaticã.

26 Probatur 2. nam illud est propriè sanctum quod habet ius ad vitam æternã, ergo Christus D. ex vi vnionis hypostaticæ habet verum, & proprium ius ad vitam æternam; ergo Christus D. ex vi vnionis hypostaticæ habet veram, & propriam sanctitatem. Maior constat, nam ideo gratia habitualis confert veram, & propriam sanctitatem, quia confert ius ad vitam æternam, vita namque æterna non potest fundari, nisi in sanctitate, cum in illam ciuitatem nihil coinquinatum intrabit. Minor probatur, nam Christus D. ex vi vnionis hypostaticæ est verè, & propriè filius Dei naturalis, ac proinde habet verum, & proprium ius ad æternam hæreditatem, iuxta illud Apost. ad Galat. 4. *Quod si filius, & hæres per Deum.* Tum quia ideo gratia sanctificans confert ius ad æternam hæreditatem, quia facit filiũ Dei adoptiuum; ergo cum vnio hypostatica faciat filium Dei naturalem, à fortiori dabit ius ad eandem hæreditatem: ius namque ad hæreditatẽ est strictius in filio naturali, quam in adoptiuo.

27 Probatur 3. nam tale est constitutum, quale est constitutum, sed constitutiuum personę Christi est verè, & propriè sanctum, scilicet persona Verbi diuini, quæ est verè, & propriè Deus; ergo etiam constitutum, scilicet Christus erit verè, & propriè sanctum. Tum quia illud est sanctum, in quo nullum est peccatum, nec esse potest, sed persona Christi, eiusque humanitas nullum habet peccatum, nec habere potest, cum sit omnino impeccabilis, vt infra ostendemus; ergo, &c.

28 Probatur 4. quoniam illud est propriè sanctum, & Deo gratum, quod est obiectum diuinæ dilectionis, seu quod à Deo simpliciter, & verè diligitur, sed anima Christi D. simpliciter, & verè diligitur à Deo ratione vnionis hypostaticæ; ergo, &c. Minor probatur, nam anima Christi D. per vnionem hypostaticam trahitur ad esse diuinum, quod est bonum simpliciter infinitum. Confirmatur, nam per illud anima Christi D. habet esse sancta per quod fit, quod eius operationes sint infiniti valoris; sed operationes Christi, eiusque animæ habent, quod sint infiniti valoris ex vnione hypostatica, ergo ab illa habet anima Christi, quod sit sancta. Soluuntur argum. in contrarium.

29 Primum argu. Reddere sanctum, & gratum Deo sanctitate supernaturali, est effectus gratiæ habitualis; ergo non potest ab alio procedere: effectus namque vnius formæ non potest nisi ab illa forma procedere. Antecedens probatur, nam omnes Theologi assignant vt effectum gratiæ, reddere sanctum, & gratum Deo. Resp. distinguendo antecedens. Reddere

dere sanctum, & gratum Deo sanctitate accidentali, & participata, est effectus gratiæ habitualis, conceditur: sanctitate personali, qua ratione vnio hypostatica reddit animam Christi D.& totam humanitatem sanctam, negatur, iste namque effectus est proprius solius personæ diuinæ.

30 Secundum argu. Potest poni vnio hypostatica absque eo, quod ponatur sanctitas; ergo sanctitas non potest esse effectus vnionis hypostaticæ. Consequ. constat; si enim sanctitas esset effectus vnionis hypostaticæ, vbicumque ea poneretur ille effectus, & denominatio sanctitatis poni deberet; effectus namque proprius formæ, semper sequitur formam. Antecedens probatur, nam demus, quod Verbum æternum assumeret naturam irrationalem, tunc non communicaret illi sanctitatem, cum non communicaret ius ad gloriam; ergo communicatio sanctitatis non est effectus vnionis hypostaticę. Resp. negando antecedens: implicat enim, quod ponatur vnio hypostatica, & non ponatur sanctitas personalis. Ad probationem dico, quod si Verbum assumeret naturam irrationalem nō communicaret illi ius ad gloriam ratione incapacitatis; nec sanctitas personalis est ipsum ius ad gloriam, sed confert ius ad gloriam in subiecto capaci.

31 Tertium argum. quoniam, vt cōmuniter tradunt Theologi, potuit Verbū diuinum assumere naturam puram; si enim Deus creasset hominem in puris naturalibus sine vllo dono gratuito supernaturali, & absque eo quod eleuasset ad ordinem supernaturalem, adhuc potuisset naturam humanam sic puram assumere, si enim Deus potest assumere naturam irrationalem, à fortiori assumere potest naturam humanam puram; sed in tali casu nō eam sanctificaret sanctitate personali, cum aliunde esset capax iuris ad gloriam, & illud non tribueret, aliàs non assumeret puram naturam; ergo, &c. Resp. quod si Verbum diuinum assumeret naturam puram, illam sanctificaret sanctitate personali, vnde illa natura prius fuisset pura, non tamen postea, nisi in hoc sensu, quod vltra sanctitatem personalem nullū aliud supernaturale donum haberet, & tunc per eam sanctitatem personalem haberet ius ad gloriam.

32 Quartum argum. nam sanctitas, & gratitudo supernaturalis important aliquid productum, aliquid factum, & creatum; ergo non potest procedere à persona Verbi diuini. Antecedens notum est, cum de nouo ponatur cum prius nō esset; sed persona Verbi nihil ponit in humanitate, neque in anima; ergo neque humanitas, neque anima possunt dici sancta à persona Verbi. Resp. quod licet sanctitas, & gratitudo supernaturalis formalis importent aliquid productum, &c. non tamen sanctitas, & gratitudo personalis, hęc enim non affert, nisi terminationem humanitatis, & animæ, non aliquid in illis productum, & inhærens, aut informans.

DVBIVM IV.

An anima Christi, eiusque humanitas ratione santitatis personalis, sit adeo sancta, adeoque grata, vt tantum placeat Deo, quantum ipsa Verbi persona, & ipsa diuinitas.

33 Partem affirmatiuam tenet Pater Ludouicus Mæratius *hic disp. 6. sect. 5. Verbo tertia* vbi vt probet quod opera Christi sint infiniti valoris, & soluat argu. in contrarium sic dicit. *Respondeo secundo, tantum placere Deo Christi opera bona, eiusque humanitatem, quantum placet ipsa diuinitas. & actus increatus: nec mirum, cum sanctitas, & dignitas operum, & humanitatis, ob quam tantopere ipsi placent, ipsam formaliter diuinitatis dignitatem, & sanctitatem includat, tanquam formam, à qua in genere causæ veluti formalis, denominatione saltem extrinseca, infinitè digna, sanctaque denominantur.* Hæc Mæratius. Cœterum, vt vides, iste auctor destruit se ipsum, nam si humanitas, & opera ab illa procedentia, sunt infinitè digna, & infinitè sancta denominatione extrinseca, desumpta à personalitate Verbi, quę non

non est forma intrinseca, sed extrinseca humanitati, & operibus illius, licet humanitatem intrinsecè terminet, quomodo possunt esse æquè sancta, & æquè Deo placere, sicut diuina essentia, & ipsa Verbi persona, quæ sunt intrinsecè, & essentialiter, & à se sancta, & non tantum terminatiuè.

34 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Anima Christi, & humanitas illius non tantum placent Deo, quantum placet persona Verbi diuini, & ipsa diuinitas, ratione sanctitatis personalis.* Hæc sententia est communis inter Theologos, vt testatur Cipullus *q.7.art.1.dub.3.n.1.*

34 Probatur 1. nam opera humanitatis Christi non sunt ita sancta, nec ita Deo placent sicut ipsa persona Verbi, nec sicut ipsa diuinitas, nec sicut actus Dei increatus; ergo neque ipsa Christi anima, & humanitas ita placent Deo, nec sunt ita sancta, sicut ipsa Verbi persona; & diuinitas. Conseq. nota est, est enim per illum auctorem eadem ratio de operibus meritorijs humanitatis, & de ipsa humanitate. Antecedens probatur, nam opera humanitatis Christi D. habebant quidem valorem infinitum ratione cuiusdam reflexionis supra suppositum Verbi, vel secundum quod suppositum est circunstantia operis, vt supra vidimus, sed persona Verbi, diuinitas, & actus increatus habent dignitatem à se, non ratione reflexionis super aliud, ergo, &c. Certè magis perfectum est, & magis sanctum, quod est tale à se, quàm id quod est tale per aliud. Tum quia essentia diuina, persona Verbi, & actus increatus sunt sancta non solum à se, sed etiam sanctitate physica, at sanctitas, & valor operum Christi non sunt infiniti valoris à se, & valore physico, sed tantum morali; ergo, &c.

36 Probatur 2. nam illud est magis sanctum quod magis à Deo diligitur; sed magis diligitur à Deo persona Verbi, & natura diuina quàm humanitas Christi D. eiusque anima; ergo, &c. Maior nota est; Minor probatur, nam illud magis diligitur quod necessario diligitur, quam id quod solum diligitur liberè, & facta aliqua suppositione; sed persona Verbi, & natura diuina diliguntur necessariò, & natura humana liberè, & solum ex suppositione; ergo &c. Maior nota est, quod enim ex plenitudine cognitionis necessariò diligitur, signum est, quod habeat omnem bonitatem, & nullam respuibilitatem: at id quod liberè diligitur signum est, apud non habet omnem bonitatem, sed aliquam respuibilitatem. Minor etiam nota est, nam humanitas Christi non diligitur infinitè, absolutè, & necessariò, sed ex suppositione vnionis hypostaticæ, ac proinde liberè; vnde absolutè potest nō infinitè amari, cum absolutè, & de potentia absoluta posset dimitti; ergo, &c. Vnde Deus diligit infinitè, & necessariò humanitatem Christi D. solum in sensu cōposito, & ex suppositione vnionis hypostaticæ. At Verbi diuini personam, & naturam diuinam absolutè, & in sensu diuiso, & nulla facta suppositione diligit infinitè, summè, & necessariò.

37 Probatur 3. nam Deus amat, & æstimat humanitatem, & animam rationalem Christi D. propter vnionē ad Verbum; ergo multo magis amat ipsum Verbum. Conseq. constat ex illo proloquio communi. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*, ergo si propter vnionem, seu propter Verbem, Deus amat animam rationalem, & humanitatem, multo magis amat ipsum Verbum. Antecedens etiam constat, nam præcisa vnione ad Verbum, Deus non amaret Christi humanitatem infinitè, nec eius opera sibi infinitè placerent, nec essent infiniti valoris; ergo si amat infinitè, & infinitè æstimat, est ex vnione ad Verbum; ex coniunctione ad Verbum, & ratione Verbi. Soluuntur argum. in contrarium.

38 Primum argum. nam humanitas, & anima Christi vt sancta, sanctitate personali, seu substantiali includit Deitatem, seu ipsam naturam diuinam, & Verbi personalitatem; ergo non minus, sed æquè amat, & æstimat Deus humanitatem, vt sanctam sanctitate personali quam ipsam naturam diuinam, & Verbi personalitatem. Conseq. constat, quod enim includit

dit Deitatem, & Verbi personalitatem, non potest minus diligi quàm diligatur ipsa Deitas, & personalitas. Antecedens probatur, quia humanitas vt sancta sanctitate essentiali, & personali diuina, non potest non includere sanctitatem, & personalitatem diuinam; ergo, &c. Resp. quod humanitas, & anima Christi, est sancta sanctitate essentiali, & personali non includit diuinitatem, & personalitatem Verbi vt formam, & vt conficiunt vnum physicum, sed solum vt connotatum, & vt terminum, ac proinde non sequitur, quod Deus tantum diligit humanitatem vt sanctam sanctitate personali, ac diligit ipsum Verbum. Deus namque minus diligit humanitatem vt sanctam, quam diligat Verbum; humanitas namque vt sancta, est aliquid creatum formaliter, licet terminatiuè sit Deus. Si tamen *ly vt sancta* faceret sensum reduplicatiuum supra Verbi diuini personam, tunc æquè diligeretur, sed cum sensum non propriè facit, sed solum reduplicat humanitatem sub termino, seu sub Verbo terminante, ac subinde hoc modo, & non vt forma intrinseca tribuente sanctitatem.

39 Secundum argu. Vnumquodque est tantæ bonitatis, & amabilitatis, quantæ est id quo redditur bonum, & amabile; sed id quo humanitas redditur bona, & amata, est Verbum diuinum quod est summæ, & infinitæ bonitatis; ergo humanitas est tantæ bonitatis, & amabilitatis, quantæ est Verbum. Mensura namque bonitatis alicuius regulatur ab eo, quod dat bonitatem. Resp. distinguendo maiorem: quantæ est id quo redditur bonum quando id quo aliquid redditur bonum communicatur illi vt forma intrinseca, cōceditur, quando solum communicatur per modum termini, negatur. Quando enim communicatur per modum puri termini, vt in nostro casu, humanitas non trahit ad se diuinam bonitatem, sed potius trahitur ab illa, & sic humanitas dicitur bona vt tracta, vt eleuata ad bonitatem diuinam, non vt trahens ipsam bonitatem diuinam, ac proinde bonitas diuina non est forma humanitatis, sed potius terminus illius. Vel dicas, quod licet humanitas sit bona bonitate diuina, non tamen est necesse, quod sit ita bona ac illa, cum humanitas non sit capax recipiendi diuinam bonitatem secundum omnem bonitatem illius, non enim est capax vt fiat ens à se, vt sit bona per essentiam, &c. sed solum vt ab ista terminetur.

40 Tertium argu. nam persona Verbi diuini, & humanitas Christi D. idem dic de eius anima sanctissima, amantur à Deo vno, & indiuisibili actu; ergo æquè amantur. Antecedens probatur, nam Deus vnico, & indiuisibili actu amat totū Christum, cum enim sit vnica tantum persona, vnico actu amari debet. Resp. concedendo antecedens, & negando conseq. Deus namque vno, eodemque indiuisibili actu amat se ipsum, & creaturas, & tamen inæqualiter amat, iuxta mensuram bonitatis. Si tamen accipiatur hoc coniunctum ex Verbo, & humanitate, tunc æquè intensiuè amantur, extensiuè tamen magis amantur Verbum, & humanitas, quam solum Verbum. Vnde diximus 1. p. quod Deus extensiuè plus amat se ipsum, & vniuersum, quam se ipsum solum.

DVBIVM V.

Quomodo personalitas Verbi sanctificet humanitatem.

41 PRo intelligentia huius dubij notandum 1. quod *sanctitas* ex D. Dyonisio *de diuinis nominibus. cap. 12. Est ab omni scelere, libera, perfectaque ac omni ex parte incontaminata puritas* Notandum 2. quod vox *sanctus* apud Latinos originem habet à sanguine, eo quod olim quicquid Deo dedicabatur, sacrificiorum sanguine aspergebatur, vt testatur Apost. *Hebr. 9.* & manifestum est ex lib. Exodi *cap. 24.* & *Leuit. 16.* Etiam apud Gentiles fædera sanguine confirmabantur. Et sanctum propriè dicitur, quod Deo dicatur. Hinc facta translatione, sancti dicuntur, qui pij, ac religiosi sunt, tanquam Deo, rebusque diuinis singulariter dediti. Qua etiam ratione omnis Christianus dicitur

sanctus, quia baptizatus, nam per baptismum Deo consecratur, *Rom. 6.* & totus populus Christianus dicitur gens sancta. 1.*Petri 2.* apud Græcos nomen *sanctus* à cultu, & veneratione dicitur. Sanctus etiam dicitur, quod firmum, ac stabile est, vt non sit licitum illud abolere, hoc modo leges dicuntur sanctæ. Hoc tamen loco sanctum dicitur, quod est purum, & immaculatum, ab omni scelere liberum, ab omni parte incontaminatum, & purum.

42 Loquendo ergo de sanctitate in hoc sensu, sciendum, quod in Verbo incarnato tres possunt concipi sanctitates. Prima est essentialis, estque propria ipsius diuinæ essentiæ, vt distinguitur ab attributis, quæ etiam vocatur sanctitas radicalis, quatenus diuina essentia est radix attributorum, & sanctitatis eorum. Secunda vocatur sanctitas moralis, aut etiam formalis, estque ipsamet diuinæ voluntatis rectitudo tam in amando, quam in liberè operando ad extra, conformatio namque voluntatis effectus cum lege æterna, est vera, & perfecta sanctitas. Tertia vocatur transcendentalis, & reperitur in omni ente diuino, ac proinde vbi est ens diuinũ ibi est vera sanctitas, cum conceptus entis diuini sit conceptus entis puri, & omnino immunis ab omni labe.

43 Demum sciendum, quod in Christo D. ista distingui possunt, scilicet essentia diuina, propria subsistentia, seu personalitas prout virtute distinguitur ab essentia, & modus vnionis quo humanitas Verbo diuino vnitur. Modo quæritur à quo sanctitas humanitatis oriatur, an ab essentia diuina, vt virtute distincta à personalitate, an ab ipsa personalitate, vt virtute distincta ab essentia, an ab vtraque simul, & an etiam à modo vnionis.

44 Prima sententia est, quod tota sanctitas humanitatis à sola diuina essentia oriatur, sub conceptu essentiali. Hanc sequitur *hic disp.41.cap.1.* Vasquez, Turrianus *tract. de gratia disp. 1. de natura gratia habitualis dub. 6. & 7. & in selectis p. 1. disp.4.dub.3.& 4.* & alij. Secunda sententia est quod sanctitas proximè, & immediatè reperta in humanitate, est à personalitate Verbi diuini. Sic Nazar. *controu. 2.concl.4.* Lorca *disp. 36.* Tannerus *disp.1. q.5.dub.1.n.14.* Lugo *disp.17.sect.2.* & alij.

44 In hac re conueniunt omnes, quod diuinitas eo modo quo humanitati vnitur, eodem modo tribuit illi sanctitatem, & sic cum non vniatur immediatè per se ipsam, sed media persona Verbi. Conueniunt etiam omnes, quod infinitas sanctitatis quam Concilia, & Patres tribuunt humanitati, non oriatur à modo vnionis, hic enim cum sit finitus, & limitatus, non potest tribuere humanitati, nisi finitam, & limitatam sanctitatem.

45 Dubium ergo præsens procedit de ipsa Verbi diuini personalitate, an scilicet personalitas Verbi diuini sanctificet humanitatem, seu an tribuat sanctitatem humanitati, ita quod sanctitas humanitatis oriatur proximè, & tanquam à forma, seu quasi forma sancta ab ipsa Verbi diuini personalitate. Pro quo sciendum, quod essentia diuina transcendit omnia diuina, vt 1. p. pluries ostendimus; transcendens autem induit naturam rei quam transcendit, nam essentia diuina in attributis, est sub conceptu attributorum, in relationibus, est sub conceptu earum. Vnde diuina essentia & in se est sancta, & cõceptu sanctitatis tribuit attributis, & relationibus, sub earum conceptu, nam essentia sub proprio conceptu est sancta sanctitate essentiali, & in personalitate est sãcta sanctitate personali, ac proinde Verbi diuini personalitas erit sancta sanctitate personali, & licet hanc sanctitatem personalem non habeat à se sub expresso conceptu v. g. filiationis, & sub expresso conceptu *Ad* tamen in ipso. *Ad* est sanctitas à diuina essentia illud transcendente, & eam illi communicante, sub ratione ipsius *Ad*. Vnde absolutè, & simpliciter verum est dicere, quod diuina personalitas est sancta sanctitate personali, & per hanc sanctificat Christi humanitatem cui vnitur. His positis.

46 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Persona, seu personalitas Verbi diuini sanctificat immediatè Christi humanitatem.* Hanc concl. tenent communiter

Theo-

Theologi, & præsertim illi qui admittunt transcendentiam diuinæ essentiæ, licet teneant, quod diuinæ relationes secũdum conceptum formalem, & expressum *Ad* non dicant perfectionem, de quo diximus cum nostris Salmant. in tract. de Trinitate, & alibi.

47 Probatur 1. nam id immediatè sanctificat humanitatem, quod sui communicatione eam eleuat ad esse diuinum, tribuitque verum ius ad æternam beatitudinem, sed Verbi diuini personalitas eleuat humanitatem Christi cui vnitur, ad esse diuinum, tribuitque verum ius ad beatitudinem; ergo Verbi personalitas immediatè sanctificat humanitatem. Maior nota est, sola namque sanctitas tribuit vis ad æternam beatitudinem, & eleuat ad esse diuinum siue per paticipationem, siue per essentiam. Minor etiam nota est; nam ipsa Verbi personalitas est quoddam esse diuinum, tribuit filiationem, naturalem ac proinde ius ad gloriam tamquam ad hæreditatem ex vi naturalis filiationis debitam.

48 Probatur 2. quia, vt dicebamus, essentia diuina licet non transcendat, & non sit in personalitate sub conceptu essentiæ, est tamen in ea per modum transcendentis, illique tribuit sanctitatem hoc modo, quatenus in personalitate tribuit sanctitatem personalem; ergo personalitas Verbi vt sancta sanctitate personali, facit humanitatem cui vnitur sanctam sanctitate personali. Transcendens namque est tale iuxta talitatem rei quam transcẽdit. Tum quia personalitas Verbi à diuina essentia per modum transcendentis habet quod sit diuina, quod sit ens diuinum; ergo habet quod sit sancta; ens namque diuinum cum sit immune ab omni impuritate, & ab omni labe, habet quod sit sanctum, imò ipsa sanctitas per essentiam.

49 Probatur 3. quoniam illud est formaliter sanctum, quod adoratur adoratione latriæ; sed Verbi diuini personalitas adoratur adoratione latriæ, vt virtualiter distinguitur ab essentia diuina sub formali, & expresso conceptu essentiæ: ergo, &c. Maior nota est, quod enim est sanctum propter se, & non propter aliud adoratur propter se, & non propter aliud: adoratur propter suam excellentiam, & non propter aliquid sibi annexum. Minor etiam nota est, nam vt constat ex prȩfatione Missæ Sanctissimæ Trinitatis, Ecclesia tribuit adorationem latriæ ipsis diuinis personalitatibus, seu proprietatibus personalibus, vt ab essentia diuina condistinguuntur. Sic enim tunc canit Ecclesia. *Vt in confessione vera, sempiternaque Deitatis, & in personis proprietas, & in essentia vnitas, & in maiestate adoratur æqualitas*, &c.

50 Probatur 4. Nam Concilia, & Patres videntur tribuere sanctitatem humanitatis ipsi Deitati, cum dicunt humanitatem Christi fuisse Deificatam. *Christum esse natura sanctum, essentialiter sanctum*, & essentia namque diuina est radix omnis sanctitatis, vel sub proprio conceptu, vel sub conceptu transcendentis. Tũ quia sola essentia diuina est prima radix æternæ beatitudinis: Deus namque est beatus per essentiã, quæ non conueniunt relationibus nisi ratione essentiæ transcẽdentis.

51 Probatur 5. quia si personalitas Verbi v.g. esset à se sancta vt non includit diuinam essentiam, sed secundum suum conceptum formalem, & expressum, & vt fungitur officio personalitatis, & subsistẽtiæ, sequeretur, quod dici posset, quod personalitas Verbi dum terminat diuinã essentiam, eamque facit subsistere, tribueret illi sanctitatem, eamque sanctam constitueret; hoc dici non potest; ergo, &c. Si ergo subsistentia Verbi non tribuit sanctitatem diuinæ essentiæ, neque eam tribuet naturæ humanæ.

52 Igitur personalitas Verbi diuini, cum sit infinitè sancta, non quidem à se, sed à diuina essentia per modum transcẽdentis sanctificat infinitè humanitatem. Cæterum essentia diuina vt mediatè vnita humanitati, etiam mediatè illam sanctificat; eo namque modo eam sanctificat, quo illi vnitur. Illi qui volunt, quod sanctitas est attributum distinctum à diuina essentia, dicent quod hoc attributum sancti-

ctificat humanitatem, & immediatè, vt transcendit diuinam personalitatem, & mediatè vt transcendit diuinitatem, non tamen immediatè per se ipsum.

DVBIVM VI.

An sanctitas humanitatis Christi D. sit infinita.

53 PRima sententia est, quod sanctitas, quam humana natura habet ex personalitate Verbi diuini non potest dici infinita simpliciter, cum non sit sanctitas per essentiam, sed personalis, & quodammodo per participationem. Sic tenent aliquod recentiores; extra Scholam D.Thomæ, vt testatur Cipullus *q.* 7. *art.* 1.*dub.*4. Nostra sententia sequenti explicatur conclusio.

54 *Sanctitas quam natura humana immediatè habet à personalitate Verbi diuini licet non sit sanctitas per essentiam, sed personalis, non tamen dici potest per participationem, ac proinde absolutè, & simpliciter est infinita.* Hæc concl. est communis inter Theologos vt aduertit Hurtado *disp.*47. *sect.* 6. est vera, & sustinenda, vt docet Cipullus *q.*7.*art.*1.*dub.*4.*n.*3.

55 Probatur 1. Humanitas Christi D. est capax infinitæ sanctitatis, & personalitatis Verbi diuini est potens illam causare media vnione cum eadem humanitate; ergo de facto eam habet. Quod personalitas Verbi diuini possit causare sanctitatē infinitam, constat, nam sanctitas in hoc casu non causatur à personalitate Verbi in genere causæ efficientis, sed quasi formalis, scilicet per vnionem eiusdem personalitatis ad humanitatem; ergo cum personalitas Verbi diuini de facto vniatur humanitati, de facto causabit suam sanctitatem in illa, seu eam communicabit. Quod autem humanitas sit capax infinitæ sanctitatis probatur, nam humanitas eo modo est capax infinitæ sanctitatis Verbi, quo est capax personalitatis eiusdem Verbi, sed est capax illius personalitatis; ergo etiam illius sanctitatis.

56 Probatur 2. nam humanitas non est minus capax sanctitatis infinitæ ex diuini Verbi personalitate, quam sint illius opera capacia infiniti valoris ex eadem Verbi diuini personalitate; sed de facto opera Christi recipiunt valorem infinitum ex dicta personalitate Verbi; ergo etiam humanitas accipiet infinitam sanctitatem ex eadem Verbi personalitate. Maior nota est, tam enim sunt quid finitum opera Christi satisfactoria, quam sit quid finitum humanitas; ergo si finitas illorum non impedit valorem infinitum, neque finitas istius impediet sanctitatem infinitam. Minor constat ex dictis supra de satisfactione operum Christi, & tradunt omnes. Tum quia in tantum opera Christi erant infinitè satisfactoria, in quantum procedebant ab humanitate infinitè digna, ac proinde infinitè sancta ratione coniunctionis ad suppositum Verbi; ergo multa magis ipsa humanitas erit infinitè digna, infinitèque sancta.

57 Probatur 3. nam illa sanctitas, quam recipit humanitas ex vnione ad personam Verbi diuini nō est simpliciter finita; ergo est simpliciter infinita. Conseq. constat. Antecedens probatur, nam forma, aut quasi forma dans sanctitatem humanitati, est simpliciter infinita, ergo sanctitas data erit simpliciter infinita. Conseq. constat, nam non est à quo sanctitas Verbi diuini limitetur: si enim ab aliquo limitaretur, maximè ab humanitate, sed ab humanitate limitari non potest; ergo à nullo. Minorem probo, nam tunc humanitas limitaret sanctitatem personæ diuinæ, quando eam reciperet vt formam propriè dictam, quatenus humanitas haberet rationem subiecti, de cuius ratione est limitare formam, sed personalitas Verbi diuini nec sic recipitur in humanitate, nec recipi potest, sed solum illi vnitur per modum puri termini sine vlla informatione; sine vlla receptione; ergo, &c.

58 Probatur 4. nam si humanitas ex vi vnionis hypostaticæ ad Verbum non sanctificaretur infinitè, posset eius sanctitas esse maior non solum extensiuè, sed etiam intēsiuè si assumeretur ab omnibus tribus personis diuinis; hoc est falsum; ergo,

ergo, &c. Minor probatur, nam si magis tunc sanctificaretur, deberet eleuari ad maiorem dignitatem, excellentiam, sanctitatem, ad maiorem gloriam, &c. sed hoc est falsum, ergo, &c. Minor probatur, quia vna persona diuina cum sit infinitè sancta, infinitè digna, infinitè excellens, &c. habet tantam dignitatem, &c. quantò habeant omnes simul, & omnes simul non habent maiorem, quam singulę; ergo vna debet tantam sanctitatem tribuere, quantã tribuerent omnes simul, quod verum non esset si humanitas ab vna solam finitam sanctitatem reciperet. Soluuntur argum. in contrarium.

59 Primum argu. quia tanta est sanctitas humanitatis Christi, quantum est ius ad gloriam quod eadẽ humanitas habet: sanctitas namque fundat ius ad gloriam, & fundat iuxta quantitatem illius: vnde ius ad gloriam non potest esse maius, nec minus, sed æquale sanctitati; sed ius ad gloriam, quod habet humanitas Christi non est infinitum, vbi enim implicat gloria infinita, etiam implicat ius ad illam: quod autem implicet gloria infinita, constat, quia non potest dari lumen creatum infinitum vt ex dictis 1.*p.disp.*12. constat. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem, habet namque humanitas Christi D. ius ad infinitam gloriam si daretur, sed quia nec datur, nec dabilis est, ideo tanta gloria sibi datur, quanta de potentia ordinaria dari potest, quid autem dicendum sit de potentia absoluta, ex infra dicendis patebit.

60 Secundum argum. si humanitas esset infinitè sancta, maximè quia Verbi personalitas à qua sanctificatur, est infinitè sancta; sed hæc ratio est nulla; ergo, &c. Minor probatur, nam personalitas diuina est sanctitas per essentiam, & tamen non facit humanitatem sanctam per essentiam. Pariformiter natura diuina est sancta per essentiam, & tamen hanc sanctitatem per essentiam nõ tribuit humanitati mediatè, quam mediatè sanctificat. Deitas est Deus *vt quo*, seu constituit Deum, & tamen non constituit Deum humanitatem; ergo, &c. Resp. concedendo maiorem; & negando minorem. Ad probationes in contrarium resp. quod licet personalitas Verbi sit sancta per essentiam, & natura diuina sit sancta per essentiam, &c. non tamen tribuunt humanitati sanctitatem per essẽtiam, quia humanitas est quidem capax sanctitatis, sed non sanctitatis per essentiam. Vel dicas, quod ad hoc vt humanitas fieret sancta per essentiam, oporteret quod personalitas diuini Verbi, & naturæ illi communicaretur per vnionẽ, quæ esset identitatis, quod fieri non potest.

61 Tertium argum. illa sanctitas non est infinita, qua maior illa assignatur, sed sanctitate humanitatis Christi potest maior assignari; ergo non est infinita. Maior nota est, quod enim est infinitum, non potest habere maius, aliàs non esset infinitum. Minor etiam nota est, nam sanctitas personalitatis diuinæ, & sanctitas naturæ diuinæ est maior sanctitate humanitatis, est enim sanctitas per essentiam, est sanctitas necessaria, quæ non potest non esse, est sanctitas à se. At sanctitas humanitatis, est sanctitas liberè à Deo causata, ac proinde libera, est sanctitas quæ potest non esse, non est à se; ergo, &c. Resp. distinguendo maiorem: illa sanctitas non est infinita qua maior excogitari potest, & qua maior assignatur, in eodem genere, conceditur: in diuerso genere, negatur. Sanctitas ergo humanitatis in genere, seu linea sanctitatis personalis est talis qua maior assignari non potest. Cæterum in diuerso genere maior assignari potest, & est sanctitas essentialis, & à se.

DVBIVM VII.

An humanitas, seu anima Christi D. sine gratia habituali, cum sola gratia vnionis, potuerit elicere actiones meritorias, premij supernaturalis.

62 Conueniunt 1. Theologi hoc loco, quod gratia habitualis fuerit necessaria animæ Christi D. hypostaticæ Verbo diuino vnitæ ad connaturaliter eliciendos actus quoad substantiam super-

supernaturales. Ratio clara est, quia gratia sanctificans est principium tum formale, tum effectiuum radicale actuum quoad substantiam supernaturalium. Sicut enim intellectus, non potest connaturaliter elicere actus supernaturales fidei sine eorum principio formali, quo compleatur, idem dic de voluntate, ita ne anima, nisi compleatur cum suo principio radicali, quod est gratia sanctificans, qua radicaliter constituitur operatiua, seu productiua operationum supernaturalium. Operationes namque supernaturales, debent in eodem ordine habere tum principium proximum, tum radicale, sicut & operationes naturales.

63 Conueniunt 2. Theologi communiter, quod anima rationalis Christi D. vt vnita Verbo diuino ad hoc vt connaturaliter operaretur vltra gratiam habitualẽ, indigebat gratia actuali ad exercendos actus quoad suam entitatem supernaturales. Ratio clara est, quia anima Christi per vnionem hypostaticam non est facta potentior ad agendum quàm sit anima nostra, nec gratia habitualis Christi tribuit maiorem vim in esse physico, quàm gratia nostra; sed anima nostra vltra gratiam habitualem indiget auxilio actuali ad eliciendos actus supernaturales, ergo & anima Christi. Tum quia nec gratia vnionis, nec gratia sanctificans tribuunt animæ actu operari, ergo ad hoc vt anima Christi transiret à posse operari, ad actu operari, indigebat aliquo, quo ab actu primo, ad actũ secundum traheretur.

64 Sed dices, quod anima Christi D. erat actu beata, sed beati in cœlo nulla indigent gratia auxiliante, cum sufficiat clara Dei visio, & amor beatificus, ergo, &c. Resp. quod licet beati non indigeant gratia excitante in ordine ad actus visionis, & amoris beatifici, indigent tamen gratia adiuuante etiã quoad omnes actus necessarios, sicut & nos in linea naturali indigemus non auxilio excitante, seu preueniente, indigemus tamen auxilio naturali adiuuante, iuxta illud Christi D. *sine me nihil potestis facere*. Indigent tamen beati quoad actus liberos quarum eliciunt gratia excitante, & adiuuante, cum nec visio beatifica, nec amor beatificus fungantur propriè officio gratiæ excitantis, & præuenientis, licet in actu primo sint motiuum grauissimum ad benedicendum, & laudandum Dominum in omnibus actibus etiã liberè à beatis exercitijs.

65 His positis. Prima sententia est, quod ad hoc vt anima Christi D. eliceret absolutè actus supernaturales meritorios vitæ, seu præmij supernaturalis, non indigebat gratia habituali, sed sibi sufficiebat vnio hypostatica. Sic tenent Durand. *in 2. dist.* 18. Capreol. *dist.* 19. Driedo *de captiuit. & redempt. generis humani tract.* 2. *cap.* 2. *p.* 3. & alij relati à Cabrera *hic disp.* 3. quibus addo Isambertum *ad q.* 7. *disp.* 3. *art.* 1. Vbi duo dicit. Primò, quod Christus D. absque gratia habituali, potuit per potentiam Dei absolutam exercere actus supernaturales quoad substantiam. Secundò, quod etiam poterat de potentia ordinaria exercere aliquos actus meritorios de condigno bonorum supernaturalium, qui solum essent supernaturales quoad modum, & quoad entitatem naturalem.

66 Secunda sententia tenet quod ad hoc vt operationes Christi essent meritoriæ præmij supernaturalis non acquiretur gratia habitualis, sed sufficiebat gratia actualis. Hanc tenent Cabrera *disp.* 3. Cipullus *q.* 7. *art.* 1. *dub.* 5. vbi duo dicit: primò quod requiratur gratia actualis. Secundo *n.* 9. quod absolutè præcisa gratia habituali, adhuc Christus D. posset elicere actus meritorios præmij supernaturalis citat Scotum, Zumellum, Medinam, & Aluarez, qui tamen per gratiam actualem non intelligunt auxilium gratiæ, sed aliquid inhærens animæ actualiter, tantum, non habitualem.

67 Nostra sententia seq. concl. *Operationes Christi D. non poterant esse meritoriæ præmij supernaturalis, sine gratia habituali. Quocirca nisi dignificarentur à gratia habituali, cum sola dignificatione quam habebant à supposito, non poterant esse meritoriæ præmij supernaturalis*. Hæc est expressa sententia D. Thomę *q.* 7. *art.* 1. vbi sic

sic quæri. *Vtrum in anima Christi sit aliqua gratia habitualis*, & respondet affirmatiuè dicens. *Respondeo dicendum quod necesse est ponere in Christo gratiam habitualem propter tria.* Et postea concludit sic. *Et ideo oportet quod haberet gratiam.* Et ad 1. sic dicit. *Anima Christi non est per suam essentiam diuina, vnde oportet quod fiat diuina per participationem, quæ est secundum gratiam.* Et in solut. 2. ait. *Vnde oportebat, quod attingeret ad Deum per actum fruitionis creatum, quidem esse non potest nisi per gratiam: sed quia præter operationem diuinam oportet poni in eo operationem humanam, oportuit in eo esse habitualem gratiam per quam huiusmodi operatio in eo esset perfecta.* Si operatio humana sine gratia habituali non potest esse perfecta, quomodo potest esse meritoria de condigno præmij supernaturalis. Idem repetit *ad* 3. Vnde ista est communis sententia Theologorum, & potissimè Thomistarum, qui absolutè docent requiri in Christo D. gratiam sanctificantem, ad sanctificandas formaliter eius operationes vt sint meritoriæ præmij supernaturalis, nec sufficere gratiam vnionis. Et licet aliqui vt Aluarez *disp.* 31. videantur contenti aliqua gratia actuali, volunt tamen eam esse inhærentem animæ quia putant posse dari gratiam habitualem per modum actus, dispositionis, & transeuntis, quæ licet secundum statum sit transiens, tamen secundum essentiam, sit habitualis, sicut dicitur de lumine gloriç per modum transeuntis, quod est eiusdem rationis, & speciei cum lumine gloriæ, quod est habitus, licet non habeat statum habitus.

68 Tamen iste modus loquendi non placet, licet enim putem dari lumen gloriæ per modum transeuntis, puto tamen non posse dari gratiam santificantem per modum transeuntis. Nam cum gratia detur in anima, & detur ad esse, & non ad operari, non potest habere modum transeuntis, cum esse tum in ordine naturali, tum in ordine supernaturali sit stabile, ratum, & firmum. Tum quia gratia est participatio diuinæ essentiæ, seu diuini esse; ergo debet esse firma, & stabilis. Vnde nisi per peccatum expellatur, nunquam desinet esse, ac proinde non potest dari per modum transeuntis. Sed quicquid de hoc sit.

69 Probatur 1. concl. ratione desumpta ex D. Tho. loco cit. *ad* 1. Nam ad hoc vt operatio sit meritoria præmij supernaturalis debet esse ordinis supernaturalis, seu debet procedere à principio supernaturali, & diuino; sed *anima Christi non est per suam essentia diuina*; ergo *oportet, quod fiat diuina per participationem, quæ est secundum gratiam*. Sunt verba Diui Thomæ. Maior nota est, nam inter meritum, & præmium debet esse consensio, ac proinde debent esse eiusdem ordinis, quocirca per opera naturalia nisi referantur in finem supernaturalem, ac proinde nisi fiant ordinis supernaturalis, saltem quoad modum, seu relationem in finem supernaturalem, non potest quis mereri præmium supernaturale. Minor etiam nota est, præterquam quod est D. Thomæ. Vbi autem anima non est diuina per participationem nec operationes ab illa procedentes possunt esse tales: operari namque diuinum supponit esse diuinum.

70 Probatur 2. nam operationes humanæ Christi D. non recipiunt, nec recipere possunt intrinsecam supernaturalitatem à supposito diuino; ergo vt sint meritoriæ debet dari gratia habitualis à qua fiant supernaturales, vel quoad substantiam, vel saltem quoad modum. Conseq. constat. Antecedens probatur. Nam subsistentia Verbi diuini non est forma supernaturalis operationum humanarum Christi, nec ab illa referuntur in finem supernaturalem; ergo ab illa non accipiunt supernaturalitatem entitatiuam, neque modalem: non entitatiuam: nam operationes Christi naturales, non fiunt supernaturales quoad substantiam, sicut nec anima, nec potentiæ illius, per ipsam assumptionem, sed vt prius erant in entitate relinquuntur, licet anima eleuatur ad esse personale diuinum. Neque modalem, quæ est relatio in finem supernaturalem, cum Verbi personalitas non eleuet ad finem supernaturalem, sed ad esse supernaturale

perna-

pernaturale: eleuat ad ordinem hypostaticum, non ad ordinem gratiæ formaliter. Tum quia non est subsistentiæ referre in finem supernaturale, sed animæ radicaliter, & voluntatis proximæ per habitum charitatis, qui gratiam supponit.

71 Probatur 3. Ad hoc vt opus sit meritorium præmij supernaturalis nō sufficit quod suppositum sit gratum, & acceptum Deo, sed requiritur quod habeat supernaturalitatem, vel entitatiuam, vel saltem modalem, vt ex motiuo supernaturali, aut ex relatione in finem supernaturalem; At licet Christus D. sit infinitè Deo gratus, infinitè carus, infinitè acceptus, eius tamen operationes sine gratia habituali nec sunt entitatiuè supernaturales, nec modaliter; ergo sine gratia habituali non possunt esse meritoriæ, &c. Minor probatur, nam licet actiones sint suppositorum, tamen præsupponuntur potentiæ intrinsecè completæ, in eo ordine in quo operari debent, sed sine gratia non possunt potentiæ operatiuæ Christi esse completæ in ordine supernaturali, cum operari supernaturale supponat esse supernaturale; ergo, &c. Soluuntur argum. in contrarium.

72 Primum argum. ad hoc vt aliqua actio sit meritoria præmij supernaturalis sufficit quod sit moraliter bona, & eliciatur à persona Deo grata; sed in Christo D. seclusa quacumque gratia habituali eius operationes essent moraliter bonæ, & elicerentur à persona Deo infinitè grata; ergo essent meritorię pręmij supernaturalis. Resp. negando maiorem, vt enim ex dictis constat, ad hoc vt actio sit meritoria præmij supernaturalis requiritur quod sit entitatiuè supernaturalis, vel quod sit supernaturalis saltem quoad modum, seu relationem in finem supernaturalem, siue hæc relatio sit formalis, siue virtualis, siue eminentialis, quæ non nisi à gratia esse potest, de cuius ratione est, quod media sua informatione eleuet animam, potentias, & operationes earum in finem supernaturalem, nisi ab eo sponte ab operante retrahuntur; suppositum autem Christi, cum non sit forma informans, & eleuans animam, & potentias, & operationes, non eleuat ad esse supernaturale formale, sed tantum ad ordinem hypostaticum, seu ad esse supernaturale substantiale, quod esse potest sine dicta supernaturalitate, vt putet si personalitas Verbi assumeret naturam lapidis, tribueret enim tunc esse ordinis hypostatici, non ordinis gratiæ, qui incipit à gratia, quæ est vita supernaturalis, cuius est capax substantię intellectualis, non alia.

73 Secundum argu. Id quod est valoris meritorij, & satisfactorij infiniti, est etiam meritorium præmij supernaturalis; sed precisa quacumque gratia sanctificante opera Christi sunt valoris meritorij, & satisfactorij infiniti, ex infinita dignitate suppositi; ergo sunt etiam meritoria præmij supernaturalis. Resp. concedendo maiorem si procedat de valore ad merendū, & satisfaciendum pro aliquo in ordine supernaturali, quod enim in ordine supernaturali est meritorium, & satisfactorium infinitè, est etiam meritorium præmij supernaturalis infiniti. Deinde negatur minor, opera namque Christi sine gratia sanctificante non essent valoris infiniti ordinis supernaturalis, sed naturalis tantum.

74 Tertium argum. Opera Christi ad hoc sine gratia sanctificante haberent valorem infinitum ad merendum, & satisfaciendum in ordine supernaturali; ergo ad hoc possent mereri præmium infinitum in ordine supernaturali. Conseq. constat. Antecedens probatur, nam valor operum Christi est supernaturalis; vel enim valor operum Christi D. ex ipsa Verbi diuini persona, quæ tanquam principium, *quod* operum, seu actionum, se habet vt quasi forma illas dignificans, vt aliqui volunt. Vel est aliquis modus immediatè eis cōmunicatus ab ipsa Verbi persona, & alij volunt. Vel est respectus ipsorum operum specificatus à persona Verbi tanquam à termino essentialiter inspecto, sed quouis modo explicetur est supernaturalis, ergo, &c. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico esse respectum dictorū operum ad personam Verbi tanquam ad ter-

terminum inspectum, siue ratione cuiusdã reflexionis, siue ratione cuiusdam conditionis ad agendum; ex hoc tamen non sequitur quod iste valor præcisa gratia sanctificante sit supernaturalis. Rationem assignat Aluarez dicta *disp. 31. ad confirmat. 1. argum.* quia suppositum Verbi non communicat immediatè, & formaliter intrinsecam supernaturalitatem actionibus Christi, sed mediante principio formali *quo*, quod est gratia. Secundum se namque solum terminat actiones Christi, & est principium *quod*, non *quo* tribuens intrinsecam supernaturalitatem.

75 Quartum argum. quo conuincitur Cipullus est, nam vt aliqua actio sit meritoria præmij supernaturalis, nil aliud requiritur ex parte ipsius, nisi quod ordinetur in finem supernaturalem, & liberè eliciatur à persona grata; sed præcisa gratia habituali, actiones Christi ordinarentur in finem supernaturalem, & esset à persona grata; ergo, &c. Minor probatur, nam præcisa gratia habituali posset Deus conferre Christo D. auxilium actuale supernaturale, quo eliceret actus intrinsecè supernaturales, vel dirigeret actus naturales in finem supernaturalem; ergo, &c. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dico, quod per auxilium actuale potentia non completur, nec in actu primo, nec in actu secundo ad agendum, cum auxilium actuale non detur ad complendam potentiam, sed ad completam mouendam; aliàs posset Deus cum solo auxilio actuali, sine lumine gloriæ, siue per modum permanentis, siue per modum transeuntis mouere intellectum ad videndum Deum, quod negant communiter Thomistæ vt 1. *p. disp. 12.* vidimus.

DVBIVM VIII.

An in Christo D. fuerit plenitudo gratiæ, & an eam habuerit in instanti suæ conceptionis.

76 NOn procedit dubium præsens de plenitudine gratiæ in lata quadã significatione prout significat quãdam gratiæ abundantiam, quo sensu Sanctus Stephanus vocatur plenus gratia. Sed procedit de plenitudine gratiæ, tum quoad intensionem, tum quoad effectum, quæ secundum D. Thomam *hic art. 10.* est duplex. Prima ex parte subiecti tantum, vt cum quis tantam habet gratiæ intensionẽ, quantã requirit munus singulare ad quod specialiter ordinatur à Deo. Sumpta similitudine ad vos, quod tunc censetur plenum aliquo liquore, quando de eo tantum habet, quantum capere potest. Secunda est ex parte ipsius gratiæ, vt cum quis non solum habet gratiam, quam eius officium postulat, sed eam habet in tanta abundãtia, & excellentia in quanta habere potest tam in se, quam in ordines ad suos effectus.

77 His positis. Veritas catholica sequenti concl. explicatur. *Christus D. habuit gratiæ plenitudinem, tamen ex parte subiecti secundum intentionem, quam ex parte effectus secundum extentionem.* Sic tradit S. Doctor *art. 9. & 10.* quem omnes expositores sequuntur. Quod Christus D. habuerit plenitudinem gratiæ ex parte subiecti, seu quod gratia Christi fuerit summè intensa habetur Ioan. 1. vbi Verbum incarnatum vocatur *Plenum gratiæ, & veritatis.* Quod autem habuerit etiam plenitudinem gratiæ ex parte effectus, seu in ratione extensionis, colligitur ex eo quod tradit idem S. Euangelista ibid. *Et de plenitudine eius omnes accepimus.* Ex quibus testimonijs inferunt omnes Theologi, quod Christus D. talem ac tantum habuit gratiæ habitualis plenitudinem, qualis, ac quanta, imò maior nunquam fuit concessa, vel aliquando concedenda de potẽtia ordinaria creaturis intellectualibus.

78 Rationem elegantem, assignat S. Doctor *art. 9.* nam quantò aliquod receptiuum est propinquius causæ influenti, tantò abundantius recipit effectum illius, sed anima Christi D. inter omnes creaturas rationales propinquius coniungitur Deo gratiam influenti; ergo &c. Præterea, quia Christi anima recipit gratiam vt ex ea quodammodo trãsfunderetur in alios,

debuit habere maximam gratiam; sicut ignis qui est causa caloris in omnibus calidis, debet esse maximè calidus. Demum quia gratia data fuit Christo tãquam cuidam vniuersali principio in genere habẽtium gratiam, sed virtus primi principij debet esse tanta, vt possit se extendere ad omnes effectus illius generis, sicut Sol, quia est causa vniuersalis generationis se extendit ad omnia quæ sub generatione cadunt; ita, &c.

79 Sed quæres 1. an sit verum principium S. Doctoris quod Christus D. sit vniuersale principium gratiæ, seu quod gratia Christi sit vniuersale principium omnium effectuum gratiæ absolutè? Resp. hanc difficultatem dependere ex illa, an gratia Christi fuerit principium gratię collatæ Angelis, & nostris primis parentibus in statu innocentiæ? De qua re dicemus infra *adq.* 19. Pro nunc dicimus quod saltem quoad aliquid est principium omniũ effectuum gratiæ.

80 Quæres 2. in quo sensu verum sit quod dicit S. Doctor *art.* 10. quod plenitudo gratiæ ex parte gratiæ, sit propria Christi D. non plenitudo gratiæ ex parte subiecti? Resp. quod plenitudo gratiæ ex parte gratiæ dicitur propria Christi, quia solus Christus D. habuit gratiam in maxima excellentia qua haberi potest, & in maxima extensione quoad omnes eius effectus. Cæterum plenitudo gratiæ ex parte subiecti non dicitur propria Christi, quia plenitudo gratiæ ex parte subiecti est secundum D. Thomam plenitudo secundũ mensuram à Deo præfixam, & secundum quod requirit vniuscuiusque status, quomodo conuenit etiam alijs à Christo.

81 Quæres 3. quomodo verum sit quod dicit S. Doctor quod plenitudo gratiæ ex parte gratiæ est propria Christi D. cum dicãt plures Sancti Patres vt Irenæus *lib.* 3. *contra hæreses cap.* 33. August. *ser.* 11. *&* 17. *de natiuit. & ser.* 35. *de sanctis.* Hier. *in Epist. ad Eustach.* Anselm. Bernard. & alij, pluribus in locis quod vniuersa gratiarum genera nobis per B. Virginem proueniant? Resp. quod licet omnia gratiarum genera proueniant nobis per Virginem, tamen gratia Christi aliquos habet effectus, quos non habet gratia Virginis: gratia Christi constituit æqualitatem iustitiæ commutatiuæ inter Deum, & hominem, quod non habuit gratia Virginis: gratia Christi reddit Deo æqualem gratiarum actionem pro beneficijs acceptis, quod non fecit gratia Virginis: gratia Christi meruit nobis gratiã de condigno, quod non fecit gratia Virginis. Vel dicas, quod Sancti Patres dum dicunt, quod vniuersa genera gratiarum nobis proueniunt ex Virgine, intelligendi sunt, medio eius filio Christo D.

82 Quantum ad 2. in titulo dubij propositum, an scilicet gratia habitualis fuerit infusa animæ Christi in instanti suæ conceptionis, communis resolutio est affirmatiua, cum enim sit quodammodo effectus, & quasi passio gratiæ vnionis, debuit eodem tempore simul cum gratia vnionis infundi. Colligitur ex illo Isa. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eius Spiritus D.* Virga florens de radice Iesse, est B. Virgo concipiens. Flos ascendens est Virginis conceptus, & super hunc florem conceptum requiescet Spiritus S. per gratiam, & alia sua dona. Colligitur etiam ex illo Luc. 1. *Quod enim ex te sanctum nascetur, vocabitur filius Dei*, vbi de prima natiuitate loquitur, seu conceptione. Vnde Spiritus S. inuisibiliter descendit super Christum in conceptione, visibiliter autem in Iordane. Vide infra *n.* 98.

DVBIVM IX.

An Christi D. gratia fuerit infinita.

83 SEx modis intelligi potest, quod gratia Christi sit infinita. Primò in genere entis, & qualitatis. Secundò ratione alicuius modi physici intrinseci ipsi gratiæ Christi, eique aduenientis ex coniunctione ad suppositum Verbi, qui gratiam modificando, illi conferat infinitatem. Tertiò, in ratione gratiæ, quatenus scilicet potest præstare aliquem effectum infinitum. Quartò ratione ordinis, & habi-

habitudinis moralis quam habet ad suppositum Verbi. Quintò, per quandam extrinsecam Dei acceptationem. Sextò, in hoc sensu, quod licet tam secundum entitatem, quam secundum intensionem, & extensionem sit finita, tamen dicatur infinita, quatenus secundum potentiam ordinariam, nulla alia gratia potest esse maior.

84 Conueniunt omnes Theologi, quod gratia habitualis Christi D. non sit infinita in omni genere, seu per essentiam aut in tota entis latitudine, cum sit quid creatum, & terminis entis claudatur, scilicet genere, & differentia. Conueniunt etiam omnes quod dicta gratia habitualis Christi D. habeat quandam infinitatem secundum quid, quatenus nihil ei deest de illis quę pertinent ad rationem gratię habitualis, aut quatenus de potentia ordinaria à nulla alia gratia habituali exceditur, aut æquetur. Difficultas est an habeat infinitatem simpliciter, in vno, aut pluribus ex modis nu. præcedenti recensitis, de quo sunt variæ Theologorum sententiæ, quas in sequentibus §§. proponemus, & examinabimus.

§. I. *An gratia Christi D. sit infinita in genere entis physici, seu secundum intensionem physicam.*

85 PRima sententia est, quod gratia Christi D. sit infinita secundum intensionem. Hanc sequitur Maior *in 3. dist. 13. q. 3.* quæ sententia, vt refert Almaynus *ead. dist. q. 1. §. Istis suppositis*, fuit communis Doctorum Parisiensium, à qua ille non omnino abhorret. Ludouicus Mæratius hoc loco *disp. 23. sect. 4.* dicit, quod data probabilitate sententiæ, quod possit dari infinitum in actu, maximè secundum intensionem, sententia Maioris est probabilior, quia Christi D. humanitas est dignissima quacumque gratia habituali possibili, ac proinde infinita in actu si semel possibilis est; aliàs Deus parcior fuisset in tribuenda gratia accidentali, quam substantiali. Ex quo infert Mæratius, esse probabilius, quod lumen gloriæ, & beatifica visio animæ Christi D. sint infinitæ intensionis; si esse possunt, sicut etiam amor beatificus, cum necessario sequatur ad visionem beatificam, idem dicit de habitu charitatis animæ Christi, quod sit infinitæ intensionis. Inclinat autem Mæratius, quod infinitum in intensione dari possit, ac proinde, quod omnia prædicta in Christo D. sint infinita. Et ad finem eiusdem sectionis innuit aliũ modum, quo saluari possit infinitas gratiæ Christi, & graduum illius, quoad replicationem scilicet, eo quod idem gratiæ gradus numero possit in infinitis subiectis replicari.

86 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Gratia habitualis Christi nullo modo est, nec esse potest infinita secundum intensionem, seu in esse physico.* Sic tradit Sanctus Doctor *hic art. 11.* quem sequuntur omnes eius discipuli, & est certissima in Schola D. Thomæ, vt testatur Cipullus *art. 11. dub. vnico*. Sic etiam tenent communiter Scholastici *in 3. dist. 13.* vt testatur Orlandus *tract. 2. disp. 4. q. 1.*

87 Probant 1. aliqui cum Vasquez *disp. 37.* à posteriori ex quibusdam absurdis, nam ex ista sententia sequeretur quod visio beatifica correspondens gratiæ habituali Christi D. infinitæ, esset infinita, ac proinde esset comprehensiua diuinæ essẽtiæ, & sic intellectus humanus Christi D. ita extenderetur, ac intellectus diuinus; hoc est absurdum; ergo, &c. Implicat nãque intellectum creatum comprehendere diuinam essentiam. Cæterum ad hoc absurdum facile respondere possunt aduersarij negando sequelam, nam dato, quòd intellectus creatus Christi D. haberet visionem actu infinitam nõ propterea comprehenderet Deum, cum adhuc non cognosceret quantus cognoscibilis est, nec eum penetraret, quantum est penetrabilis: est autem Deus penetrabilis, & cognoscibilis non solum infinitè, sed infinities infinitè.

88 Secundum absurdum, quod aliqui inferunt ex sententia Maioris est, quod si gratia Christi esset infinitè intensa, non posset amplius intendi, hoc est contra-

rationem gratiæ; ergo, &c. Sic arguit Vasq *disp.* 37. Sed hoc absurdum reicit Cipullus, nam falsum est esse de intrinseca ratione gratiæ quod crescere possit ex bonis operibus; beati namque extra visionem beatam, & amorem beatificum plures, & bonas exercent actiones, per quas tamen gratia eorum habitualis non augetur.

89 Alij probant, quia implicat dari infinitum in actu, tam secundum intentionem, quam secundum quantitatem, &c. Sed hoc fundamentum philosophicum ab aliquibus negatur. Alij etiam probant ex illo Sapientiæ 11. *Omnia fecisti in numero pondere, & mensura*, ac proinde de facto nullum fecit infinitum in actu, quod si Deus facere potuisset, de facto fecisset in nostro casu, ob dignitatem, & ornamentum humanitatis Christi; conueniebat nâque vt illi gratiam infinitam accidentalem tribueret, cui tribuit infinitam gratiam hypostaticam, & substantialem. Nam etiam ad hoc occurrere possunt aduersarij quod ex facto non rectè arguatur ad possibile, & è contra, nec congruentiæ inducunt necessitatem; maximè quia facile possunt assignari etiam congruentiæ in contrarium.

90 Probat Cipullus, nam dato, quod non repugnet gratia infinitè intẽsa adhuc non potest dari in Christo D. nam gratia Christi est gratia capitis, sed gratia capitis non potest esse infinita; ergo, &c. Minorem probat, nam aliàs gratia Christi excederet in infinitum gratiam corporis, scilicet Sanctorum, quod esse nequit quia constitueret corpus difforme, & sine vlla proportione. Sed neque ista ratio conuincit, nam aliàs probaret, quod Christus D. neque potuisset mereri infinitè, neque satisfacere infinitè, &c. aliàs excederet in infinitum meritum, & satisfactionem suorum membrorum, & sic hoc modo cum illis constitueret corpus difforme, & sine vlla proportione.

91 Probat etiam, quia si gratia Christi deberet esse infinita, maximè propter maiorem pulchritudinem, & ornatum animæ illius; at pulchritudo, & ornatus animę Christi esto debuerit esse maximus non tamen infinitus, sicut in simili dicitur de pulchritudine corporis, quod licet debuerit esse maxima, non tamen infinita. Sed nec ista ratio satisfacit, nec conuincit aduersarios, nam diuersa est ratio pulchritudinis corporis, & animæ, nam ista respicit oculos Dei quo sunt potentes sustinere infinitam animæ Christi pulchritudinem. At pulchritudo corporis Christi erat in ordine ad oculos hominum; cum quibus debebat conuersari, qui non sunt capaces videre infinitam pulchritudinem, licet etiam corpus Christi Domini esset capax per Dei potentiam infinitę pulchritudinis.

92 Probat etiam Orlandus, nam dato quod de potentia absoluta sit possibilis gratia infinita, aut infinitè intensa, & tamen non est concedenda animæ Christi, quia vnio hypostatica est finita; ergo gratia habitualis ab illa dimanata est simpliciter, & absolutè finita. Antecedens constat, quia licet ille modus vnionis connectat personam infinitam cum natura humana, & inde participat valorem moralem infinitum, tamen in genere entis est modus finitus in humanitate receptus. Conseq. probatur, quia passio proportionatur principio, à quo dimanat, ergo cum principium gratiæ sit finitum, ipsa quoque gratia erit finita.

93 Cœterum ad hanc rationem facilè occurrere possunt aduersarij; nam gratia habitualis nõ potest esse passio modi vnionis, nec ab illo potest dimanare, gratia namque, & gloria à solo Deo causantur: iuxta illud: *gratiam, & gloriã dabit Dominus*. Solum creatura potest esse causa instrumentalis gratiæ, non principalis, vt ostendi in meo tractatu de gratia, effectus autem non debet commensurari instrumento, sed causæ principali, quæ est Deus.

94 Probatur ergo ex illo communi principio, & communi doctrina, quod forma finiatur, & limitetur per subiectum in quo recipitur, hoc modo. Implicat, quod forma infinita recipiatur in subiecto finito; ergo implicat, quod in anima Christi D. detur gratia infinita, aut infinitè intensa.

sa. Conseq. constat. Cum enim anima sit finita, & limitata, quippe ens creatũ, clausum limitibus generis, & differentiæ, non poterit esse subiectum formæ infinitæ. Antecedens probatur, nam de ratione, & essentia subiecti est limitare formam in eo receptam, ergo implicat, quod in subiecto finito, & limitato detur forma infinita, & illimitata, aliàs limitaretur illa forma, & non limitaretur, cum esset infinita; reciperetur in illo subiecto, & non reciperetur, sed esset forma irrecepta; cum recipi sit limitari, & recipere, sit limitare. Soluuntur argumenta in contrarium.

95 Primum argum. nam Ioan. 3. dicitur, quod spiritus, scilicet gratia sit data Christo absque mensura. *Dedit ei spiritum non ad mensuram*; si non ad mensuram ergo infinitam, solum namque infinitum est sine mensura. Resp. quod gratia dicitur data Christo, non ad mensuram, quia fuit summa possibilis de potentia ordinaria; fuit enim intentior omni gratia data Angelis, & omnibus hominibus.

96 Secundum argum. non potest assignari ratio cur gratia non possit esse infinita quantum ad suam intensionem, ergo potuit esse in Christo. Conseq. constat; in Christo namque id omne poni debet, quod ad maiorem sui perfectionem, & ornamentum spectat. Antecedens probatur, quia diuina omnipotentia est in omni genere infinita, ergo potest facere quod non implicat contradictionem; in hoc autem casu nulla apparet contradictio. Resp. contradictionem iam esse assignatam in nostra ratione, esset enim finita, & non finita, limitata, & non limitata, esset forma recepta, & irrecepta esset Deus, & creatura, &c. Quod si semel posset dari gratia infinita deberet concedi animæ Christi; pertinet namque ad infinitam Christi dignitatẽ, vt cui concessa est persona in omni genere infinita, concedatur gratia infinita in solo genere intẽtionis, si semel esse posset.

97 Tertium argum. nam si gratia Christo D. concessa non esset actu infinita, sed tantum finita, non posset reddi ratio cur sit tanta, & non maior; ergo, &c. Resp. nos quidem nescire quanta sit intensio gratiæ Christi, scimus tamen esse tantam, quod de potentia ordinaria non potest esse maior, scimus quod debet excedere omnem gratiam datam, & dandã omnibus creaturis rationalibus, docente Apost. ad Coloss. 1. quod Christus D. *sit in omnibus primatum tenens*, & quod sit *Primogenitus in multis fratribus*. Rom. 8.

98 Quartum argum. nam si gratia Christi D. esset finita, vel illam totam habuisset in instanti suæ conceptionis, vel non. Non primum, cum enim esset finita, poterat augeri, & poterat Christus D. ordinare sua opera ad illius augmentum. Neque secundum, quia vt omnes Theologi docent, gratia Christi non poterat crescere licet eius opera essent excellentissima. Resp. quod erat finita, tamen tanta vt de potentia ordinaria non posset esse maior, ac proinde tota fuit infusa in instanti conceptionis. Vnde licet Christus D. cresceret aliquo modo in sanctitate quadem extensiua per bona opera, non tamen in sanctitate intensiua gratię habitualis, cum esset infusa in tota sua latitudine, & intensione in dicto instãti conceptionis. Ad hoc enim vt crescat in sanctitate habituali, non sufficit quod exerceat actus bonos, & laudabiles ex motiuo supernaturali, sed vlterius requiritur, quod sit capax augmenti gratiæ, quod non contingit in Christo cum illam habuerit in Christo de potentia ordinaria. Sicut neq; etiam beati sunt capaces augmenti gratię, & sanctitatis ratione status beatitudinis. Erat tamen Christus D. capax cuiusdam sanctitatis actualis, quæ consistit in multiplicatione bonorum operum, quo sensu dicitur. *Iesus autem proficiebat sapientia, & ætate coram Deo, & hominibus*. Quod etiam proportione seruata dici potest de beatis.

§. II.

§. II. An gratia Christi D. fuerit infinita ratione alicuius modi physici illi super additi ex coniunctione ad suppositum Verbi diuini.

99 PRima sent. affirmat, sic tenuerunt quidã apud Assuricensem *in sua relect. q. 3. art. 2.* & tenuit quidam Modernus, acriterque defendebat in suis conclusionibus; quia licet implicet dari realitatem actu infinitam, non tamen implicat dari modum physicum infinitum, qui in gratia subiectetur, at infinitatem desumat ex coniunctione ad suppositum Verbi. Deinde arguebat ad hominem contra Thomistas qui admittunt gratiam esse infinitam in genere moris, & tamen hoc genus moris, & nil est aliud quam quidam modus, quædam modalitas infinita, accipiens suam infinitatem per ordinem ad Verbum diuinum, seu ex coniunctione ad Verbum diuinum.

100 Nihilominus non est recedendum à communi sententia, quæ sequenti concl. explicatur. *Gratia Christi non est actu infinita, nec esse potest ratione alicuius modi physici infiniti, qui afficiens, seu modificans gratiam habitualem, eam reddat actu, vel reddere possit infinitam in actu, & simpliciter.* Sic teneat omnes Theologi hoc loco, quatenus absolutè dicunt, quod gratia Christi nec est infinita simpliciter in esse physico, nec esse potest, per quem modum loquendi excludunt etiam dictũ modum physicum.

101 Probatur 1. nam, vt diximus §. præcedenti, implicat dari formam infinitam receptam in subiecto finito; ergo implicat dari modum infinitum receptum in gratia finita, & eam taliter afficere, & modificare, vt reddat infinitam. Antecedens ostendimus §. præcedenti, nam de ratione formæ receptæ est, quod finiatur, & limitetur, hoc enim denotat ipsum recipi, & limitari, quod si non finiatur, & limitetur, erit forma irrecepta; ergo cum dictus modus physicus sit in suo subiecto receptus, non potest esse infinitus.

102 Probatur 2. nã implicat, quod dictus modus sit simpliciter infinitus, si gratia nõ est in se antecedenter infinita; g. &c. Antecedens probatur, nã iste modus nihil est aliud quàm quædam realis, & physica habitudo, seu terminatio gratiæ à supposito diuino, vel tendentia, & respectu quidam transcendentalis gratiæ ad suppositum Verbi, sed ista non sunt actu infinita; ergo. Probatur antecedens, nam neque in anima, ex eo, quod terminatur à Verbo producitur aliquis modus physicus simpliciter infinitus, neque in accidentibus vt in voluntate, & intellectu talis modus physicus producitur ex vnione mediata, seu mediante anima ad Verbum, alias dici posset, quod intellectus, & voluntas Christi essent simpliciter infinita. Neque etiam potest iste modus esse infinitus ex tendentia gratiæ ad suppositum, quia tunc solum esset infinitus secundum quod & terminatiuè, non intrinsecè, ergo, &c.

103 Probatur 3. quia non potest assignari causa efficiens istius modi physici infiniti; ergo non datur; Antecedens probatur, nam non potest iste modus causari efficienter à Verbo diuino, cum Verbum diuinum nihil efficienter causet in humanitate; opera namque ad extra sunt indiuisa Trinitatis. Neque causari potest à tota Trinitate, quia nec datur exigentia, nec necessitas, huius causalitatis, cum opera Christi D. sine isto modo sint infiniti valoris, infiniti prætij, infiniti meriti, & infinitæ satisfactionis, ergo, &c. Quomodo autem in genere moris gratia sit infinita, postea dicemus.

§. III. An gratia Christi sit infinita ratione alicuius effectus infiniti, vel ratione extrinseca acceptationis Dei.

104 QVantum ad primum, est prima sententia, quod gratia Christi sit infinita ratione alicuius effectus per comparationem scilicet ad membra ipsius Christi, licet secundum se sit simpliciter finita. Hanc sententiam sequitur D. Bonau. *in 3. dist. 13. art. 1. q. 2.* Palutios. *eadem dist. vnica*, & alij.

105 Communis sententia seq. concl. explicatur. *Gratia habitualis Christi D. non est infinita ratione alicuius effectus à se pro-*

produxit, vel quem producere possit. Ratio est, nam à gratia nullus effectus infinitus prodire potest, nisi vel in genere causę formalis, vel in genere causæ efficientis; in neutro genere potest producere effectum infinitum; ergo in nullo. Minor probatur, non in genere causæ formalis, quia cum non sit in se infinita, neque causabit effectum formalem infinitum, cum forma nõ causet nisi per dationem sui. Neque in genere causæ efficientis, nam forma secundum se simpliciter finita, non potest efficienter physicè causare effectum simpliciter infinitum cum effectus nequeat excedere virtutem suæ causæ.

106 Dices, causare effectum infinitum simpliciter in genere moris. Sed contra, quia effectus infinitus in genere moris causatur per ordinem ad aliquid infinitum in genere physico, sed gratia non est infinita in genere physico, ergo non potest causare effectum infinitum in genere moris. Maior probatur, nam ideo suppositum Verbi tribuit operibus Christi humanis valorem infinitum in genere moris, quia est infinitum in genere physico; aliàs si possent operationes humanæ habere valorem infinitum in genere moris ab aliquo non infinito in genere physico, potuisset purus homo satisfacere ad æqualitatem pro nostris peccatis, quod supra reprobauimus.

107 Quantum ad secundum, an gratia Christi sit infiniti valoris ratione extrinsecæ acceptationis Dei, cõmunis sententia est, quod extrinseca Dei acceptatio non tribuat infinitatem gratiæ, maximè quia Deus acceptat rem, secundum eius intrinsecum valorem. Tum quia acceptatio extrinseca ad summum tribueret quandam infinitatem extrinsecam, quandem valorem, quandam æstimationem extrinsecam, quæ rei valorem non diminuit, nec auget, sed vt est relinquit.

§. IV. *Secundum quam rationem gratia Christi sit infinita.*

108 QVandam infinitatem admittunt communiter Theologi in gratia Christi D. saltem quatenus nulla alia habitualis gratia potest esse maior de potentia ordinaria Dei, quod enim maius esse non potest, quandam illimitationem, ac proinde infinitatem habere censetur, secundum quandam communem hominum æstimationem. Difficultas est, an gratia in esse gratiæ, seu in esse moris sit simpliciter infinita.

109 Prima sententia negat, dicit enim, quod secundum nullam rationem gratia Christi sit infinita. Sic tenent Scotus, & Durandus *in 3. dist.* 13 *q.* 1. Albertus Magnus *ibid. art.* 7. & Orlandus *tract.* 2. *disp.* 4 *q.* 1. *n.* 11. *&* 12. dicens, quod expositio Victoriæ, & Soti, qui dicunt, D. Thomam *art.* 11. docere gratiam esse infinitam in esse gratiæ merita ab omnibus reicitur, quia esse gratiæ, & esse qualitatis non distinguuntur in gratia realiter, sed sunt eadem entitas concepta secundum diuersas rationes formales; nam esse gratiæ importat rationem specificam gratiæ, esse vero qualitatis rationem genericam, repugnat autem quod gratia sit infinita in ratione specifica, & finita in ratione generica.

110 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Gratia Christi D. est infinita in esse gratiæ, seu moraliter, non in esse qualitatis*. Sic docent S. Doctor dicto *art* 11. quem non solum Victoria, & Sotus, sed omnes D. Thomæ discipuli, Caiet. Medina, Aluarez, Nazarius, Cipullus, Isambertus, & alij omnes hoc loco sequuntur. Vnde non est verũ, quod expositio Victoriæ, & Soti meritò reiciatur ab omnibus. Sanctus Doctor sic loquitur dicto *art.* 11. *Alia est gratia habitualis, quæ potest dupliciter considerari. Vno modo secundum quod est quoddam ens. Et sic necesse est, quod sit ens finitum: est enim in anima Christi sicut in subiecto. Anima autem Christi est creatura quædam habens capacitatem fini-*

finitam. Vnde esse gratia, cum non excedat suum subiectum, non potest esse infinitum. Alio modo potest considerari secundum propriam rationem gratiæ, & sic gratia Christi potest dici infinita, eo quod non limitatur, quia scilicet habet quicquid potest pertinere ad rationem gratiæ, & non datur ei secundum certam aliquam mensuram id, quod ad rationem gratiæ pertinet, eo quod secundum propositum Dei, cuius est gratiam mensurare, gratia confertur animæ Christi, sicut cuidam vniuersali principio gratificationis in humana natura, &c. Vnde non vult solum S. Doctor quod gratia Christi sit infinita, vt vult Orlandus, in esse gratiæ, quia fuit summa possibilis de potentia ordinaria, vel quia fuit principium non solum actus meritorij infiniti, sed etiam ad gratificandos infinitos homines si darentur, nam ex hoc solum colligitur infinitas secundum quid, & extensiua, cum tamen D.Thomas velit infinitatem simpliciter in esse gratiæ, *eo quod non limitetur, quia habet quicquid potest pertinere ad rationem gratiæ.*

111 Cæterum adhuc restat explicandum qualis sit ista infinitas gratiæ in esse gratiæ. Aliqui cum Nazario *hic art. 11. controu. 1. §. resolutio*, volunt D. Thomam loqui de gratia secundum se, vt præscindit à subiecto, & considerata secundum proprium conceptum gratiæ ad eum modum quo dicitur quod si daretur albedo secundum se, separata ab omni subiecto, esset infinita, & huius sententiæ videtur S.Doctor opusc. 2. cap. 115. apud Nazarium sic loquentem. *Si ponatur esse aliqua forma specialis, non in subiecto existens, puta albedo, vel calor, non quidem haberet essentiam infinitam, quia essentia eius esset limitata ad genus, vel speciem, sed tamen totam plenitudinem illius speciei possideret. Vnde secundum rationem speciei absque termino, vel mensura esset habens, quicquid ad illam speciem pertinere potest. Si autem in aliquo subiecto recipiatur albedo, vel calor, non habet semper totum quidquid pertinet ad rationem huius formæ de necessitate, & semper, sed solum quando sic perfectè habetur, sicut perfectè haberi potest: ita scilicet quod modus habendi adæquet rei habitæ potestatem. Sic igitur gratia Christi habitualis, finita quidem fuit secundum essentiam, sed tamen dicitur absque termino, & mensura fuisse, quia quicquid ad rationem gratiæ pertinere poterat, totum Christus accepit.* Sed non habetur infinitas gratiæ nec in esse physico, nec in esse moris, sed solũ quod gratia in Christo habet quicquid pertinet ad specificam rationem, quod etiam in quocumque iusto reperitur, & quod sicut si daretur albedo abstracta ab omni subiecto haberet quandam infinitatẽ, ita & gratia si daretur separata ab omni subiecto, quod in gratia Christi D. non reperitur, cum de facto sit in eius anima.

112 Isambertus *hoc loco ad q. 7. disp. 4. art. 4.* dicit quod infinitas moralis gratiæ consistit in morali habitudine ad suppositum Verbi, quod explicat, quia moralis dignitas alicuius rei attenditur penes dignitatem eorum ad quæ, res illa necessariam habet habitudinem; sed gratia habitualis Christi D. habet necessariam habitudinem ad Verbum diuinum, vt suppositum animæ in qua est; ergo cum Verbum habeat dignitatem infinitam, gratia habebit per habitudinem ad illud dignitatem infinitam.

113 Cæterum secundum istum intellectum gratia Christi non potest dici infinita nisi terminatiuè, nam etiam charitas, & gratia in nobis dicunt necessariam, eo essentialem habitudinem ad Deum, cum per ordinem ad illum specificentur, tum quia illa habitudo cum sit intrinseca gratiæ debet esse finita vt illa, neque ex hoc quod respiciat suppositum cui media anima vnitur non potest dici infinita sicut nec anima, & potentiæ illius. Tum etiam quia etiam alia accidentia humanitatis Christi dicunt ordinem ad suppositum, cui humanitas in qua sunt vnitur, & tamen nemo vocat ea infinita, nemo enim vocat calorem Christi, aut duritiem ossiũ illius, aut molitiem sanguinis ipsius infinita. Nec valet esse disparem rationem inter gratiam, & ista accidentia, quod ista cum non sanctificent, non sunt capacia infinitæ sanctitatis. At gratia cum iam sup-

supponitur sanctificare, potest ex dicta habitudine recipere infinitam rationem sanctitatis. Nam contra est, quia licet dicta accidentia non sint capacia sanctitatis sunt tamen capacia alicuius dignitatis, nemo enim negabit, quod calor in Christo non habeat aliquam excellentiam, quam non habet in Petro.

114 Alij dicunt, quod gratia habitualis in Christo in esse gratiæ habeat infinitatem, quatenus est quædam dispositio ad gratiam vnionis. Dispositio namque medium quoddam est, habens quandam proportionem cum ea forma ad quam disponit, & ad illius ordinem pertinet. Vnde cum gratia vnionis sit infinita simpliciter, consequens est, quod etiam gratia habitualis quæ ad eam disponit, quandam habeat infinitatem; non physicam, quia physicè non disponit, vt physica necessitate humanam naturam ordinet ad diuinam personalitatem, nec vt formam informantem humanitatem, sed vt moralem, & congruam, reddendo congruam humanitatem vt à Verbo diuino terminetur.

115 Nec etiam placet iste modus explicandi infinitatem gratiæ, quia vt supra vidimus cum D. Thoma, humanitas non est assumpta media gratia sanctificante, ac proinde non potest habere rationem dispositionis neque physicæ, neque moralis. Tum quia si semel esset dispositio, vtique esset physica, non quia necessitaret Verbum ad assumendam humanitatem, sed quia esset congrua congruitate physica. Tum etiam quia non est necesse quod dispositio congrua habeat infinitatem ab infinitate formæ, cum enim præcedat formam ad quam disponit, non potest ab ea accipere infinitatem, sicut nec accipit congruitatem, & sufficit quod sit eiusdem ordinis vt dispositio congrua, ac proinde imperfectè, & reductiuè.

116 Alij etiam dicunt, quod infinitas gratiæ deriuatur in gratiam ex vnione mediata illius cum personalitate Verbi diuini; nam sicut humanitas ex vnione immediata ad Verbum recipit infinitam dignitatem, vt docet S. Doctor *infra q.* 48. *art.* 2. *ad* 3. *&* 1. *p. q.* 25. *art. vlt. ad* 4. ita & gratia ex vnione mediata ad idem Verbũ recipiet infinitatem. Sed neque iste modus dicendi satisfacit, nam sicut anima Christi D. ex illa vnione ad Verbum non dicitur infinita, nullus enim eam vocat infinitam, sicut nec intellectum, & voluntatem, quia hæc dignitas animæ non est, quid illi intrinsecum, sed solum extrinsecum, desumptum ex personalitate diuina eam terminante, & non eam vt formam intrinsecè afficiente. Tum quia si gratia ex ista vnione mediata reciperet aliquam infinitatem vtique esset physica, non moralis, cum descenderet ex vnione physica mediata.

117 Quidam iunior sic explicat moralem infinitatem gratiæ in esse gratiæ; nam ideo gratia nostra habet quandam infinitatem secundum quid, quia habet effectum infinitum secundum quid, qui est taliter gratificare suum subiectum, vt faciat illud dignum æterna beatitudine, quę est infinita secundum quid: vnit illud habitualiter cum Deo, & secundum affectum facit, quod si Deus non esset, ex affectu existentis in gratia, poneretur: facit illud potens satisfacere pro suis peccatis per opera ex eadem gratia procedentia, & facit vt sit potens mereri merito ordinis gratiæ. Ita quia gratia Christi est sanctitas quædam formalis, quæ per modum formæ eleuat Christum, non per modum suppositi, vt faciat illud formaliter dignum beatitudine infinita, sed vt vniatur cum Deo summo modo. Facit per modum formæ vt sit potens satisfacere ad æqualitatem pro nostris peccatis: facit vt sit potens mereri merito infinito, &c.

118 Sed neque dictum illius iunioris omnino satisfacit, nam licet requiramus gratiam habitualem ad hoc vt meritum, & satisfactio, & valor operum Christi essent ordinis gratiæ, tamen infinitas valoris, infinitas meriti, infinitas satisfactionis, non habetur à gratia, sed à personalitate Verbi diuini; vnde gratia solum ponit opera Christi in ordine supernaturali formali, & dignitas suppositi confert valorem infinitum. Quocirca diximus supra,

Tt

pra, quod si in Christo non daretur gratia habitualis, meritum Christi esset infinitum, sed in linea naturali, quia personalitas Verbi præcisè non eleuat nisi ad esse personale, non ad esse supernaturale formale.

119 Verus modus explicandi infinitatem moralem, seu in esse gratiæ eiusdē gratiæ Christi D. desumitur ex dictis supra de satisfactione, & valore infinito operum Christi, quod scilicet in tantum opera Christi D. erant infiniti valoris, infiniti meriti, infinitæ satisfactionis, in quantum quod quandam habebant reflexionem supra suppositum, qua ratione ipsum suppositum habet rationem cuiusdam formæ moralis dignificantis opera. Sicut enim infinita dignitas suppositi offensi refundit in offensam infinitam rationem offensæ moralis, ita infinita dignitas personæ operantis refundit in operationes reflexiuas supra suppositum infinitum valorem moralem, infinitam moralem æstimationem, ratione cuius sunt infiniti meriti, infinitæ satisfactionis, ea autem reflexio potissimè consistit in illis operibus, quæ ex sui natura subijciunt suppositum Deo. Cum ergo gratia habitualis in Christo sit talis naturæ, quod sicut in nobis subijcit suppositum nostrum Deo, cum omnibus potentijs, virtutibus, & earum actibus, ita & in Christo D. ac proinde ratione huius subiectionis, suppositum habebit quandam rationem formæ moralis dignificantis gratiam, eamque facientis moraliter in linea gratiæ, seu in esse gratiæ infinitam.

120 Ex quibus patet solutio fundamenti P. Orlandi *n.* 109. relati, quod scilicet in gratia esse gratiæ, & esse qualitatis sint idem, ac proinde cum gratia in esse qualitatis non sit finita, ita neque in esse gratiæ. Hoc enim fundamentum falsum est, cum enim in vera, & communi sententia ens morale, & ens physicum distinguantur realiter, vt patet ex dictis in 1. 2. sequitur, quod etiam in gratia distinguantur. Vnde non est verum, quod gratia in esse qualitatis, & in esse gratiæ distinguantur vt genus, & species, cum tam genus moris, quam genus physicum constituantur per suum genus, & per suam differentiam.

121 Manet ergo ex dictis, quod gratia non est infinita in genere entis, hoc enim modo solus Deus est infinitus. Neque est infinita in determinato genere qualitatis, cum etiam hoc repugnet, vt iam vidimus. Sed est infinita in genere moris, modo explicato *n.* 119.

122 Sed quæres 1. an cū gratia Christi D. sit infinita in genere gratiæ, seu in esse moris, modo explicato, non in esse physico, possit absolutè dici infinita, an debeat dici infinita cum addito, scilicet in esse gratiæ, siue in esse moris. *Resp.* debere vocari infinitam in esse gratiæ, aut moris, si namque absolutè absque hoc addito diceretur infinita, intelligi posset, quod esset infinita in genere qualitatis, aut entis. Dices quod meritum, & satisfactio Christi dicuntur infinita sine addito; ergo etiam gratia poterit dici infinita absque addito. *Resp.* negando conseq. Ratio discriminis est, quia meritum, & satisfactio solum sunt in genere moris, ac proinde cum in eo sint infinita, possunt absolutè dici infinita. At gratia est etiam in genere physico, in quo non est infinita, ac proinde debet dici infinita cum addito, vt eius infinitas restringatur ad genus in quo est.

123 Quæres 2. quare cum gratia Christi sit finita in genere entis, & qualitatis, nullus hominum, nec Angelorum possit eam æquare, cum non implicet, quod finitum æquari possit. *Resp.* id prouenire ex carentia auxiliorum specialissimorum ad ęquandam illam gratiam. Deus namque statuit, quod de potentia ordinaria nulli dicta auxilia darentur ad æquandam gratiam Christi. Cum enim Christus D. sit constitutus exemplar prędestinationis, omnium hominum, & caput, & principiū vniuersale influens gratiam omnibus, non debuit aliquis eum in gratia æquare; plus enim perfectionis debet esse in exemplari, in capite, in principio, quam sit in exemplato, in membris, in riuulis, &c. Cęterum ista magis explicata manebunt ex dicendis dub. seq.

DVBIVM X.

An gratia Christi D. de potentia absoluta potuerit augeri.

124 NOn procedit dubium de gratia in esse gratiæ, seu in genere moris, cum certũ sit hoc modo gratiam augeri non posse, cum sit infinita, vt §. præcedenti visum est; neque procedit de gratia in esse physico in ordine ad potentiam ordinariam, quia vt visum est, gratia Christi D. habuit omnem plenitudinem quam de potentia ordinaria habere potuit, vt docent Sancti Patres, quos fusè refert Melchior Canus *lib.* 12. *de locis Theologicis cap.* 13. quocirca N. S. P. Gregor. Nazian. *Epist.* 1. *ad Cledonium*, exponens fidem catholicam quam omnes tenere debent, dicit. *Si quis Christum ex operibus perfectum non fuisse dixerit, anathema sit.* Tum quia vt infra dicetur Christus D. nihil sibi promeruit quoad animã, & perfectiones in ea existentes, ac proinde non potuit de potentia ordinaria gratia eius augeri, cum gratia non augeatur nisi per opera bona sibi promeritoria. Vnde quando Luc. 2. dicitur de Christo, quod *perficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines*, per sapientiam, & gratiam non intelliguntur habitus, sapientiæ, & gratiæ, sed opera sapientiæ, vt sit sensus, quod Christus D. pro suæ ætatis progressu, perfectiora sapientiæ, & gratiæ opera exercebat. Est namque satis frequens in scriptura opera virtutum appellare nomine proprio ipsarum virtutum, Quo in sensu dicitur à Christo D. quod *Regina Austri venit à finibus terræ, audire sapientiam Salomonis*, vbi per sapientiam non intelligit habitum sapientiæ, sed effectus, seu opera illius. Et Iacobi 1. dicitur. *Religio munda hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum.*

125 De potentia ergo absoluta dubium procedit, an scilicet gratia Christi D. de potentia Dei absoluta possit augeri. Prima sententia negat. Ita Scotus *in* 3. *dist.* 13. Durandus *ibid. q.* 1. & alij, eo principio ducti, quod gratia Christi, & aliqua quæcumque qualitas habet terminum suæ intensionis vltra quem nec de potentia absoluta crescere potest. Eandem sententiam defendunt D. Bonau. *in* 1. *dist.* 17. *q.* 4. Ricardus *ibid. art.* 2. *q.* 4. non quia habet terminum suæ magnitudinis, seu intensionis, sed quia subiecti capacitas non se extendit ad gradum vlteriorem. Caiet. Nazar. & alij, dicunt non posse augeri, quia Deus totam eam concessit Christo D. quam de potentia ordinaria concedere potuit. Hurtadus *disp.* 48. *sect.* 3. dicit non posse augeri, quia est infinita secundum intensionem.

126 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Gratia habitualis animæ Christi D. per potentiam absolutam augeri potest.* Hæc concl. traditur à D. Thoma hic *art.* 12. *ad* 2. dicens. *Posse diuina virtute fieri aliquid maius, aut melius, quàm sit gratia habitualis Christi*. Et infra q. 10. art. 4. dicit. *Non posse dari maiorem gratiam, quàm sit gratia Christi per respectum ad vnionem Verbi, licet absolutè considerando possit esse aliquis gradus altior, sublimiorque secundum infinitatem diuinæ potentiæ.* D. Thomam sequuntur Capreolus *in* 3. *dist.* 13. *q. vnica.* Gabriel. *q. vnica art.* 1. *notab.* 3. *& art.* 2. *in princ.* Medina *hic*, Aluarez *disp.* 36. Suarez *disp.* 22. *sect.* 2. Vasq. *disp.* 47. *cap.* 3. *&* 4. Cipullus *q.* 7. *art.* 12. *dub. vnico.* Oland. *tract.* 2. *disp* 4. *q.* 2. & alij communiter.

127 Probatur 1. omnis qualitas finitè intensa potest magis, ac magis augeri, saltem de potentia Dei absoluta; sed gratia Christi D. est qualitas finitè intensa, ergo de potentia Dei absoluta potest magis, ac magis augeri. Maior probatur, nam si aliqua qualitas finitè intensa non posset magis, ac magis augeri, maximè, quia repugnaret ex eo, quod naturæ suæ sit terminus præfixus, vel ratione incapacitatis subiecti, vel ex defectu virtutis agentis; sed ex nullo ex his capitibus repugnat; ergo nullo modo repugnat. Minor probatur, nam loquendo de gratia, cum ista sit formalis quædam participatio diuinæ essentiæ, quæ est infinitè partici-

Tt 2 pabi-

pabilis, potest semper magis, ac magis participari, sine vllo termino. Deinde non est repugnantia ratione incapacitatis subiecti, quod est anima vt subditur primo agenti per potentiam obedientialem, quæ tantum dicit capacitatem, quanta est actiuitas agentis, quem respicit. Demum non repugnat ratione debilitatis agentis, quia agens est Deus virtutis infinitę; g. &c.

128 Probatur 2. nam si repugnaret gratiam Christi D. augeri de potentia Dei absoluta, maximè quia, vt volunt aliqui aduersariorum, ex augmento destrueretur ratio essentialis constitutiuæ gratiæ, quatenus maius augumentum supra illud quod habet, opponitur essentiali rationi gratiæ; sed hoc est falsum; ergo, &c. Maior constat, cum enim repugnantia non eiciatur ex incapacitate subiecti, quoniam subiectum formale *quo*, est potentia obedientialis, cuius latitudo non desumitur à subiecto *quod*, sed ab agente infinito, sequitur quod debeat desumi ex eo quod tale augumentum destrueret rationem formalem, & essentialem gratiæ. Minor probatur, quia cũ ratio formalis gratiæ sit participatio diuinæ essentiæ, sequitur, quod quantò magis augetur eo magis perficiatur, ac proinde non destruetur.

129 Probatur 3. quia non repugnat, quod lumen gloriæ animæ in Christi magis intendatur, sicut non repugnat, quod intendatur visio beata animæ Christi; ergo neque repugnabit, quod intendatur gratia habitualis eiusdem. Conseq. constat, nam ista tria semper crescunt ad proportionem. Antecedens probatur, nam intellectus Christi D. potest per diuinam potentiam magis penetrare diuinam essẽtiam, & plures cognoscere potest creaturas possibiles, quam de facto cognoscat. Cũ enim intellectus creatus animæ Christi D. non comprehendat diuinam essentiam, nec aliquod attributum illius, negandum non est quin possit magis, ac magis ea penetrare per diuinam potentiam, ac proinde non implicabit, quia habeat lumen gloriæ intentius, & gratiam habitualem intensiorem. Soluuntur argum. in contrarium.

130 Primum argum. qualibet qualitas habet certum suæ magnitudinis terminum, vltra quem nulla potentia augeri potest; sed gratia habitualis animæ Christi est vera qualitas; ergo habet terminum vltra quem augeri non potest. Argumentum est Scoti cuius maior probanda esset. Resp. quod qualitates naturales duobus modis considerari possunt, vt colligitur ex D. Thoma hic *art.* 12. Primò secundum se, & hoc modo non dubium, quin augeri possint. Secundò, vt ordinantur ad subiecti conseruationem, & hoc modo vt loquitur S. Doctor. *Mensura illis præficitur ex ordine ad suum finem*. Vnde cum illarum finis sit conseruare subiectum, seu formam in subiecto, sit vt sic consideratæ sibi terminum præfigant. Cæterum habitualis gratia non est ordinata ad conseruationem subiecti in quo est, ac proinde ex hoc fine nullum sibi præfigit terminum imò cum gratia quanto est intensior, tanto magis perficiat subiectum, sequitur quod potius reposcat terminum sibi non præfigi. Imò dato quod ordinaretur ad conseruationem subiecti, adhuc sequitur quod deberet magis intendi, vt magis, ac magis subiectum conseruaret, cum gratia quanto maior est, tantò melius subiectum perficiat, ac subinde conseruet.

131 Secundum argum. gratia habitualis habet terminum ex parte finis ad quem ordinatur; ergo non potest intendi. Conseq. constat. Antecedens docet Sanctus Doctor *art.* 12. dicens. *Gratiam Christi non posse augeri, quia pertingit ad summam mensuram gratiæ*. Habet namque gratia mensuram suam ex fine ad quem ordinatur; sed per potentiam Dei absolutam non potest dari finis perfectior ad quem gratia ordinetur, quam sit vnio hypostatica; ergo augeri non potest. Respondet Orlandus D. Thomam loqui de potentia ordinaria, non de potentia absoluta; de qua loquimur nos; sed adhuc non soluitur argumentum ex fine desumptum, quod scilicet gratia non possit ordinari neque per diuinam potentiam ad finem perfectiorem quam sit vnio hypostatica. Nec valet dicere cum d. Orlando, quod vnio

hypo-

hypostatica non exigat gratiam summam de potentia absoluta, sed solum gratiam summam de potentia ordinaria. Nam contra est, quia cum vnio hypostatica sit gratia summa de potentia absoluta, sequitur, quod exigat gratiam summam habitualem, etiam de potentia absoluta. Deinde dato, quod vnio hypostatica non requirat gratiam summam de potentia absoluta, adhuc verum est, quod non potest ordinari ad alium finem perfectiorem, ex fine autem qualitatis desumitur terminus illius.

132 Resp. distinguendo antecedens: gratia habitualis habet terminum ex parte finis ad quem ordinatur: ex parte finis primarij negatur: secundarij conceditur. Finis primarius gratiæ est sãctificatio animæ rationalis, ac proinde semper potest esse maior, & maior in infinitum. Finis autem secundarius est, quod ordinetur tanquam effectus ad suam causã ad vnionem hypostaticam: gratia namque qua ratione est forma, primariò, & essentialiter ordinatur ad sanctificandam, perficiẽdam, & ornandam animam. At quatenus est effectus vnionis hypostaticæ, ad illam ordinatur, & hoc modo non potest ordinari ad finem nobiliorem, qua ratione non intenditur, cum intensio accipiatur penes subiectum, cum sit maior quædam radicatio formæ in subiecto, maior quædam possessio, & subiectio subiecti formæ.

133 Tertium argum. Si gratia Christi D. posset magis intendi, etiam gratia puri hominis magis, ac magis augeri posset, ac proinde posset pertingere ad tantam intentionem, quantam habet in Christo D. hoc videtur absurdum, ergo, &c. Resp. concedendo maiorem, loquendo de gratia in esse physico, seu secundum intentionem, & radicationem in subiecto, secus in esse gratiæ, vt ex dictis supra constat.

DVBIVM XI.

An gratia habitualis resultet ex vnione hypostatica vt proprietas, aut passio illius.

134 Occasionem dubij huius debet S. Doctor, dum *hic art.* 13 vult quod gratia habitualis profluat ab vnione hypostatica vt proprietas illius. Sic enim dicit in corpore articuli. *Gratia habitualis Christi intelligitur vt consequens hanc vnionem, sicut splendor solem.* splendor autem consequitur ad solem, sicut illius proprietas. Et Clarius in solut. 2. dicit. *Gratia habitualis non intelligitur vt praecedens vnionem, sed vt consequens eam sicut quadam proprietas naturalis. Vnde & August. dicit in Ench. quod gratia est quodammodo homini naturalis.* Hinc quærunt D. Thomæ expositores, an re ipsa gratia habitualis profluat ab vnione hypostatica vt proprietas illius. Prima sententia tenet, quod re ipsa gratia habitualis animæ Christi sit proprietas gratiæ vnionis. Hanc tenent Medina *hic art.* 10. Cano *lib.* 10. *de locis cap.* 14. & alij. Secunda sententia tenet, quod non sit proprietas dictæ vnionis hypostaticæ, sic Aluarez *hoc loco in explicat. art.* Cabrera *hic disp.* 1. Cipullus *art.* 13. *dub.* 1. qui testatur de communi.

135 Nostra sententia duabus concl. explicatur. Prima concl. *Gratia habitualis considerata in esse gratiæ, seu in esse moris est quædam proprietas gratiæ vnionis, seu vnionis hypostaticæ.* Hanc concl. damus auctoribus primæ sententiæ. Et hoc est, quod intendit S. Doctor in allatis testimonijs. Sicut enim virtutes supernaturales dicuntur profluere à gratia tanquam proprietates illius, ita gratia habitualis intelligitur profluere ab vnione hypostatica, tanquam proprietas illius.

136 Probatur 1. nam gratia habitualis, & D. Thoma dicitur proprietas vnionis hypostaticæ, ex eo quod sit illi debita debito connaturalitatis, sed non est proprietas in esse physico, seu in esse qualitatis, vt in secunda conclusione dicemus; ergo

ergo erit proprietas in esse gratiæ, seu in esse moris.

137 Nec valet respondere cum Cipullo *loco cit. n. 7.* D. Thomam non aliud intendisse, quam gratiam habitualem habuisse respectu Christi modum proprietatis, & fuisse illi debitam ab instanti suæ conceptionis, ratione vnionis hypostaticæ. At quod sit, vel non sit vera proprietas, & propria passio dimans per simplicem resultantiam ex vnione hypostatica, hoc nõ docet. Sed contra, nam S. Doctor apertè docet, quod gratia habitualis consequatur vnionem hypostaticam, vt quadam proprietas; consequi autem vt proprietas, est consequi vt passio; ergo, &c. Tum quia gratia in esse gratiæ, non causatur effectiuè à tota Trinitate, sed causatur ab vnione hypostatica; ergo erit proprietas vnionis hypostaticę.

138 Probatur 2. gratia habitualis in esse gratiæ, seu in esse moris est valoris infiniti, sed hoc modo est proprietas vnionis hypostaticæ; ergo, &c. Maior nota est ex dictis supra. Minor probatur, nam gratia vt est valoris infiniti, debet ab aliquo consequi, seu causari, aut quasi causari, sed non causatur ab alio, quam ab vnione hypostatica; ergo. Cum autem non causetur ab vnione hypostatica in genere causæ propriè formalis, neque per propriam efficientiam, debet causari per quandam resultantiam.

139 Dices, quod resultantia passionum, seu proprietatum reuocantur ad genus causæ efficientis, sed vnio hypostatica nihil ad extra efficit: quidquid enim ad extra efficitur, & quicquid efficitur in Christi D. humanitate, totum à tota Trinitate completur; persona namque Verbi in humanitate nihil sola efficit, licet sola terminet. Sed contra, nam licet persona Verbi nihil in humanitate efficiat physicè, efficit tamen moraliter causando valorem moralem in ea existentem; efficit infinitatem moralem gratiæ, efficit infinifinitatem meriti, & satisfactionis. Mereri autem, & satisfacere, reuocantur ad causam efficientem. Tum quia negari non potest, quin actiones sint suppositorum, quia licet natura sit principium efficiens *quo* immediatum, tamen suppositum est principium *quod*, & in nostro casu suppositum diuinum non influit physicè, in operationes humanas, quia totus influxus physicus à principio *quo* procedit, influit tamen moraliter, influendo valorem infinitum, infinitamque dignitatem moralem.

14 Secunda concl. *Gratia habitualis non est proprietas physica vnionis hypostaticæ seu non profluit secundum esse physicum, seu secundum quod qualitas est ab eodem vnione hypostatica.* Hanc concl. damus auctoribus secundæ sententiæ. Ratio potissima, iam tacta est, quia vnio hypostatica, seu persona Verbi humanitati vnita non potest habere influxum physicum; ergo, &c. Tum quia passiones dimanant secundum totam suam latitudinẽ, nec possunt intendi, seu non possunt excedere primã dimanationem, vt patet in intellectu, & voluntate, nam à principio emanent ab anima secundum totam latitudinem. Patet etiam in calore, & frigore, quæ dimanant à principio secundum gradum octauum, nec vnquam illum excedunt. Tum etiam quia iam gratia non esset habitus; sed potentia; solæ namque potentiæ sunt proprietates, non habitus, nullus enim vnquam vocauit habitus proprietates naturæ.

141 Sed dices, quod virtutes infusæ dicuntur proprietates gratiæ, & tamen sunt habitus; ergo, &c. Resp. quod virtutes non sunt proprietates gratię, qua habitus sunt, sed qua sunt potentiæ operatiuæ; habitus namque supernaturales cum dentur ad simpliciter posse sunt simpliciter potentiæ; & sic consequuntur ad gratiam, quæ est *esse* in linea supernaturali, tamquam proprietates, & potentiæ huius *esse*; omne namque *esse* debet habere suum operari. Cæterum gratia cum non sit operari, nec datur ad operari, sed tantum ad *esse* non potest esse passio alicuius in esse physico. In esse tamen gratiæ potest esse passio, quia est principium morale, seu potentia moralis merendi, satisfaciendi, &c. Soluuntur argumenta in contrarium.

Pri-

142 Primum argum. in anima Christi D. ratione vnionis ad personam Verbi, per simplicem quandam emanationem recipit aliquam physicam perfectionem; hæc non potest esse alia, quam gratia habitualis; ergo gratia habitualis emanat ab vnione hypostatica per modum proprietatis. Minor nota videtur. Maior probatur, quia eo ipso quod res ordinis inferioris coniungitur cum re ordinis superioris ab ipsa re superiori in inferiorem redundat aliqua perfectio; ergo etiam ex coniunctione animæ Christi D. ad personam Verbi debet aliqua perfectio redundare per simplicem quandam emanationem, quæ alia nequit esse quam gratia. Antecedens constat; ex coniunctione namque cogitatiuæ in homine ad intellectum redundat quædam vis discurrendi circa singularia, vt docet S. Doctor 1. *p. q.* 78. *art.* 4. *ad* 5. Item potentia vegetatiua ex coniunctione ad animam sensitiuam participat vim producendi carnem, quod non facit in plantis. Præterea in appetitu sensitiuo ex coniunctione ad voluntatem datur quædam libertas diminuta sufficiens ad peccandum venialiter, vt in 1. 2 vidimus, ergo, &c.

143 Resp. negando maiorem. Ad probationem distinguitur antecedens: ex coniunctione inferioris ad superiorem redditur aliqua perfectio, quando illa coniunctio, est in genere causæ formalis, seu cum superiore potente agere, seu efficienter aliquid producere: conceditur: quando illa coniunctio est solum cum supposito non potente agere, vt in nostro casu contingit, negatur. Cum ergo in nostro casu suppositum Verbi solum terminet humanitatem, & animam Christi D. non producat, nec agat, imò non possit agere physicè, cum actiones ad extra sint indiuisæ Trinitatis, sequitur, quod nullam physicam perfectionem producet in anima Christi D.

144 Secundum argum. non est minoris virtutis gratia habitualis, quàm gratia vnionis; sed ex gratia habitualis dimanant virtutes supernaturales vt passiones illius; ergo ex gratia vnionis emanare poterit ipsa gratia habitualis. Resp. ex dictis, quod virtutes non sunt proprietates gratiæ, qua habitus sunt, sed qua potentiæ sunt. Deinde dico, quod benè potest gratia influere in suas passiones cum sit forma animæ, ac proinde habeat rationem proprijs *quo*, quatenus actio Dei, quæ immediatè terminatur ad animam, mediante anima terminatur ad suas passiones: at in nostro casu personalitas Verbi diuini, nec etiam ipse modus vnionis potest esse principium quo agendi, cum non habeant rationem formæ actiuæ, & licet neque gratia sit forma immediatè actiua, est tamen actiua radicaliter; Deinde simplex emanatio non est actio gratiæ, sed potius Dei, nam qui attingit formam, attingit etiam passiones consequentes formam.

145 Tertium argum. gratia est debita vnioni hypostaticæ debito quodam connaturalitatis, vt tradit S. Doctor loco supra citato; ergo est passio illius. Quod enim est debitus alicui, est connexum cũ illo, ac proinde erit passio illius. Resp. negando conseq. plura namque sunt debita titulo connaturalitatis, & tamen non sunt passiones. Species Angelicæ sunt debitæ Angelo titulo, seu debito connaturalitatis, & tamen non emanant ab intellectu Angelico vt propriæ passiones illius. Motus circularis est debitus cælo, & tamen non est propria passio illius, ita, &c.

DVBIVM XII.

An in Christo D. fuerint virtutes morales per se infusæ.

146 DE virtutibus moralibus præsens dubium procedit, acturi postea de virtutibus Theologalibus. Virtutes morales aliæ sunt acquisitæ, aliæ per se infusæ, quæ proprijs actibus non acquiruntur, sed ex propria earum natura, & conditione postulant infundi à Deo. Virtutes morales per se infusæ sunt in duplici differentia, aliæ sunt, quæ nullam inuoluunt imperfectionem, vt sunt fortitudo infusa, misericordia infusa, iustitia infusa, &c. Aliæ sunt, quæ aliquam includunt imperfectionem, vt sunt continentia, & pænitentia,

tentia, nam continentia cohibet voluntatis motus exorbitantes, qui solent excitari ex impulsu passionum appetitus sensitiui, qui sunt rectè rationi contrariæ. Et pænitentia importat dolorem de peccatis proprijs, quod in Christo D. esse non potest. De istis ergo virtutibus infusis conueniunt omnes quod non fuerint in Christo, de illis solis sermo est, quæ nullam in suo conceptu inuoluunt imperfectionem.

147 Prima sententia est, quod virtutes per se infusæ, quæ nullam in suo conceptu inuoluunt imperfectionem non fuerint in Christo D. Sic aliqui Theologi relati per Paludanum *in 3. dist.* 13. *q.* 2. eo fundamento ducti, quia fuissent superuacaneæ, cum potentiæ animæ Christi D. ex vi vnionis hypostaticæ essēt modo perfectissimo dispositæ ad rectè, promptèque operandum. Huius sententiæ accedit Valentia hoc loco *puncto 3.* quatenus dicit, quod hæc sententia non est in intelligibilis, quia, inquit, intelligi potest, quemadmodum diuinum Verbum, sustentando hypostaticè animam Christi, & consequēter ipsius potentias; infinita suâ potentia supplet vim virtutum infusarum, & præstat illam facultatem rectè, & promptè operandi, ad eum modum quo reddit voluntatem impeccabilem per se ipsum sine virtutum beneficio.

148 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *In Christo D. fuerunt omnes virtutes per se infusæ, quæ in suo conceptu, aut ex parte subiecti nullam inuoluunt imperfectionem.* Colligitur apertè ex sacris litteris, vt ostendit Perrecta, hic tradunt communiter Sancti Patres, & tenent omnes Theologi hoc loco post D. Thomā *art.* 2. Vnde testatur Orlandus, quod hæc conclusio sine temeritate negari non potest.

149 Probatur 1. ratione D. Thomæ dicto *art.* 2. Vbicumque est gratia habitualis, ibi sunt virtutes per se infusæ; in Christo D. fuit gratia habitualis; ergo fuerunt virtutes per se infusæ. Minor nota est ex dictis in præcedentibus dubijs. Maior probatur, nam vbicumque ponitur essentia, debent etiam poni proprię passiones illius sed virtutes per se infusæ sunt propriæ passiones gratiæ habitualis, ab ea namque profluunt tanquam ab essentia; ergo, &c. In eo namque genere in quo datur *esse*, debet dari proportionatum operari, alias *esse* esset frustraneum, ergo cum in linea supernaturali gratia sit *esse*, debet dari suū operari; virtutes autem supernaturales cum sint potentiæ simpliciter, & denuo posse simpliciter, debeat tanquam passiones consequi ad suum *esse*, tanquam illius operari.

150 Probatur 2. quia si in Christo D. non darentur virtutes per se infusæ potentiæ animæ Christi non haberēt in se principia connaturalia actuum earundem virtutum, & sic Christus D. non exercuisset connaturaliter actum supernaturalem fortitudinis; sed hoc dici nequit, ergo, &c. Minor nota est, incongruum namque est dicere, quod potentiæ animæ Christi D. non fuerint principia cōnaturalia actuum virtutum supernaturalium quos adeo frequenter exercebat, vt fortitudinis, misericordiæ, religionis, &c. Imò sine suis virtutibus supernaturalibus non possunt produci illarum actus, cum nullus actus produci possit sine suo principio formali. Maior etiam nota videtur, quia principia connaturalia actuum supernaturalium, nō sunt auxilia supernaturalia, sed habitus supernaturales.

151 Probatur 3. redundat in maiorē perfectionem, & dignitatem Christi D. habere virtutes infusas, quam illis carere, ergo illud, non hoc est Christo D. concedendum. Illud namque est Christo D. concedendum, quod in eius maiorem dignitatem redundat. Antecedens probatur, nam illud cedit in maiorem perfectionem Christi D. quod repertum in hominibus est maximæ perfectionis illorum, sed virtutes infusæ sunt maximæ perfectionis hominum; ergo si ponantur in Christo erunt maximæ perfectionis illius, ac proinde de facto poni debeat, sicut de facto ponuntur in omnibus iustis. Cum enim virtutes infusæ sint veluti quædam matronæ, aut saltem ancillæ, charitati, & gratiæ ancillantes, & deseruientes, sequitur quod

quod vbicumque datur gratia, & charitas omnium virtutum regina, debent dari pedissequæ, seu ancillæ illi deseruientes, & obsequentes, non enim congruit, quod Regina domi maneat, forisque egrediatur sine congruenti seruitute, & comitatu.

152 Probatur 4. est maxima perfectio potentiarum animæ Christi D. quod permanenter sint eleuatè per habitus virtutum infusarum, vt sint semper promptæ & expeditæ ad eliciendos actus supernaturales, quam quod solum sint actu eleuatæ in ordine ad eliciendum actum hic, & nunc, sed dato quod cum solo auxilio, sine habitibus, possint potentiæ animæ Christi elicere actus supernaturales, tamen per auxilium non sunt semper promptæ, & expeditæ, non sunt permanenter aptæ natæ elicere actus supernaturales, sed debent expectare, quod de cælo pluat auxilium, ergo debent dari habitus virtutum per quos potentiæ dictæ sint permanenter eleuatæ, promptæ, & expeditæ ad eliciendos actus supernaturales dictarum virtutum supernaturalium. Soluuntur arg. in contrarium.

153 Primum argum. Virtutes infusæ in Christo D. fuissent superfluæ; ergo non erant dandæ. Conseq. constat nihil enim superfluum in Christo D. poni debuit. Antecedens probatur, nam totum id quod poterat præstari à virtutibus infusis perfectiori modo præstabatur à Verbo diuino, Verbum namque diuinum contulit humanitati vim operandi opera cuiuscumque virtutis. Resp. negando antecedens. Ad probationem negatur iterum antecedens; Verbum namque diuinum præstabat solum vim præstandi, seu operandi bene radicaliter, per modum suppositi, non formaliter; non enim est forma informans proximè, & immediatè potentias, easque eleuans formaliter ad promptè agendum, ac proinde debebant dari habitus virtutum à quibus hoc exequeretur.

154 Secundum argu. nam liberalitas, & magnificentia sunt virtutes morales infusæ cũ procedunt ex motiuo supernaturali, & tamen non fuerunt in Christo D. ergo neque aliæ. Conseq. constat, cum enim in suo conceptu formali non inuoluant imperfectionem, si istæ non ponentur, neque aliæ. Antecedens probatur, nam Christus D. non habuit materiam exercendi has virtutes, non enim habuit diuitias, iuxta illud Matt. 3. *Filius hominis non habet vbi caput reclinet*. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Licet enim non habuerit diuitias, sed eas contempserit, tamen habuit dictas virtutes. Primò, quantum ad actus internos, quo modo dictæ virtutes reperiuntur in pauperibus. Secundò quia non leuis, sed maxima liberalitas est, & magnificentia contemnere diuitias huius mundi, cum omnia huius mundi bona essent sibi debita qua erat Filius Dei, & hæres vniuersorum. Tertiò, quia fuit maximè liberalis, & magnificus cum pauit quinque millia hominum, &c. Quartò fuit liberalis cum sanabat infirmos, cum curabat ægrotus, &c. Quintò fuit liberalis, & magnificus, distribuendo bona spiritualia, & supernaturalia hominibus.

155 Tertium argum. in Christo non fuit temperantia, & fortitudo, ergo neque aliæ virtutes morales. Antecedens probatur, nam istæ virtutes versantur circa animę passiones domandas, sed in Christo non erant passiones domandæ; ergo &c. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico, quod materia necessaria harũ virtutum non est domare passiones, sed est respicere mediocritatem materię propriæ, & intrinsecæ. Temperantia respicit mediocritatem gustus, & tactus. Fortitudo respicit mediocritatem in periculis aggrediendis, aut fugiendis. Quod si passiones dentur immoderatæ, vt in nobis, vt tunc respiciamus dictas mediocritates, istæ virtutes dabuntur.

156 Quartum argum. Virtus pænitentiæ non fuit in Christo; ergo neque aliæ virtutes. Antecedens tradunt Theologi communiter cum D.Thoma *infra q. 84. art. 7. ad 4. & in 4. dist. 14. q. 1. art. 3. quæstiunc. 3. ad 2.* Resp. concedendo antecedens, & negando conseq. pęnitentia namque in suo conceptu inuoluit imperfectionem, cum de ratione illius sit dolere

lere de peccatis proprijs, quæ in Christo esse non potuerunt, neque de potentia Dei absoluta. De qua re fusius agimus in nostro *tract. de pænit. disp.* 1. *q.* 5.

DVBIVM XIII.

An in Christo D. fuerint virtutes morales acquisitæ.

157 PRima sententia negat, hanc tenent Lorca *hic disp.* 28. Capr. Ricardus, & alij quos referunt Vasq. *disp.* 42. *cap.* 2. & Cabrera *hic art.* 2. *disp.* 1. quã sententiam tenent omnes illi qui dicunt has virtutes non dari in beatis.

158 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *In Christo D. fuerunt virtutes morales acquisitæ*. An autem fuerint proprijs actibus acquisitæ, an per accidens infusæ, postea dicetur. Hanc concl. docet S. Doctor *hic art.* 2. *ad* 3. quatenus dicit, quod continentia prout est eadem virtus cum temperantia, iuxta Aristotelem, fuit in Christo, Aristoteles autem locutus fuit de temperantia vt est virtus acquisita, cum virtutes infusas non cognouerit. D. Thomam sequuntur omnes ferè Theologi vt testatur Cipullus *q.* 7. *art.* 2. *dub.* 2. quod etiam testatur Isamber. *ad q.* 7. *disp.* 6. *art.* 2. Orland. *tract.* 2. *disp.* 2. *q.* 2. *&c.*

159 Probatur 1. quoniam virtutes morales acquisitæ nullam habent repugnantiam cum vnione hypostatica, ergo simul cum illa esse possunt. Conseq. constat, quod enim in suo conceptu affert perfectionem, & nullam imperfectionem potest esse simul cum vnione hypostatica. Maximè quia pertinet ad dignitatẽ Christi D. quod habeat totum id perfectionis, quod in iustis, qui sunt sui quædam exemplata, extracta ex ipsa imagine filij, iuxta illud Apostoli. *Conformes fieri imaginis filij sui*. Incongruum namque esset quod aliquæ perfectiones siue supernaturales, siue naturales essent in exemplatis, quæ non esset in perfectissimo exemplari. Antecedens probatur, nam si aliquam haberent repugnantiam maximè ratione alicuius defectus, aut imperfectionis quam in suo formali conceptu inuoluerent, sed non inuoluunt; nam de ratione virtutis est dicere perfectionem in suo conceptu, licet possit præsuppositiuè, & ex parte subiecti inuoluere aliquam imperfectionem, vt de pænitentia diximus, & de continentia non prout est idem cum temperãtia, sed prout est solum quædam virtus inchoata, admittens motus passionum. Iustitia namque vt est virtus moralis acquisita, misericordia naturalis, &c. nullum inuoluunt defectum in suo conceptu, in sua ratione formali, neque præsuppositiuè, neque ex parte subiecti, vt consideranti patebit.

160 Probatur 2. nam istæ virtutes morales acquisitæ tribuunt promptè, & delectabiliter operari erga propriam materiam, & ex motiuo proprio honesto, & respiciente mediocritatem in materia propria; ergo debent poni in Christo. Antecedens constat, & docent omnes Philosophi morales, & Theologi in 1. 2. & nos etiam ibi obseruauimus. Conseq. probatur, nam tribuere promptè, & delectabiliter operari pertinet ad perfectionẽ moralem, quæ sicut perficit alios homines, ita etiam perficient animam Christi sua naturali perfectione, ergo, &c.

161 Probatur 3. ideo in Christo D. vt infra dicemus, & docent communiter Theologi vltra scientiam beatam, & diuinam dantur etiam scientiæ naturales acquisitæ, quia istæ afferunt proprias perfectiones naturales, quibus anima Christi non debet priuari. Licet enim Christus per scientiam beatam, & infusam cognosceret illud idem, quod cognoscebat per scientias naturales, tamen scientiæ naturales non erant superfluę, pertinebat namque ad perfectionem animæ Christi, quod idem cognosceret, totidem modis, quod erat cognoscibile, & sic cognosceret per principia naturalia, & supernaturalia. Quocirca dicunt communiter Theologi, quod Beati in patria poterunt etiam cognoscere per cõuersionem ad phantasmata, & per discursum, quod vnico intuitu, & per visionem beatam cognoscunt. Vnde sicut pertinet ad perfectionem artificis, quod idem opus sciat facere pluribus mo-

modis. Et pertinet ad perfectionem grammatici, quod aliter, & aliter eundem conceptum exprimat. Et pertinet ad perfectionem rhetorici quod idem sciat pluribus sinonimis, ita, &c. Tum quia sicut est maxima perfectio intellectus inferre eandem conclusionem diuersis medijs, ita est maxima perfectio voluntatis respicere eandem materiam diuersis virtutum motiuis; vt misereri proximo ægenti ex motiuo naturalis compassionis, ex motiuo cõpassionis supernaturalis, ex motiuo charitatis, &c. Soluuntur argumenta in contrarium.

161 Primum argu. nam virtutes morales acquisitæ non sunt in beatis; ergo neque in Christo, qui erat beatissimus. Antecedens tradit S. Doctor *in 3. dist. 33. q. 1. art. 4. & hic art. 2 in corpore*, dicit quod in Christo fuerunt illæ, quæ dimanant ex gratia, & cum illa habent connexionem, sed virtutes morales acquisitæ non sunt huiusmodi; ergo, &c. Resp. quod D. Thomas solum docet in illo loco sent. quod in beatis non sunt omnes virtutes morales acquisitæ quoad actus, ob defectum materiæ, sunt tamen omnes quoad habitus, pro quo sufficit, quod suo tempore suos actus exercuerint. Ad 2. testimonium, dico quod D. Thomas vnum dicit, quod in Christo sint virtutes, quæ dimanant ex gratia, non tamen negat alias, sed admittit in argum. sed contra, & in solutione 3. *vt n.* 158. obseruauimus.

162 Secundum argum. Virtutes morales acquisitæ dantur ad moderandas passiones, & ad refrenandum appetitum sensitiuum; sed in Christo D. non fuerunt passiones immoderatæ, nec appetitus refrenandus; ergo, &c. Resp. quod virtutes morales acquisitæ dantur ad respiciendã mediocritatem propriæ materiæ, & ad moderandas passiones quando sunt immoderatæ. Cœterum quando immoderatæ non supponuntur, suæ materiæ mediocritatem respiciunt, quod magis explicatum manebit ex dicendis *n.* 164.

163 Tertium argum. nam si Christus D. habuisset virtutes morales acquisitas potuisset citra vllam indecentiam operari ex motiuo naturali illarum; sed non videtur decens, quod Christus D. operaretur ex puro motiuo naturali illarum virtutum; ergo, &c. Resp. nullam fuisse indecentiam, quod Christus D. operaretur ex motiuo naturali illarum virtutum, ordinando tamen operationem in vlteriorem finem supernaturalem. Fortè esset aliqua indecentia operari ex motiuo naturali illarum virtutem sistendo ibi, & non ordinando in finem supernaturalem.

164 Sed quæres, in quo gradu fuerint dictæ virtutes morales acquisitæ in Christo D. an in gradu hæroico? Resp. quod fuerunt secundum gradum hęroicũ, secundumque maiorem perfectionem, quam de potentia ordinaria habere possunt, sicut habuit gratiam, & virtutes per se infusas. Sic tradit S. Doctor *art. 2. ad 2.* vbi distinguit duos gradus virtutum, vnum communem, secundum quem communiter sunt in homine, ad refrenandas passiones. Alium heroicum, seu purgati animi, quo virtus perfectiori modo possidetur, puta iam paccatis, & moderatis passionibus, ad eliciendas actiones secundum regulam rationis. In Christo ergo D. fuerunt virtutes secundum perfectissimum gradum heroicum, secundum quem nullę passiones moderandę supponuntur, quo modo fuerunt in primis parentibus ante lapsum, & dantur in beatis.

DVBIVM XIV.

An virtutes morales acquisitæ, fuerint in Christo D. ex proprijs actibus productæ, an per accidens à Deo infusæ.

165 Virtutes morales naturales per se acquiruntur proprijs actibus, per accidens tamen possunt à Deo infundi, vt communiter tradunt Theologi de nostris primis parentibus, quod scilicet illis Deus virtutes morales acquisitas, quas scilicet solemus nostris actibus acquirere, infuderit. Idem inquirimus de Christo D. an scilicet dictas virtutes morales sibi proprijs actibus acquisierit, an

eas Deus illi infuderit in suæ incarnationis instanti simul cum gratia, & virtutibus infusis.

166 Prima sententia est, quod Christus D. sibi has virtutes proprijs actibus acquisierit. Ita Cabrera *hic art. 2. disp. 2.* Nazar. *controu. vnica concl. 3.* & Cipullus *q. 7. art. 2. dub. 3.* Secunda sententia est, quod omnes virtutes morales in appetitu residentes, fuerunt in Christo D. per accidens infusæ in primo instanti suæ conceptionis. Cœterum prudentiam sibi proprijs actibus decursu temporis acquisiuit. Sic Vasq. *hoc loco disp. 42. cap. 2.* & alij.

167 Nostra sententia sequenti concl. explicatur. *Omnes virtutes morales fuerunt in Christo per accidens infusæ in primo instanti suæ conceptionis, siue pertineant ad appetitum, siue ad intellectum, vt prudentia.* Hanc sententiam sequuntur Medina, Syluius hoc loco. Aluarez *disp. 32.* vbi dicit, quod hanc sententiam sequuntur magis communiter Thomistæ. Eandem sequitur Asturicens. *de gratia Christi q. 1.* Suarez *disp. 19. sect. 2.* Orlandus *tract. 2. disp. 2. q. 3.* vbi testatur de communi.

168 Probatur 1. nam decuit Christum D. à primo suæ conceptionis instanti fuisse perfectum in esse morali, sed non fuisset, nisi habuisset virtutes morales per se acquisitas, ergo tunc debuit illas habere. Maior constat, esse namque perfectum in omni esse morali, est maxima perfectio. Minor probatur, nam pertinet ad volũtatis perfectionem esse perfectam, & completam in omni genere moralitatis tum supernaturalis, tum naturalis. Perficitur autem voluntas in esse morali naturali per virtutes naturales per se acquisitas; ergo, &c. Tum quia Christo D. tribuendum est, quod est dignius, & perfectius, sed est dignius, & perfectius habere has virtutes à primo suæ conceptionis instanti, ac proinde per infusionem; ergo, &c. Tum etiam quia virtutes morales sũt debitæ Christo ex vi vnionis hypostaticæ; ergo tunc debentur cum vnio hypostatica facta est. Ex vi namque vnionis hypostaticæ debentur Christo D. tum perfectiones naturales; tum supernaturales, negari autem non potest, quin dictæ virtutes morales pertineant ad maximam perfectionem naturalem.

169 Occurrit Cipullus negando minorem, cum enim Christus D. supponatur perfectus, & bonus per vnionem hypostaticam, & per virtutes per se infusas, non erat necesse, quod ponerentur virtutes morales adquisitæ, vt esset pro primo conceptionis instanti perfectus in esse morali. Pro quo notat, quod virtutes morales adquisitæ non ponuntur in Christo vt per eas sit bonus, & perfectus, cum esset talis per gratiam vnionis, per virtutes infusas, & dona Spiritus S. sed ponuntur vt eius potentiæ essent perfectæ modo illis connaturali, & proportionato, qui est, quod decursu temporis perficiantur.

170 Sed contra, nam licet Christus D. per vnionem hypostaticam & per virtutes acquisitas perficiatur, sicut & per dona Spiritus sancti non tamen perficitur moralitate naturali, nisi per virtutes morales naturales; ergo nisi pro eo primo conceptionis instanti dictę virtutes morales naturales sibi infundantur, non erit in eo instanti perfectus perfectione morali naturali. Nec verum est quod virtutes morales non dẽtur Christo, vt perficiatur, vt sit bonus, cum de ratione virtutis sit facere bonum habentem, & opus eius bonum. Vnde licet de facto reddant bonũ habentem decursu temporis, tamen debebant poni in instanti conceptionis in Christo, vt tunc quando recepit perfectionem personalem reciperet etiam omnem perfectionem moralem. Aliàs inferioris conditionis fuisset secundus Adam cælestis, primo Adamo terrestri, qui vt fatetur idem Cipullus *loco citat. n. 1.* habuit omnes virtutes morales adquisitas per se infusas.

171 Probatur 2. nam decebat, quod anima Christi D. à primo suæ conceptionis instanti esset in actu primo connaturali, & perfecto ad omnes actus virtutum moralium acquisitarum, cum ratione vnionis hypostaticæ sibi esset debita omnis perfectio tum naturalis, tum superna-

tura-

turalis, ac proinde vt posset pro eodem primo instanti promptè, faciliter, & delectabiliter elicere actus dictarum virtutum; sed sine habitibus illarum voluntas non est in actu primo connaturali, & perfecto ad exercendos dictarum virtutum actus, ergo, &c. Quocirca si Christus D. sibi acquisiuisset dictas virtutes morales, aliquando in eo fuissent illarum actus sine suæ connaturali facilitate, & promptitudine.

172 Occurrit Cipullus loco citato *n.* 9. quod licet actus qui eliciuntur ab habitu, promptius, atque facilius eliciantur, quam illi qui sine habitu producuntur, tamen non semper modus ille producendi actus est absolutè perfectior, sed solum quando cætera sunt paria, & non includit carentiam maioris perfectionis quam sit illa quam actus participat ex habitu. Elicere autem omnes actus virtutū moralium acquisitarum cum habitu, includit carentiam acquisitionis ipsarū virtutum per proprios actus, &c.

173 Sed contra, nam modus producendi actus ex habitu, semper est perfectior, nec hoc quod est includere carentiam acquisitionis ipsarum virtutum per proprios actus, est perfectio earum, sed absolutè est imperfectio, maximè si comparetur ad modum producendi habitus per infusionem. Negari namque non potest, quod absolutè non sit perfectior modus habendi habitus per infusioné, quam per acquisitionem, aliàs neque habitus supernaturales deberent infundi, sed processu temporis produci; & melius, perfectiusque fuisset quod Christus D. sibi paulatim per proprios actus gratiam intenderet, quam in eodem conceptionis instanti sibi infunderetur. Quis dicet, quod non sit perfectius intelligere per simplicem intuitum, quam per discursum, nec carentia intelligendi per discursum, intelligendo per simplicem intuitum, est carentia maioris perfectionis, vt patet, ita, &c. Soluuntur argum. in contr.

174 Primum argum. Perfectius, & nobilius est habere virtutes morales per proprios actus, quando proprijs actibus sunt acquisibiles, quam per infusionem à Deo; ergo Christus D. debuit virtutes acquisitas habere per proprios actus non per infusionem. Antecedens probatur, nam perfectius est habere aliquid à se quam ab alio; causa namque per se, potior est ea quæ est per aliud, vt tradit Phil. 8 *physic. text.* 39. Item perfectius est moueri à se, quam ab alio; ergo, &c. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico, quod perfectius est habere aliquid ab alio, quando ille alius est Deus, secus quando est creatura, & causa per se creata, non est nobilior quam ea quæ est per aliud, quando hoc aliud est Deus. Et perfectius est moueri à Deo, quam à se, maximè in moralibus. Hinc docent communiter Theologi, quod dona Spiritus S. quæ dantur ad hoc, quod homo moueatur à Spiritu S. sunt nobiliora virtutibus moralibus infusis, quæ ad hoc dantur, quod homo se moueat. Præterea nobilius est nostram voluntatem moueri, regi, gubernari à Deo, quam se ipsam regere, mouere, gubernare. Vnde oramus *fiat voluntas tua*, non fiat voluntas nostra. Et maximè æstimantur qui diuina patiuntur, quam qui actiuè se habent, & melius est in ordine ad Deum agi, quam agere.

175 Secundum argum. Christus D. proprijs actibus sibi comparauit scientias naturales; ergo etiam proprijs actibus debuit sibi comparare virtutes naturales. Antecedens tradit S. Doctor infra *q.* 9. *art.* 4. *&* *q.* 12. *art.* 2. Resp. 1 cum Aluarez concedendo antecedens, & negando conseq. Ratio discriminis est, quia si scientiæ per se acquisitæ fuissent per accidens infusæ in Christo, intellectus agens illius perpetuò mansisset priuatus suo proprio munere, & officio, quod est abstrahere species intelligibiles à sensibilibus, illustrando phantasmata, quod non contingit in infusione dictarum virtutum, nulla namque potétia manet perpetuò frustrata suo actu connaturali.

176 Sed contra hoc dices, nam sequeretur, quod dictæ scientiæ naturales non debuerint ob eandem rationem infundi in Adamo, quod est contra D. Thomam

mam 1. *p.q.94.art.3 & 4.* Resp. quod cum Adam in statu innocentiæ non habuerit scientiam beatam, nec inditam, debuit habere per infusionem scientias naturales aliàs fuisset valdè imperfectus cum nullam scientiam habuisset per quam esset Pater, & instructor totius generis humani, &c.

177 Resp. 2. quod in Christo D. potuerunt non poni scientiæ per infusionem, non tamen virtutes, quia scientiæ facilius, & breuius acquiruntur, quam virtutes morales: vnico namque actu demonstratiuo conuincitur intellectus, & scientia acquiritur. Cæterum virtutes acquisitè non tam breui tempore acquiri possunt. Tum quia vna scientia acquiri potest sine alia; non sic virtutes, cum sint connexæ in gradu perfecto, nec vna esse potest sine alia.

178 Resp. 3. quod virtutes morales naturales pertinent ad perfectionem voluntatis Christi D. in esse morali, at scientiæ naturales non spectant ad perfectionē moralem, & sic potuit Christus D. carere illis per aliquod tempus, non tamen virtutibus moralibus; cæterum de hac re dicemus infra *q. 9. & 12.* agentes de scientia acquisita animæ Christi D. vbi quid nos sentiamus, promemus, interim videatur Aluarez loco citato.

179 Tertium argu. nam virtutes morales acquisitæ, non possunt esse sine prudentia acquisita, sed prudentia acquisita non fuit in Christo D. per accidens infusa, ergo neque aliæ virtutes morales acquisitæ. Maior nota est, omnes namque virtutes sunt connexæ cum prudentia, eo quod prudentia præstituat illis obiecta, & mediocritatem in materia illarum præscribat. Minor probatur, nam prudentia naturalis sequitur scientiam naturalem, scientia autem naturalis non fuit per accidens infusa; ergo neque prudentia, quæ scientiam naturalem sequitur. Resp. concedendo maiorem. Certum namque est ex dictis in 1.2. quod virtutes morales sūt connexæ cum prudentia in statu perfecto, & quod nō possit dari virtus perfecta sine prudentia, in qua quasi complantatur, cum à prudentia virtutum obiecta præstituantur, & mediocritas in earum materijs præscribatur, & quasi designetur. Vnde cum in Christo D. fuerint virtutes morales in statu perfecto, non potuerunt infundi, nec esse sine prudentia. Tum quia cum munus prudentiæ sit (cum sit ille oculus de quo Christus D. in Euangelio dicit. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum: si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, &c.*) dirigere quemlibet actum virtutis moralis. Munus prudentiæ sit dirigere voluntatem in ordine ad actus virtutum, proponendo, & præscribendo mediocritatem, sequitur quod si Christus D. ab instanti suæ conceptionis habuit virtutes morales acquisitas, quod etiam habere debuerit prudentiam à qua regularentur. Ad probationem dico, quod prudentia dum proprijs actibus acquiritur dependet à scientia naturali, non tamen quando à Deo infunditur, in sui namque acquisitione dependet à scientia naturali, non tamen in sui infusione. Maximè quia dependentia prudentiæ à scientia potissimè attenditur quoad actus, non quoad habitum; vnde potest à Deo infundi habitus prudentiæ, siue habitu scientiæ, & interim regulabitur à scientia superiori, non enim implicat quod scientia superior regulet virtutem inferiorem.

180 Quartum argum. pro sententia Vasq. qui negat, quod in Christo D. fuerit infusa prudentia acquisita, licet fuerint infusæ aliæ virtutes morales ad appetitum pertinentes; nam per scientiam infusam quam Christus D. habuit ab instanti suæ conceptionis poterant proponi obiecta virtutum moralium acquisitarum, & poterat per eam voluntas dirigi ad actus illarum; ergo ob hanc causam non debuit prudentia infundi in anima Christi Dom. cum non esset necessaria. Si enim prudentia naturalis, vt dicebamus n. præcedenti potest regulari ab aliqua scientia naturali, ita & virtutes naturales poterant regulari à scientia infusa. Resp. quod virtutes morales adquisitæ vt connaturali modo operentur debent dirigi à prudentia naturali acquisita per se, illis proportionata,

tionata, & sic in Christo datis virtutibus moralibus naturalibus debuit dari prudẽtia naturalis. Nec id quod dicitur, quod prudentia potest regulari à scientia superiori, non conuincit, quia scientia superior bene potest immediatè coniungi cum prudentia proponendo illi obiectum in quod tendat; non tamen potest immediatè coniungi cum virtutibus moralibus præscribendo mediocritatem, &c. cum hoc non sit proprium scientiæ superioris, & speculatiuæ, sed est proprium, & singulare munus, & officium prudentiæ.

DVBIVM XV.

An in Christo D. fuerit fides Theologica.

181 IAm hoc dubium ferè constat ex dictis à nobis in nostro *tract. de fide*, vbi fusè ostendimus implicare fidem esse in beatis, & sic cum Christus D. ab instanti suæ conceptionis fuerit beatus nõ potuit habere fidem Theologicam. Dico Theologicam, quia fidem fiduciam de facto habuit, vt constat ex illo Isa. 11. *Erit fides cinctorium renum eius*, qui locus à D. Hieron. ibid. de fiducia, aut fidelitate in seruandis promissis intelligitur. Quærimus ergo an in Christo D. fuerit fides Theologica, rem breuiter explicabimus, ne actum agamus. Fides, vt loco citato de fide, diximus, duo dicit, vnum ex parte intellectus, & est cognitio siue actualis, siue habitualis, qua fidei mysterijs assentimur. Aliud ex parte voluntatis, & est pia affectio ad res creditas, qua voluntas captiuat intellectum in obsequium fidei, mouendo illum ad assentiendum rebus à Deo reuelatis obscurè.

182 Prima sententia est, quod fides quoad vtrumque, siue cognitionem, siue piam affectionem, sit in Christo, sicut in omnibus beatis. Sic Durandus *in 3. dist. 31. q. 4.* Suarez, & alij citati *in 2.2. de fide*, qui licet loquantur solum de beatis, cum tamen sit eadem ratio de illis ac de Christo D. idem de eo dicerent. Nostra sententia duabus concl. explicatur.

183 Prima concl. *Fides prout est habitus, vel actus intellectus non fuit, nec esse potuit in Christo.* Sic tradũt omnes Scholastici, & Theologi communiter hoc loco. Videatur Aluarez, Medina, Cipullus, Isambertus, Orlandus, & alij. Probatur ex dictis supra, quia illæ solæ virtutes ponuntur in Christo D. quæ nullam inuoluunt imperfectionem siue in suo conceptu, siue ex parte subiecti; sed fides, siue secundum actum, siue secundum habitum in suo conceptu inuoluit imperfectionem, ergo non potest poni in Christo D. Minor probatur, nam fides dicit intrinsecè, & in suo conceptu essentiali obscuritatem ex Apost. 1. Cor. 13. obscuritas namque intellectus repugnat Christo clarè videnti diuinam essentiam.

184 Confirmatur 1. Cognitio obscura, & ineuidens fidei, non solum repugnat cum visione beatifica Christi D. sed & potissimè cum maxima, & eximia eius excellentia; ergo non datur in eo. Conseq. constat. Antecedens probatur, nam cum Christus D. esset filius Dei naturalis, sibi debebatur clarissima cognitio Dei, Patris, sui, & Spiritus S. Cum enim clarissimè se ipsum cognosceret, debebat etiam clarissimè cognoscere Patrem, & Spiritum S. sed hæc cognitio non potest stare cum fide, cum eius obiectum primarium clarissimè cognoscatur; ergo, &c.

185 Confirmatur 2. Illud repugnat Christo D. quod etiam in nobis inuoluit imperfectionem, sed in nobis inuoluit imperfectionem, quod solum ex parte cognoscamus, quod facimus per fidem: *ex parte cognoscimus*, vt dicit Apostolus; ergo, &c. Tum quia non potest non esse imperfectum, quod postea in patria est euacuandum, sed cognitio fidei in patria euacuanda est; ergo etiam in nobis aliquam inuoluit imperfectionem, ac proinde in Christo poni non potest. Videantur quæ diximus 2.2.

186 Secunda concl. *In Christo Dom. non datur, neque dari potuit pia affectio, neque quoad habitum, neque quoad actum.* Hæc concl. licet sit communis, est tamen contra aliquos modernos extra Scholam D. Thomæ, qui licet negent in Christo D.

piam

piam affectionem quoad actum, eam tamen admittunt quoad habitum, dantem ei promptitudinem ad credendum mysteria fidei propter diuinam reuelationem, & auctoritatem, si intuitiua eorum cognitio, & euidentia non adesset.

187 Probatur conclusio, quoniam vbi repugnat finis, ibi etiam repugnāt media conducentia ad talem finem, maximè quando dicta media solum ob illam conducentiam dantur, & non habent aliam bonitatem, aut conducentiam; sed pia affectio solum datur vt inclinet intellectum in obsequium fidei, seu solum datur, vt credat, aut propter fidē; ergo vbi fides nō datur, nec dari potest, neque pia affectio dabitur, nec dari poterit. Maior nota est. Minor probatur, nam pia affectio nihil est aliud quam pia voluntas erga credibilia, ac proinde subordinatur fidei; ergo, &c. Tum quia pia affectio est inclinatio ad aliquid imperfectum, & repugnans statui, & excellentiæ Christi D. vt est fides; ergo non potest poni in Christo D. in eo namque nihil poni potest, quod imperfectionem inuoluit. Soluuntur argum. in contr.

188 Primum argum. non repugnat, quod in Christo D. detur potentia generatiua, & nutritiua; ergo neque repugnat, quod detur habitus piæ affectionis. Antecedens constat, in Christo namque D. de facto datur potentia generatiua, & nutritiua, vt omnes tradunt. Conseq. probatur, quia istæ potentiæ sunt quædam inclinationes ad actus, qui nec sunt, nec esse possunt in Christo, & repugnant pro eo statu in quo nunc est; ergo si dantur istæ inclinationes, poterit etiam dari pia affectio, licet sit inclinatio ad actum qui de facto repugnat statui Christi D. Resp. negando conseq. Ratio discriminis est, quia illæ inclinationes, & potentiæ si considerentur in actu primo nullam dicunt imperfectionem, quæ priuet Christum D. aliquo bono sibi intrinseco, & statui suo conuenienti. Cæterum fides bono suo statui maximè conuenienti priuat, scilicet claritate visionis beatificæ.

189 Secundum argum. nam poterat Christus D. & etiam posset modo per reuelationem diuinam cognoscere aliquam creaturam possibilem, quam per scientiam beatam prius non cognoscebat, ergo saltem respectu huius creaturæ potest habere fidem, & piam affectionem. Resp. dato, quod aliqua ex creaturis possibilibus Christo D. reuelaretur, non cognosceretur per fidem, sed per notitiam euidentem visionis beatæ, aut scientiæ infusæ.

190 Tertium argum. In Christo D. fuit meritum fidei; ergo etiam fuit fides. Antecedens docet S.Doctor *hic art. 3. ad 2.* vbi sic habet. *Meritum fidei consistit in hoc, quod homo ex obedientia Dei assentit illis, quæ non videt, secundum illud. Roman. 1. Ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius; Obedientiam autem ad Deum plenissimè habuit Christus, secundum illud Philipp. 2. Factus est obediens vsque ad mortem, & sic nihil ad meritum pertinens docuit, quod ipse excellentius non impleret.* Vbi vt vides, clarè docet S.Doctor quod in Christo D. fuit meritum fidei. Conseq. probatur, quia meritum virtutis, non est sine ipsa virtute, meritum namque quod habetur per actum alterius virtutis, est solum meritum illius virtutis cuius est actus. Tum quia vt dicit idem S.Doctor. Christus D. non docuit exercitium alicuius virtutis, quam ille prius non exerceret, iuxta illud. *Cœpit Iesus facere, & docere.*

191 Ad hoc argum. Occurrit Cipullus, quod vbi reperitur meritum fidei formaliter, debet & ipsa fides reperiri, secus vbi reperitur meritum fidei solum obiectiuè, quoniam iustus non solum meretur eliciendo actum quo est dispositus ad credendum omnia quæ sibi proponerentur à Deo credenda. Vnde cum S. Doctor dicit quod Christus D. habuit meritum fidei non loquitur de merito, quod correspondet actu fidei, sed quod correspondet actui quo erat paratus ad obediendum Deo, etiam in materia fidei si sibi esset possibilis, quod est habere meritum fidei in præparatione animi.

192 Cæterum D. Thomas videtur plus velle, quam quod habuerit solum meritum fidei, aut in præparatione animi.

Ve-

 308

Verum est, quod iustus meretur non solum eliciendo actum fidei, sed etiam eliciendo actum quo est paratus credere, tamen meritum correspondens actui quo quis est paratus credere non est meritum fidei, sed est meritum illius virtutis, quæ elicit actum quo est credere paratus. Et meritum quo Christus D. erat paratus ad obediendum etiam in materia fidei, non est meritum fidei, sed est meritum obedientiæ, cuius materia, est materia omnium virtutum, cum sit virtus generalis. Vnde meritum quo quis est paratus obedire Deo in materia temperantiæ, non dicitur meritum temperantiæ, sed obediētiæ, ita, &c. Præterea non potest poni obedientia actualis ad assentiendum ijs, quæ de fide creduntur sine assensu fidei. Similiter non potest poni in aliquo obedientia habitualis ad credendum ijsdem sine habitu fidei; ergo cum in Christo negetur fides, etiam obedientia ad credendum negari debet.

193 Respondetur ergo D. Thomam solum dicere, quod meritum fidei fuerit in Christo D. non quia in eo fuerit fides, sed quia in eo fuerit obedientia, quæ est ipsum meritum fidei. Illud enim vnde fides habet meritum est ipsa virtus obedientiæ absolutè, & secundum se spectatæ, quæ in Christo D. fuit perfectissima, quæ licet non se extenderit ad applicandum intellectum ad credendum, quia talis actus repugnabat statui, & excellentiæ Christi D. elicuit tamen actus aliquos in quibus fidei meritum continetur. Quod autem fides non habeat meritum nisi per obedientiam, seu quod meritum fidei sit meritum obedientiæ constat, quia in tantum fides est virtus, in quantum est quædam obedientia ad credendum ea, quæ credenda proponuntur, inclinando intellectum, eumque captiuando in obsequiū fidei. Vnde ad hoc vt verificaretur, quod meritum fidei esset in Christo, sufficit, quod in eo fuerit obedientia, quæ est principium merendi in fide, captiuando intellectum, &c.

194 Quartum argum. habitus piæ affectionis nullam dicit imperfectionem, ac proinde neque habitus fidei; ergo possunt esse in Christo. Antecedens probatur, nam etiam beatus potest elicere istum actum: *Mi Deus, sum paratus ad credendum te esse trinum, & vnum propter tuam diuinam authoritatem, si te non viderem*, iste actus tantum abest, quod inuoluat imperfectionem repugnantem statui beatifico, & excellentiæ Christi D. quod potius dicit maximam perfectionem, & voluntatis promptitudinem ad omnia quæ Deo placere possunt, & tamen est actus piæ affectionis habens connexionem cum habitu fidei, cum illum sub conditione respiciat. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico, quod ille actus non est piæ affectionis cum non sit absolutus, & practicus, sed conditionatus; vnde potius erit actus virtutis studiositatis, aut obedientiæ generalis ad obediendum Deo in omnibus. Aut potius erit actus nullius virtutis, cum ad eliciendos actus inefficaces, & conditionatos nulla virtus requiratur, cum nulla in eis difficultas reperiatur. Quocirca diximus alibi nullam requiri virtutem ad habendum istum actum: vellem esse castus, cum iste, & alij similes eliciantur frequenter ab inimicis castitatis.

195 Quintum argum. in Christo D. fuit aliquis actus fidei humanæ, aut saltem esse potuit, ergo etiam potuit esse actus fidei diuinæ. Conseq. constat, quia non minorem imperfectionem importat fides humana, quam diuina, imò longè maiorem. Antecedens probatur, nam demus, quod aliquis Angelus diceret Christo D. aliquod verum, quod ipse euidenter non cognosceret, posset illi assentiri propter testimonium dicentis; ergo, &c. Resp. negando antecedens, actus namque fidei humanæ maximam importat imperfectionem, cum sit obscurus, fallibilis, & incertus, ac proinde repugnat dignitati, & statui Christi D. Ad probationē dico, quod si homo, vel Angelus diceret Christo D. aliquod verum, non assentiret illi propter testimonium dicentis, cum ipse sciret tale verum euidenter tum per scientiam beatam, tum per scientiam infusam.

 Sextum

196 Sextum argum. in Christo D. fuerunt virtutes morales non solum infusæ, sed etiam acquisitæ; ergo etiam fuit fides. Antecedens constat, ex dictis dubijs præcedentibus. Conseq. probatur, nam fides cum sit virtus Theologica, est longe perfectior virtutibus moralibus; ergo si istæ fuerunt in Christo, à fortiori debuit esse illa. Resp. concedendo antecedens,& negando conseq. Ad probationem dico, quod licet fides quoad substantiam, & obiectum sit longè perfectior virtutibus moralibus, tamen quoad modum procedendi, & tendēdi in suum obiectum inuoluit imperfectionem repugnantem statui Christi D. & excellentiæ ipsius, quā imperfectionem non inuoluunt virtutes morales, vt ex dictis liquet.

DVBIVM XVI.

An in Christo D. fuerit virtus spei Theologica.

197 PRima sententia est, quod in Christo D. fuerit virtus spei non solum quoad habitum, sed etiam quoad actum. Sic tenent Suarez *hic art. 4. in commentario articuli*. Coninch. 2. 2. *disp*. 19. *dub*. 11. & alij. Secunda sententia tenet, quod spes non fuit in Christo quoad habitum, bene tamen quoad actum illum quo Christus D. adhuc mortalis desiderauit, & sperauit beatitudinem, seu gloriam sui corporis, & exaltationem sui nominis. Hic enim actus licet non eliceretur ab habitu spei, sed ab auxilio diuino, erat tamen verus, & proprius actus spei virtutis Theologicæ. Sic Vasq. *disp*. 43. *cap*. 2. De hac re fusè tracto 2. 2. *disp*. 12. *dub*. 2. *per totum*.

198 Nostra sententia seq. conclusione explicatur. *In Christo D. non fuit virtus spei neque quoad habitum, neque quoad actum*. Ità S. D. *hic art*. 4. & 2. 2. *qu*. 18. *art*. 2. *ad* 1. quem sequuntur Aluarez, Medina, Cipullus, Lorca,& cæteri expositores, si citatos excipias. Idem tradit Isamb. *ad q*. 7. *disp*. 5. *art*. 4. Orlandus *tract*. 2. *disp*. 2. *q*. 5. qui testatur de communi, & alij plerique. Colligitur ex illo Apostoli 1. Cor. 13. *Nunc manent fides, spes, charitas*, & de hac sola dicit, quod *numquam excidit*. Vnde inferunt communiter Sancti Patres, quod in viatoribus maneant fides, spes, & charitas, at in beatis, sola charitas maneat, illis euacuatis, est autem eadem ratio de Christo D. ac de reliquis beatis. De hac re fusè agimus 2. 2. *disp*. 12. *dub*. 2. *citato*.

199 Probatur 1. nam ibi non potest esse spes, vbi non potest esse specificatiuū spei, sed in Christo D. non potest esse specificatiuum spei; ergo neque spes. Maior constat, specificatiuum namque, & constitutiuum sunt idem, vbi autem non potest esse constitutiuum rei, neque res constituta esse potest. Minor probatur, nam specificatiuum, & constitutiuum spei est Deus vt possidendus, vt fruendus, vt habendus, sed hoc esse nequit vbi Deus est possessus, & habetur, vt in Christo D. ergo, &c. Implicat namque Deum respectu eiusdem esse possessum, & possidendum.

200 Occurrunt aduersarij, quod licet implicet quod Deus respectu eiusdem sit possessus, & possidendus, non tamen respectu diuersorum. Deus autem respectu Christi D. erat possessus quantum ad animam, & possidendus quantum ad corpus; & sic Christus non sperabat possessionem Dei quoad gloriā animæ, quia hoc modo eū possidebat, sperabat tamen possessionem illius quoad gloriam corporis, & nominis exaltationem. Sed contra, nam quando aliquis habitus inclinat potentiam, eamque confortat ad duo obiecta, vnum primarium, & aliud secundarium, tunc specificatio habitus desumitur à solo obiecto primario, non à secundario, quia sola habitudo ad obiectum primarium est illi intrinseca: vnde præcisa habitudine ad obiectum secundarium datur habitus, non tamen datur habitus præcisa habitudine ad obiectum primarium, & conseruata habitudine ad secundarium; sed in nostro casu obiectum primarium spei est Deus vt possidendus quantum ad gloriam animæ, & vt possidendus quantum

tum

tum ad gloriam corporis est obiectum secundarium; ergo cum in Christo D. ante resurrectionem, non esset Deus possidendus quantum ad animam, non poterat manere spes ad Deum vt possidẽdum quantum ad gloriam corporis. Maior in qua posset esse difficultas probatur, quoniam habitus inclinans, confortansque potentiam ad duo obiecta, primarium, & secundarium, non inclinatur ad secundarium nisi sub ratione primarij, seu nisi mediatè, & præsupposita inclinatione ad primarium: obiecta namquè secundaria sunt quædam participationes, seu quædam appendices primarij, quædam extentiones primarij, vt videre est in lumine gloriæ, quod primariò inclinat ad videndam diuinam essentiam, & secundariò extenditur ad creaturas possibiles, & in nostro casu gloria corporis est quædam appendix gloriæ animæ.

201 Probatur 2. nam habitus spei nõ erat necessarius in Christo D. neque ad actus spei eliciendos, neque ad ornatum animæ illius, ergo non debebat poni in illo. Conseq. constat, omnis namque habitus vel propter actus ponitur, vel propter ornatum potentiæ: propter actus vt connaturaliter fiant: vel propter ornatũ, vt potentiæ melius se habeant. Antecedens probatur, nam actus spei in suo conceptu inuoluit imperfectionem, in desiderio namque rei absentis inuoluitur carentia rei debitæ, aliàs non desideraretur.

202 Probatur 3. nam si in Christo D. fuisset spes, maximè quia in illo fuit desiderium gloriæ corporis, exaltationis sui nominis, iustificationis, & salutis hominum; sed isti actus non fuerunt spei, sed charitatis; ergo, &c. Minor probatur ex doctrina D. Thomæ 1.2. *q.67. art.4. ad 3. & 2.2. q.18. art.1. ad 4.* vbi dicit, quod in beatis non est propriè actus spei circa gloriam sui corporis; sed est eadem ratio quantum ad hoc de Christo, & alijs beatis; ergo, &c. Tum quia perfectius est velle sibi, & alijs gloriam corporis, aut aliud quodlibet bonum ex motiuo charitatis, quam ex motiuo spei; ergo cum Christus D. potuerit sibi & alijs prædicta velle ex motiuo charitatis, non debuit ob id poni spes. Sed de hoc agemus §. sequ.

Soluuntur argum. in contrarium.

203 Primum argum. nam reprobus existens in peccato mortali, si fieret absoluta reuelatio de sua reprobatione, ex fide diuina crederet se certò, & infallibiliter fore damnandum, non posset elicere actum spei Theologicæ circa primarium obiectum illius, non enim posset æternam beatitudinem sperare, & tamen posset, & teneretur sperare auxilia supernaturalia ad facienda aliqua opera bona, & ad vitanda singula peccata, cum tamen hæc auxilia solum sint obiectum secundarium spei; ergo potest dari spes vbi solum datur obiectum secundarium, & sic ex hoc capite non implicabit quod detur in Christo D. Resp. quod cum in dicto reprobo non destruatur fides per talem reuelationem, ita neque spes destruetur, nec absolutè repugnat actus spei in illo reprobo, sed solum stante dicta reuelatione, si eam crederet fide diuina. Nec illa reuelatio ponit incompossibile cum spe per se loquendo, sed solum per accidens. At possessio in Christo D. ponit incompossibile per se, sed de hoc fusè diximus 2. 2. *disp.*12.

204 Secundum argum. gloria corporis, & exaltatio sui nominis in Christo habent totum id quod requiritur adhoc vt sint obiectum spei; ergo à Christo D. sperari poterant. Antecedens probatur, nam sunt bonum honestum, arduum, futurum, & consequibile ex diuino auxilio; ergo, &c. Quod sint bonum honestum, patet. Quoad sint arduum, colligitur ex illo Luc. vltimo, *Oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*, vbi non loquitur de gloria animæ, cum in eam iam intrasset ab instanti suæ conceptionis, sed loquitur de gloria corporis, & de gloria, seu exaltatione sui nominis, in quam intrauit media morte. Quod autem sint bonum consequibile ex diuino auxilio etiam constat. Resp. negando antecedens, vltra illas namque cõditiones oportet, quod bonum vel sit obiectum spei primarium, aut saltem quod supponat illud, quod in

præsenti non contingit.

205 Tertium argum. nam vnusquisque potest sperare illud, quod ad eius perfectionem pertinet, sed gloria corporis pertinebat ad perfectionem Christi D. ergo poterat illam sperare. Vnde Psalm. 7. in persona Christi D. dicitur. *Domine Deus meus in te speraui*. Et Psal. 30. legitur. *In te Domine speraui non confundar in æternum*. Resp. concedendo maiorem quando illud est obiectum primarium, aut illud supponit; gloria autem corporis in Christo D. nec erat obiectum primarium, nec supponebat illud. Illa autem loca Sacræ Scripturæ citata intelliguntur ad sensum §. seq. vel intelliguntur de spe mẽbrorum Christi D. quatenus Christus D. loquebatur in persona suorum membrorum.

206 Quartum argum. Christus D. poterat sperare etiam obiectum primarium spei; ergo in eo fuit spes. Consequ. constat, nam vbi datur obiectum primarium spei, ibi datur spes. Antecedens probatur, nam licet Christus D. ab instanti suæ conceptionis habuerit beatitudinem animæ, non tamen tunc habebat ipsius beatitudinis continuationem per totam æternitatem; ergo potuit illam sperare, continuatio autem beatitudinis pertinet ad obiectum primarium spei, sicut & ipsa beatitudo. Resp. negando maiorem. Continuatio namque beatitudinis non ponit in numero cum ipsa beatitudine, ac proinde sicut Christus D. non poterat sperare beatitudinẽ, ita neque continuationem illius. Tum quia beatitudinis continuatio, non solum sequitur ex ipsa beatitudine, sed etiam non habet rationem boni ardui, consequibilis ex diuino auxilio, cum sequatur ex natura rei ex ipsa beatitudine primò data, tanquam quædam illius extensio, cum illius natura sit continua, & perpetua duratio.

§. Vnicus. Cuius virtutis fuerit desiderium Christi D. de gloria corporis, de exaltatione sui nominis, de iustificatione, & saluatione hominum, &c.

207 Vasquez quẽ retulimus n. 197. putat, quod illud desiderium sit proprius actus spei Theologicæ, licet à virtute Theologica non eliciatur. Suarez loco citato idem tenet, licet velit, quod eliciatur ab ipsa virtute spei, quam sententiam iam confutauimus dub. præcedenti, & in 2.2. Secunda sententia tenet, quod illud desiderium Christi D. erat actus spei impropriè dictæ, sed non explicat, cuius virtutis sit. Ab hac sententia parum distat Cipullus *hic art. 4. dub. 2.* quatenus dicit, quod ille actus quo Christus D. sperabat gloriam sui corporis fuit actus cuiusdam simplicis desiderij.

208 Quod illæ actus non fuerit actus spei propriæ dictæ, constat ex dictis dubio præcedenti. Cum enim gloria corporis tum in Christo, tum in beatis non habeat rationem ardui, non potest pertinere ad spem, cuius obiectum est bonum futurum arduum. Tum etiam quia actus qui non elicitur ab habitu talis virtutis, non est in specie eiusdem virtutis; ergo actus spei elicitus à solo auxilio, & non ab habitu virtutis spei, non est eiusdem speciei cum illis qui eliciuntur ab eodem habitu spei. Conseq. constat. Antecedens probatur, nam habitus, & auxilium, non sunt eiusdem speciei; ergo actus qui est ab habitu, & qui est ex auxilio non possunt esse eiusdem speciei; quoties enim principia, seu causæ distinguuntur specie, etiam effectus earum debent specie distingui. Antecedens probatur, nam id quod datur ad cõplendam potentiam in actu primo, distinguitur ab eo, quod potentiam non complet, nec se tenet ex parte potentiæ, sed se tenet ex parte actus, auxilium se tenet ex parte actus: habitus se tenet ex parte potentiæ; ergo, &c. Aliud namque est loqui de auxilio, & aliud est loqui de habitu dato per modum transeuntis, iste namque

quæ est eiusdem speciei, licet distinguatur in modo habendi per modum dispositionis, & transeuntis. Tum quia potentia cum solo auxilio non est completa ad producendum actum supernaturalem, cum auxilium non detur ad complendam potentiam, sed ad mouendam potentiam iam completam; ergo,&c. His positis.

208 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Desiderium quo Christus D. sperabat gloriam sui corporis, sui nominis exaltationem, hominibus gratiam, iustificationem, sanctitatem, gloriam, &c. non erat actus spei, sed charitatis.* Sic tradidimus 2.3. *de spe*, & tradunt communiter Theologi hoc loco, & 2.2.*q.18.art.2. ad* 3. tradit S.D. Ratio est, quia velle sibi, aut alijs aliquid, seu aliquod bonum ex motiuo charitatis, est perfectior modus volendi bonum; ergo, &c. Tum quia desiderium proprij boni, & alieni potest in nobis elici & à virtute spei, & à virtute charitatis; ergo cum Christus D. perfectissimè operaretur, debuit operari ex motiuo perfectissimo, ac proinde ex motiuo charitatis; maximè quia sibi erat impossibile operari ex motiuo spei. Vnde omnes actus, qui in nobis eliciuntur per spem, in Christo D. eliciebantur per virtutem superiorem, scilicet per charitatem. Vnde desiderium v.g. quo nos desideramus gloriam corporis, vel salutem proximi, potest elici tum à spe, tum à charitate; à spe cum desideramus illorum salutem ob motiuũ Dei possidendi. A charitate cum eorum salutẽ desideramus sub motiuo summi boni; seu ob amorem Dei summè dilecti, &c. Christus D. sub isto motiuo nobis sua bona volebat, & desiderabat. Vide omnino quæ fusius dicuntur à nobis 2.2.*disp.* 12. *n.*16.

DVBIVM XVII.

An in Christo D. fuerint dona Spiritus S.

209 EX septem donis Spiritus S. certum est saltem aliquod fuisse, vt colligitur ex illo Isa. 11. *Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Colligitur etiam ex illo Isa. 4. *Apprehendent septem mulieres virum vnum.* Vbi glos. per septem mulieres intelligit septem dona Spiritus S. & per virum vnũ intelligit Christum D. Hinc Innocen. III. *epist.* 194. inter epist. D. Bernardi damnauit Abailardum qui negauit in Christo D. donum timoris.

210 Aliqui moderni putant hoc dubium non distingui ab eo, quod supra posuimus, quod scilicet in Christo D. fuerunt virtutes infusæ, putant enim dona Spiritus S. non distingui à virtutibus infusis sapientiæ, intellectus, consiliatiuæ, fortitudinis, scientiæ, pietatis, & timoris, solum putant, quod actus excellentiores harum virtutum, dicantur dona Spiritus S. Et hoc modo intelligunt citata Isaiæ testimonia. Cæterum negandum non est cum D. Thoma 1. 2. *q.* 68. quin dona Spiritus S. non distinguantur à virtutibus infusis, vt enim cum D. Thoma obseruauimus *in* 1. 2. *in summaria dicta q.* 68. distinguntur dona Spiritus S. à virtutibus infusis. licet enim conueniant in hoc quod etiam dona sint habitus infusi, cum sint qualitates supernaturales permanentes, conferentes ad benè operandum, vt indicatur in illo verbo Isaiæ *requiescet*, tamen dona non dantur immediatè ad operandum, vt virtutes, sed dantur vt homo sit aptus, & benè dispositus vt moueatur à Spiritu S. motione quadam speciali, & extraordinaria, quoad actus quosdam extraordinarios, quos homo speciali Spiritus Sancti influxu elicit. Quocirca proprium munus donorum est disponere animam, eiusque potentias ad recipiendam motionem Spiritus S. mouentis, & agentis hominem per regulas superiores etiam ipsis virtutibus supernaturalibus infusis. Vnde homo in vsu donorum magis agitur, quam agat. Hinc voluntas licet in vsu donorum liberè operetur, non tamen id facit ex sua propria directione, vt possit vti dono vbi, & quando voluerit, sed dumtaxat vbi specialem Spiritus S. motionem ab extrinseco accipit, quam tamen semper paratam non ha-

habet, sed quando sibi misericorditer cōceditur.

211 Hoc supposito, est prima sententia Durandi *in 3. dist. 34. q. 3. n. 6.* quod licet dona Spiritus S. fuerint in Christo viatore tam quoad actum, quàm quoad habitum, tamen in Christo comprehensore, ea solum sunt quoad actum, quę hominem perficiunt in vita speculatiua, at illa quæ eum perficiunt in vita actiua, solum sunt in eo quoad habitum. Vnde modo in Christo non manent donum consilij, Fortitudinis, Pietatis, & Timoris, sed solum quoad habitum. At donum Sapientiæ, Scientiæ, & Intellectus, manent & quoad actum, & quoad habitum.

212 Vera, & communis sententia seq. conclusione explicatur. *Actus omnium donorum, & non solum habitus, fuerunt, & sunt in Christo D.* Sic tradit S. Doctor *hic art. 5.* & omnes eius interpretes hoc loco. Colligitur ex citatis Isaię testimonijs. Colligitur etiam ex illo Luc. 4. vbi loquens de Christo D. dicit. *Plenus Spiritu S. regressus est à Iordane, & agebatur à Spiritu S. in desertum.* Per hoc quod dicitur plenus Spiritu S. significatur quod habebat dona Spiritus S. quoad habitus, & ex eo quod dicitur, quod agebatur à Spiritu S. significatur quod habeat eadem dona quoad actus.

213 Quod in Christo D. fuerint dona Spiritus S. quantum ad habitum, patet, nam ideo in omnibus iustis dantur dona Spiritus S. quia debent esse permanenter dispositi vt moueantur à Spiritu S. sed ob hoc etiam, & multo perfectius debebant esse in Christo D. ergo, &c. Quod autē debeant esse quoad actus, patet, nam habitus non dantur nisi propter actus; ergo si in Christo D. fuerunt dona Spiritus S. & de facto sunt, cum nullam habeant repugnantiam nec cum eius statu, nec cum eius excellentia quoad habitum, etiam quoad actum esse debent. Tum quia in Christo D. fuit plenitudo gratiæ, sed non stat plenitudo gratiæ sine donis Spiritus S. ergo, &c. Maior nota est ex illo Ioann. 1. *Plenum gratiæ.* Minor etiam nota est, quia dona profluunt à gratia tanquam proprietates illius; ergo, &c. Soluuntur argum. Durandi.

214 Primum argum. nam in Christo D. non reperitur donum consilij saltē quoad actum; ergo, &c. Antecedens probatur, nam vbi repugnat obiectum actus, vel habitus, ibi non potest dari actus, vel habitus, sed in Christo Domino repugnat obiectum doni consilij; ergo, &c. Minor probatur, nam obiectum consilij, est res dubia, de qua consulitur, & inquiritur; sed in Christo D. non potuit esse dubium de rebus agendis, ergo neque consilium. Resp. negando antecedens. Ad probationem negatur minor. Obiectum namque consilij est iudicium de rebus agendis, quod in nobis fit per consultationem, & inquisitionem, cum rem vti est, non cognoscamus. At in Christo D. & in beatis cum res clarè cognoscatur, est iudicium certum de rebus agendis, & euidens, de re certa, & euidenti, non de re dubia.

215 Secundum argum. nam donum fortitudinis datur ad fortiter aggredienda pericula, sed in Christo maximè post resurrectionem, & in beatis non sunt pericula quæ aggrediantur; ergo, &c. Resp. quod in nobis fortitudo datur ad aggrediendа pericula, ad vincendas, & superandas difficultates ex instinctu Spiritus S. circa pericula vitæ, quod etiam fuit in Christo ante mortem. Modo tamen in Christo, & beatis non datur ad vincenda pericula, sed ad complacendum, & gaudendum de periculis iam superatis. Vel etiam datur ad habendum affectum, quo Christus D. est paratus iterum mori, & subire pericula si esset necesse.

216 Tertium argum. nam donum sapientiæ, scientiæ, & intellectus dantur hominibus in adiutorium fidei, seu ad adiuuandam, & fulciendam, aut corroborandam fidem, vt melius intelligantur, & penetrentur mysteria fidei, sed in Christo D. & in beatis non datur fides; ergo neque prædicta dona. Resp. quod dicta dona in nobis etiam adiuuant fidem, non tamen hoc est essentiale illorum, sed donum

num sapientiæ, & intellectus dantur ad penetranda, seu cognoscenda diuina mysteria prçter regulas ordinarias. Nam sicut habitus intellectus in naturalibus est circa prima principia, & sapientia circa conclusiones per causas altissimas, & scientia circa easdem conclusiones per causas inferiores. Sic donum intellectus datur ad cognoscenda mysteria, quæ sunt quasi prima principia in supernaturalibus. Et sapientia datur ad cognoscendas quasdam quasi conclusiones dictorum mysteriorum per causas superiores, & altissimas. Et donum scientiæ datur ad cognoscendas easdem per causas inferiores creatas.

217 Sed quæres 1. an dona Spiritus Sancti sint eiusdem rationis in Christo D. & in nobis? Resp. affirmatiuè, sicut enim gratia, & cæteræ virtutes sunt eiusdem rationis in Christo D. & in nobis, ita & dona. Tum quia hoc modo magis assimilamur Christo D. nostro capiti; congruum namque est, quod membra suo capiti assimilentur.

218 Quæres 2. an dona Spiritus S. maneant in Patria quoad eundum vsum quem habent in hac vita? Resp. negatiuè, transit enim vsus quem hic habent dicta dona, & alium habent in Patria; vnde mutantur quantum ad vsum nõ quantum ad essentiam. Sapientiæ namque potissimus vsus quem hic habet, est vt hominis ratio, diuinorum mysteriorum veritatem quæ fide apprehenduntur, discernat ab erroribus contrarijs. At vsus quem habet sapientia in Patria est mentem reficere, certitudine æternorum. Vsus doni intellectus in hac vita, est perficere rationem, vt quæ per donum sapientiæ didicit, ac statuit esse credenda, speranda, ac diligenda, facile, fæliciterque apprehendat. At vsus huius doni in Patria est illuminare mentem, vt penetret ea quæ in hac vita credidit, sperauit, dilexit. Vsus doni scientiæ in hac vita est instruere intellectum ad cognoscendum in rebus, actionibusque humanis omnia quæ virum sanctum, & perfectum de his scire oportet, & expedit. At vsus huius doni in Patria est replere animum omni cognitione necessaria. Vsus doni fortitudinis in hac vita, est conferre promptitudinem, & constantiam contra timorem pçriculorum. At vsus Patriæ est ingenerare quandam piam confidentiam in animo, &c. Vsus doni pietatis in via est dirigere hominem in omnibus, quæ sibi agenda sunt pro proximis suis, vt omnibus omnia fiat vt nemini noceat, & omnibus prosit. At vsus pietatis in Patria est congaudere, ac congratulari omnibus beatis, de gloriæ cælestis participatione. Vsus doni timoris in via, est perficere voluntatem vt Deum nec verbo, nec facto offendat, & nullatenus ab eo declinet, sed in eius cultu solitè perseueret. Cæterum eius vsus in Patria est mentem confortare de rebus hic speratis, & ibi obtentis.

219 Quæres 3. an dona Spiritus S. sint homini necessaria? Resp. affirmatiuè. Pro quo nota, quod Deus creauit hominem vt post huius vitæ exitum perueniat ad participationem bonorum supernaturalium in regno cælorum; hoc subitò non fit, sed medijs actionibus, ac meritis quæ illis bonis incomparabilibus respondeant. Pro quibus Deus varia auxilia largitus est vt huiusmodi merita sibi fæliciter in hac vita comparare possit. Hinc ei indidit mentem intelligibilem, cuius ductu ea quæ ad humanas actiones pertinent, præstare posset. Eidem menti indidit capacitatem ad recipiendum supernaturalem influxum, ad cognoscendas, & consectandas res supernaturales, pro quo infundit ei virtutes Theologicas, & infusas. Sed quia in ijs virtutibus, donec homo hic viuit, quædam inuenitur imperfectio, quoniam ex parte cognoscimus, & ex parte diligimus, Deus prouidit homini dona quædam perfectiora, vt sic nihil ei deesset ad actiones supernaturales, vt digniorem se redderet societati Dei, & sanctorum eius in cælis, & hæc sunt dona Spiritus Sancti.

230 Quæres 4. an dicta dona sint cõnexa? Resp. affirmatiuè, sicut enim nemo dicitur habere aliquam virtutem perfectè nisi habeat & cæteras, ita & dona nequeũt esse disiuncta. Infunduntur enim homini simul cum charitate, quæ diffunditur in

corda

corda nostra per Spiritum S. *Rom.* 5. Atque ob id habens charitatem, habet etiam omnia dona Spiritus S. Non sic gratiæ gratis datæ; istæ namque diuisim concedi possunt.

231 Quæres 5. quomodo dona Spiritus S. comparentur ad virtutes? Resp quod comparatione facta cum virtutibus Theologicis, istæ præcedunt, nam istæ immediatè coniungũt mentem cum Deo, dona autem reddunt mentem à Deo mobilem. Cœterum si fiat comparatio cum alijs virtutibus, dona Spiritus S. præcedunt; virtutes namque versantur circa perfectionem rationis in ordine ad suam propriam rationem. At dona perficiunt animæ vires in corde ad parendum motioni Spiritus S. Quantò autem motor est excellentior, tantò perfectius debet esse mobile.

DVBIVM XVIII.

An donum timoris fuerit in Christo D.

232 Licet ex dictis dubio præcedenti satis constet, quod etiam donum timoris fuerit in Christo D. tamen quia S. Doctor specialem de hoc instituit articulum, etiam nos speciale instituimus dubium. Pro quo sciendum quod timor generatim acceptus est metus mali appropinquantis, & diuiditur in naturalem, qui est animi passio, qua homo naturaliter timet mortem, & quodlibet malum futurum naturale, & de hoc timore nulli dubium est, quin fuerit in Christo D. iuxta illud Marc. 14. *Capit Iesus pauere, & tedere.* In mundanum, quo quis timet malum temporale, aut iacturam alicuius boni temporalis, & quando quis propter hunc timorem transgreditur aliquod præceptum, est peccatum, & de isto timore certum est quod non fuit in Christo D. In timorem seruilem qui est bonus, dummodo non sit cum seruilitate: tunc autem est seruilis sine seruilitate quando quis timet pœnas inferni, & ob hunc timorem dolet de peccatis. Tum autem est cum seruilitate, quando non doleret de peccatis si non essent pœnæ inferni. Et neque iste cum sit imperfectus, fuit in Christo Dom. Deinde in filialem, & castum quo timetur offensa Dei, quatenus est offensa illius, &c.

233 Alij diuidunt timorem in naturalem, & moralem. Moralem subdiuidunt in mundanum, seruilem, initialem, & filialem. Mundanus oritur ex inordinato amore rerum huius mundi. Seruilis vel timet pœnam vt malum principale, & dicitur seruilis cum seruilitate, vel timet pœnam vt iustè à Deo infligendam. Timor filialis est timor piorum amantium Deum, & timentium Patris offensam. Timor initialis est medius inter filialem, & seruilem: timet Deum partim ex amore, ne eum offendat, & partim ex metu pœnæ, quam Deus infligit peccantibus. De timore ergo filiali, seu casto præsens procedit dubium an scilicet iste timor, qui est donum Spiritus Sancti detur in Christo D.

234 Petrus Abailardus, quem impugnauit, & expugnauit D. Bernardus de quo supra, tenuit, quod in Christo Dom. non fuit donum timoris. Veritas catholica seq. concl. explicatur. *In Christo D. fuit, & est donum timoris, sicut & in beatis.* Hæc conclusio definita fuit ab Innoc. II. contra Petrum Abailardum, vt supra notauimus. Colligitur ex illo Isa. 11. *Repleuit eum Dominus Spiritu timoris Domini.* De hac re ago 2.2. *disp.* 13. *dub.* 2.

235 Maior difficultas est, quinam sit actus timoris qui fuit in Christo D. Prima sententia est, quod timor filialis, seu reuerentialis in Christo D. & in beatis non est de eminentia diuinæ maiestatis tanquã de obiecto quod timetur, sed est de peccato aliquo per quod aliquo modo vsurpatur excellentia Dei, exequando se ipsi Deo, & subducere se volens ab ipsius obedientia. Cognoscit enim Christus, & idem est de quolibet beato, eminentiam diuinę maiestatis, & potentiæ, cognoscit etiam vilitatem sui esse, & imbecillitatem, ex qua cognitione, adiuncta speciali motione Spiritus S. resultat in voluntate Christi affectus quidam, quo voluntas refugit, & for-

formidare, quomodolibet vsurpare diuinam excellentiam, vel exequendo se Deo inuestigando, vel apprehendere volendo mirabilia eius, aut etiam separando se à Deo, obedientia, & subiectione ipsius per peccatum, & iste actus fugæ est timor reuerentialis in Christo D. & beatis. Sic Orlandus *tract.2.disp.3.q.2.n.19.* citans Caiet. Medinam, Suarez, Vasqu. & Valentiam, & dicit sic tenere alios Thomistas.

236 Cæterum Caiet. non videtur illius sententiæ. Sic enim dicit. *Ideo vtrumque de Christo dicitur, scilicet & quod non erat in eo timor mali possibilis fugiendi, scilicet per donum timoris, & quod erat in eo timor eminentia diuina potentis insligere malum. Contemplando siquidem diuinam eminentiam vt causam potentem quantum ex se est insligere malum, insurgebat timor reuerentialis ad illam: quamuis sciendo eminentiam illam esse causam determinatam ad non causandum in se huiusmodi malum, securus esset absque suspicione quacumque huiusmodi mali.* Vbi vt vides, non vult Caietanus, quod timor reuerentialis sit motus, seu actus fugæ in Christo, & in beatis, sed actus reuerentiæ erga eminentiam diuinæ maiestatis potentis insligere malum, non quod etiam de possibili possit illud insligere Christo D. ac proinde non potest in Christo dari fuga mali, cum in eo neque sit possibile. Nullus enim fugit malum, quod neque concipit vt possibile.

237 Neque Medina tenet illam sententiam, sed tenet, quod timor in Christo D. est actus summæ reuerentiæ, quo summæ reueretur Deum. Considerans namque anima Christi summam Dei eminentiam, & suam naturam ab eo infinitè distantem, tremit, & non audet loqui coram eo facie ad faciem. Neque Vasq. tenet illam sententiam, dicit enim, quod licet in Christus D. dum fuit in hac vita habuerit timorem alicuius mali corporalis imminentis, & fugam illius vt futuri, cum timuerit mortem, non tamen habuit fugam mali culpæ contra Deum, neque pœnæ propter peccatum, quia nec habuit, nec habere potuit, tamen post resurrectionem, & in beatis, timor est actus reuerentiæ circa bonum, seu circa maiestatem potentem Dei, qui timor reuerentialis est actus veræ humilitatis, non habitus peculiaris, sicut nec alia dona Spiritus S. Neque etiam Valentia stat pro illa sententia, dicit enim, quod cum timoris obiectum propriè nō videatur esse nisi malum in executione possibile, & velut imminens, non potuit timor propriè esse in Christo. Quod si dicamus obiectum timoris esse malum etiam possibile, tunc potuit esse in Christo. Solus Suarez videtur fauere illi sententiæ, quatenus dicit quod actus timoris in Christo non solum includit voluntatem alicuius boni, sed etiam fugam alicuius mali, non quidem imminentis, seu quod formidetur futurum, sed quod secundum se malum est, & repugnans diuinæ excellentiæ. Deinde subdit, quod actus timoris explicatus à Caietano, qui non includit fugam mali, est actus charitatis, vel amoris concupiscentiæ. Sed quicquid de his sit.

238 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Timor qui est in Christo D. & est in beatis est donum, seu est actus doni Spiritus S. & est actus summa reuerentia erga summam Dei eminentiam; qui actus consurgit ex cognitione infinita distantia Dei, ratione cuius non audet respicere illam infinitatem Dei maiestatem.* Quod iste timor reuerētialis sit actus habitus doni Spiritus S. constat ex dictis supra, quod scilicet dona Spiritus S. distinguātur à virtutibus infusis, & sic ille actus elicitiuè est à dono timoris, licet imperatiuè possit esse à virtute humilitatis infusæ, aut religionis; nulla namque est repugnantia, quod vnus, idemque actus ab vno habitu eliciatur, & ab alijs imperetur. Vnde dictus actus timoris erit à dono timoris elicitiuè, quatenus fit ex aliqua speciali, extraordinaria, eaque extrinseca motione, & impulsu Spiritus S. & erit à virtute humilitatis, quatenus fit ex dimissa sui cognitione, & à religione, prout est summa quædam reuerentia, cultus, & honor Dei.

239 Quod autem donum timoris, & actus illius sit actus summæ reuerentiæ

erga summam Dei eminentiam, consurgens ex cognitione infinitę maiestatis Dei &c. docet S. Doctor hic art. 6. in corpore dicens. *In Christo fuit timor Dei, non quidem secundum quod respicit malum punitionis pro culpa, sed secundum quod respicit ipsam diuinam eminentiam. Prout scilicet anima Christi quoddam affectu reuerentiæ mouebatur in Deum à Spiritu S. acta. Vnde Hebr. 5. dicitur, quod in omnibus exauditus est pro sua reuerentia. Hunc enim affectum reuerentiæ ad Deum, Christus secundum quod homo præ cæteris habuit pleniorem, & ideo ei tribuit Scriptura plenitudinem timoris Domini*. Et in solut. 1. dicit. *De ratione doni timoris, non est illud malum, quod respicit timor, sed eminentia illius boni, scilicet diuini, cuius potestate aliquod malum infligi potest*. Timor ergo in Christo respicit non malum, quod fugiat, sed eminentiam diuinæ potentiæ potentis infligere malum, eminentia namque diuinæ maiestatis, aut potentiæ potentis infligere malum nō est obiectum fugæ, cum non sit quid malum, & fugiendum, sed bonum, & prosequendum. Ipsa namque sola eminentia ex qua malum sequi potest secundum se, licet non inferat fugam, infert tamen timorem. Sit exemplum de eo qui ex altissima turri intuetur inferius, licet certò sciat se in tuto loco esse positū, vt nullo modo cadere possit, nihilominus timorem, & horrorem ipsa sola altitudo causare solet.

240 Elegantissimè explicat S. Doctor hanc rem q. 4. de virtutibus art. 4. ad 2. vbi sic loquitur. *Timor est respectu mali, sub malo autem comprehendi potest omnis defectus. Est autem triplex hominis defectus: vnus quidem pœna, & hunc principaliter respicit timor seruilis: alius autem est defectus culpæ, & hunc respicit timor filialis, vel castus secundum quod est in statu viæ, in quo peccare possumus: neutro autem modo erit timor in patria, sublata potestate culpæ, & pœnæ secundum illud Prou. 1. abundantia perfruetur, malorum timore sublato. Est autem tertius defectus naturalis, secundum quod quælibet creatura in infinitum distat à Deo, qui defectus numquam tolletur, & hūc defectum respicit timor reuerentialis qui est in patria, qui reuerentiam exhibebit suo creatori ex consideratione maiestatis eius, in propriam desiliens paruitatem*. En quomodo timor in patria respicit etiam defectū, non quem fugiat, sed comparando se cum diuina eminentia causat timorem reuerentialem, & sic manet, quod timor non est actus fugæ, vt vult Orlandus post Suarez, sed est actus prosecutionis in summam eminentiam Dei, comparatam ad proprium defectum. In nobis timor habet duplicem actum primarium, & secundarium. Primarius est actus quo quis reuerетur Deum, seu respicit diuinam eminentiam, eamque comparat cum propria vilitate, & iste remanet in patria. Secundarius est fuga mali imminentis culpæ, aut pœnæ, & iste in patria non remanet. Et per hæc manet probata nostra concl. Soluuntur argum. in contrarium.

241 Primum argum. nam timor reuerentialis, est verè, & essentialiter timor; ergo est essentialiter alicuius mali, non prosecutio; ergo fuga. Antecedens probatur, nam implicat esse amorem, & non alicuius boni; ergo implicat esse timorem, & non alicuius mali, hoc autem malum in timore reuerentiali, non potest esse nisi malum oppositum diuinæ reuerentiæ, volendo se exequare diuinę excellentię; ergo &c. Resp. 1. concedendo antecedens, & distinguendo consq. si per malum intelligatur proprius defectus naturalis, & cōceditur: moralis & negatur; vt enim diximus cum D. Thoma, timor reuerentialis oritur ex cognitione diuinæ excellentię, & propriæ paruitatis, quorum neutrum est malum quod fugiamus, sed in quod tendimus nostra consideratione. Resp. 2 negando consq. vt enim dicit S. D. dicto art. 6. ad 1. *Habitus virtutum, & donorum propriè & per se respiciunt bonū, malum autem ex consequenti*, seu tamquam quid secundarium, & dipensabile in alia vita.

242 Secundum argum. quoniam si aliquis Rex ad suam familiaritatē admittat aliquem rusticum, vel ignobilem, iste Regis considerans maiestatem, & suam vilitatem, per timorem reuerentialem refugiet,

fugiet, & reformidabit æquare se cum illo, vsurpare eius excellentiam, aut in aliquo illi displicare, ergo hoc idem dicendum est de Christo D. Resp. bene potest rusticus ille fugere se æquare Domino, eius excellentiam vsurpare, & nole ille displicere, quia ista sunt sibi non solum possibilia sed etiam facilia, at in Christo D. & in beatis, ista sunt impossibilia, ac proinde non possunt ab illis fugere, sed eorum timor consistet in illa contemplatione summæ excellentiæ Dei, & propriæ paruitatis, qua quodamodo non audent ad Deum accedere.

DVBIVM XIX.

An in Christo D. fuerint gratiæ gratis datæ.

243 GRatia dicitur à voce *gratis*, quia significat fauorem gratuitum, beneficium, officium. Vnde Apost. Rom. 11. ad rem dicit. *Si autem gratia, iam non ex operibus alioqui gratia iam non est gratia.* Nomen gratiæ trifariam accipitur. Primò pro alicuius fauore, aut dilectione. Secundò pro dono gratis dato. Tertiò pro compensatione talis doni. Iuxta primam acceptionem, seruus dicitur habere gratiam sui Domini, aut gratus esse. Iuxta secundam dicitur quis alteri gratiam facere, seu aliquid donare. Et iuxta tertiam, dicitur quis alteri gratiam tribuere. Accipitur etiam gratia pro indulgentia, ac remissione, quo modo dicitur fieri gratia cui pœna commerita cōdonatur, vt qui à carceribus liberatur, & vinculis: vel cui condonantur debita, &c.

244 Hoc loco loquimur de gratijs gratis datis, quæ secundū Apo. 1. Cor. 12. sunt nouē. 1. est *Fides.* 2. *Sermo sapiētiæ.* 3. *Sermo scientiæ.* 4. *Gratia sanitatum.* 5. *Operatio virtutū.* 6. *Prophetia.* 7. *discretio spiritum.* 8. *Genera, seu notitia linguarum.* 9. *Interpretatio sermonum.* Tres priores pertinent ad aliorum institutionem in doctrina religionis Christianæ. Nam *Fides,* vt hic accipitur est certitudo de rebus inuisibilibus, quæ sunt veluti principia doctrinæ Christianæ. *Sermo sapientiæ*; denotat diuinorū cognitionem, è quibus sumuntur conclusiones præcipuæ nostræ doctrinæ. *Sermo scientiæ,* significat cognitionem rerum naturalium, è quibus sumuntur argumenta ad declarationem supernaturalium, etenim *inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Rom. 1. Aliæ pertinent ad confirmationem doctrinę supernaturalis à Deo reuelatæ. Per *gratiam sanitatum*, miraculosè curantur infirmitates, & defectus corporales. Per *operationem virtutum* fiunt miracula in cæli sideribus, nubibus, terra, & mari. Per *prophetiam* fiunt reuelationes futurorum contingentium. Per *discretionem spiritum* cognoscuntur motus cordium, & occultæ cogitationes. Ad istorum manifestationē requiruntur duo. Primò notitia diuersorum idiomatum, maximè cum quis debet ea prædicare diuersis nationibus, & ob hoc datur donum linguarum. Secundò requiritur intelligentia sacrarum scripturarum, aliorumque scriptorum necessariorum, & ob hoc datur interpretatio sermonum. De gratia. *Prophetiæ* dicemus dubio seq. de alijs dicemus in præsenti dubio.

245 Prima sententia est, quod in Christo D. non detur gratia *Fidei.* Sic Valentia in præsenti relatus à Cipullo *q. 7. art. 7. dub. vnico n. 1. in fine.* Communis, & vera sententia seq. concl. explicatur. *In Christo D. fuerunt omnes gratiæ gratis datæ.* Colligitur ex illo 1. Ioan. *Et de plenitudine eius omnes accepimus.* Et sic cum Sancti Apostoli, & alij præcipui Ecclesiæ viri gratias gratis datas acceperint, debuerunt esse in Christo D. cum de plenitudine illius omnes acceperint. Cum enim Christus D. fuerit primus, & præcipuus Doctor doctrinæ spiritualis, & nostrę fidei, debuit habere dictas gratias quas alijs communicaret. Conueniens namq; erat, quod omnes gratiæ quæ in alijs fuerunt dispersæ, in Christo D. capite congregarentur in grado summo, & perfectissimo. Sic argumentatur S. P. Aug. *Epist. ad Dardanum*, quod sicut in capite sunt omnes sensus, sic in Christo fuerunt omnes gratiæ.

246 Probatur 1. nam omnes, & singulæ perfectiones, quæ conferunt ad benè, & perfectè exequendũ munus perfectissimi Doctoris, non legum, sed sanctitatis, sed pietatis, sed iustitiæ, sed vitæ æternę, debent esse in Doctore primo, maximo, & omnium perfectissimo; sed Christus D. est omnium Doctorum perfectissimus, imò Magister omnium, docens veram sanctitatem, pietatem, iustitiam, & vitam æternam, ergo in ipso esse debebant omnes perfectiones, & gratiæ quæ fuerunt in alijs, aliàs non esset omnium Doctorum perfectissimus.

247 Probatur 2. nam vbi est plenitudo omnis gratiæ in alios redundantis, ibi debent esse omnes gratiæ; sed in Christo D. fuit plenitudo omnis gratię in alios redundantis; ergo in eo debent esse omnes gratiæ. Omnis namque gratia reperta in aliquo, à Christo D. in illum deriuatur, est enim fons omnis gratię. Tum quia ideo in Christo D. fuit plenitudo gratiæ sanctificantis, quia ab eo omnis gratia sanctificans deriuatur; sed etiam ab eo deriuatur omnis gratia gratis data; ergo in eo debet esse omnis gratia gratis data. Tum etiam quia gratię gratis datę sunt ad ædificationem, & instructionem aliorum in rebus fidei; in hoc enim distinguuntur gratiæ gratis datæ, à gratia gratum faciente, quod ista datur in bonum recipientis; & illæ dantur in bonum, in ædificationem, & instructionem aliorum; ergo debuerunt esse in primo instructore aliorum.

248 Probatur 3. discurrendo per singulas. Nam gratiæ sapientię, & scientię, vt constat, nil aliud sunt quam dona quędam quibus perfectissimè explicantur, & declarantur fidei mysteria per causas altissimas, & per causas inferiores, & hæc dona debuerunt esse in cælesti Doctore qui frequenter mysteria fidei explicabat & per causas altissimas, & per causas, & paraboles faciles. Gratia *fidei* fuit in Christo D. Hoc namque donum nihil est aliud quam firma quædam fiducia per quã impetrantur quæ à Deo petuntur, quæ fiducia fuit in Christo D. vt colligitur ex illo Ioan. 11. *Gratias ago tibi, ego enim sciebam quia semper me audis.* Gratia sanitatum fuit in Christo D. vt constat ex innumeris miraculis quæ, fecit, sanando infirmos, & ægrotos à varijs infirmitatibus, vt colligitur ex sacris Euangelijs. Fuit in Christo D. discretio spirituum, qua diudicatur, & penetratur quo spiritus quis impellatur ad aliquid dicendum, vel faciendum. Sic enim Christus D. iudicauit Pharisæos cum accederent vt caperent eum in sermone. Sic iudicauit quærimoniam Iudæ de effusione vnguenti, quod proueniret ex affectu auaritiæ. Fuit etiam in Christo D. interpretatio sermonum, interpretando obscuros, & recomditos sacræ scripturæ sensus. *Luc.* 2. & alibi. Quantum ad notitiam, seu genera linguarum dico, quod licet expressè non legamus Christum D. fuisse varijs linguis loquutum, facile tamen conijci potest, cum loqueretur cum Gentilibus. Vel dicamus cum D. Tho. dicto *art.* 7. *ad* 3. quod licet Christus D. nunquam fuisset loquatus varijs linguis, hoc non impedit quin earum peritiam habuerit, cum sit perfectio nullam inuoluens imperfectionem.

246 Sed obijcies 1. nam fides est vna ex gratijs gratis datis; sed hæc non fuit in Christo D. ergo, &c. Minor probatur, nam ista gratia importat imperfectionem repugnantem statui beatifico; ergo non fuit in Christo D. cum esset beatus. Maior probatur, nam importat obscuritatem; cum enim Fides quæ est gratia gratis data importet quandam excellentiam fidei Theologicæ, & hæc importet obscuritatẽ, etiam illa eam importabit. Resp. negando minorem. Ad probationem dico, quod fides quæ est gratia gratis data, non est excellentia fidei Theologicæ, cum ab illa distinguatur, sed est vel quædam fiducia per quam impetrantur ea, quæ à Deo petuntur. Vel est quædam excellens cognitio mysteriorum fidei, præscindens ab hoc quod sit clara, vel obscura. Vel certè est facilitas quædam ad proponenda mysteria fidei, accomodatè taliter, quod etiam ab ignorantibus, & rudibus percipi possint.

Obij-

250 Obijcies 2. nam Christus D. non habuit donum linguarum, ergo neque alia. Antecedens docet S. Doctor ad 3. dicens. *Donum linguarum datum est Apostolis, quia mittebantur ad docendas omnes gentes. Christus autem in vna sola gente Iudaeorum voluit personaliter praedicare, secundum quod ipse dicit Matt. 15. non sum missus nisi ad oues, quae perierunt domus Israel. Et Apost. dicit ad Rom. 15. Dico Iesum Christum ministrum fuisse circumcisionis, & ideo non oportuit quod loqueretur pluribus linguis.* Resp. D. Thomam solum negare vsum dicti doni, non habitum. Aliqui tamen Theologi vt Puteanus, Syluius, Suarez, & Nazarius distinguunt, dicendo, quod in publicis concionibus non fuit vsus hoc dono, bene tamen in priuatis colloquijs vt cum loqueretur cum Cenandro, cum Romanis, cum Aegyptijs, cum enim esset in Aegypto debebat loqui eadem lingua. Scripsit etiam lingua Siriaca Epistolam ad Agabarum Regem Edessenorum, quam ex Eusebio, & alijs refert Baronius *to. 1. annal. ann. 31.*

251 Sed hic quaeret aliquis, an gratiae gratis datae sint habitus, an solum detur per modum actus? Resp. quod donum fidei, sapientiae, & scientiae quidam habitus sunt. At gratia miraculorum in alijs est quidā influxus diuinae virtutis per modum transeuntis, tribuens vim homini, vt cuidam instrumento ad opus miraculorum patrandum. Idem dicendum de alijs donis, siue gratijs, quod scilicet in alijs dentur per modum fluxus, seu motionis, aut transeuntis. Caeterum in Christo D. omnes gratiae gratis datae, dantur per modum habitus quoad hunc sensum, quod toties quoties volebat agere per dictas gratias gratis datas, semper habebat paratissimum speciale Dei auxilium, ad id necessarium, quod non habet locum in alijs hominibus dictas gratias habentibus vt constat in veteri testamento, in quo passim est animaduertere Prophetas non semper habuisse hoc donum ad suum nutum, vt eo vti possent quoties vellent.

DVBIVM XX.

An in Christo D. fuerit gratia Prophetiae.

252 Plures habet *prophetia* nomen significationes. Prima est qua propheta dicitur quasi procul fans, seu procul videns, qua ratione Prophetae in scriptura dicuntur videntes, quatenus cognoscunt, & loquuntur, quae secundum tempus, & locum sunt procul ab hominū sensibus. Secundò dicitur *Propheta* qui mentis, & voluntatis arcana cognoscit, & nunciat. Tertiò dicitur *Propheta*, qui diuini spiritus afflatu, & reuelatione Prophetae instruunt homines, ad pietatem, eisque religionis mysteria, & scripturarum loca difficilia explicant. Quartò *Propheta* dicebatur, qui diuino afflatu psalmos, & hymnos in Dei laudem concinnabat, vt de Saule dicitur 1. *Reg. 10. & 19.* Quintò vocatur *Propheta* qui librum canonicum dictante Spiritu S. conscribit. Primo modo Christus D. fuit Propheta, plura namque nunciauit, quae procul erant ab hominum sensibus. Secundo etiam modo Christus fuit Propheta, pluries enim occulta cordium hominum arcana manifestauit. Tertio modo fuit Propheta, cum Spiritus S. instinctu homines ad pietatem instrueret. Quarto modo fuit Propheta, cum hymnos in Dei laudem cantauerit. *Et hymno dicto*, &c. Quinto modo fuit Propheta, libri namque noui testamenti ipse docente, inspirante, & fortasse iubente conscripti sunt.

253 Quae vt melius capiantur notandum, prophetiam definiri communiter, quod sit *reuelatio diuina, rerum euentus, immutabili veritate, denuncians.* Dicitur *reuelatio*, quia prophetia in Prophetis non datur per modum habitus, sed per modum actus; reuelatio namque est quid transiens, cum sit quaedam impressio in intellectu prophetae. Manet tamen quaedam habilitas ad hoc donum, sicut qui exercent actus virtutum, comparant namque sibi quandam habilitatem, & facilitatem ad eosdem. Prophetarum dicta

sunt

sunt duplicia, quædam ex manifesta reuelatione proficiscuntur, & in his non potest subesse falsum. Quædam ex tacito instinctu diuino, vt nesciat propheta, an ex suo spiritu dicat, an ex diuino, & in his quandoque potest esse error, putans esse ex instinctu diuino cum non sit. Non requiritur ad propheticam reuelationem interior sanctitas, cum neque ipsa hominem sanctum faciant, vt est commune omnibus gratijs gratis datis. Ratio est, quia pertinet ad cognitionem intellectus, non ad inflammationem affectus. Communiter tamen requiritur ad prophetiam exterior quædam præparatio per sobrietatem, & tranquillitatem ab alijs negotijs. Reuelatio prophetica fit aliquando per solum luminis influentiam, in quo homo cognoscit, quæ Deus vult sibi manifestare. Aliquando fit per nouas species menti impressas, vel aliter ordinatas. Reuelationes propheticæ non sunt vniusmodi, sed quædam fiunt cum aliqua sensuum alienatione, quædam sine ea. In immissione diuini luminis, & specierum intelligibilium, nulla fit alienatio, bene tamen in reuelatione per formas imaginarias. Reuelationes propheticæ aliquando fiunt cũ intelligentia eius à quo prouehiunt, & eius quod significant, quod est verorum, & perfectorum prophetarum. Aliquando plura intendit Spiritus S. in reuelationibus quam propheta intelligat. Aliquando nec cognoscitur reuelatio quod sit ex Deo, nec quid significet, vt patet de Caipha dum Christi D. mortem prophetauit.

254 Prophetia communiter diuiditur, vt alia sit prædestinationis, alia comminationis, & alia præscientiæ. Prædestinationis est quæ fit vt sine nostro arbitrio impleatur. Comminationis est, quæ fit in signum diuinæ animaduersionis, sub quo continetur prophetia promissionis, quæ fit in signum diuinæ clementiæ, & reconciliationis. Præscientiæ est illa cui nostrum arbitrium admiscetur. Istæ tres prophetiæ fuerunt in Christo D.

255 His positis. Prima sententia est, quod in Christo D. non fuerit verè, & propriè prophetia, sed tantum secundum vulgi opinionem, vt cum turbæ clamabant *Propheta magnus surrexit in nobis, &c.* quod prius docuit Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem cap. 21.* Communis, & vera Theologorum sententia est, quod in Christo D. verè, & propriè fuerit prophetia, ac proinde quod Christus D. fuerit verè propheta, & non tantũ secundum populi existimationem. Colligitur ex illo Deuteron. 18. *Prophetam suscitabit vobis Deus, de fratribus vestris*, quod etiam habetur Ioan. 1. Luc. 4. 7. 13. & 14. & alibi. Constat ex dictis dubio præced. quod scilicet in Christo fuerint omnes gratiæ gratis datæ, sed prophetia est gratia gratis data, ergo, &c. Tum quia illud est propheta qui narrat ea quę procul sunt à sensibus hominum; huiusmodi fuit Christus D. ergo, &c. Maior nota est ex dictis. Minor etiam constat ex historia Euangelica, nam Christus D. reuelauit Iudæ proditionem, Petri negationem, Ierusalem subuersionem, suam passionem, & mortem, &c. Soluuntur argumenta in contrarium.

256 Primum argum. Prophetia non stat cum beatitudine, sed Christus D. erat beatus ab instanti suæ incarnationis; ergo non habuit prophetiam. Maior constat ex illo Apost. 1. Cor. 13. *Siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt.* Et postea. *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus, cum autem venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est.* Tum quia cognitio prophetica est obscura, in patria euacuabitur omnis cognitio obscura; ergo, etiam prophetia auacuabitur. Resp. distinguendo maiorem. Prophetia non stat cum beatitudine simpliciter, conceditur: cum beatitudine admittente conuictum, negatur. Christus autem D. cum esset viator erat quidem beatus, sed simul erat viator, ac proinde Propheta fuit. Pro quo sciendum ex D. Thoma *hic art. 8.* quod ad hoc vt quis sit propheta non sufficit vt ea quæ procul sũt enunciet; si namque Deus, vel Angelus, aut quilibet alius beatus aliquid procul nunciaret, non esset, nec diceretur propheta,

pheta, sed requiritur, quod habeat conuictum cum illis quibus nunciat quæ procul sunt à sensibus. Cum autem Christus D. in via haberet conuictum humanum, ideo propheta fuit.

257 Secundum argum. in Christo D. nihil poni potest quod aliquam imperfectionem inuoluat, sed prophetia inuoluit imperfectionem; ergo in Christo D. poni non potest. Minorem docet S. Doctor *q.20. de verit. art.6.* vbi sic fatur. *Prophetia est quadam imperfecta participatio illius visionis qua videntur res in Verbo, quæ cum in Christo perfecta fuerit, imperfectio prophetiæ in eo locum non habuit.* Resp. quod S. Doctor non negat in Christo D. prophetiam, sed imperfectionem illius, scilicet obscuritatem. Prophetia namque in Christo D. habuit euidentiam, non obscuritatem. Cum enim lumen propheticum sit quædam participatio luminis gloriæ, non dicit nec esse clarum, nec obscurum, sed vtrumque potest sibi accidere.

258 Tertium argum. nam S. Ioannes Baptista licet esset Christi D. prænuntius, tamen dixit se non esse prophetam, quia eum quem prænuntiauit, videbat; ergo multo minus erat propheta Christus D. cum longè clarius videret, quæ prænuntiabat. Resp. quod Ioannes erat non solum propheta, sed plusquam propheta. Vel non fuit propheta more aliorum prophetarum, qui ea tantum communiter prænuntiabant, quæ longo post tempore erant futura; Ioannes autem quem annunciabat etiam digito demonstrabat.

259 Quartum argu. Nec Christus D. in cælo, nec alij beati habent cognitionem propheticam; ergo neque habitum, ac proinde in Christo in hac vita non fuit prophetia. Omnis namque cognitio quam habuit Christus D. eam retinuit in Patria. Tum quia nulla fuit necessitas ponēdi cognitionem propheticam in Christo D. viatore, sicut non est necessitas ponendi eam in eodem comprehensore.

260 Respondet Cipullus hoc loco n.10. quod in Christo D. in cælo manet omne genus cognitionis, quod in via fuit in illo per modum habitus, non tamen illud quod fuit in eo per modum transeuntis. Cum autem prophetia fuerit in Christo Dom. per modum transeuntis, sequitur, quod non maneat in eo in patria. Negari tamen non potest, vt diximus supra n. 251. quod prophetia in Christo D. non fuerit aliquo modo per modum habitus, sicut & omnes aliæ gratiæ gratis datæ quoad sensum ibidem explicatum. Tamen prophetia non manet in patria, quia non est debita Christo D. quoad omnem statum, sed solum pro eo, in quo habuit conuictum humanum nobiscum.

DISPV-

DISPVTATIO VIII.

IN QVAEST. VIII. DIVI THOMAE.

De gratia Christi secundum quod est caput Ecclesiæ.

1 N 1. articulo ostendit Christum D. vt hominem, esse caput Ecclesiæ, ita scilicet, vt dignitas capitis insit humanitati, ipseque per eam officium capitis exequatur; conueniens namque erat, quod corpus Ecclesiæ mysticum haberet caput mysticum. In 2. art. docet Christum D. non solum secundum animam, sed etiam secundum corpus esse caput hominum, & quantum ad animas, & quantum ad corpora. Tota namque Christi D. humanitas est instrumentum diuinitati coniunctum operans nostram salutem, & opera nobis salutaria, & hoc quantum ad animas. Quantum ad corpora, quia per causalitatem, & influentiam facit nostra corpora nunc esse arma iustitiæ, in patria autem influet immortalitatem, & cæteras corporis dotes. In art. 3. dicit quod Christus D. quorundam hominum est caput actu, aliorum potentia: quorundam semper, aliorum ad tempus quo peregrinantur, quia tandiu recipiunt influxum à Christo D. In art. 4. explicat quomodo Christus D. sit caput Angelorum. In 5. art. dicit, quod in Christo D. gratia capitis secundum rem, est eadem cum gratia personali, licet differat secundum rationem. In 6. art. probat, quod esse caput Ecclesię sit proprium Christi D. In art. 7. ait quod diabolus qui & Lucifer, & princeps dęmoniorum dicitur, est caput omnium malorum quoad externam gubernationem. In 8. artic. tradit, quod Antichristus est caput malorum, non quoad ordinem temporis, aut influendi, sed quoad malitiæ perfectionem. Cæterum sit.

DVBIVM I.

An Christus D. sit caput Ecclesiæ.

2 CAput apud Latinos, Græcos, & Hebræos significat verticem, cacumen, principium. Proindeque non solum hominis, & reliquorum animalium pars suprema è qua reliquæ per neruos, & sensus fouentur, nomen capitis habent. Hinc transfertur ad quodlibet summum, & primum in rebus, & hominum congregationibus, tam ciuilibus, quam Ecclesiasticis, qua ratione pater fam. dicitur caput in sua domo: Tribus in sua tribu: præfectus in suo Pago: consul, & prætor in ciuitate: Princeps in prouincia: Rex in Regno: Imperator in mundo: Pontifex in toto orbe: Episcopus in suo episcopatu. Eadem phrasi omnis Ecclesia Cathedralis dicitur caput aliarum Ecclesiarum eiusdem episcopatus.

3 Capitis viuentis in homine, & animalibus duæ sunt operationes: vna est interior influxus virtutis in omnia membra, à quo sensum, motumque recipiunt. Altera, est exterior directio, ac gubernatio membrorum, ac totius corporis per sensum visus, auditus, &c. qui omnes sensus in capite radicantur, ac complanantur. Hæ duæ operationes debent secundum similitudinem quamdam inueniri in omni superiore qui est velut caput suorum subdictorum; debent namque primò eos instruere de his quæ facere debent; secundò

dò debet monstrando, & iubendo eos dirigere vt faciant.

4 Sanctus D. hic *art* 1. tres conditiones requirit in capite mystico, ex proportione ad caput naturale. Prima quod sit primum. Secunda quod sua perfectione superet reliquum corpus, cum in eo vigeant sensus, &c. Tertia quod reliqua membra suum motum ab illo accipiant. Dum ergo quærimus an Christus D. sit caput Ecclesiæ, idem est ac quærere an ista tria in Christo D. reperiantur respectu Ecclesiæ. Cum autem in Christo D. sint duæ naturæ, diuina, & humana, non de diuina quærimus, cum omnino certum sit, quod Deus sit caput Ecclesię sed de humana, an scilicet Christus D. ratione humanitatis sit caput Ecclesiæ.

5 Vera, & catholica sent. seq. concl. explicatur. *Christus D. vt homo, seu ratione humanitatis, est caput Ecclesiæ.* Hæc concl. est de fide, eam docet S. D. hic *art.* 1. quem omnes Theologi sequuntur. Colligitur ex illo Apost. ad Ephes. 1. *Ipsum dedit*, scilicet Deus, *caput super omnem Ecclesiam.* Et ad Colos. 1. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ.* vbi Apostolus loquitur de Christo vt homine, vt colligitur ex illis verbis. *Suscitans eum à mortuis.* loco cit. ad Ephes.

6 Probatur 1. nam Christus D. habet illas duas operationes quas nu. 3. recensuimus, quæ ad rationes capitis requiruntur. Scilicet interior influxus, & exterior gubernatio, ac directio; ergo Christus D. est verè caput Ecclesiæ. Antecedens probatur, nam Christus D. habet interiorē influxum in Ecclesiam, influendo fidem, spem, charitatem, gratiam, inspirationes, &c. Habet etiam exteriorē gubernationem, & directionem per suos quasi sensus, & sunt Ecclesiæ Prælati, &c.

7 Probatur 2. ex illis tribus cōditionibus quas S. D. requirit ad rationem capitis quas n. 4. recensuimus. Nā Christus D. primū, principemque locum tenet in Ecclesia. Est enim primus prædestinatorū, est causa prædestinationis aliorum, &c. Quod superet reliquum Ecclesiæ corpus quoad perfectionem, notum est, cum de plenitudine eius omnes accipiant gratiam, eiusque passiones, scilicet virtutes infusas, &c. Quod denique Ecclesia ab illo motum, influxumque spiritualem accipiat constat, nam Christus D. Ioan. 15. se comparat viti, Ecclesiæ autem membra palmitibus. Quo declarauit se dare illis imfluxum spiritualem, sicut vitis confert suis palmitibus influxum vitalem. Soluuntur argum. in contrarium.

8 Primum argum. Deus est caput Ecclesiæ, ergo non potest esse Christus secundum quod homo. Antecedens cōstat, nam Deus influit gratiam, & reliqua dona supernaturalia, quibus singula Ecclesiæ membra, sua exercent officia, & in suos fines diriguntur. Conseq. probatur, nam vnius corporis vnum tantum est caput, sed Ecclesia est vnum corpus mysticum, ergo illius vnum tantum erit caput, non duo. Resp. 1. quod licet in corpore naturali vnū tantum detur caput, tamen in corpore politico, & mystico plura possunt dari, dummodo sint sibi inuicē subordinata. In locutionibus namque metaphoricis nō est necesse quod seruetur similitudo quātum ad omnia, sed quantū ad ea in quibus fit cōparatio, vt est in tribus conditionibus assignatis, siue postea caput sit vnum, aut plura. Resp. 2. quod licet Deus influat principaliter gratiā, & cętera dona, tamen modo quodam magis proprio Christus D. dicitur caput, quam Deus, quatenus scilicet Christus D. habet conformitatem naturæ cum ipsis Ecclesiæ membris, quam conformitatem Deus non habet.

9 Secundum argu. nam Christus D. secundum quod est homo, est membrum Ecclesiæ, ergo non est caput. Antecedens constat ex illo Apost. 1. Cor. 12. *Vos estis corpus Christi, & membra de membro*, idest de Christo, qui etiam est membrum. Conseq. probatur, namque licet in corpore naturali, & politico caput possit etiam dici membrum, & in nostro corpore caput est membrum, & pars corporis, non tamen hoc de Christo D. dicendum videtur.

10 Aliqui non putant inconueniens, quod Christus D. secundum diuersam ratio-

tionem dicatur & caput, & membrum, est caput, quia influit, &c. est membrum, quatenus est indiuiduum naturæ humanę. Sed hoc nullatenus dici potest, nam vt aduertit S.Doctor *in 3.dist.13.q.2.ar.1.ad 6.* ad rationem membri requiritur, quod aliquid ab alijs membris recipiat, vt nutrimentum, & alia ad sui conseruationem necessaria. Pariformiter pars vt pars dicit imperfectionem, scilicet dependentiam à toto, & ab alijs partibus. Cum ergo Christus D. ita sit caput Ecclesiæ, vt nihil perfectionis ab ea recipiat, nec vllo modo ab ea dependeat, sequitur, quod non possit dici membrum, aut pars Ecclesiæ. In quo longè differt à D.Petro, eiusque successoribus, qui ita sunt caput Ecclesiæ, vt tamen indigeant illius Sacramētis, precibus, & orationibus.

11 Resp. ergo ad argum negando antecedens. Ad probationem dico, quod ille Apostoli locus habet varias expositiones. Prima est: *vos estis membra de membro*, idest, vos estis membra de me qui etiam sum membrum, quia per Euangelium *ego vos genui*. Secunda est: *vos estis membra de membro*; idest, vos estis membra de Ecclesia Corinthiorum, quæ est quoddam membrum Ecclesiæ vniuersalis. Dici etiam potest, quod Christus D. sit membrum Ecclesiæ, secundum quod Ecclesia accipitur vt est congregatio omnium prædestinatorum, comprehendēdo etiā Christum D. Pro quo nota, quod Ecclesia tripliciter accipi potest. Primò, prout dicit congregationem fidelium per Christum prædestinatorum, & hoc modo Christus D. non potest dici membrum Ecclesiæ, vt patet. Secundò prout dicit congregationem omnium fidelium, & ipsum Christum non solum secundum humanitatem, sed etiam secundum diuinitatem, & hoc modo Christus D. potest dici secundum humanitatem membrum Ecclesiæ cum secundum humanitatem recipiat influxum à diuinitate. Tertiò prout dicit congregationem omnium fidelium, & ipsum Christum D. secundum humanitatem, & isto modo non potest dici membrum, nec pars, cum nec influxum recipiat, nec ab alijs partibus dependeat.

12 Sed quæres 1. quare Christus D. vocetur caput Ecclesiæ, & non cor, cum cor principalius influat in corpus humanum, & reliqua membra, quam caput? Resp. S.D. hic art. 1. ad 3. *quod caput habet manifestam eminentiam respectu cæterorum membrorum, sed cor habet quandam influentiam occultam. Et ideo cordi comparatur Spiritus S. qui inuisibiliter Ecclesiam viuificat, & vnit. Capiti comparatur ipse Christus secundum visibilem naturam, secundum quam homo homini præfertur.*

13 Quæres 2. de qua Ecclesia loquitur S. D. cum dicit Christum D. esse caput Ecclesiæ? Aliqui volunt solum loqui de Ecclesia militante. Nihilominus dicendum est loqui de Ecclesia tum militante, tum purgante, tum triumphante, vt coalescit ex hominibus, & Angelis beatis. Est enim Christus D. vt dicit Apost. *caput supra omnem Ecclesiam*.

14 Quæres 3. an Christus D. sit caput absolutè, & sine addito, an secundum metaphoram? Prima sententia est Cabreræ *hic art. 1.* Vasq. *disp. 48. cap. 1.* & aliorum quod Christus D. non possit dici caput Ecclesiæ absolutè, & simpliciter, sed cum addito, scilicet per metaphoram. Communis sententia est, quod Christus D. absolutè, & simpliciter possit dici caput Ecclesiæ. Ratio clara est, quia licet ratio capitis secundum primam sui significationē sit desumpta per metaphoram ad caput animalis, tamen facta translatione ad caput morale, tunc illud quod verè, & propriè influit in membra, eaque regit, & gubernat, verè, & absolutè dicitur caput, non quia sit caput physicum, sed quia est principium habens verum, & proprium influxum saltem moralem, in sua membra. Vel dicas, quod Christus D. quantum ad denominationem capitis, dicitur metaphoricè caput, sed quantum ad influxum quem habet in homines, est verè, physicè talis.

15 Quæres 4. an Christus D. sit caput solum quantum ad animas, an etiam quantum ad corpora? S. D. rem hanc totam

tam duabus conclusionibus explicat. Prima est, quod Christus D. est caput secundum totam suam humanitatem, ac proinde & secundum quod dicit corpus, & secundum quod dicit animam, per se primò tamen secundum quod dicit animam, & secundariò secundum quod dicit corpus. Ratio est, quia Christus D. est caput hominum secundum quod habet vim influendi in ipsos, hoc autem habet secundum totam humanitatem secundum quā immediatè vnitur Verbo, tota namq; vis influendi deriuat ex Verbi diuini personalitate; corpus autem per animam vnitur eidem. Secunda concl. Christus D. est caput hominum & quantum ad animam, & quantum ad corpus illorum, influit namque aliquid tum in animam, vt gratiam, & cœtera dona, & influit in corpus in quantum est arma iustitiæ, & quātum quod gloria animæ deriuabitur ad corpus.

16 Quæres 5. quomodo Christus D. sit caput hominum secundum humanitatem, cum tota vis influēdi illius sit à diuinitate? Resp. quod Christus D. est caput hominum secundum humanitatem, non reduplicatiuè, aliàs omnis homo esset caput hominum, & nullum esset membrum, sed specificatiuè, quatenus ratio essendi caput visibile, est humanitas, quare non excluditur diuinitas vt rationem formalem euehendi humanitatem ad esse capitis. Vnde sicuti quando dicimus quod Christus vt homo meretur infinitè, non excluditur diuinitas vt ratio tribuens valorem, sed sensus est, quod humanitas est subiectum, & principium formale efficiēs operis meritorij. Sic humanitati competit proximè, & formaliter dignitas capitis, Deitas tamen est ratio formalis propter quam illa dignitas competit humanitati.

DVBIVM II.

An Christus Dominus sit caput omnium hominum.

17 DVbium præsens pertractat S. Doctor *art.* 3. illudque duabus concl. resoluit. Prima est, quod Christus D. est caput omnium hominum exceptis damnatis. Cum enim sit caput omnium qui sunt membra Ecclesiæ, & omnes homines exceptis damnatis sint membra Ecclesiæ, sequitur, quod sit caput omnium hominum. Nam licet non omnes homines vniantur ipsi capiti, in omnes tamen influit aliquid. Vnde licet in corpore naturali omnia membra debeant esse simul vnita, non tamen hoc est necesse in corpore mystico, vbi sufficit vnio in potentia, vt ad vnum finem, ad vnam legem, ad vnum legislatorem, &c. de quo postea.

18 Secunda concl. Christus D. non est æqualiter caput omnium hominum, sed diuersimodè secundum diuersos gradus illorum. Ratio est, quia eo modo Christus D. est caput, quo modo influit in membra, & hæc illi vniuntur, sed non omnes homines eodem modo illi vniuntur: ergo, &c. Minor probatur, nam aliqui solum vniuntur per fidem; alij per fidem, & spem, alij per fidem, spem, & charitatem; alijque solum vniuntur in potentia. Vt autem ista pleniùs habeantur, sequentes §§. ponimus.

§. I. *Quomodo Christus D. sit caput infidelium.*

19 HOmines possunt ad tres classes reduci. In prima ponuntur omnes beati, de quibus certum est, quod Christus D. est illorum caput, semper namque, & in perpetuum retinent gratiam, & charitatem: habent visionem beatam quæ illorum fidei succedit, &c. In secunda ponuntur viatores, & illi qui sunt in Purgatorio, quorum Christus D. est caput, cum in Purgatorio conseruent fidem, spem, & charitatem. Respectu etiam viatorum qui habent fidem, est Christus D. caput, de alijs dicemus postea. In tertia classe ponuntur damnati, de quibus etiam postea dicemus.

20 In hoc §. quærimus an Christus D. sit caput infidelium, & eorum omnium qui

qui carent fide. Prima sententia est, quod Christus D. non tantum in potentia; sed etiam actu sit caput infidelium. Sic Suarez *in comment. art. 3. huius q. 8.* Idem tenet Alphonsus de Castro quantum etiam ad hæreticos *lib. 2. de iusta haret. punit. cap. 24.* Lugo *disp. 17. n. 4.* & alij.

21 Nostra sent. seq. concl. explicatur. *Christus D. solum in potentia est caput Infidelium, Iudaeorum, & Hareticorum.* Sic colligitur ex S. Thoma, *hic & in 3. dist. 13. q. 2. art. 2. quastiunc. 2.* quem eius discipuli sequuntur; pro quo videri potest Cipullus *hic art. 3. dub. 1.* Orlandus *tract. 2. disp. 5. q. 1. n. 9.* Iamb. *ad q. 8. disp. 1. art. 2.* & alij communiter.

22 Probatur 1. nam non potest Christus D. dici caput illorum actu, qui non sunt actu illorum membra, sed infideles non sunt actu membra Christi; ergo Christus D. non est illorum caput actu, sed tantum in potentia. Maior nota est, caput namque dicitur relatiuè ad membra, vnde quod est actu caput habet actu membra, & quod est solum in potentia caput, solum in potentia habet membra. Minor probatur, nam eo modo aliquid est caput, quo vnitur membris, & eo modo aliqua sunt membra quo vniuntur capiti; sed infideles vniuntur Christo D. solum in potentia, non in actu; ergo Christus D. solum in potentia, non in actu est caput infidelium.

23 Occurrit Lugo loco citato, quod licet Christus D. sit caput infidelium, tamen an infideles sint membra Christi D. est quæstio de nomine, potest tamen, inquit sine inconuenienti dici esse membra, non propriè, sed impropriè, & in latissima significatione, &c. Sed contra, nam non video quomodo possit esse quæstio de nomine, an infideles sint membra Christi D. ex suppositione, quod admittatur, quod Christus D. est verè, & propriè caput illorum, vt vult Lugo. Tum quia, vt dicebamus, caput dicitur relatiuè ad membra; ergo vbi caput est propriè tale, etiam mēbra sunt propriè talia. Et vbi membra solum impropriè sunt talia, etiam caput solum impropriè erit tale.

24 Probatur 2. nam eo modo Christus D. est caput infidelium, quo illi sunt membra Ecclesiæ, sed infideles non sunt membra Ecclesiæ actu; ergo neque Christus D. est caput infidelium actu. Maior nota est. Minorem docet Apostolus cum dicit. *Quid mihi cum his qui foris sunt,* loquitur namque de infidelibus, *qui foris sunt,* idest extra Ecclesiam. Tum quia infideles carent vinculo quo Ecclesię membra colliguntur, quod est fides. Tum etiam quia homines intrant in Ecclesiam per Baptismum saltem in voto; vnde videmus, & alibi ostendimus, quod infideles non ligantur censuris Ecclesiæ, quia foris sunt, seu extra eam.

25 Probatur 3. nam infideles vt essent membra Christi D. deberent eum recognoscere vt caput, non enim est caput naturale, sed morale; sed infideles non recognoscunt Christum D. vt caput ipsorum, cum in eum non credant; ergo, &c. Sicut enim caput ciuile, & morale debent sua membra recognoscere, ita & membra debent recognoscere suum caput.

26 Occurres ex doctrina de Lugo, quod ad hoc vt infideles dicantur membra Christi D. non est necesse quod eum per fidem recognoscant, sed sufficit, quod aliquem ab eo influxum recipiant, recipiunt autem vocationes ad fidem. Sed contra, nam per vocationes ad fidem infideles adhuc remanent extra Ecclesiam, ac proinde adhuc non fiunt membra Ecclesiæ, & Christi. Tum quia ad hoc vt membrum sit alicuius capitis membrum, seu ad hoc vt aliquid caput sit, non sufficit quod aliquid quomodocunque influat, sed debet influere influxum potissimum, & principalem qui sit aliorum radix, & saltem vita radicaliter. Dicat mihi de Lugo quare membri appellatione non venit digitus, vt ostendo in meo *tract. de censur.* vt tradunt Felin. *in cap. cum illorum de sent. excomm.* Nauar. *cons. 1. de corpore vitiat.* Sayrus *in floribus decis. sub eodem tit. decis. 2.* Coninch. *de Sacr. disp. 18. dub. 8. n. 63.* & alij communiter resoluētes, quod statutum puniens abscindentem membrū, non habeat locum in eo, qui abscindit digi-

digitum, quia non habet proprium, & distinctum officium, quod extendit August. Barbos. *de appell.verb.membrum*, ad euellentem dentem, ad abscindentem auriculam, ad scindentem mammillam, ad euellentem barbam; nisi quia caput propriè solum dicitur respectu illorum membrorum, quæ non quemcumque influxum recipiunt, sed talem vt habeant proprium quoddam officium. Et sic cum in nostro casu infideles nullum recipiant influxum per quem intra corpus Ecclesiæ officium exerceant, Christus D. non erit illorum caput. Tandem contra Lugum est, quia ad rationem capitis, non sufficit quod aliquis influxus ab eo emanet, sed præterea requiritur, quod talis influxus de facto recipiatur in membro, vt videre est in capite naturali, quod licet semper influat, quãtum est de se, si tamen aliquod membrum sit mortuum, nec motum, nec influxum recipiet à capite.

27 Sed quæres 1. an Christus D. sit caput illorum paruulorum qui sunt in vtero materno? Certum est quod in actu primo, seu in potentia Christus D. est caput dictorum paruulorum, ad hoc enim sufficit eminentia potestatis Christi D. vis, & efficacia expedita, & parata in actu primo ad influendum, quantum est ex parte ipsius Christi D. difficultas est, an etiam sit caput in actu secundo? Affirmat de Lugo loco citato, vbi sic dicit. *Imò ipsi etiam paruuli qui sunt in materno vtero, non sunt omnino expertes huius influxus: nam credibile est per Christi merita dari parentibus, vel alijs plures cogitationes ordinatas ad bonum pueri*. Sed iam constat ex dictis nu. præcedenti Christum D. non esse caput dictorum puerorum, nam influxus capitis debet recipi in membra, in illis autem paruulis nullus influxus recipitur, vt patet.

28 Quæres 2. an Christus D. sit actu caput hæreticorum? Affirmant aliqui, cum enim hæretici subsint Ecclesiæ potestati, eosque puniat, & cogat abiurare hæresim, & ob eam sint excommunicati, debent esse intra Ecclesiam, ac subinde illius membra, aliàs non possent ab Ecclesia puniri tum in temporalibus, tum in spiritualibus, dicente Apost. 1. Corint. 5. *Quid mihi de his qui foris sunt iudicare*. Tũ quia licet hæretici non habeant fidem, habent tamen characterem baptismi per quem membra Christi, & Ecclesiæ constituuntur. Communior tamen sententia est, quod hæretici non sint actu membra Christi D. & Ecclesiæ, sed tantum potentia. Ad 1. probationem ex Apostolo, dico quod hæretici non puniuntur quia sint actu membra Christi D. & Ecclesiæ, sed quia fuerunt, & puniuntur vt ad fidem reuertantur, & fiant actu membra, vt erant prius. Sicut enim qui in aliquo territorio commisit delictum non fit immunis à punitione licet illud deserat, & ad aliud vadat, bannitur namque, alijsque pœnis afficitur; ita & in nostro casu. Soluuntur arg. in contrarium.

29 Primum argum. nam Christus D. omnium illorum est caput actu, in quos actu influit gratiam excitantem, & alia dona supernaturalia, quibus infideles conuertantur; sed Christus D. hæc influit in infideles; ergo, &c. Minor probatur, nam influit vocationes, inspirationes, illustrationes, &c. quæ pertinent ad gratiam sufficientem, qua nullus caret; ergo, &c. Resp. negando maiorem; solum namque Christus D. est illorum caput in quos influit dona supernaturalia permanentia, vt sunt gratia, fides, &c. At dona gratiæ, excitantis, & sufficientis dantur solum per modum transeuntis; influxus namque capitis debet esse de se permanens, & membra debent esse permanenter vnita capiti, non per modum transeuntis.

30 Secundum argum. Infideles sunt actu membra Ecclesiæ, ergo etiam sunt actu membra Christi D. Antecedens probatur, nam hæretici sunt membra Ecclesiæ; ergo etiam infideles, est enim eadẽ ratio. Antecedens probatur, quia sicut in ciuilibus non cessat esse subditus Principis à quo rebellauit, ita non cessant hæretici esse subditi Ecclesiæ à qua rebellarunt. Resp. negando antecedens. Ad probationem negatur etiam antecedens, ad cuius probationem dico, quod ille qui rebellauit

uit fuit subditus, non tamen manet actu subditus, sed tantum in potentia.

§. II. *An Christus D. fuerit caput primorum parentum in statu innocentiæ.*

31 PRima sententia est, quod Christus D. fuerit caput primorum parentum in statu innocentiæ, sic Aluarez *lib.4. de auxilijs disp.* 40. *ad* 4. Suarez *disp.* 23.*sect.*1. Cipullus *q.*8.*art.*3.*dub.*2.& Orlandus *tract.*2.*disp.*5.*q.*2.*n.*12. ex diuersis tamen principijs, nam Cipullus, vult quod ideo Christus D. sit caput primorum parentum, quia licet in eos nil influxerit pro eo statu, tamen conuenerunt nobiscum in vno credito, supremo, & supremo amato. Licet enim primi parentes non habuerint fidem ex meritis Christi, seu ex influxu Christi, tamen credebant in Christum. Tum quia influxit aliqua dona supernaturalia, non tamen dicit quæ fuerint.

32 Orlandus ex alio principio procedit, dicit enim, quod cum Christus D. sit prædestinatus ante præuisionem peccati originalis, & ante omnem creaturam, sequitur quod omnis gratia, fides, & cuncta dona primis parentibus concessa in statu innocentiæ, fuerint ex meritis Christi D. ac subinde quod fuerit illorum caput. Tum quia primi parentes pro statu innocentiæ habuerunt fidem incarnationis Christi, ac proinde fuit illorum caput, membrum namque Christi constituitur per fidem illius.

33 Nostra sententia sequenti concl. explicatur. *Christus D. non est propriè caput primorum parentum pro statu innocentiæ.* Sic tenent Soto *lib.*1.*de natura, & gratia cap.*6. Asturicensis *in relect.q.*6 *concl.*5. Vasq.*disp.*12.*n.*20.*& disp.*48 *n.*10. & plures recentiores, vt testatur Cipullus loco citato. Conclusio procedit de primis parentibus pro statu innocentiæ, nam post lapsum nulli dubium est, quia Christus Dominus fuerit illorum caput, cum gratia illis collata esset ex meritis ipsius Christi Dom. sicut & gratia Sanctis Patribus concessa.

34 Probatur 1. ad hominem contra Cipullum, nam vt ipse docet dicto *art.*3. *dub.*1.*n.*6. adhoc vt Christus sit caput respectu aliquorum, necesse est, quod influat aliquod donum supernaturale permanens, sed Christus D. in primos parentes non influxit aliquod donum supernaturale permanens pro statu innocentiæ; ergo Christus D. pro eo statu non fuit caput primorum parentum. Maior est illius auctoris. Minor etiam est eiusdem auctoris *dub.*2.*n.*4. quatenus docet, quod Christus D. non meruerit gratiam primis parentibus collatam in statu innocentiæ, si enim non meruit gratiam quæ est fundamentum cæterorum donorum permanentium, neque alia meruit, vel si quod meruit, illud assignet.

35 Occurrit Cipullus *dicto dub.* 2. *num.*7. *vers.ad confirmationem*, quod licet Christus D. nihil influxerit physicè in primos parentes, cum prius non extiterit quam gratia primorum parentum, influit tamen moraliter. Sed quid? non aliquod donum permanens, aliàs nulla esset differentia inter primos parentes in statu innocentiæ, & Sanctos Patres in quibus solum moraliter gratiam causauit, cum tunc non existeret physicè. Tum quia Ecclesia Christi non incepit in statu innocẽtiæ, sed post peccatum; tunc enim Ecclesia incepit, quando inceperunt redempti à Domino, & quando inceperunt illi, quibus sua dona promeruit, isti non sunt primi parentes; ergo, &c. Soluuntur argumenta in contrarium.

36 Primum argumentum Cipulli est, quia primi parentes in statu innocentiæ existentes simul cum alijs hominibus cõstituunt vnum corpus mysticum Ecclesiæ; sed huius est caput Christus D. ergo, &c. Maior patet, nam conueniunt in vno supremo credito, & amato, scilicet Deo. Minor probatur, nam ille constitui debet caput huius corporis mystici, qui propinquius se habet ad Deum, iste est Christus D. ergo, &c. Resp. negando maiorem, vbi namque non datur vnum caput influens in membra, non potest constitui vnum corpus mysticum; nec potest quis esse mem-

membrum alicuius corporis mystici, qui nullum recipit influxum à capite. Primi autem parentes nullum pro statu innocẽtiæ receperunt influxum à Christo D.

37 Secundum argum. Ad rationem capitis mystici nõ est necesse quod influat eodem modo in omnia membra, sed sufficit quod aliquid influat; ergo, &c. Resp. quod licet nõ sit necesse, quod caput mysticum eodem modo influat in omnia membra, debet tamen influere aliquod donum supernaturale permanens, vt saltem fidem: hunc autem influxum non habuit Christus D. respectu primorum parentum pro statu innocentiæ, vt iam diximus.

38 Tertium argu. est fundamentum P. Orlandi, quod scilicet Christus D. fuerit prædestinatus ante præuisionem peccati originalis, & ante omnem creaturam, ac proinde quod omnis gratia, fides, & omnia dona fuerunt ex meritis Christi, quæ Adamo in statu innocentiæ fuere concessa. Resp. ex dictis supra, quod licet in genere causæ finalis Christi D. prædestinatio præcesserit Adę peccatum, tamen hoc præcessit in genere causæ materialis, seu tanquam materia dictæ prædestinationis; ex hoc autem non sequitur, quod meruerit gratiam, & alia dona Adamo concessa pro statu innocentiæ, ad hoc enim requiritur etiam præcedentia in genere causæ efficientis moralis, cum meritum ad causam efficientem reuocetur, hæc autem præcedentia non fuit in nostro casu, vt supra vidimus.

39 Quartum argum. nam primi parentes habuerunt fidẽ incarnationis Christi in statu innocentiæ, sed hoc est sufficiens vt dicantur membra Christi; ergo, &c. Addit Cipullus loco citato, quod non solum primi parentes in statu innocentiæ crediderunt Christum D. fore venturum, sed etiam habuerunt actum desiderij talis aduẽtus, & etiam habuerunt actum amoris supernaturalis erga ipsum; sed ista sufficiunt, vt fuerint membra Christi D. ergo, &c. Resp. quod habuerunt quidem fidem Christi D. venturi primi parentes in statu innocentiæ, sed non per influxum ipsius Christi D. ac proinde non fuerunt ipsius membra, cum nihil tunc ab eo permanens acceperint. Additio Cipulli est contra ipsum, nam actus desiderij, amoris, &c. non sunt quid permanens, ac proinde non sufficiens ad constituendum membrum Christi.

§. III An Christus D. sit caput Angelorum.

40 DE Christo D. vt homine hoc dubium procedit, nam vt Deo nulla est difficultas, certum quippe est, quod Christus D. vt Deus sit caput Angelorum. Pro intelligentia difficultatis supponendum 1. quod si loquamur de capite in ampliori, & latiori significatione Christus D. est caput Angelorum, & hoc est de fide, & colligitur ex illo Apost. ad Ephes. 1. *Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus, supra omnem principatum, virtutem, & omnem dominationem, &c. & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius*. Supponendum 2. duplicem posse distingui influxum à capite mystico prouenientem: vnum interiorem quoad gratiam sanctificantem, auxilia, & gloriã. Alterum exteriorem tantum, quoad dominium, & gubernationem. Quantum ad dominium, & exteriorem gubernationem, etiam certum est, quod Christus D. sit caput Angelorum. Ratio est, quia vnius totalis multitudinis ad vnum, eundemque finem ordinatæ, vnum tantum debet esse caput, vt sic perfecta vnitas seruetur, sed omnes Angeli, & beati homines, & viatores, sunt vna multitudo ad vnum, eundemque finem ordinatæ, ergo vnum caput Christum D. habere debet. Tum quia Christus D. vtitur Angelis in regendis, gubernandisque hominibus in ordine ad vitam æternam, tanquam sibi subditis, quibus imperat, præcipit, &c. ergo est illorum caput. Qua ratione Angeli ab Apost. ad Hebræos 1. vocantur *administratorij spiritus missi in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*.

41 Concedunt communiter, quod Christus D. sit caput Angelorum quoad inte-

interiorem influxum accidentalem. Interior influxus alius est substantialis, & est vitæ spiritualis, gratiæ sanctificantis, & gloriæ, & alius est accidentalis tantum, & est collatio illustrationis, nouæ cognitionis, nouæ gloriæ accidentalis. Quoad istũ namque influxum certum est Christum D. habere aliquam rationem capitis respectu Angelorum. Colligitur ex illo Isaię 63. vbi Angelis interrogantibus. *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra.* Ipse Christus D. respondit. *Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum.* Vbi Angeli à Christo D. edocti sunt de mysterio incarnationis, vt ibi exponit D. Hieronymus. Habent etiam Angeli Sancti magnam delectationem, seu gloriam accidentalem in contemplatione humanitatis Christi D. ac proinde quantum ad hoc Christus D. habet quandam rationem capitis.

42 Difficultas modo est, an etiam Christus D. habeat rationem capitis quãtum ad interiorem influxum vitæ spiritualis, seu alicuius doni supernaturalis permanentis. Prima sententia dicit, quod Christus D. nullatenus vt homo dici potest caput Angelorum. Hanc tenet Altisiodorensis *lib. 3. summæ tract. 1. cap. 4.* quẽ nonnulli sequuntur. Secunda sententia est, quod Christus D. solum in ampliori, & latiori significatione possit dici caput Angelorum. Sic Gabriel *in 3. dist. 13. q. vnica*, & alij, vbi volunt, quod nihil in Angelos influat.

43 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Christus D. est caput Angelorum quoad dominium, directionem, quoad influxum accidentalem, non quoad primam gratiæ, & donorum supernaturalium collationem, seu quoad vitam spiritualem gratiæ sanctificantis, & gloriæ.* Sic tenent omnes, qui volunt, quod gratia, & gloria data Angelis, & primis parentibus, non fuit ex meritis Christi, de qua re infra. Illi autem qui volunt quod licet gratia, & gloria data Angelis non fuerit primò data ex meritis Christi, tamen statim post illorum præuisionem ex eiusdem meritis fuit quasi confirmata, &c. dicunt quod hoc modo dici potest, quod Christus D. fuerit caput Angelorum etiam quoad vitam spiritualem, & gloriam, & idem dicunt respectu Adami in statu innocentię, sed ista infra magis explicabuntur. Soluuntur argumenta in contrarium.

44 Primum argum. nam de ratione capitis est, quod sit homogenium, & consubstantiale suis membris, sed Christus D. vt homo non est homogeneus, seu consubstantialis Angelis; ergo non potest esse caput Angelorum qua homo est. Resp. cum Diuo Thoma hic art. 4. ad 1. vbi sic habet. *Influentia Christi super homines principaliter est quidem quantum ad animas, secundum quas homines conueniunt cum Angelis in natura generis, licet non in natura speciei. Et ratione huius conformitatis Christus potest dici caput Angelorum, licet deficiat conformitas quantum ad corpora.* Christus ergo vt homo est caput Angelorum secundum animam, qua ratione habet homogeneitatem, & consubstantialitatem in ratione intellectualitatis. Ex quo inferri potest, quod Christus D. pluribus rationibus est caput hominum, quam Angelorum, saltem secundum quãdam extensionem; nam licet operationes corporeæ Christi D. essent in ratione liberi, voluntarij, & meriti magis ab anima, quam à corpore, tamen etiam meruit nobis per actiones corporis, quæ sunt homogeneæ cum nostris, non tamen sunt homogeneæ cum operationibus Angelorum, ac proinde influxus Christi D. quo nobis meruit secundum quandam extensionem est maior respectu nostri.

45 Resp. 2. quod licet ad rationem corporis naturalis requiratur homogeneitas inter caput, & membra, non tamen inter caput, & membra mystica. Nam Deus est caput nostrum, & tamen non habet hanc homogeneitatẽ. Et homo *Gen. 1.* fuit constitutus Dominus, & caput bestiarum, & tamen non habet homogeneitatem cum illis.

46 Secundum argum. Nam Angeli acceperunt gratiam, & gloriam longè ante incarnationem, ergo non sunt membra Christi D. nec Christus potest esse illorum ca-

caput. Antecedens constat. Conseq. probatur, quia implicat quod membra habeant vitam ante caput, & quod caput nõ detur quando dantur membra. Resp. quod licet ad rationem capitis naturalis pertineat quod non sit in executione posterius membris, tamen caput morale, & mysticum potest esse executione posterius, licet in intentione sit prius. Hoc contingit in nostro casu, vt ex dictis constat. Quomodo autem saluetur hæc prioritas, & posterioritas, ex dictis *disp.* 1. colligitur.

§. IV. *An Christus D. sit caput dæmonum, & aliorum damnatorum, & puerorum Limbi.*

47 COmmunis sententia est, quod Christus D. non sit caput dæmonum, nec aliorum damnatorum adultorum quantum ad influxum, cum nihil illis influat. Potest tamen dici caput quantum ad excellentiam, dominium, & gubernationem; regit namque & gubernat, præcipit, & imperat quod vult, cogitque imperata exequi. Hæc tamen communis sententia non caret difficultate, nam vt colligitur ex historia S. Iob, & ex alijs Sacræ Scripturæ locis, etiam dæmones aliqua cognoscunt, quæ prius non cognoscebant. Vnde non solum Christus D. potest dæmones regere, & imperare, &c. Sed potest aliqua illis reuelare, seu manifestare, quæ prius non cognoscebant, vt quod debeant, vel non debeant destruere talem, vel talem locum, quod non inficiant talem, vel talem, quod non manebunt in tali corpore, ob intercessionem alicuius sancti, &c.

48 Quantum ad pueros existentes in limbo, in primis certum est, quod Christus D. non sit illorum caput quantum ad influxum spiritualem, cum nihil spirituale in illos influat. Est etiam certum quod sit aliquo modo caput excellentiæ, dominij, & regiminis, eos namque regit, vt regi possunt, & sunt capaces. Nonnulla difficultas est, an etiam sit caput per influxum alicuius doni naturalis, vt alicuius beatitudinis naturalis siue propriæ, siue impropriæ; alicuius cognitionis naturalis, vt parentum, suæ conceptionis, abortus, &c. Et videtur hoc non esse negandum. Supposito namque, quod Deus aliquod donum naturale illis concedat, debet esse per Christum, quicquid namque Deus concedit suis creaturis, per Christum D. concedit.

§. V. *An Diabolus sit caput omnium malorum.*

49 CErtum est, quod diabolus non sit caput omnium malorum quoad interiorem alicuius doni spiritualis influxum, imò neque quod influxum peccati, cum non possit peccatum interius producere, cum hoc procedat ex ipsius peccantis voluntate. Potest tamen dici aliquo modo caput malorum quoad tentationem, seu suggestionem, instigationem, & quandam inductionem, ex qua in malis sequitur peccatum ex malitia, & voluntate eorum. Et licet malum suggerat etiã bonis, non tamen dici potest caput illorum quoad suggestionem, tentationem, &c. quia illi non obsequuntur, ab eo non vincuntur, sed potius vincitur.

50 Potest tamen diabolus dici caput malorum quoad exteriorem gubernationem vt constat ex illo Iob. 41. *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ*, qui autem alios regit, est eorum caput, cum ideo eos gubernet vt ad suum finem, ad suam perditionem perducat; proprium namque est Regis, & gubernatoris suos subditos taliter gubernare vt ad suum finem perducat. Diabolus autem ita gubernat suos, ita regit, ac dirigit, vt eos à Deo auertat, & ad æternam damnationem adducat.

§. VI. *An Antichristus sit caput omnium malorum, vbi alia videnda de Antichristo.*

51 HAnc difficultatem proponit, & resoluit S. Doctor *art.* 8. vbi rem sic resoluit. Primò dicit, quod Antichristus non est caput omnium malorum quantum ad ordinem temporis, quia ipse

Antichristus,nec peccata illius præcedunt tempore, nec sunt simul tempore, cum aliorum peccatis, sed solum respectu eorũ malorum qui cum ipso erũt,& post ipsum, seu post mortem ipsius. Secundò dicit, quod non est caput omnium malorum quantum ad virtutem influendi,vt de diabolo diximus. Tertiò dicit quod est caput omnium malorum quantum ad malitiæ perfectionem, seu plenitudinem,erit namque in Antichristo omnis malitiæ plenitudo vt dicit gloss.super illud ad Thessal.2. *Ostendens se tanquam sit Deus.*

52 Sed quæres 1. quodnam erit nomen Antichristi. S.Ioan.in Apocal.13.dicit quod eius nomen erit sexcenta sexaginta sex. Sic enim habet. *Hic sapientia est. Qui habet intellectum computet nomen bestiæ. Numerus enim hominis est: & numerus eius sexcenti sexaginta sex.* Sixtus Senensis in sua Biblioth. San. ex diuersis auctoribus colligit quatuor nomina Græca quæ singula in se continent numerum sexcenta sexaginta sex, & sunt *Teitan*, quod Latinè idem est ac *Gigas*. Secũdum *Aametix*, & est idem quod illustris. Tertium est *Aateinoz*, quod est idem ac Latinus. Quartum est *Antemoz*, cuius interpretationem Sixtus non posuit.

53 Quæres 2. qualis, & ex quibus erit Antichristi ortus. Resp. quod ex communi sententia Patrum, Antichristus nascetur ex Iudæis,& quidem ex Tribu Dan, quod colligitur ex illo Gen. 49. vbi Iacob de Dan sic dicit. *Fiat Dan coluber in via Caraster in semita,mordens vngulas equi,vt cadat ascensor eius.* Et Hier. 8. dicitur. *Ex Dan audiuimus fremitum equorũ eius &c.* Nascetur in Babylone ex fæmina impura, vt ortus congruat eius moribus. Suscipiet circumcissionem; in annis adolescentiæ ostendet se humilem, & despectum, sed postea per insidias, & fraudolentias ad Principatum ascendet. Tanta est futura Antichristi malitia, vt non nulli veterum scriptorum putauerint eum fore diabolum incarnatum, quorum tamen opinio dudũ explosa est. Hinc Apostolus vocat Antechristum hominem peccati, non peccatorem, quia in eo vniuersitas peccatorum est dominatura.

54 Quæres 3. quanta futura sit peruersitas Antichristi. Resp. quod tanta erit vt dicat se esse verum Messiam, hoc negando de Christo D. Tollet omnia sacramenta, & introducet circumcisionem. Affirmabit se esse non solum Deum, sed verum, & solum Deum, vnde expugnabit tam verum, quam falsos Deos, ob id Iudæos tunc existentes prę alijs conciliabit. Faciet non vera, sed falsa, & apparentia miracula magicis artibus per diabolũ in se habitantem, aut assistentem. Vnde dicit Christus D. Matt. 24. *Erit tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet. Et nisi abbreuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed abbreuiabuntur propter electos.*

55 Quæres 4. quinam adhærebunt Antichristo. Resp.quod vt Antichristus suam tyrannidem securius,atrociusque exercere possit, seducet, & conciliabit sibi ante alios truculentos populos Gog, & Magog, vt contra reliquos populos ei militent. *Apocal.* 20. Præter Iudæos facile acquiescent Antechristo omnes in fide, & religione Christiana inconstantes, vel errantes vt hæretici.Omnes quoque huius mundi voluptatibus dediti, cuiuscumque status, ac dignitatis fuerint. Apocal. 13.

56 Quæres 5. quibus præsidijs se tueri poterunt viri sancti contra Antechristum. Certum est quod pij, & electi Dei homines,sua in parato præsidia habebunt, quibus in sanctitate sua perseuerare poterunt, & sunt ea quibus olim sancti Martires vsi sunt contra similes persecutiones. Primum est spes firma de Dei auxilio. Secundum, est defensio Angelorum, eorum præsidium, auxilium, & protectio. Tertiũ, & scientia,& prescidium sacrarũ scripturarum,& religionis Christianæ, qui enim in his instructus est, sinceraque fide adhæserit, nõ facile patietur se suasionibus blãditijs,fictis miraculis,promissis,minis,terroribus,persecutione,cruciatibus, alijsque modis quibuscũque in contrariam sententiã abduci.Non deerunt etiam tunc pij, ac præstantes viri, qui infirmiores in fide instruent,vacillantes consolidabunt, lapsos eri-

eriget omnibusque & singulis in necessitate qualibet constitutis solatium, auxiliumque præstabunt.

57 Quæres 6. quid de Elia Protoparente nostro, & Enoch fides docet, quoad futurum iudicium. Resp. quod de his, quatuor fides docet, Religioque Christiana profitetur. Primum, quod nondum mortui sunt, sed viui reseruantur, vt bellum inferant Antichristo. Secundum, quod tempore Antichristi venturi sunt. Tertium, quod conuertent reliquias populi Israel. Quartum quod ab eodem Antichristo sint occidendi sicut sancti martyres Dei. Quod Enoch, & Elia nondum mortui sint, colligitur ex sacra scriptura, *Gen.* 5. *Eccles.* 44. *&* 48. & alibi. Si enim venturi sunt tempore Antichristi; ab eoque sunt occidendi, vtique adhunc viuere debent. Quod venturi sint tempore Antichristi constat ex sacra scriptura. Malachiæ 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* Et Christus D. Matt. 17. dicit. *Elias quidem venturus est, & restituet omnia*, &c. Per quod patet tertium.

58 Quod tandem Elias, & Enoch sint occidendi ab Antichristo, & sint futuri martyres, habetur Apocal. 11. ibi. *Bestia quæ ascendet de abysso, faciet aduersus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos, & corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter sodoma, & Aegyptus vbi Dominus eorum crucifixus est, &c.* Bellũ quod geret cum Elia, & Enoch Antichristus, non fiet cum exercitu, & armis, sed contrarijs sermonibus, signis, atque prodigijs, quibus efficiet, quod multitudo populi ipsi potius credet, & adhærescet, quam sanctis illis prophetis, & in hoc Antichristus vincet eos.

59 Quæres 7. quando venturus est Antichristus? Resp. quod venturus est in nouissimis diebus, seu ad mundi finem, ex Apost. ad Thessal. 2. Daniel. 7. Apocal. 20. & 12. ibi. *Beatus, qui expectat, & peruenit vsque ad dies mille, trecentos, & triginta quinque*, quibus verbis aliqui interpretes dicunt, quod die 45. post mortem Antichristi sit futurum iudicium, ac mũdi consumatio. Nam dies 1290. faciunt tres annos cum dimidio persecutionis Antichristi. Quod certum est, est quod de die illa nemo scit, &c.

60 Quæres 8. vbi Antichristus suam sedem potissimè constituet? Resp. quod in Ierusalem, temploque illius. Apoc. 11. ibi *Vbi & Dominus eorum crucifixus est.* Vnde S. Doctor 2. *ad Thessal.* 2. tradit Iudæos suscepturos Antichristum, & Templum ædificaturos, vt impleatur, quod dictum est à Daniele Propheta. *Et erit in templo abominatio desolationis.*

61 Quæres 9. quid erit character Antichristi? De hoc Antichristi charactere dicitur Apocal. 13. *Et faciet omnes pusillos & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis: & ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius*, quænam autem futura sit ista nota, quænam forma, aut figura huius characteris, certò nescitur, communiter tenetur, quod instar sigilli erit impressa frontibus, aut dextera adhærentium Antichristo, cum littera C. vel M. quæ significant nomen Christi, vel Messiæ, falsò ab ipso vsurpatum.

62 Quæres 10. quanta futura sit Regni Antichristi duratio? De Regni Antichristi duratione dicitur Danielis 7. *Et alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit, & sermones contra excelsum loquetur, & sanctos altissimi conteret, & putabit quod possit mutare tempora, & leges, & tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Idem traditur *cap.* 12. Apocal. 12. legitur. *Quoniam datum est Gentibus, & ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus, & dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis.* Ex quibus, & alijs Sacræ Scripturæ testimonijs colligunt communiter Sancti Patres, quod Regnum Antichristi durabit tribus annis cum dimidio. Sic D. Hieronymus *in cap.* 12. *dan.* S.P. August. *lib.* 20. *de ciuit.*

*cap.*23. N.S.P. Cyrillus *Catech.* 15. Lact. *lib.*7.*cap.*17. & alij communiter.

63 Quæres 11. in quo loco, & qua morte occidetur Antichristus? Resp. quod quantum ad locum, omnes conueniunt, quod locus erit mons sanctus, idest mons oliueti, à quo Christus D. ascendit, in cœlum; Antichristus namque finget se esse verum Christum, verumque Messiam, ac proinde finget opera Christi D. docendo Pseudoapostolos, seu prædicatores mittendo, miracula ficta faciendo, &c. ac proinde finget quoque se mori, & resurgere, & ascendere velle in cœlum à monte oliueti; sed ibi detegentur fraudes eius, & peribit. Quantum ad mortem variare videntur Daniel *cap.* 12. vbi dicere videtur, quod à S. Michaele Archangelo occidetur; & S. Paulus 2. ad Tessal. 2. vbi dicit. *Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui eum, cuius est aduentus secundum operationem Satanæ.* Sed facilè cõciliari possunt, quod Christus D. apparriturus sit cum Archangelo Michaele, & potenti illustratione, seu virtute, & maiestate sua prosternet Antichristum, vt fecit cum eodem Apostolo cum Ecclesiam persequeretur, & occidet eum.

DVBIVM III.

Quid sit gratia capitis in Christo Domino.

64 Qvicumque ad aliquam dignitatem, vel præfecturam eligitur, debet prius supponi habilis ad illam, vt qui eligitur vt sit aliorum iudex, prius supponitur, quod habeat peritiam legis, vt sic secundum leges possit in casibus contingentibus ferre sententias, & iudicia. Postea confertur potestas pro illo officio, seu munere rectè fungendo. Primum, scilicet habilitatem habet iudex à se, secundum, scilicet potestatem habet à Principe. Omnes concedere debent, quod in Christo D. debet dari aliquid per quod fuerit aptatus vt esset caput Ecclesiæ, & aliquid per quod in esse capitis fuerit constitutus.

65 Mihi certum videtur, quod gratia vnionis debuerit præsupponi in aliquo saltem priori ad gratiam capitis, homo namque purus, non est aptus vt sit caput mysticum totius Ecclesiæ influendo dona gratiæ, & gloriæ. Difficultas est, an gratia vnionis sit id per quod formaliter Christus D. constituitur caput, an vero gratia habitualis, & secundum quam rationem, nam gratia habitualis vt præcisè personalis, non est gratia capitis, sed personæ; quatenus enim est gratia personæ solam personam sanctificat, non alios.

66 Prima sententia est, quod gratia capitis in Christo D. sit idem, seu identificetur cum gratia vnionis. Sic tenet Vasq. *hic disp.* 48. *cap.* 4. Secunda sententia est, quod tam gratia vnionis, quàm gratia habitualis possit dici gratia capitis. Hanc tenet Suarez *disp.*23. *sect.*2. Tertia sententia est, quod identificetur, seu quod sit idem solum cum gratia habituali, non tamen explicat in quo consistat. Sic S. Bonauent. *in* 3. *dist. art.*2. *q.*2. Richard. *ibid. art.* 3. *q.*2. Gab. *art.*3. & alij.

67 Nostra sententia sequentibus cõclus. explicatur. Prima concl. *Gratia capitis non est idem formaliter, sed solum præsuppositiuè cum vnione, seu gratia vnionis non est ea forma per quam Christus D. constituitur caput.* Sic tradunt post D. Thomam *hic art.*1. omnes eius discipuli. Quod gratia vnionis præsupponatur vt constituens personam Christi D. ad hoc vt sit caput, constat ex dictis *n.* 65. Quod autem ipsa gratia vnionis hypostaticæ, non sit forma constituens Christum D. in ratione capitis.

68 Probatur 1. nam esse caput dicit esse alijs præfectum ratione potestatis, & auctoritatis influendi gratiam, & dona, regendi, gubernandi; sed ista non conueniunt gratiæ vnionis, seu non competunt Christo D. ratione hypostaticæ vnionis; ergo, &c. Maior constat. Minorem probo, tum quia vnio hypostatica præcisè nõ dicit præfecturam, auctoritatem, aut potestatem in alios, sed dicit constitutionem personæ Christi, per assumptionem humanitatis; ergo, &c. Tum etiam quia gratia

tia

tia vnionis formaliter importat solum constitutionem personæ per nudam,& puram terminationem, ac proinde pertinet ad constitutionem illius qui postea est futurus caput.

69 Probatur 2. nam id quod conuenit vnioni hypostaticæ, vltra terminationem, & assumptionem humanitatis, conuenit omnibus tribus personis diuinis,sed præfectura, auctoritas, & potestas influendi gratiam, & dona, & gubernandi, regendique membra, non conuenit personæ Verbi diuini ratione terminationis; ergo si semel illi conuenit, conueniet tribus personis diuinis, & sic vel solus Deus non Christus formalissimè esset caput,vel certè essent tria capita, scilicet tres personæ diuinæ, quod nemo dicit. Maior nota est, per vnionem namque hypostaticam non intelligimus modum illum substantialem, sed Verbi diuini personalitatem, quæ humanitati vnitur. Minor probatur, nam præfectura, auctoritas, vis, & potestas influendi, non dicit rationem puri termini, sed genus causæ efficientis,quod est commune toti Trinitati; ergo, &c. Tum quia vt docet S.Thomas hic, dignitas capitis, auctoritas, potestas, & principatus, est soli Christo D. proprius, sed non esset proprius, si conueniret ratione diuinę personalitatis; ergo, &c. Maior patet,& minor constat ex modo dictis. Tum etiam quia gratia capitis constituit Christum D. intra genus operatiui,cum constituat eum potentem influere in membra, sed gratia vnionis non constituit Christum D. intra genus operatiui, vt patet; ergo, &c. Gratia namque vnionis formaliter non ordinatur ad operationem, sed ad esse subsistens in persona diuina.

70 Sed obijcies 1. nam eo ipso quod persona Verbi diuini vniuit sibi naturam humanam hypostaticè, tribuit illi ius ad gloriam, & gratiam; ergo etiam illi tribuit ius ad omnem principatum, auctoritatem, & potestatem in omnia membra, ac proinde ex ipsa vnione hypostatica habet Christi D. humanitas rationem capitis. Antecedens constat. Conseq.etiam constat ex paritate rationis. Resp. concedendo antecedens, & negando conseq. Ratio discriminis est,quod ius ad gratiam, & gloriam, consequebatur ex vnione hypostatica, ex vi filiationis diuinæ, & per modum quasi proprietatis, at ratio capitis, cum dicat influentiam actiuam,& pertineat ad genus operatiui non potest formaliter conuenire ratione filiationis diuinæ.

71 Obijcies 2. nam Christus D. ex vi vnionis hypostaticæ, est verè, & propriè Deus; ergo etiam ex vi eiusdem vnionis habet eminentem potestatem, auctoritatem, principatum in sua membra,ac proinde dignitatem capitis. Resp.non negare nos etiam principatum Christo Domino ratione diuinitatis; sed quod dicimus est, quod principatus illi proueniens ratione diuinitatis,est communis tribus personis diuinis, & nos loquimur de principatu illius proprio,qui solum ratione gratiæ habitualis, non vnionis hypostaticæ illi conuenit.

72 Secunda concl. *Ratio capitis conuenit Christo D. ratione gratiæ habitualis.* Sic tradit S.Doctor hic art.5.quem omnes sequuntur. Ratio D. Thomæ est, quia gratia capitis in Christo D. est illa per quã influit gratiam, & sanctitatem in alios,sed hæc est gratia habitualis; ergo gratia habitualis in Christo D. est gratia capitis, non prout habet animam Christi sanctificare,sed prout habet influere gratiam sanctificantem in alios. Maior nota est, nam de ratione capitis est, quod influat in mẽbra, ergo de ratione gratiæ capitis est, quod influat in alios, scilicet gratiam. Minor probatur, nam per id Christus D. influit saltem radicaliter in alios per quod constituitur actiuum, seu in genere actiui, sed per gratiam habitualem Christus D. constituitur in genere actiui potentis influere in alios; ergo,&c.

73 Sed adhuc restat explicandum, quid addat gratia capitis supra gratiam habitualem. M.Cipullus *hic art.5.dub.vnico, n.3.* dicit, quod addit quandam eminentiam, quia omne agens in aliud, agit in illud per eandem formam qua est in actu, si forma ipsa habet quandam eminen-

nentiam in ipso. Sed non explicat in quo consistat ista eminentia, ratione cuius gratia habitualis in Christo est gratia capitis, non in alijs.

74 Alij dicunt gratiam capitis in Christo, esse ipsam potestatem excellentiæ, quæ data est Christo D. primò ad influendum vitam spiritualem, seu ad sanctificandas animas. Secundò ad patranda miracula. Tertiò ad consecrandos Apostolos in Sacerdotes, & Episcopos. Quartò ad instituenda Sacramenta. Probant, nam omnis præfectura instituta ad alios sanctificandos, ad influendos in alios, est potestas quædam excellentiæ; sicut in omnibus Principatibus præfectura ad regendos, ad ducendos, ad ducendos alios, est quædam potestas regendi, ducendi, docendi, &c. Hæc autem potestas excellentiæ, est indistincta à gratia sanctificante, & solum addit quendam respectum superioritatis influendi gratiam, & alia in membris.

75 Alij volunt, quod gratia capitis non est quid reale, & physicum, gratiæ habituali Christi Domini superadditum, sed quid morale, scilicet ius quoddam, seu moralis quædam denominatio extrinseca, aut quoddam ens rationis, resultans ex hoc, quod dicta gratia habitualis Christi Domini sit deputata à Deo, vt sit principium morale influens, non quidem proximè, & immediatè, sed mediatè, & radicaliter, in omnia membra. Probant, nam sicut esse ducem exercitus, esse ductorem, esse doctorem, esse aliorum rectorem, non est ens reale physicum, sed morale rationis, scilicet denominatio quædam extrinseca, aut relatio rationis seu ens rationis, desumptum ex Principis deputatione, ita in Christo D. gratia capitis erit quædam denominatio extrinseca, seu quoddam ens rationis desumptum, seu resultans ex eo, quod Christi D. gratia habitualis fuerit deputata ad influendum in alios.

76 Meum de hac re sit iudicium. Eminentia, quam gratia capitis superaddit supra gratiam habitualem, est quidam modus realis modalis, qui potestas quædam est ad influendum in totam Ecclesiã, & eius membra, proueniens ex reali deputatione, & ordinatione diuina. Vel dicas, & in idem recidit, est ius quoddam radicale superadditum gratiæ habituali Christi D. ad influendum gratiam, &c. in alios. Hoc ius est radicale, quia gratia non est immediatè operatiua. Est morale, vt est quodlibet ius ad exercendos quoslibet actus in alios ex deputatione superioris, vt inductione constat in omnibus potestatibus, vt esse Ducem, Imperatorem, Doctorem, &c. Non est denominatio extrinseca, aut ens rationis, sed ius reale morale, consurgens est reali deputatione diuina, vt colligitur ex illo 1. Ephes. 1. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam*. Ex hoc autem, quod Deus constituit Christum D. caput supra omnem Ecclesiam acquisiuit quoddam ius morale ad influendum in eam, quod ius non potest non esse quid reale, vt in simili diximus de Sacramentis in genere, quod scilicet Sacramenta nõ sint entia rationis, sed realia, cum sint realiter sanctificatiua ex ordinatione, seu ex reali deputatione diuina. Ex quibus colligitur, quod gratia capitis est donum aliquod gratuitum, gratuitò, & liberaliter concessum Christo D.

77 Sed quæres 1. quos actus Christus D. exercuit, vel exercere potuit per dictam gratiam capitis? Resp. esse in duplici differentia. *Alij* sunt, quibus Christus D. promeruit gratiam sanctificantem, & cætera dona gratuita. Alij sunt quibus in exercitio, de facto, & realiter gratia sanctificans, & dicta dona, ex Christi D. merito, eiusque influxu conceduntur. Inter hos actus hæc est differentia, quod ad hoc vt gratia, &c. concedantur ex Christi D. meritis, non est necessaria actualis eius præsentia, qua ratione gratia data Sanctis Patribus legis veteris non præsupponebat actualem existentiam Christi. Cæterum ad hoc vt gratia Christi D. efficienter physicè influat in productionem gratiæ, & donorum, requiritur actualis Christi existentia.

78 Quæres 2. an gratia habitualis Chri-

Christi D. non solum moraliter, sed physicè influat seu concurrat ad productionē gratiæ, & donorum. Resp. ex dictis, quod respectu Sanctorum Patrum legis veteris solum fuit principium morale, non physicum, cùm adhuc re ipsâ non existeret. At respectu nostri, est principium physicū per modum instrumenti coniuncti. Colligitur ex dictis à nobis de Sacramentis in genere, quod scilicet Sacramenta sint instrumenta physica gratiæ, sed separata, at humanitas, & gratia illius, sunt instrumentū physicum, sed coniunctum. Eleuatur autem gratia simul cum tota humanitate ad effectus gratiæ.

79 Quæres 3. per quid Christus D. magis præcipuè constituatur idoneus ad recipiendam gratiam capitis, seu potestatem excellentiæ? Resp. quod licet gratia capitis sit idem cum gratia habituali, vt iam diximus, tamen, qua ratione ab illa moraliter distinguitur modo explicato, Christus D. intelligitur magis dispositus ad eam recipiendam per gratiam vnionis, quàm per gratiam habitualem. Ratio est, quia per id magis Christus D. idoneus intelligitur, per quod habetur infinitas meriti; sed hæc habetur per vnionem hypostaticam, non per gratiam habitualem præcisè; ergo, &c.

80 Quæres 4. an sit proprium Christi D. esse caput Ecclesiæ? Hoc dubium resoluit affirmatiuè S. Doctor *hic art. 6.* Constat ex sacra scriptura, de solo namque Christo D. dicitur, quod sit caput Ecclesiæ, de eo solo dicitur, quod Pater dedit ei omnia in manus: de eo solo dicitur, quod sit ostium per quod omnes intrant in ouile regni cœlorum: de eo solo dicitur, quod sit vitis vera, & nos palmites: de eo solo dicitur, sine me nihil potestis facere, de eo solo dicitur, quod sit mediator Dei, & hominum.

81 Sed dices 1. quod si Adam non peccasset fuisset caput omnium hominum quoad influxum iustitiæ originalis, sicut de facto est caput omnium hominū quoad influxum peccati originalis; ergo esse caput hominum quoad influxum gratiæ, & donorum non est proprium Christi D. Resp. quod Adam potest quidem dici caput omnium posterorum quoad physicam propagationem, sicut etiam potest dici caput hominum quoad productionem peccati originalis per seminalē propagationem. Non tamen fuisset caput mysticū Ecclesiæ, & membrorum eius quoad influxum iustitiæ originalis durante statu innocentiæ. Non enim Adam produxisset iustitiam originalem in posteros, sed à Deo producta fuisset supposita conditione, & pacto de illius innocentia, & perseuerantia in illa per obseruantiam præcepti. Tum quia Christus D. diuidit singulis sua dona prout vult, consulto, & ex intentione, at Adam præter intentionem.

83 Dices 2. quod etiam summus Pōtifex est caput Ecclesiæ vniuersalis, & quilibet Episcopus est caput suæ Diœcesis; ergo, &c. Resp. 1. quod Pontifex, &c. est tantum Vicarius Christi capitis, & in linea Vicarij potest dici caput. Respond. 2. quod Christus D. est caput tum Ecclesiæ militantis, tum purgantis, tum triumphātis. At Pontifex est solum caput Ecclesiæ militantis. Resp. 3. quod Pontifex, & Episcopi possunt dici ministri capitis, aut secundum caput, quatenus non tantum quoad exteriorem gubernationem, sed etiam quoad interiorem influxum, remittunt peccata, conferunt gratiam, &c. in virtute Sacramentorum ab ipso Christo capite institutorum.

83 Quæres 5. an Deus per absolutam potentiam possit capitis dignitatem alicui puræ creaturæ communicare? Resp. quod si dignitas capitis consideretur vt dicit intrinsecum ordinem ad vnionem hypostaticam, à qua Christi meritum habet valorem infinitum, nullo modo potest puræ creaturæ communicari, nulla namque pura creatura est capax valoris, & meriti infiniti, vt constat ex dictis *disp.* 1. Si autem dignitas capitis consideretur quoad illos actus, qui non dicunt intrinsecum ordinem ad vnionem hypostaticā, tunc puræ creaturæ communicari potest, vt si Deus acceptet actus puræ creaturæ ad satisfaciendum vtcumque pro alijs.

DISPV-

DISPVTATIO IX.

IN QVAEST. IX. DIVI THOMAE.

De scientia Christi in communi.

1 N art. 1. probat S. Doctor, quod in Christo D. præter scientiam diuinam, & increatam detur scientia creata. Vbi non loquitur strictè de scientia, sed generaliter, pro quacumque creata intellectus cognitione, & hoc est de fide dum Sacra Scriptura tribuit Christo D. donum sapientiæ, scientię, & intellectus. Isa. 11. Et Ioan. 8. dicitur. *Scio eum, & sermonem eius seruo.* In art. 2. docet, quod in Christo D. fuit scientia beatorum, quæ in Dei visione consistit, quia cum ipse sit causa talis scientiæ, consequens est, vt cæteris perfectius eam habuerit; quocirca ab ipso suæ incarnationis exordio fuit beatus. In art. 3. dicit, quod habuit scientiam inditam, seu infusam, quam alij vocant congenitam, decuit enim animam Christi D. ab ipso sui exordio fuisse perfectam, ac proinde oportuit eam reduci ad actum, secundum potentiam quam habet ad intelligibilia, siue naturalia, siue supernaturalia, proindeque debuit ab initio accipere illarum rerum sciẽtiam infusam per species proportionatas, & congenitas, quæ scientia est infusa, cum natura sua sit supernaturalis, non nata acquiri per humanam industriã. In 4. art. dicit, quod in Christo D. fuerit etiam aliqua scientia acquisita, de quibus in sequentibus.

DVBIVM I.

An Christus D. præter scientiam increatam quam habuit vt Deus, habuerit vt homo scientiam creatam.

2 HOc dubium sic alij proponunt. An in Christo D. fuerit aliqua cognitio, seu intellectio creata, siue habitualis, siue actualis. Partem negantem tuebantur hæretici Monothelitæ, qui vt refert S. Doctor *infra q. 18. art. 1* Et Prateolus verbo Monophistæ, dicebant, quod in Christo D. erat vna tantum operatio, eaque diuina, & licet isti expressè solum loquerentur de interna voluntatis operatione, tamen cum sit eadem ratio de operatione intellectus, ideo & hoc asserere putabantur. Idem tribuitur Hugoni de S. Victore *Opusc. de anima Christi, & eius scientia, & lib. 2. de sacram. parte 1. cap. 6.* vbi dicit, quod sicut anima Christi subsistit per subsistentiam Verbi, ita eius intellectus intelligit per intellectionem eiusdem Verbi, de quo magis *dub. 2.*

3 Nostra sententia sequentibus cõcl. explicatur. Prima concl. *In intellectu Christi D. fuit intellectio creata.* Hæc conclusio est de fide. Colligitur ex illo Ioan. 8. *Scio eum*, scilicet Patrem, *& sermonem eius seruo.* Et cap. 13. dicitur. *Sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo, &c.* Hæc veritas definita est in 6. synodo, in pluribus alijs Concilijs. Ratio est, quia aliàs intellectus frustra esset in anima Christi D. frustra namque est illa potentia quæ non reducitur ad actum, maximè quando ex sua natura inclinatur ad suam propriam operationem. Tum quia natura humana in Christo D. esset imperfecta, vtpotè

vtpote carens ſua propria actione, naturali modo exercenda, & compoſſibili cum operatione increata; ergo, &c.

4 Secunda concl. *Chriſtus D. ab inſtanti ſuæ conceptionis capit habere actum intellectionis creatæ*. Colligitur ex illo Hierem. *Mulier circumdabit virum*, vbi apertè inſinuatur, quod Chriſtus D. adhuc exiſtens in vtero gloriæ ſuæ Matris, habuerit rationis vſum; qua ratione vocatur *vir* propter rationis vſum, qui ſine intellectus cognitione eſſe non poteſt. Idem colligitur ex illo Iſaiæ 8. *Antequam ſciat vocare Patrem*, *&c.* ideſt antequam proferret verba humana, cogoſcebat, habebatque omnium ſcientiam, vt explicat S. P. Aug. ſerm. 4. in Epiphania D.

5 Tertia concl. *Chriſtus D. ab inſtanti ſuæ conceptionis, habuit habitus ſciētiæ creatæ*. Hanc concl. tradunt omnes ſcholaſtici *in* 3. *diſt*. 4. & Theologi hoc loco poſt. D. Thomam. Ratio à priori eſt, quia operatio intellectiua Chriſti D. quam habuit à ſuæ incarnationis exordio debuit eſſe omnino perfecta, & perſeuerans, ergo debuit procedere ex habitu. Antecedens conſtat. Conſeq. probatur, nam cognitio procedens ex habitu perfectior eſt ea quę ex habitu non procedit, cum enim habitus ſit permanens, & diuturnior, diuturnitatem, & permanentiam tribuet ſuis operationibus.

6 Sed obijcies 1. nam Chriſtus D. neſciuit diem iudicij, vt conſtat ex illo. *De die autem illa nemo ſcit, neque Filius hominis* &c. Reſp. quod Chriſtus D. dicitur, neſcire diem iudicij, vt alijs reuelet. Abſolutè tamen ſciuit, vt probè probat S. Athanaſius ſerm. 4. contra Arrianos, vbi ſic dicit. *Si Chriſtus diem iudicij neſciret, numquam ea, quæ diem iudicij anteueniunt deſignaſſet, quippe ignarus quando ea hora futura eſſet*. Et poſt aliqua ſubdit. *Ille ipſe eſt qui venturus eſt, idemque & iudex, & ſponſus, latere eum non poteſt, quando, & qua hora venturus ſit. Nam ſicut vt homo cum hominibus eſurit, & ſitit, & patitur, ita cum hominibus vt homo non nouit, &c.*

7 Obijcies 2. nam implicat, quod Chriſtus D. aliquid intelligeret intellectione creata, & increata, ſed Chriſtus D. omnia intelligebat intellectione increata; ergo non poterat eadem intelligere intellectione creata. Minor conſtat. Maior probatur, nam non poteſt quis ſubſiſtere ſubſiſtentia increata, & creata; ergo neque poteſt intelligere intellectione increata, & creata ſimul. Reſp. diſtinguendo maiorem. Implicat, quod Chriſtus D. aliquid intelligat intellectione creata, & increata per eundem intellectum, conceditur; per duplicem intellectum, diuinum, & humanum, negatur. Ab eodem namque intellectu non poteſt prodire intellectio creata, & increata: vterque tamen intellectus poteſt per ſuam intellectionem ſuo modo tendere in idem obiectum ſub propria ratione.

8 Obijcies 2. in Chriſto D. nihil ſuperfluum, aut ſuperuacaneum ponendum eſt; ſed data in Chriſto Dom. cognitione increata, ſuperfluit cognitio creata, ergo in eo ponenda non eſt. Minor probatur, nam cognitio increata eſt ſicut lumen ſolis, & cognitio creata eſt ſicut lumen paruæ candelæ, ſed lumen candelæ ſuperfluit ad præſentiam luminis ſolis; ergo, &c. Reſp. negando minorem. Ad probationem dico, quod ſicut in Chriſto D. non ſuperfluit intellectus creatus, ita neque ſuperfluit eius cognitio. Vnde probatio minoris ad ſummum euincit reſpectu eiuſdem intellectus, non reſpectu intellectus diuini, & humani.

DVBIVM II.

An Chriſtus D. ſeu an anima Chriſti D. cognouerit per ſcientiam increatam Dei.

9 PRima ſententia eſt, quod anima Chriſti D. de facto cognouerit per ſcientiam, ſeu cognitionem increatam Dei. Sic Hugo de S. Victore dub. præcedenti relatus. Eandem ſent. ſequutus eſt Ioan. de Ripa apud Capreolum *in* 3. *diſt.* 14. *art.* 2. & alii apud Greg. Ariminenſ. *in* 2. *diſt.* 7. *q.* 2. Secunda ſententia eſt, quod

de facto anima Christi D. non cognouerit per scientiam increatam, tamen hoc non implicat de potentia absoluta. Pro hac sent. Orlandus *tract. 3. q. 1. & 2. citat* Ioannem de Neapoli, & aliquos Theologos Parisienses.

10 Nostra sent. seq. concl. explicatur. *Implicat etiam per diuinam potentiam, quod intellectus creatus animæ Christi D. intelligat per intellectionem increatam, ac proinde multo minus id de facto facit*. Sic tenent omnes scholastici, iam citatis exceptis, & omnes Theologi hoc loco. Videatur N. Cornexus hic, Orlandus loco cit. Cipullus, & alij.

11 Quod de facto intellectus creatus animæ Christi D. non intelligat per intellectionem increatam, constat ex Concilio Lateran. sub Martino I. *collat. 5. in professione fidei*, vbi definitur quod omnia in Christo sunt duplicia. Sic enim dicitur. *Omnia in Christo D. esse duplicia, duas esse naturas, duas voluntates, duas item operationes*. Idem definiuit S. Leo Papa *epist. 10. ad Flauianum* approbata à 6. Synodo, vbi dicitur. *Verbo scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est*. Vbi apertè definitur, quod vtraque natura in Christo D. suas exercuit operationes, & sic natura humana exercuit cognitionem creatam, non increatam. Ratio clara est, quia intellectus creatus animæ Christi D. suos debuit exercere actus connaturaliter, & modo suæ naturæ consentaneo, ac proportionato, sed hoc non potest esse respectu cognitionis increatæ; ergo, &c. Maior constat. Minor probatur, nam actus increatus non potest saltem cõnaturaliter exire ab intellectu creato, cum enim actus intellectus sit vitalis, & quædam egressio vitalis ab eodem intellectu, & actus increatus non possit esse egressio ab intellectu creato, cum in eo non præcontineatur, sequitur, quod intellectus creatus animæ Christi D. non possit intelligere per intellectionem increatam.

13 Quod autem neque de potentia absoluta possit intellectus creatus animæ Christi D. intelligere intellectione increata, colligitur ex Epist. Agathonis Papæ in Concilio Romano 5. vbi dicitur, quod operatio vnius naturę non potest fieri operatio alterius, quod longè ante docuit Sanctus Ambros. *lib. 2. de fide cap. 4.* vbi dicit. *Nunquid vna operatio potest esse vbi diuersa substantia est?* nullo modo.

14 Probatur 1. ratione D. Thomæ 1. *p. q. 18. art. 1.* vbi dicit, *quod aliquid viuere, nihil est aliud propriè, quam illud ita moueri à se ipso, vt fundat suas actiones à principio vitæ sibi intrinseco*. Et art. 2. ad 2. dicit, quod illa viuunt, *quorum principia sunt in operantibus, vt se ipsos inducant in tales operationes*, ex quibus verbis sic formatur ratio. Intelligere est viuere in actu secundo; sed implicat, quod intellectus creatus viuat in actu secundo per intellectionem increatam; ergo implicat, quod intelligat per intellectionem increatam. Maior nota est, viuere namque in actu secũdo est exercitium vitæ ab intrinseco. Minor probatur, nam implicat, quod cognitio diuina sit exercitium ab intrinseco intellectus creati. Tum quia intellectus creatus animæ Christi D. est vitalis quædam potentia, cuius actus vitalis est intellectio; sed intellectio diuina non potest esse actus vitalis intellectus creati, aliàs esset creata; ergo, &c.

15 Probatur 2. & explicatur præcedens argum. nam implicat, quod intellectus creatus animæ Christi D. sit formaliter intelligens, aut formaliter sciens intellectione, aut scientia increata; ergo, &c. Antecedens probatur, nam implicat intellectum esse formaliter intelligentem per intellectionem à se formaliter nõ procedentem tanquam à principio vitali, intelligere namque est viuere, & intellectio est vita, & exercitium vitæ, seu potentiæ, aut quasi potentiæ vitalis, sed implicat, quod intellectio, aut scientia increata sit, seu formaliter procedat ab intellectu creato, quod enim procedit ab intellectu creato, creatum est, cum increatum sit à se, non ab alio; ergo, &c. Tum quia si intellectus creatus intelligeret, aut sciret per intellectionem, aut scientiam increatam, deberet hoc habere à se, & à principio intrinseco; sed si semel intelligeret, aut sci-

ret

ret per intellectionem aut scientiam increatam, hoc non haberet à se, & à principio intrinseco, sed ab alio, scilicet à Deo & à principio extrinseco; ergo, &c.

16 Probatur 3. nã nullus potest amare per alienum amorem, aut per alienum affectum; ergo neque potest intelligere, aut scire per alienam intellectionem, aut per alienam scientiam. Antecedens constat ex dictis *in* 1. 2. *de voluntario*, nam amor debet esse voluntarius, & amare, est bonum alteri voluntariè velle, sed hoc non potest esse per alienum affectum, cũ de ratione voluntarij sit, quod sit à *principio intrinseco cum cognitione finis*; ergo, &c. Conseq. probatur, quia non minus est à principio intrinseco amor quam cognitio; ergo si amor non potest esse per alienum affectum, neque cognitio erit per alienam intellectionem. Soluuntur argumenta in contrarium.

17 Primum argum. Non magis repugnat diuinam essentiam immediatè vniri intellectui creato animæ Christi D. & beatorum in ratione actualis intellectionis, quàm in ratione speciei intelligibilis; sed hoc non repugnat; ergo neque illud. Minor nota est ex dictis 1.*p. disp*.12. *de visione Dei*, vbi cum D.Thoma ostendimus diuinam essentiam de facto vniri cum intellectu beati in ratione speciei intelligibilis; imò etiam in ratione speciei expressæ, seu Verbi, non enim beati producunt Verbum, vt ibi probauimus. Maior probatur, nam non minor est potentia obedientialis in intellectu creato ad vnum, quam ad aliud; ergo æqualiter se habebit ad vtrumque.

18 Respondet 1. Orlandus *tract*. 3. *disp*.1.*q*.2.*n*.11. quod intellectio, seu visio increata vnitur intellectui beati, & Christi D. tanquam obiectum, quatenus beatus eam videt, quia cum vnitur essentia diuina intellectui beati per modum actus primi, etiam visio increata vnitur eodem modo tanquam obiectum per modum actus primi, quia omnia quæ sunt formaliter in Deo sunt vnum obiectum proportionatum, atque intimè præsens, &c. Cæterum hæc responsio non satisfacit, non enim verum est, quod visio increata Dei vniatur intellectui beati per modum actus primi, cum hoc sit proprium munus essentiæ diuinæ, quæ sola in diuinis fungitur officio speciei intelligibilis, & formæ intelligibilis. Vnde licet essentia diuina repræsentet intellectui beati etiam visionem increatam Dei, non tamen ipsa visio vnitur intellectui beati in actu primo, cum hoc sit munus solius essentiæ diuinæ vt fungitur officio speciei. Tum quia non omne id quod est obiectum cognitionis vnitur cum intellectu in actu primo, sed solum id quod est obiectum motiuum, nõ id quod est obiectum terminatiuum tantum, patet autem quod in diuinis sola diuina essentia habet rationem obiecti motiui, visio autem increata, & omnia alia habent rationem obiecti terminatiui tantum.

19 Respondet 2. Isambertus *ad q*.9. *disp*.1.*art*.4. negando maiorem, & rationem disperitatis assignat, quod species quatenus species postulat solum vniri extrinsecè potentiæ, seu per intimam indistantiam, cum sit vice obiecti, quod ex præcisa ratione cognitionis non postulat esse in potentia, sed solum esse ei coniunctum sufficienter. Tum quia, inquit, esse speciem non consistit in quodam agere, nec in aliquo viuere. Nec similiter species postulat produci ab intelligente, sed sufficit quod sit aliquid proximè aptũ per modum actus primi concurrere efficienter non vitali, sed purè extrinseca loco obiecti cum intellectu ad efformandam cognitionem. At intellectio petit vnionem formalem cum intellectu, petit eum informare cum sit quædam vita actualis illius, & ab illo fit vitaliter.

20 Sed neque hæc responsio satisfacit. Primò quia falsum est, quod species quatenus species postulet solum vniri potentię extrinsecè, seu per intimam indistantiam, cum enim species compleat potentiam in ordine intelligibili, non potest non vniri potentiæ in hoc ordine intrinsecè. Tum quia species intelligibilis est veluti virtus, vicaria, & semen obiecti fecundãs eandem potentiam, in ordine ad

partum intelligibilem, per solam autem extrinsecam assistentiam potentia non fecundatur, vt pariat intelligibiliter; ergo &c. Secundò, quia falsum est, quod species non sit quoddam agere iuxta illud *ex obiecto, & potentia paritur verbum, & notitia.* Species namque in hoc partu intellectuali se habet per modum masculi, & potentia per modum fæminæ; masculus autẽ in omni generatione concurrit actiuè ad generationem. Vnde etiam in diuinis tota ratio agendi, seu generandi Verbum est natura diuina connotando tamen paternitatem. Et error esset dicere, quod diuina essentia in generatione Verbi diuini non se haberet per modum principij actiui. Tertiò, nam etiam falsum est, quod species intelligibilis non sit aliquod viuere, aliàs non posset esse principium *quo* vitale generationis intellectualis. Species ergo est principium vitale vt *quo* fæcundans vitaliter potentiam, eamque vitaliter complens, per modum masculi vitalis intelligibilis.

21 Resp. ergo negando maiorem argumenti *n.17.* propositi. Ratio discriminis est ex N. Cornexo *hic ad q.9. disp. 1. dub. 4.* quia essentia diuina potest vniri per modum speciei intelligibilis, quæ secundum se non dicit informationem, sed puram vnionem in esse intelligibilis, in quo nulla apparet imperfectio. Cæterum de ratione intellectionis, & cuiuscunque alterius actionis vitalis est procedere ab operante, & in eo recipi siue per informationem, vt in nobis, siue per omnimodam identitatem, vt in Deo, hoc autem repugnat intellectioni increatę respectu nostri intellectus, à quo nec procedere, nec sustentari, nec cum eo identificari potest. Vnde cum intellectio non sit forma intelligibilis, sed operatio vitalis, si semel cum intellectu creato vniri posset, deberet vniri per informationem, quod implicat.

22 Secundum argum. nam personalitas Verbi diuini vnitur humanitati Christi D. per modum actus secundi, & non tantum per modum actus primi; ergo etiam intellectio increata Dei poterit in ratione actus secundi vniri intellectui creato Christi Domini, & beatorum. Conseq. constat ex paritate rationis. Antecedens probatur, nam subsistentia Verbi diuini, non solum tribuit humanitati posse subsistere, sed de facto, & in actu secundo facit illam subsistentem; ergo illi vnitur per modum actus secundi. Resp. negando maiorem; personalitas namque Verbi diuini non vnitur humanitati per modum actus siue primi, siue secundi, sed per modum puri termini, in quo nulla inuoluitur imperfectio, si autem vniretur per modum actus secundi, inuolueretur imperfectio, cum de ratione actus secundi vitalis sit, quod procedat à principio vitali in eoque recipiatur, aut saltem cum eo identificetur, quod in intellectione increata respectu intellectus creati reperiri non potest. Et sic diuina subsistentia cum sit terminus, non debet in natura humana recipi per modum formæ, nec illi vt forma vnitur, at intellectio cum non sit terminus, sed actio, seu operatio vitalis debet recipi in principio eliciẽte, vt in nobis, aut saltem cum eo identificari, vt in Deo.

23 Tertium argum. nam subsistentia creata ex natura sua petit dimanare à sua natura, sicut omnis intellectio creata petit procedere à suo intellectu; ergo sicut subsistentia diuina potest supplere subsistentiam creatam absque eo quod à natura creata dimanet, ita intellectio diuina poterit supplere intellectionem creatam, absque eo quod dimanet, & recipiatur in intellectu creato. Resp. quod licet subsistẽtia creata qua parte dicit esse formam petat dimanare à sua natura, non tamẽ qua parte formalissimè exercet munus termini, hac enim ratione potius natura dependet à subsistentia. Subsistentia autem diuina supplet hoc secundum munus non primum. Cœterum intellectio ex sui ratione cum sit actio vitalis, & exercitium potentiæ vitalis non potest non esse egressio à principio eliciente, & non recipi in eo, cum sit operatio immanens, vt in nobis, aut saltem cum suo principio, à quo virtute egredi intelligitur, & identificari, vt in diuinis.

24 Quartum argum. nam species inuita-

intelligibilis in nobis cauſatur à principio vitali, & eſt vitalis ſaltem *vt quo*, & tamen poteſt ſuppleri à Deo; ergo licet intellectio ſit vitalis *vt quo*, & cauſetur à principio vitali, poterit à Deo ſuppleri per ſuam intellectionem. Conſeq. conſtat, ſi enim quid obſtaret maximè eſſet, quia eſt vitalis, & prodit à principio vitali, quod non currit, &c. Antecedens probatur, nam ſpecies intelligibilis in nobis eſt vitalis, tum quia concurrit ſimul cum intellectu ad operationem vitalem effectiuè; tum etiam quia cauſatur effectiuè à potentia vitali, ſcilicet ab intellectu agente, & recipitur in potentia vitali, ſcilicet in intellectu poſſibili. Reſp. quod ſpecies intelligibilis eſt vitalis quatenus effectiuè concurrit ad operationem vitalem, quod ſecũdum ſe nullam inuoluit imperfectionem, ac proinde poteſt ſuppleri à Deo, quatenus diuina eſſentia poteſt repræſẽtare illud ipſum quod repræſentat eadem ſpecies, quod autem in nobis producatur pro hoc ſtatu ab intellectu agente, nil facit, tum quia non producitur vt operatio vitalis qua ratione non poſſet ſuppleri à Deo, ſed vt eſt terminus operationis vitalis, qua ratione poteſt ſuppleri à Deo; vnde ſolum id quod eſt egreſſio per modum operationis vitalis, & exercitij potentiæ vitalis non poteſt à Deo ſuppleri, ſecus quando ſolum egreditur à potentia vitali per modum termini illius vt conſtat in ſpecie expreſſa, ſeu Verbo, quod à Deo ſuppleri poteſt, & de facto ſuppletur, vt patet in viſione beata, vbi beati non producunt Verbum, ſed ipſa diuina eſſentia fungitur officio Verbi.

25 Quintum argum. nam intellectio non eſt actio, ſed qualitas, & intelligere non eſt agere, ſed pati, recipiendo illam qualitatem, ſcilicet intellectionem; ergo poterit ſuppleri à Deo per intellectionẽ increatam; ſi enim aliquid obſtaret, maximè quia intellectio eſſet actio, & intelligere eſſet agere, ſeu exercitium potentiæ vitalis. Reſpondet P. Orlandus concedendo antecedens, & negando cõſeq. quia talis qualitas effectiuè procedit ab eodem intellectu per aliam actionem, intellectio autem diuina non poteſt procedere ab intellectu creato.

26 Sed hæc reſponſio non placet; primò, quia licet intellectio non ſit actio de prædicamento actionis quæ eſt actus imperfecti, cum ſit via, & fluxus, eſt tamen actio vera de prædicamento qualitatis, cum ſit vera, & propria operatio. Secundò, quia non eſt verum, quod intelligere non ſit agere, ſed pati, recipiendo illam qualitatem, ſcilicet intellectionem, cum enim intellectio ſit vita, & exercitium vitæ in actu ſecundo, non poteſt non eſſe actio, & non tantum paſſio; hoc enim eſt proprium actionum immanentium, vt prius egrediantur, quàm recipiantur, nec intellectio, &c. conſiſtit in ipſa receptione, ſed in actione; beati namque non dicũtur videre Deum quatenus eius viſio in eorum intellectu recipitur, ſed quatenus eſt tendentia in Deum, vt patet.

27 Sextum argum. nam Deus de facto ſupplet Verbum mentis, licet ſit qualitas vitalis, ergo etiam poterit Deus ſupplere intellectionem creatam, licet ſit qualitas vitalis. Tum quia non eſt minus vitale Verbum, quàm intellectio; ergo non minus poteſt Deus ſupplere vnum, quàm aliud. Reſpondet Orlandus *n.* 16. negando antecedens, quia cum viſio beatifica ſit actio de prædicamento actionis, & verum fieri, implicat, quod detur ſine termino, & ſine facto eſſe.

28 Sed hæc reſponſio non placet, & videtur contra ſuum auctorem, qui num. præcedenti dicit quod intellectio eſt qualitas; ſi eſt qualitas non eſt actio de prædicamento actionis, ſed de prædicamento qualitatis, vt ſunt omnes operationes, quæ ſunt fieri, & factum eſſe, ac proinde non ſunt tantum fieri, & ſic poſſunt eſſe ſine termino producto, vt de facto contingit in operationibus ſenſuum externorum, quæ terminum à ſe diſtinctum non producunt, non enim producunt verbum, ſeu ſpeciem expreſſam, vt omnes tradunt.

29 Sed quæres, an ſit de fide, quod intellectus creatus animæ Chriſti D. non intelligat, nec ſit ſapiens ſapientia increata? affirmat Medina *hic & 1. 2. qu.* 3.

Sua-

Suarez *hic disp.* 24. *sect.* 5. at alij putant esse temerarium, & periculosum in fide tenere oppositum. Idem tenet N. Cornexus hoc loco dub. 3. circa finem, quia est contra communem Theologorum sententiam: tum quia per bonam consequētiam infertur ex altera de fide, & altera lumine naturali cognita: scilicet ex ista intellectus creatus Christi D. videt intuitiuè Deum, & ex ista, actio vitalis, qualis est visio, procedit elicitiuè à vidente.

DVBIVM III.

An Anima Christi D. habuerit scientiam beatificam.

30 ALiqui hoc dubium sic proponunt, an anima Christi D. per intellectum creatum viderit diuinam essentiam: sed in idem recidunt. Omnino certum est, quod anima Christi D. post resurrectionem, seu post mortem viderit diuinam essentiam, iuxta illud Apost. ad Philipp. 2. *Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloria est Dei Patris.* Et iuxta illud Marci vlt. & ad Ephes. 1. *Assūptus est in cælum, & sedet à dextris Dei.* Et iuxta illud Luc. 23. *Hodie mecum eris in Paradiso*; idest in beatitudine. Et iuxta illud Luc. 24. *Oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam.*

31 Ratio est, nam si cæteris animabus iustis, quibus in purgatorio nihil est soluendum, datur gloria æterna, seu visio beatifica, vt definit N. Benedictus XII. *in exerauag. Benedictus Deus*, multo magis debebat concedi purissimæ, & sanctissimæ animæ Christi D. Tum quia vt docet Sanctus Doctor *art.* 2. Christus D. vt homo est causa beatitudinis aliorum hominum; ergo & ipse beatus esse debet.

32 Nec valet dicere, quod hæc ratio solum habeat locum in causa principali, quæ debet continere id quod causat, non in causa instrumentali, vt est Christi humanitas respectu gloriæ aliorum. Nam licet non sit de ratione instrumenti physici, siue animati, siue inanimati, quod habeat formam quam causat, vt patet in Sacerdote in mortali existente, qui causat gratiam in absoluto, licet ipse ea careat. Tamen quando instrumentum non est tātum physicum, sed etiam morale, debet præcontinere formam quam in alijs causat. Christus autem D. cum sit caput morale debet præhabere perfectiones, quas in membris causat, ac proinde cum causet, seu influat in beatis gloriam, debet eam præcontinere, & sic debet esse beatus.

33 Contra hanc veritatem blasphemauit quidam Apostata apud Prateolum verb. *Antichristiani*, & Bellarm. *lib. 4. de anim a Christi cap.* 8. quos refert N. Cornexus *hac q. 9. art. 2. disp. vnica dub.* 1. qui dicebat, quod Christus D. fuit damnatus, eo quod succubuerit magnitudine dolorum, & de sua salute in cruce desperauerit, cum dixit Matth. 27. *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me*, quæ verba vt dicebat ille Apostata, erant desperantis, & peccatoris à Deo derelicti. Ad quod adducebat illud Psal. 21. in persona Christi. *Longè à salute mea verba delictorum meorum*; quasi peccata Christi D. Deum ab illo elongauerint, & fuerint in causa, quod diuinitas humanitatem relinqueret. Resp. quod illa verba. *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me*; non fuerunt desperantis, sed dolentis, & in afflictione positi. Si enim fuissent verba desperantis, vt volebat ille Apostata, non commendasset Christus D. spiritum suum in manu Patris, dicens. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Dicitur autem Christus D. derelictus à Patre in cruce, non quia diuinitas ab eo separata sit, nec quia fuerit destitutus gratia, & beneuolentia Patris, sed quia diuinitas, & Pater nihil auxilij contulerunt humanitati, ad depellenda supplicia, & ad crucis ignominiam depulsandam, qua ratione humanitas videbatur derelicta, & inimicorum voluntati tradita. Vel dicas cum D. Tho. *infra q. 50. art. 2. ad* 1. quod Christi humanitas dicatur derelicta in cruce, non per solutionem vnionis hypostaticæ, sed per separationem diuinitatis, in ratione subtractionis, protectionis, & defensionis.

Con-

34 Contra eandem veritatem blasphemauit Caluinus *lib. suar. instit. cap.* 16. & alij hæretici nostri temporis, quos citant Bellarm. *loco cit.* Salmeron. *to.* 1. *tract.* 43. apud N. Cornexum loco cit. quatenus dicunt, quod Christus D. pro triduo mortis, damnatorum pœnas subijt, & caruit diuina visione vsque ad resurrectionem. Pro quo adducebant illud Act. 1. *Quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni*. Et illud Psalm. 114. *Inuenerunt me dolores mortis, pericula inferni inuenerunt me*. Resp. quod sensus illorum verborum, *solutis doloribus inferni*, est, quod Deus suscitauit Christum D. transacto tempore quo eius corpus detinebatur in sepulchro, & eius anima in limbo, non quia corpus & anima tunc paterentur, sed quia corpus detineri in sepulchro, & animam in limbo, erat quædam pænalitas, & effectus ex morte secutus, quam pænalitatem debuit Christus D. subire in illo triduo. Vel dicas sensum esse, quod Deus non suscitauit Christum D. nisi *solutis doloribus inferni*, idest nisi prius sustinendo mortem, & passionem acerbissimam, quæ doloribus inferni æquiparari potest.

§. I. An Anima Christi D. dum erat in carne passibili frueretur visione beata, seu an heberet scientiam beatam.

35 Aliqui hæretici nostri temporis, vt Buccerus, & Caluinus negāt scientiam beatam in Christo D. quia in eo agnoscunt fidem dum esset in carne passibili, fides autem cum scientia esse non potest; vt in 2. 2. fusè ostendimus etiam attenta diuina omnipotentia. Pro hoc errore citatur etiam Erasmus à M. Cano *lib.* 12. *de locis cap.* 14. qui tamen solum dicit se de hoc dubitare.

36 Veritas catholica seq. concl. explicatur. *Anima Christi D. dum adhuc esset in corpore mortali vidit diuinam essentiam, seu habuit scientiam beatam*. Hanc conclusionem aliqui dicunt esse de fide, alij dicunt esse adeo certam vt oppositum sit error, aut proximum errori. Videantur N. Cornexus *hic art.* 2. *disp. vnic. dub.* 2. Orlandus, & alij hoc loco. Colligitur ex illo Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis*. Vbi apertè denotatur, quod fuit Christus D. plenus gloria, sicut erat plenus gratia, & veritate, & Io. 10. dicitur. *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarrauit*. Vbi clarè significatur, quod Christus D. ea nobis enarrauit, quæ visione beata cognoscebat. Et Ioan. 17. dicitur. *Pater quos dedisti mihi volo vt & vbi ego sum, & illi sint mecum*. Idest vbi ego sum in gloria, fruens beata visione, & illi sint; vbi ponderandum est, quod Christus D. non dixit: vbi ego ero, sed vbi ego sum, quo significare voluit, quod tunc cum adhuc esset in carne passibili, & mortali, erat beatus, & diuina visione fruebatur.

37 Probatur 1. nam Christus D. dū adhuc esset in vita mortali, & passibili, erat Doctor, & nouæ legis legislator; ergo debuit esse plenus veritate, sed non poterat esse plenus veritate absque intuitiua visione diuinæ essentiæ, ergo, &c. Cum enim Christus Dominus esset summus legislator debuit habere plenitudinem veritatis de ea doctrina quam prædicabat, & de qua legem toti mundo ferebat, non habebat autem hanc plenitudinem veritatis nisi per clarissimam, & perfectissimam cognitionem eorum omnium, quæ docebat, quod idem Dominus dixit Nicodemo Ioan. 3. ibi. *Quod vidimus testamur*. Non enim potuisset Dominus dicere, quod vidimus testamur, si per claram visionem, ea quæ dicebat non vidisset.

38 Probatur 2. nam eodem modo Christus D. dicitur plenus veritate, quo dicitur plenus gratia, sed Christus D. ita fuit plenus gratia, vt eius gratia superet omnem gratiam hominum, & Angelorū; ergo etiam ita fuit plenus veritate, vt eius cognitio superaret omnem cognitionem hominum, & Angelorum; hoc autem non esset nisi scientiam beatam habuisset. Tū quia nullus dici potest plenus veritate nisi habeat visionem, seu scientiam beatificam, nam vbi solum datur fides, non datur plenitudo veritatis, & cognitionis, sed

sed solum datur cognitio ex parte, iuxta illud Apostoli. *Ex parte cognoscimus*, cognitio namq; fidei est ex parte, idest imperfecta, cum careat claritate, & euidentia.

39 Probatur 3. nam Christus D. in quantum homo erat Filius naturalis, vt docet Apost. ad Hebræos 1. ibi. *Cui aliquando dixit Deus, Filius meus es tu, Ego hodie genui te*; vbi sermo est de filiatione naturali, non de adoptiua, cum etiam Angeli sint filij adoptiui per gratiam sanctificantem, quæ est participatio diuinæ essentiæ; sed de ratione filij naturalis est, quod sit hæres bonorum Patris, & beatitudinis, iuxta illud Apostoli. *Quod si filius, & hæres.* Tum quia decebat, quod Christus D. talem haberet gloriam, talẽ beatitudinem, talem scientiam, qualem decebat vnigenitum Filium Dei; hæc debebat esse summa, super Angelos, & homines; ergo, &c.

40 Probatur 4. nam gloria corporis est signum gloriæ animæ, ab eoque profluit nisi impediatur miraculosè, vt in Christo D. contingebat, nisi enim fuisset impedita ne redundaret ad corpus, ad illud redundasset, gloriosumque effecisset, vt docent communiter Theologi, & Sancti Patres, præsertim S.P. August. *epist.* 56. & alibi, sed Christus D. ad remouendum crucis scãdalum à cordibus discipulorum in transfiguratione reliquit vt gloria animæ in corpus redundaret, & sic gloriam suæ animæ manifestaret, ergo ante mortem, & passionem erat beatus, & gloriosus, scientiamque beatam habebat, seu diuina visione fruebatur. Soluuntur argu. in contrarium.

41 Primum argum. desumunt hæretici ex illo Luc. 24. *Nonne oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam*, ergo ante passionem nondum in suam gloriam intrauit. Secundò probant ex illo Apost. ad Hebræos 2. *Videmus Iesum propter passionis mortem gloria, & honore coronatum*; & post aliqua subdit. *Decebat enim eum per passionem consumare.* Tertiò probant ex illo psal. 15. *Caro mea requiescet in spe.* & infra. *Notas mihi fecisti vias vitæ adimplebis me lætitia cum vultu tuo, &c.* vbi insinuatur, quod anima Christi D. post mortem quieuit in visione vultus diuini, in cuius spe eius caro ante mortem quiescebat. Quartò probant ex illo Ioan. 7. *Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.*

42 Resp. ad primum locum, quod intelligitur de gloria corporis, quam Christus D. habuit post mortem, opportuit enim quod moreretur, vt gloriam corporis haberet; hanc enim sibi per passionem, & mortem promeruit, & post meritum completum per mortem, in illam intrauit. Ad 2. locum ex Apostolo eodem modo respondetur, Christus namque D. propter passionem, & mortem gloria, & honore corporis fuit coronatus. Ad 3. probationẽ eodem modo respondetur, quod scilicet eius caro requiescebat in spe gloriæ corporis sibi dandæ post resurrectionem, tunc enim caro adimpleta est lætitia ex redundantia gloriæ animæ, quæ erat ex visione vultus diuini. Ad 4. probationem, dico quod ille locus Ioan. intelligitur de glorificatione in cruce, quatenus crux, quæ alijs erat ignominiosa, Christo D. facta est gloriosa, ibi enim Christus mirabilia exercuit, quę sibi gloriosa erant; sol namque obscuratus est, terra tremuit, petræ scissæ sunt, sepulchra aperta sunt. &c. Vel dicas, quod ille locus intelligatur de glorificatione per resurrectionem, & ascensionem, nam Spiritus S. non nisi post ascensionem datus est.

43 Secundum argum. nam summum gaudium, & summa tristitia nón possunt esse simul in eadem potentia intellectiua, sed instante passione in Christo D. fuit summa tristitia dum dixit Matth. 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, ergo in eo non potuit esse summum gaudium, quod ex visione beata habetur. Imò volunt aliqui, quod in Christo D. fuerit summa tristitia ab instanti suæ incarnationis, ex contemplatione maximorum dolorũ, & summæ ignominiæ crucis, quæ semper habuit præsentia.

44 Ad hoc argum. respondent aliqui, quod summum gaudium, & summa tristitia

ſtitia non fuerint in eodem ſubiecto, ſed in diuerſis, nam gaudium erat in parte ſuperiori, & triſtitia in parte inferiori. Sed hæc reſponſio communiter reicitur, quia Chriſtus D. non loquebatur de triſtitia ſenſitiua, ſed voluntatis, vnde dixit. *Triſtis eſt anima mea*, quæ verba non triſtitiam carnis, ſeu ſenſitiuam ſignificant, ſed ſpiritus, ſeu voluntatis. Alij dicunt, quod in Chriſto D. gaudium fuit in parte ſuperiori voluntatis, & triſtitia in parte inferiori eiuſdem, & ſic non fuerunt in eodem ſubiecto formaliter, ſed tantum materialiter. Sed neque hæc reſponſio placet. Primò, quia pars ſuperior, & inferior voluntatis, ſola ratione diſtinguuntur, eadem namque voluntas vocatur pars ſuperior quatenus reſpicit rationes æternas, & vocatur inferior vt reſpicit rationes temporales. Patet autem quod triſtitia voluntatis Chriſti D. ex reſpectu rationum æternarum ſequebatur, dolebat namque anima Chriſti D. de hominum peccatis, de lapſu Iudæ, de negatione D. Petri, de duritia Iudæorum, de hominum ingratitudine, &c. quæ omnia pertinent ad partem ſuperiorem; dolor namque de peccatis quatenus ſunt offenſa Dei, ad partem ſuperiorem pertinet, &c.

45 Alij dicunt cum Melchiore Cano *lib. 12. de locis cap. 13.* quod Chriſtus Dom. maximè tempore ſuæ paſſionis retinuit gaudium ne ex viſione beata reflueret ad voluntatem, ſicut toto tempore vitæ retinuit, & impediuit ne gloria animæ redundaret in corpus. Gaudium namque voluntatis ex viſione conſurgens cum non pertineat ad eſſentiam viſionis, ſeu beatitudinis, poteſt à Deo impediri ne redundet. Sed neque hæc reſponſio placet, quia licet verum ſit, quod gaudium non ſit de eſſentia beatitudinis, tamen eſt maxima illius perfectio, & complementum, ſine quo beatitudo diceretur imperfecta, & truſca. Tum quia cum Chriſtus D. toto ſuæ vitæ tempore fuerit contriſtatus de peccatis hominum, &c. toto vitæ ſuæ tempore caruiſſet beatitudine, ſua perfectione, ſuo complemento, &c. quod non eſt dicendũ.

46 Melius ergo reſpondetur, quod tam triſtitia, quam gaudium fuerunt in anima Chriſti, ſeu in eius voluntate ſecundum eandem rationem, ſeu partem ſuperiorem, non tamen reſpectu eiuſdem; nã Chriſtus D. gaudebat de ſua paſſione, & morte, vt in noſtrum bonum cedebat, vt erat pro gloria Patris, &c. & de eadem triſtabatur, & dolebat, vt erat malum quoddam naturæ, qua ratione nec ſunt contradictoria, nec propriè contraria ſecundum ſuas rationes ſpecificas, cum non ſint de eodem formaliter, nec eodem modo conſiderato, ac proinde ſaltem per miraculum potuerunt eſſe in Chriſto, quatenus Deus faciebat, quod gloria animæ non tota effunderetur, &c.

47 Tertium argu. nam videns Deum intuitiuè non habet libertatem, ad volendum, & exequendum, quod certò ſcit, Deum velle; ſed Chriſtus D. dum eſſet in vita mortali erat liber; ergo non videbat Deum intuitiuè. Minor nota eſt, nam poteſtatem habebat ponendi animam ſuã, & iterum ſumendi eam. Maior probatur, nam voluntas beati neceſſariò amat Deũ, ergo nullam relinquit poteſtatem ad oppoſitum. Reſp. quod in Chriſto licet non fuerit libertas ad videndum, & non videndum Deum, ad amandum, & non amandum ipſum, neque fuit libertas ad faciendum oppoſitum contrariè, illius quod certò ſciebat Deum velle, tamen habebat libertatem ad non faciendum purè priuatiuè. Vnde licet non poſſet non mori prout non mori opponebatur præcepto moriendi, poterat tamen non mori ſecundum ſe, ſeu priuatiuè, ſed de hac re infra dicemus.

§. II. An anima Chriſti D. haberet ius ad viſionem ſeu ſcientiam beatam.

48 PRo intelligentia difficultatis nota, quod omne ius infert aliquod debitum ad illi ſatisfaciendum; vnde quotuplex erit ius, totuplex erit debitum illi correſpondens. Quantum autem ad præſens triplex ius aſſignari poteſt, ſcilicet naturale, iuſtitiæ, & congruitatis. Ius naturale eſt cum aliquid eſt vltimatè diſpoſitum ad aliquam formam, vt natura

sua eam petat, vt cum lignum est vltimatè dispositum ad formam ignis, & hoc modo certum videtur, quod anima Christi D. non habet ius ad gloriam, siue visionem, aut scientiam beatam; poterat namque Deus assumere naturam humanam in puris naturalibus existentem, nil aliud ei conferendo nisi propriam subsistentiam, tunc enim dicta natura assumpta non haberet ius naturale, seu naturalem exigentiam scientiæ beatæ. Tum quia natura humana Christi D. ex vi solius subsistentiæ Verbi diuini non habet aliquid quo sit vltimatè disposita ad visionem clarã Dei; ergo, &c. Antecedens probatur, nam vel id quod vltimatè disponit ad dictam visionem est personalitas Verbi diuini, & hoc non, quia munus personalitatis est tantum terminare humanitatem, non munus disponendi, aliàs haberet rationem formæ, quæ hoc modo disponeret ad eliciendam, recipiendamque visionem beatam. Neque potest esse ipsa anima, quia anima non est physica dispositio, neque moralis ad scientiam beatam, cum enim hoc secundum se non habeat, neque vt vnita Verbo hoc habebit, cum ex hac vnione non sit facta physicè potentior, &c. Neque etiam potest esse ipse modus vnionis, quia iste disponit ad vnionem, non ad beatam visionem, tum quia modus vnionis non est ratio operandi, ergo neque erit ratio, seu dispositio videndi.

49 Ius iustitiæ, est ius fundans rigorosam, & strictam obligationem in alio, v.g. in Deo, ad dandum id de quo est ius. Et neque anima Christi D. habuit hoc iustitiæ ius, cum in Deo nullum detur iustitiæ debitum nisi ratione alicuius pacti initi cum creatura, sed in Deo non datur pactum de danda scientia beata animæ Christi D. ex vi vnionis hypostaticæ; de hoc enim nullibi habetur; ergo, &c. Tum quia ius gloriæ fundatur in gratia habituali, quam Deus poterat non conferre animæ Christi; ergo, &c. Tum etiam quia data collatione gratiæ habitualis, & posita gratia vnionis adhuc non dabatur strictum ius ad gloriam pro omni tempore, & pro tempore quo Christus D. erat mortalis, passibilis, & viator, sed tantum pro tempore quo erat immortalis, impassibilis, & tantum comprehensor.

50 Ius congruitatis, & decentiæ, tunc est, quando habita ratione excellentię, & dignitatis alicuius rei, decens, & congruũ, est, quod res illa hoc, vel illud habeat. De hoc iure est communis sentẽtia, quod anima Christi D. habuit ius congruitatis, & decentiæ ratione suæ dignitatis, & excellentię qua debebat gloriam in alijs influere, vt illorum caput, & hoc probant omnes rationes quas supra adduximus, quod anima Christi D. de facto habuit scientiam beatam.

51 Sed obijcies 1. nam Christus D. vt loquitur Apostolus ad Hebræos 1. fuit ex vi vnionis hypostaticæ à Deo constitutus hæres vniuersorum. *Olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula*, ergo si Christus D. fuit hæres vniuersorum, fuit etiam hæres beatitudinis, ac proinde habuit ius iustitiæ ad illam, hæres enim habet verum ius ad hæreditatem, & ad Galatas 4. dicit idem Apostolus. *Quod si filius & hæres*; ac proinde cum sit Filius naturalis debet verum, & naturale ius habere ad hæreditatem. Resp. quod Christus D. ex vi filiationis præcisè non habet ius ad gloriam, vt constat in casu quo assumeret naturam humanam in puris naturalibus, de facto tamen, quia fuit eleuatus etiam ad ordinem gratiæ, & habuit gratiam habitualem à gratia vnionis emanatam, habet ius ad gloriam, non tamen pro quocumque tempore, sed pro tempore impassibilitatis, & immortalitatis; potuit enim Deus gloriam animæ Christi D. conferre solum pro hoc statu. Cum quo stat quod etiam pro statu passibilitatis, & mortalitatis esset Dominus vniuersorum, & hæres vniuersorum; nam in creatis filius viuente Patre est Dominus, & hæres vniuersorum bonorum Patris, cum tamen non adhuc habeat illorum possessionem.

52 Obijcies 2. nam Filius in hoc distinguitur à seruo, quod Patris habeat cõmunicationem bonorum, non seruus. Item

filius

filius adoptiuus distinguitur à proprio, & naturali, quod iste iure suæ generationis accipit à patre communicationem bonorum eiusdem; at ille solo affectu, & gratuita liberalitate adoptantis; sed Christus D. est verus, & proprius filius Dei naturalis, non adoptiuus, vt infra videbimus; ergo ex vi suæ generationis accipit communicationem bonorum Patris. Resp. hoc argum. solum probare, quod de facto acceperit ius ad communicationem bonorum Patris dandam in executione tempore immortalitatis, & impassibilitatis. Vel dicas, quod ex vi filiationis naturalis non accipit filius communicationem omnium bonorum Patris, sed tantum naturalium; vnde si Verbum æternum assumpsisset naturam humanam in puris naturalibus, non eam assumpsisset ad communicationem bonorum supernaturalium, sed naturalium tantum.

53 Obijcies 3. nam Christus D. vt homo præcisa omni gratia habituali, solum vt subsistens subsistentia Verbi diuini habet vt possit exercere actiones valoris infiniti, sed tunc extenderentur ad omnia dona gratiæ; ergo etiam gloriam sibi promeruisset, ac proinde ex vi solius personalitatis habet ius ad beatitudinem supernaturalem. Resp. quod Christus D. præcisa gratia habituali ex sola subsistentia Verbi diuini habet vt possit mereri præmium infinitum in linea naturali, non in linea supernaturali. Eo namque ipso, quod actiones sunt informatæ gratia habituali sunt dispositæ vt sint meritoriæ præmij infiniti supernaturalis; cœterum præcisa gratia habituali non sunt capaces recipiendi valorem infinitum supernaturalem, sed naturalem tantum.

§. III. *Quo tempore anima Christi D. acceperit scientiam beatam, seu visionem beatam.*

54 Communis catholicorum sententia est, quod Christus D. acceperit scientiam beatam in primo instanti suæ conceptionis. Sic expressè tradit S. D. *infra q. 34. art. 4.* quem omnes Theologi sequuntur. Colligitur ex illo psal. 21. *In te proiectus sum ex vtero.* Et ex illo psal. 65. *Beatus quem elegisti, & assumpsisti*, &c. Ratio est, quia in hoc distinguitur Filius Dei ab alijs filijs, quod filij hominum in instanti generationis solum accipiunt ius ad hæreditatem, non possessionem illius, quia ad hoc vt habeant possessionem debent vel expectare mortem Patris, vel bonorum cessionem, seu renunciationem; cum enim bona creata sint finita, & limitata, non admittunt plurium possessionem. Sed hoc non currit in Filio Dei, cum enim bona sint infinita saltem obiectiuè non est necesse expectare mortem Patris, quæ in hoc casu esse non potest, neque debet expectare renunciationem, aut cessionem bonorum, cum Deus non possit hanc facere, vt in tract. de iust. & iure, agentes de dominio Dei ostendimus, ergo, &c. Tum quia filij hominum non possunt habere bonorum Patris possessionem, ab instanti conceptionis, etiam per mortem Patris, aut renunciationem, seu cessionem, quia cum careant vsu rationis, non sunt capaces habendi, vel sumendi possessionem, sed Christus D. ab instanti suæ conceptionis habuit plenissimum, & perfectissimum vsum rationis; ergo ab eo instanti potuit habere possessionem bonorum Patris, & potissimè hæreditatis æternæ.

55 Præterea natura humana Christi D. in instanti conceptionis fuit assumpta ad supremum esse possibile; ergo etiam debuit assumi ad supremam operationem sibi possibilem, vt est visio, seu scientia beata. Tum quia Christus D. ab instanti suæ conceptionis fuit caput Angelorum, & hominum, ergo ab illo instanti debuit esse beatus, incongruum namq; est, quod caput sit inferius mẽbris in eo ordine supernaturali in quo est caput. Tum etiam, quia monstruosum esset, quod mẽbra haberent maius, & excellentius lumen quam caput. Monstruosum esset, quod membra haberent scientiã regiminis, nõ caput, &c.

56 Sed obijcies, nam Christus D. meruit sibi gloriam animæ, seu propriam beatitudinem; ergo non eam habuit ab instanti suæ conceptionis. Conseq. con-

ftat, aliàs meritum esset simul in eadem duratione cum præmio, & meritum non antecederet præmium. Antecedens probatur, nam nobilius, & præstantius est habere gloriam ex meritis, quàm sine illis. Resp. negando antecedens; Christus namque D. non habuit gloriam essentialem animæ ex meritis, sed per modum hæreditatis, seu iure quodam hæreditario ratione filiationis naturalis, & gratiæ sanctificãtis. Ad probationem dico, quod licet in nobis qui aliquo tempore gloria caremus, melius sit tempore carentiæ eã mereri, quam sine meritis habere, vt contingit in paruulis baptizatis decedẽtibus. Tamen in Christo D. melius fuit illam habere iure hæreditario, & iure filiationis naturalis, & gratiæ ad illam consecutæ, aliàs debuisset illa carere pro aliqua duratione. Vel dicas: melius est habere gloriam ex meritis, quàm iure hæreditatis filiationis tantum adoptiuæ, conceditur, vt in paruulis; iure hæreditatis filiationis naturalis, & propriæ, negatur. Melius, & perfectius namque est habere hæreditatem iure filij Regis, quàm ex meritis, maximè quando merita proueniunt ex eodem filio Regis.

DVBIVM IV.

An in Christo D. fuerit scientia indita, seu infusa.

57 PEr scientiam inditam, seu infusam intelligunt Theologi hoc loco illam cognitionem quæ habetur extra essentiam diuinam, seu extra Verbum per species à Deo infusas, qua res in proprio genere, seu in propria natura cognoscuntur, quæ cognitio indita, seu infusa dicitur, quia ab intellectu, humana industria comparari non potest. Hanc cognitionem, seu scientiam vocant vespertinã, Pro quo sciendum, quod scientia dupliciter potest dici infusa, scilicet per se, & per accidens. Illa dicitur per accidens infusa, quæ quantum est ex se acquiri potest naturalibus viribus intellectus, tamen de facto non sic acquiritur, Deo se solo illã producente, & infundente, vt fuerunt scientiæ naturales Adæ infusæ, quas homines proprio labore eas sibi adquirunt. At scientia per se infusa est illa, quæ non nisi à Deo causari potest, nõ proprijs actibus adquiri, & hæc diuiditur in matutinam qua cognoscuntur res in Verbo, & coincidit cum scientia beata. Et alia qua cognoscuntur res in se ipsis, seu per proprias earum species, & dicitur vespertina, & hæc adhuc est duplex; vna quæ sequitur gratiam habitualem secundum se, & datur in omnibus iustis, & sunt dona sapientiæ, scientiæ, intellectus, consilij, atque prudentiæ supernaturalis. Alia quæ non consequitur gratiam habitualem secundum se, neque communiter reperitur in viatoribus iustis, nisi forte in aliquo ex speciali Dei priuilegio, reperitur tamen in omnibus beatis siue Angelis, siue hominibus.

58 Dum ergo quærimus cum D. Thoma hic *art.* 4. an in Christo D. sit scientia infusa, non loquimur de scientia infusa per accidens, sed de infusa per se. Neque loquimur de quacumque scientia per se infusa, sed de illa solum qua cognoscuntur res in propria specie, seu natura, & per proprias species, quæ est propria beatorum, non de illa quæ consequitur gratiam secundum se, & reperitur in omnibus iustis. De qua re prima sententia est, quod in Christo D. non detur ista scientia indita, seu infusa. Sic Scotus *in 3. dist.* 14. *q.* 3. Durandus ibi, & alij nonnulli.

59 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *In anima, seu in intellectu create Christi D. fuit scientia indita, seu infusa.* Sic S. D. *hic art.* 3. quem omnes expositores sequuntur. Videantur N. Cornexus, Orlandus, Cipullus, & alij. Colligitur ex illo Isa. 7. *Butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum*; vbi non est sermo de sciẽtia beata, sed de alia inferiori, scilicet indita, seu infusa, qua dictam discretionem habebat inter bonum, & malum. Et Ioan. 7. *Mirabantur Iudai dicentes, quomodo hic scit litteras cum non didicerit eas.*

60 Probatur 1. ratione D. Thomæ *in d. art.*

d. art. 3. nam si in Christo D. non fuisset scientia infusa, eius intellectus non fuisset perfectus, sed potius imperfectus; sed hoc est falsum; ergo, &c. Minor constat; implicat namque quod perfectissimus, & nobilissimus Christi D. intellectus careat aliqua perfectione, imò maxima, quam habent omnes intellectus beatorũ, siue Angelorum, siue hominum. Maior probatur, nam ille intellectus non est perfectus, qui est in potentia ad actum nobilissimum; sed intellectus Christi esset in potentia ad actum perfectissimũ scientiæ inditæ, ergo. Ideo namque noster intellectus pro hoc statu est imperfectus, quia est in potentia ad cognoscendas res per proprias species, & in suis naturis.

61 Occurrunt aduersarij, quod Christus Dom. & idem dicendum est de beatis, iam cognoscebat res in verbo, seu in diuina essentia, ac proinde frustra superadditur scientia indita. Sed contra, nam licet Christus D. per scientiam beatam cognosceret res in Verbo, non tamen per propriã speciem, & in propria natura, sed in specie aliena, & in natura aliena, scilicet diuina; sed ad perfectionẽ intellectus spectat, quod res cognoscat etiã in propria natura, & per propriam speciem; ergo &c. Sicut enim vltra scientiam inditam per quam res cognoscuntur per proprias species infusas, datur etiam scientia acquisita per quam res cognoscuntur per species abstractas beneficio intellectus agentis, ita vltra scientiam beatam per quam res cognoscuntur in diuina essentia, debet dari sciẽtia beata per quam res cognoscuntur per propriam speciem, & in propria natura. Tum quia in beatis præter cognitionem matutinam per quam res cognoscunt in verbo; datur cognitio vespertina per quam res cognoscunt in se ipsis, & hæc cognitio quam post D. August. *lib.* 2. *super Gen. ad litt. cap.* 8. omnes admittunt, est maximæ perfectionis, ergo si ob hoc admittitur in beatis, etiam in Christo D. qui dum adhuc esset mortalis, beatissimus erat, admitti debet.

62 Occurrunt alij melius rationi d. negando maiorem. Ad probationẽ dicunt quod intellectus Christi D. erat quidem in potentia obidientiali ad actum scientiæ inditæ, & ad species illi deseruientes, non in potentia naturali; ex eo autem quod aliquid sit in potẽtia obediẽtiali ad aliquid, non sequitur, quod dicat imperfectionem, bene tamen quod est in potentia naturali; nam etiam humanitas Christi D. est in potentia obedientiali vt assumatur ab alia persona diuina, & tamen non ab hoc dicit aliquam imperfectionem.

63 Sed contra, nam intellectus creatus absolutè, & simpliciter est in potentia naturali ad cognitionem rerum naturaliũ in proprijs naturis, & in proprijs speciebus; quas cum in statu separationis non possit sibi acquirere, debent à Deo infundi; vnde potentiam obedientialem ad receptionem specierum infusarum non dicit primario, sed secundariò, ratione potentiæ naturalis ad cognitionem rerum naturalium in propria natura. An autẽ species deseruientes scientię infusę sint naturales, an supernaturales dicemus infra *disp.* 11. *ad q.* 11. D. Th.

64 Nec valet dicere, quod scientia infusa sit quoad substantiam supernaturalis, ac proinde indebita potentiæ naturali, quod enim est in entitate supernaturale excedit facultatem, & exigentiam naturalem, ac proinde solum gratis collatum. Nam licet intellectui Christi D. & beatorum non sit debita hæc scientia secundum se, & vt dicunt suã facultatem naturalem, tamen supposito statu beatitudinis est debita titulo connaturalitatis, & sic licet intellectus creatus animæ Christi secundũ se non sit in potentia naturali, sed tantum obedientiali, tamen supposita beatitudine, & in ordine gratię consumatæ, est in potẽtia connaturali, seu naturali huius ordinis.

65 Probatur 2. nam de ratione beati est, quod eius intellectus non sit subiectus corpori vt in suis operationibus ab eo non dependeat, quatenus possit intelligere sine conuersione ad phantasmata, & sine speciebus ab ipso corpore dependentibus; sed ad hoc requiruntur species à Deo infusæ; ergo per scientiam infusã. Vbi namque non dantur species acquisitæ, debent dari infusæ, aliàs non fiet cognitio, cum

co-

cognitio non fiat sine speciebus.

66 Sed quæres 1. quo tempore Christus D. habuit istam scientiam infusam? Resp. quod eam habuit in primo instanti suæ conceptionis; tunc enim debuit Christus D. habere hanc scientiam inditam, seu infusam, seu vespertinam, quando habuit scientiam matutinam, scilicet claram Dei visionem; sed hanc habuit in primo instanti suæ conceptionis, vt ex dictis constat, ergo, & illam. Tum quia tunc Christus D. debuit habere hanc scientiam quando habuit omnes thesauros sapientiæ, & scientiæ; in Christo namque sunt omnes thesauri scientiæ, & sapientiæ Dei per Apost. *ad Colosſ.2.* sed omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei fuerunt in Christo statim ac habuit plenitudinem diuinitatis, vt colligitur ex Apost. loco citato; ergo, &c. Plenitudinem namque diuinitatis habuit Christus D. ab instanti suæ cõceptionis, ac proinde ab eodem instanti habuit omnes thesauros sapientiæ, & sciẽtiæ Dei.

67 Quæres 2. qua certitudine tenendum est, quod in Christo D. fuerit scientia indita? Resp. non esse de fide, ac proinde qui eam negaret non esset hæreticus, imò fortè nec temerarius, sed tantum falsus. Est tamen de fide, quod in Christo D. vltra scientiam beatam detur alia sciẽtia siue per accidens infusa, siue sit donum Spiritus S. iuxta illud Isa. 11. *Et repleuit eum Dominus spiritu sapientiæ, & intellectus, spiritu scientiæ, &c.*

DVBIVM V.

An in Christo D. fuerint scientiæ acquisitæ.

68 PEr scientias acquisitas intelligimus omnes virtutes intellectuales ordinis naturalis, vt sunt habitus primorum principiorum, sapientia, scientia quæcumque prudẽtia naturalis ad agibilia, & ars ad factibilia. Vltra has quæ ad rationem magis pertinent, datur etiam quædam alia scientia quam vocant experimentalem, quæ ex quodam iudicio sensuum siue interiorum, siue exteriorum desumitur, vt cum quis gustato melle, iudicat illud esse dulce, quod tamen antea nouerat, vel per rationem, vel per instructionem ab alio acceptam, vel per notitiam iam prius infusam, de qua dicemus infra *dub.7.* Modo solum quærimus, an scientiæ acquisitę fuerint in Christo Dom. præscindendo ab hoc quod fuerint proprijs actibus acquisitę, vel per accidens infusæ, vt in Adamo.

69 Prima sententia negat. hanc tenent omnes illi qui negant in Christo sciẽtiam inditam solum beata contenti, de quo dub. præcedenti. Nostra sententia seq. concl. explicatur. *In Christo D. fuerunt omnes scientiæ acquisitæ*; quæ scilicet humana industria acquiri possunt. Vnde in Christo D. fuit Logica, Physica, Metaphysica, Mathematica, Astrologia, &c. Colligitur ex illo Apost. ad Colosſ.2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, &c.* Vbi significatur, quod in Christo D. fuit tota multitudo omnium scientiarum in eo reconditarum, ac proinde habuit omnes virtutes intellectuales, & omnes habitus ad perfectionem vtriusque partis intellectus pertinentes, scilicet practicæ, & speculatiuæ. Congruum namque erat, quod vbi inhabitabat omnis plenitudo diuinitatis, vt dicit Apostolus ibidem, inhabitaret omnis perfectio, tum naturalis, tum supernaturalis, tum speculatiua, tum practica intellectus. Hinc videmus, quod idem Dominus in Euangelio ostendit se habere peritiam omniũ scientiarum, cum assumeret parabolas, & similitudines ex omnibus rebus naturalibus, & ex illis contra Iudæos argueret. Ostendit se habuisse Logicam cum cauillationes Pharisæorum retorqueret, vt cum eum interrogarent an liceret dare tributum Cæsari, tunc enim petijt numisma, & interrogauit cuius esset imago, & cum dixissent esse Cæsaris, dixit. *Date ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Ostendit se habuisse scientiam Physicam cum Matt. 24. dixit. *Ab arbore autem fici discite parabolam, cum iam ramus eius tener est, & folia, &c.*

Pro-

70 Probatur 1. nam in Christo D. ea omnia poni debent, quæ pertinent ad naturalem perfectionem humani intellectus, & aliunde possũt compati tum cum vnione hypostatica, tum cum visione beatifica; sed scientiæ naturales pertinent ad perfectionem humani intellectus, & optimè compati possunt cum vnione hypostatica, & cum visione beatifica; ergo poni debent in Christo. Maior nota est. Minor probatur, nam scientiæ naturales perficiunt intellectum in ordine ad cognitionem sui obiecti, quocirca laudantur, qui eas etiam longo labore, & industria acquirunt. Deinde non habent oppositionem cum vnione hypostatica, quia cognitio intellectiua non opponitur diuinæ, neque habent oppositionem cum visione beata, quia visio beata sicut non excludit alias cognitiones naturales, ita non excludit alias scientias naturales, sed potius eas perficit.

71 Probatur 2. quia intellectui humano Christi D. non est denegandum, quod conceditur alijs intellectibus humanis, tanquam eorum perfectio; sed scientiæ humanæ concedentur intellectibus aliorum tanquam eorum perfectio; ergo non sunt denegandæ intellectui Christi D. Quod namque melius, & perfectius est, est illi concedendum, est autem melius habere intellectum perfectum, & ornatum humanis scientijs, quàm non. Tum quia in Christo D. fuerunt actus scientiarum humanarum, non enim probabile videtur, quod Christus D. caruerit actibus sibi valde connaturalibus, & ad quos connaturaliter homo inclinatur, iuxta illud Arist. 1. metaphys. *Omnis homo naturaliter scire desiderat*. Soluuntur argumenta in contrarium.

72 Primum argu. nam in Christo D. poni non potest, quod habet oppositionem cum visione, seu scientia beatifica; sed scientiæ acquisitæ, seu naturales habent oppositionem cum visione beatifica; ergo in Christo D. poni non possunt. Maior probatur, nam quod destruitur per aduentum alterius habet oppositionem cum illo: sed scientiæ naturales destruuntur per aduentum scientiæ beatificę: ergo cum illa habent oppositionem. Minor etiam probatur ex illo Apost. 1. Cor. 13. *Siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur*. Resp. negando minorem. Ad probationem dico, quod scientiæ naturales non destruentur in Patria, sed potius perficientur. Imò est probabilissima multorũ sententia, quod infundentur illis qui eas in via non acquisierunt, vt fecit Deus cum Angelis: nec destrui potest quod explet honestum appetitum sciẽdi, & quod beati honestè habere possunt. Ad locum Apostoli dico, sensum illius esse, quod scientia destruatur quoad id quod in ea rude, & imperfectum est. Vel dicas Apostolum non loqui de scientijs naturalibus, sed de dono scientiæ, quod quantum ad vsum docendi destruetur.

73 Secundum argum. nam scientia naturalis, & acquisita habet dependentiã naturalem, & intrinsecam à phantasmatibus, ergo non potest esse in Christo D. & in beatis. Antecedens constat. Acquiritur namque scientia naturalis medijs operationibus sensuum, ac proinde medijs phantasmatibus. Conseq. probatur, nã ita se habet res ad vsum, ac se habet ad sui acquisitionem; ergo si scientia naturalis in sui acquisitione dependet à phantasmatibus, etiam in sui vsu dependebit. Resp. quod scientia naturalis habet quidem dependentiam à phantasmatibus in sui acquisitione, & etiam in suo vsu connaturaliter loquendo, & pro hoc statu, tamen hoc non est de essentia ipsius, ac proinde in Patria poterit esse sine dependentia à dictis phantasmatibus. An autem in beatis poterit esse post assumptionem corporum conuersio ad phantasmata, puto quod sic, poterunt namque beati prout maluerint se conuertere ad phantasmata, non tamen hoc necessariò erit.

74 Tertium argum. nam duo accidentia solo numero distincta non possunt esse simul in eodem subiecto; sed scientia per se infusa, & scientia naturalis sunt duo accidentia solo numero distincta; ergo non possunt esse simul in eodem intellectu. Resp. negando minorem. Scientia

tia namque per se infusa, & scientia naturalis distinguuntur specie. Licet enim versari possint circa idem obiectum materiale, non tamen sub eodem motiuo. Tum quia scientia per se infusa est supernaturalis, & scientia acquisita est naturalis: illa attingit etiam substātias spirituales in se ipsis, attingit etiam futura contingentia, saltem aliqua, & in Christo omnia, non ista. Scientia naturalis tendit in obiectum vt relucet in phantasmatibus, at scientia infusa modo alio eleuatiori, & superiori, per species scilicet ordinis superioris illis, quæ sensuum ministerio acquiri possunt.

DVBIVM VI.

An Scientiæ naturales fuerint in Christo D. per accidens infusæ, an proprijs actibus acquisitæ.

75 PRima sententia est, quod in Christo D. nulla scientia naturalis fuerit per accidens infusa, sed omnis proprijs actibus acquisita. Sic Maior *in 3. dist. 14. q 5.* Marsil. *ibid. q. 10. art. 2. parte 4. concl. 5.* Vasq. hic *disp. 55.* Orlandus *tract. 3. disp. 5. q. 3.* Cipullus *q. 9. art. 4. dub. vnico, concl. 2.* Aluarez *hic art. 4.* & alij. Secunda sententia est, quod omnis scientia fuerit in Christo per infusionem, etiam scientia experimentalis. Sic aliqui Scholastici *in 3. dist. 14.*

76 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Scientia experimentalis fuit in Christo D. per acquisitionem, at scientiæ naturales fuerunt in eo per infusionem.* Sic S.D. *hic art. 4 & in 3. dist. 14. q. 1. art. 3. quæstiunc. 3. in corpore, & quæstiunc. 5. ad 3.* D. Bonau. *in 3. dist. 14. art. 3. q. 2. in corp. & ad 2.* Durand. *ibid. q. 4.* Gabr. *q. vnica art. 3. dubit. 1.* Scotus *q. 3.* Ricard. *art. 3. q. 2.* Palud. *q. 2.* Suarez hoc loco *disp. 30. sect. 2.* & communiter recentiores, vt testatur Cipullus loco citato *n. 2 fin.*

77 Sed quia Cipullus, & alij putant primam sententiam esse D. Thomæ, & hāc nostram illi opponi, ac proinde retractare quod docuerat *in 3. dist. 14. citata* in hoc *art. 4.* placet transcribere verba dicti articuli 4. vt videamus quid re ipsa sentiat, quidue retractauerit. Sic enim habet. *Nihil eorum quæ Deus in nostra natura plātauit defuit humanæ naturæ assumptæ à Dei Verbo. Manifestum est autem, quod in humana natura Deus plantauit non solum intellectum possibilem, sed etiam intellectum agentem. Vnde necesse est dicere, quod in anima Christi fuit, non solum intellectus possibilis, sed etiam intellectus agens. Si autem in alijs Deus, & natura nihil frustra faciunt vt Phil. dicit in 1. de Cæl. multo minus in anima Christi aliquid fuit frustra. Frustra autem est, quod non habet propriam operationem, cum omnis res sit propter suam operationem vt dicitur in 2. de cælo. Propria autem operatio intellectus agentis, est facere species intelligibiles actu, abstrahendo eas à phantasmatibus: vnde dicitur in 3. de anima, quod intellectus agens est, quo est omnia facere. Sic igitur necesse est dicere, quod in Christo fuerint aliquæ species intelligibiles per actionem intellectus agentis in intellectu possibili eius receptæ, quod est esse in ipso scientiam acquisitam, quam quidam experimentalem nominant. Et ideo quamuis aliter alibi scripserim, dicendum est, in Christo fuisse scientiam acquisitam, &c.* Hæc D. Thomas.

78 Vbi vt vides S. Doctor solum vult, quod scientia experimentalis sit in Christo per acquisitionem, non scientiæ naturales. Et hoc sufficiebat ad intentum D. Thomæ, vt sic saluaretur, quod intellectus agens non esset frustraneus, cum haberet operationem in abstractione specierum à phantasmatibus, quæ deseruirent ad acquisitionem scientiæ experimentalis, quod autē retractauit non est, quod scientia naturalis esset per infusionem, sed quod in Christo non daretur scientia naturalis, sed sufficiebat scientia beata, & indita.

79 Probatur 1. nam Adę fuerunt per accidens infusæ à principio omnes scientiæ naturales quas decursu temporis sibi comparare potuisset; ergo etiam fuerunt infusæ Christo Dom. Antecedens tradunt omnes. Consequ. probatur. Nam ideo Adamo fuerunt datæ omnes scientiæ naturales

turales per infusionem, quia hoc erat de eius perfectione. Cum enim esset caput, & Doctor totius generis humani, debebat à principio per infusionem habere omnes scientias quæ ad perfectissimum caput, & Doctorem, à Deo constitutum pertinebant, licet potuisset ex breui sibi acquirere ob maximam perfectionem, & ob maximum acumen sui intellectus. Ergo cum etiam Christus D. fuerit, & iure potiori, constitutus à Deo Doctor, & caput totius generis humani, debuit à sui principio habere omnes scientias naturales, nec debuit expectare, quod eas sibi etiam breui acquireret ob perfectissimum acumen sui intellectus. Vnde non solum pertinebat ad perfectionem Christi, quod sic dictas scientias haberet, sed etiam ad perfectionem Dei, cum Doctorem constituentis, qui enim alium Doctorem constituit, non debet gradum conferre, vt postea scientiam acquirat, sed debet vel scientiam supponere, vel deberet si posset eam conferre, vel infundere.

80 Respondet 1. Aluarez, quod Adæ debuerunt infundi scientiæ naturales, quia fuit à Deo constitutus Doctor solum in naturalibus, & temporalibus rebus, at Christus D. fuit constitutus Doctor in supernaturalibus, & mysterijs gratiæ, ac proinde solum scientias supernaturales debebat habere per infusionem. Sed contra, nam licet verum sit, quod Christus D. esset constitutus Doctor in supernaturalibus primariò, & principaliter, tamen secundariò, & in ordine ad supernaturalia fuit etiam constitutus Doctor, & instructor quoad res temporales; vnde videmus, quod vtebatur parabolis, & similitudinibus naturalibus, seu ex rebus naturalibus desumptis ad docendos homines, ad confutandos Iudæos; vnde dicitur, quod *sine parabolis non loquebatur quicquam, & aperiam in parabolis os meum.*

81 Respondet 2. Cipullus, quod ideo Adæ fuerunt infusæ scientiæ naturales quia fuit conditus in ætate perfecta, & in hac ætate constitutus caput, & Doctor generis humani, & omnium rerum dominus. At Christus D. fuit genitus in ætate infantili, vt non statim vt vir perfectus in hoc mundo conuersaretur, ac proinde non fuit necesse, quod à principio haberet scientias naturales, sed potuit eas sibi paulatim, & sensuum beneficio acquirere. Sed contra, nam eadem ratio currit in Adamo, quia licet fuerit productus in ætate virili, non tamen statim debebat esse aliorum Doctor, sed postquam filios genuisset, ac proinde interim beneficio sensuum, poterat sibi scientias naturales acquirere, maximè quia citissimè ob maximum ingenij acumen eas sibi comparasset; ergo cum hoc sit falsum, & Adam, & Christus D. ob maximam eorum dignitatem, & ob rationem capitis, & doctoris à Deo constitutorum debuerunt à principio habere omnem perfectionem ad munos eorum rectè obeundum, à Deo per infusionem, &c.

82 Probatur 2. nam Christo D. id tribuendum est, quod dignius, & perfectius est; sed dignius, & perfectius est habere scientias naturales per infusionem à principio, quam illas proprijs actibus, non nisi post longum tempus comparare; ergo Christus D. habuit scientias naturales per infusionem. Maior nota est, personę namque dignissimæ id concedendum est; quod est ex se dignius, & perfectius. Minor probatur, nam dignius, & perfectius est habere aliquid modo supernaturali, quam modo naturali, modus namque supernaturalis est dignior, & perfectior modo naturali; sed habere scientiam naturalem per infusionem, est eam habere modo supernaturali, & eam acquirere proprijs actibus, est eam habere modo naturali, ergo &c. Alias nos haberemus scientias nobiliori modo quam Adam, cum Adam eas habuerit per infusionem, & nos per acquisitionem.

83 Occurrit Cipullus, quod non semper est melius, atque perfectius habere aliquam scientiam modo supernaturali, quam modo naturali, sed tunc solum quando modus naturalis addit aliquid supernaturale supra ipsam scientiam, quod non contingit in pręsenti. Sed contra, nam aliud est, quod ipsi scientiæ nihil superna-

turale addatur, & aliud est, quod modus fiendi non sit nobilior: nullus negauit, quod modus quo Adam fuit immediatè productus à Deo non fuerit nobilior quã modus quo nos producimur, & tamen ille modus non superaddit aliquid intrinsecum supernaturale ipsi Adamo, sed solum connotabat actionem supernaturalem agentis à quo fuit productus. Nullus negabit, quod modus quo Christus D. seu eius humanitas fuit producta virtute Spiritus S. non fuerit nobilior modo quo nos producimur; & tamen ipsa humanitas nõ habuit aliquid supernaturale sibi intrinsecum excepta vnione hypostatica, de qua non loquimur. Nullus negabit quod modus quo scientiæ naturales fuerunt infusæ Adamo non fuerit nobilior modo quo nos eas acquirimus, & tamen ex illo modo scientiæ Adami nihil intrinsecum supernaturale acquisierunt, sed solũ connotationem ad extrinsecum agens supernaturaliter eas infundens; ergo, &c.

84 Probatur 3. nam Christus D. non acquisiuit scientias naturales neque per disciplinam, neque propria inuentione; ergo nullo modo. Conseq. constat, nullus namque est alius modus acquirendi scientias. Antecedens probatur, nam non eas acquisiuit disciplina, quia inconueniẽs est dicere, quod Christus D. fuerit ab aliquo homine edoctus, & quod qui erat omnium Doctor, & magister, fieret discipulus, & auditor aliorum. Neque eas acquisiuit propria inuentione, quia licet perfectius sit acquirere scientias propria industria, labore, & inuentione quàm per alterius instructionem, tamen non videtur quomodo Christus D. propria inuentione eas sibi acquisierit, nam non eas sibi comparauit per lectionem librorum, quia non legitur quod verterit libros Philosophorum, mathematicorum, medicorum, &c. Neque eas comparauit propria inuentione, quia dum esset in vtero matris, nullus dictarum scientiarum species sibi comparauit, neque videtur quomodo eas sibi comparauerit spatio triginta annorum quibus solitariè vixit, & cum hominibus non conuersabatur, vt sic tot species ad tot scientias deseruientes compararet.

85 Probatur 4. nam in Christo D. fuerunt per infusionem omnes virtutes morales acquisitæ, vt supra vidimus; ergo etiam per infusionem fuerunt omnes scientiæ acquisitæ. Probatur conseq. nam ideo omnes virtutes morales acquisitæ fuerint in Christo D. à principio per infusionem, quia aliàs potentiæ quæ sunt subiecta virtutum fuissent pro aliquo tempore imperfectæ, scilicet in potentia ad illas, sed hoc idem curreret de intellectu; ergo, &c.

86 Occurrit Aluarez, quod virtutes morales debebant à principio poni in ChristoD. vt sic à principio haberet passiones moderatas; nam virtutes infusæ per se, compatiuntur secum passiones exorbitantes; cæterum scientiæ naturales non debebant infundi à principio, quia est maior perfectio sibi acquirere, quam per infusionem habere. Sed contra, quia falsum est quod in Christo fuerint virtutes naturales infusæ ad moderandas illius passiones, quia etiam sine istis virtutibus eas moderatas habuisset. Pertinebat namque ad suppositum diuinum omnes passiones sibi habere subditas, & obtemperantes, vt nisi ad imperium rationis mouerentur; vnde non semel fatur Ecclesię lumen S.P. Aug. quod Christus D. esuriebat quando volebat, sitiebat quando volebat, &c.

87 Probatur 5. nam si ob aliquam rationem debuerint acquiri à Christo D. dictæ scientiæ maximè ne in eo frustra daretur intellectus agens; sed hæc ratio est nulla; ergo, &c. Minor probatur 1. nam vt diximus, & dub. seq. dicemus, iam daretur exercitium intellectus agentis in ordine ad scientiam experimentalem. Secundò, quia dato, quod intellectus agens animæ Christi non abstraheret species, à phantasmatibus, adhuc haberet aliam operationem, illuminando immediatè prima principia, & mediatè conclusiones, quo etiam modo posset deseruire scientiæ infusæ. Tertiò, nam intellectus agens manet in beatis, in quibus non fit illa speciorum abstractio à phantasmatibus, sed sola

ſola illa illuminatio; ergo &c. Soluuntur argum. in contrarium.

88 Primum argum. ſic proponit Cipullus. Neceſſe eſt ponere in Chriſto D. aliquas ſpecies intelligibiles per actionẽ intellectus agentis, receptas in intellectu poſſibili; ſed hoc eſt dicere fuiſſe in illo ſcientiam acquiſitam; ergo, &c. Minor conſtat tum quia in ſententia probabili, ſcientia non eſt quid diſtinctum à ſpeciebus; tum quia licet ſit quid diſtinctum, adhuc eſt eadem ratio de ſcientia,& ſpeciebus, cum ſcientia detur ad vſum ſpecierum. Maior probatur, quia ſi in Chriſto D. non fuiſſent ſpecies productæ per actionem intellectus agentis, talis intellectus in eo fuiſſe fruſtra, cum non haberet propriam operationem. Reſp. concedendo maiorem, vt enim conſtat ex dictis, & dicemus dub. ſeq. in Chriſto D. fuerũt ſpecies productę ab intellectu agẽte pro ſeruitio ſcientiæ experimentalis.

89 Secundum Cipulli argumentum eſt, nam in Chriſto D. debuit eſſe ſcientia, quæ propriè eſt ſecundum modum humanum non ſolum ex parte recipientis, ſed etiam ex parte agentis; ſed hæc eſt ſcientia proprijs actibus acquiſita; ergo, &c. Maior probatur, nam in Chriſto D. debuit eſſe ſcientia aliqua ſecundum lumen intellectus agentis, cum ad perfectionem Chriſti D. pertineat, quod omnes eius potentiæ ſint reductæ in actum illarum proprium. Tum quia Chriſto D. non ſolum tribui debent omnes ſcientiæ, ſed etiam quælibet illarum ſecundum proprium, & connaturalem modum habendi eam; modus autem proprius habendi ſcientias naturales eſt media operatione intellectus agentis; ergo,&c. Reſ. concedendo maiorem, & negando minorem, hæc enim ſcientia eſt ſolum experimentalis, de qua dub. ſeq. Per quod patet ad probationem maioris. Ad aliam probationem negatur maior, ſed debent poni ſcientię in Chriſto D. ſecundum modum magis conuenientem, qui eſt per infuſionem, vt conſtat ex noſtris rationibus, aliàs hoc idem dici deberet de virtutibus naturalibus, cum ſit eadem ratio, & tamẽ iſtæ fuerunt per accidens infuſæ in Chriſto D. vt etiam ipſe Cipullus concedit.

DVBIVM VII.

An Scientia experimentalis in Chriſto D. fuerit proprijs actibus acquiſita.

90 SCientia exprimentalis, vt ipſum nomen ſonat, eſt ſcientia, ſeu cognitio, aut iudicium ab experimento cauſatum, ſeu vt alijs placet, ex ſenſibus orta, ſiue interioribus, ſiue exterioribus, vt cum quis guſtato melle, iudicat illud eſſe dulce, cum tamen hoc prius, etiã ſcientificè ſciuiſſet, vt per rationem, aut per inſtructionem ab alio acceptam, vel per notitiam, per infuſionem receptam. Vocatur hæc ſcientia experimentalis, quia à ſolo experimento deſumitur, quatenus per illam experimur, quod prius probè noueramus. Ad diſtinctionem ſcientiarum naturalium, & propriè dictarum, quæ non in experimento fundantur, ſed in illatione vnius ex alio, ſeu conſequentiæ ex præmiſſis. De hac ergo ſcientia experimentali quærimus an fuerit in Chriſto per acquiſitionem, per proprios actus, an per infuſionem.

91 Communis, & vera ſententia ſequenti concl. explicatur. *Scientia experimẽtalis fuit in Chriſto D. non per infuſionem, ſed per acquiſitionem, eam namque ſibi acquiſiuit proprijs actibus.* Colligitur ex illo Apoſtoli ad Hebr. 5. vbi loquens de Chriſto D. ait. *Didicit ex ijs quæ paſſus eſt obedientiam.* Colligitur etiam ex illo Iſa. 7. *Antequam ſciat puer vocare Patrem ſuum, & matrem ſuam.* Et ex illo Lucæ 2. *Ieſus autem proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.*

92 Ratio videtur conuincens, nam ſcientia experimentalis ea dicitur, quæ ab experimẽto alicuius ſenſus generatur, ſiue aliàs præexiſterent ſpecies, & notitia illius rei de qua habetur experimentum, ſiue de nouo ſpecies generentur; ſed hæc poteſt eſſe in Chriſto; ergo, &c. Minor probatur, tum quia intellectus animæ Chriſti eſt eiuſdem ſpeciei cum noſtro, qui vtroque mo-

modo potest habere scientiam experimētalem, vel supponendo species, & non producendo nouas cum iam supponantur, & solum habeant aliquam conuersionem ad sensus vbi experimentum habetur, vel species de nouo producendo cum illæ eædem numero non supponantur, ergo, &c. Tum quia hæc scientia nullam inuoluit imperfectionem, cum dicat actus potentiarum sensitiuarum, quarum reductio ad tales actus per species ab obiectis apprehensas est maximè conformis humanis sensibus, & intellectui nostro agenti, qui eas denudat, & spirituales facit, producitque in intellectu possibili, vt cognoscat experimento sensuum, quod prius vel didicerat per scientiæ acquisitionem, vt in nobis, vel per infusionem, vt in Christo D.

93 Dices 1. scientiam experimentalem dicere imperfectionem Christo D. repugnantem; ergo in eo poni non potest. Conseq. constat. Antecedens probatur, nam de ratione sciētiæ experimentalis est, quod fiat per conuersionē ad phantasmata; in hoc enim distinguitur scientia experimentalis, à scientia acquisita, quod ista non fiat necessariò per conuersionem ad phantasmata, ac proinde potest esse per infusionem, & potest manere in beatis etiam quantum ad vsum, at scientia experimentalis intrinsecum, & essentialem ordinem dicit ad phantasmata, seu dicit intrinsecè conuersionem ad illa; sed hoc videtur inuoluere imperfectionem, & talem vt quantum ad vsum nō possit esse in beatis. Resp. quod licet scientia experimentalis dicat intrinsecè, & essentialiter conuersionem ad phantasmata, non tamen ob hoc dicit imperfectionem; sed ad summū minorem perfectionem. Nec verum est, quod non possit esse in beatis post corporum assumptionem, quantum ad vsū, quia poterunt beati pro libito conuerti ad phātasmata.

94 Dices 2. nam data scientia experimentali in Christo per acquisitionem, sequeretur, quod Christus D. aliquid didicisset ab hominibus, vel Angelis, hoc esse nequit, incongruum namque est, quod caput, & magister hominum, & Angelorum aliquid discat ab hominibus, vel Angelis. Sequela probatur, nam experimento sensuū poterat aliquid discere ab aliquo homine, vt audiendo quod mel v.g. est dulce, &c. Confirmatur ex illo Lucæ 26. vbi apparuit Christo D. Angelus confortans eum, quod non potuit esse nisi aliquid diceret Angelus Christo D. per quod confortaretur.

95 Resp. negando sequelam; discere namque propriè est per doctrinam, vt Instructionem, quod enim scitur per experimentum est scire per propriam quandā inuentionem, & est quasi se ipsum docere, quam ab alio doceri. Maximè quia in Christo D. iam supponebatur scientia propriè dicta de illa re de qua experimentum capiebatur. Ad confirmationem dico quod Angelus non confortauit Christum D. ipsum docendo, aut suggerendo rationes quibus confortaretur, quas prius non nosceret, sed ei proponendo rationes, quas iam Christus benè nouerat, ex quibus posset tristitia alleuiari. Eo modo quo amicus in familiari colloquio confortat alium amicum suggerendo easdem rationes, quas patiens tristitiam nouerat, & quasi ab amico ad memoriam reuocantur.

96 Dices 3. nam anima Christi D. nō cognoscebat cogitationes cordium per scientias naturales, & tamen poterat eas cognoscere per dictum illorum qui eas efformabant; ergo potuit edoceri per ipsam scientiam experimentalem, hoc implicat; ergo scientia experimentalis, vel non fuit in Christo D. vel fuit per infusionem. Resp. quod Christus D. per scientiam experimentalem non cognoscebat cognitiones cordium, nec illis præbebat hoc modo assensum, cum ille non cadant sub experimento sensuum. Sed illas cognoscebat per scientiam tum beatam, tum infusam, vt disputationibus seq. dicetur.

DISPV-

DISPVTATIO X.

IN QVAEST. X. DIVI THOMAE.

De scientia beata animæ Christi D.

1 N art. 1. docet S. Doctor quod anima Christi D. non comprehendit Deum, quia est infinita, & ipsa finita: comprehensio autem est adæquata, & exacta rei cognitio, qua tantum cognoscitur, quantum cognoscibilis est. In art. 2. probat, quod Christus D. qua Deus est, cognoscit omnia in Verbo. Deinde, quod anima Christi cognoscit omnia quæ ad eius statum pertinent, ac proinde cognoscit in Verbo non solum omnia quæ sunt, fuerunt, vel erunt, siue dicta, siue facta, siue cogitata, siue quæcumque alia rationem entis habentia, verum etiam quæcumque sunt in potentia cuiuscumque creaturæ, nunquam redacta, vel reducenda in actum, non tamen omnia quæ sunt in potentia diuina, aliàs comprehenderet Deum. In art. 3. distinguit in anima Chrsti D. duplicem scientiam visionis scilicet, & simplicis intelligentiæ. Per primam cognoscit omnia quæ aliquando sunt, fuerunt, vel erunt in aliqua temporis differentia. Et per secundam cognoscit omnia quæ sunt in potentia alicuius creaturæ. Deinde dicit, quod per scientiam visionis non cognoscit infinita, quia status generationis rerum non semper durabit, at per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit infinita, quia comprehendit essentiam, potentiamque creaturæ, quæ ad infinita se extendit, vt patet de cogitationibus hominum, & Angelorũ. In art. 4. ostendit, quod anima Christi D. videt diuinam essentiam perfectius quam vlla alia creatura, cum habeat lumen gloriæ in maiori intentione, &c. Cæterum sit.

DVBIVM I.

An anima Christi D. per scientiam beatam comprehendat diuinam essentiam.

2 HVius dubij solutio constat ferè ex dictis 1. *p. q.* 12. vbi probauimus Deum solum à se ipso comprehendi posse, cum solus intellectus diuinus tantum sit cognoscitiuus, quantum est cognoscibilis diuina essentia, quia tamen S. Doctor hoc dubium *hic art.* 1. excitat in particulari de anima Christi D. ideo placet illud hoc loco examinare.

3 Prima sententia, seu error affirmat. Sic tenuit quidam Augustinus de Roma relatus in Concilio Basiliensi *sess.* 22. qui dicebat, quod anima Christi D. tam clarè, & tam intensè videbat Deum, quam Deus videt se ipsum. Peius errauit Arnobius de Villanoua qui, vt refert Prateolus *lib. 1. de vitijs, & sectis hæreticorum cap. 69. n.* 1. dicebat, quod natura humana Christi D. erat Deo in omnibus æqualis, non solum in scientia, sed etiam in omnipotentia. Ad hunc errorem referri potest hæresis Anomæorum, qui dicebant se Dei naturam & essentiam in hac vita mortali comprehendere, refert Prateolus loco cit. *cap.* 4.

4 Veritas catholica seq. concl explicatur. *Anima Christi D. per scientiam beatam non comprehendit diuinam essentiam.* Sic tradit S. D. *hic art* 1. vbi eius expositores ampliantes vt neque de potẽtia absoluta eam comprehendere possit. Difficultas est in assignanda ratione conclusionis; nam Suarez *disp.* 26. *sect.* 1. Vasq. 1. *p. disp.* 13. *cap.* 4. & alij, sic probant, quia licet anima Christi D. videat omnia, quæ

sunt

sunt in Deo formaliter, & quantum ad omnes gradus suæ perfectionis intensiuę, non tamen videt omnia, quæ sunt in Deo eminenter, non enim videt omnes creaturas possibiles, ac proinde eius visio non est compræhensiua.

5 Cæterum hæc ratio displicet N. Cornexo, quia Deus secundum se, & vt præscindit ab ordine ad creaturas etiam possibiles, est incomprensibilis; ergo eius incomprensibilitas non debet desumi ex ordine ad creaturas, sed ex ipsa infinitate diuini esse. Conseq. constat. Antecedens probatur, nam Deus vt pręscindit ab ordine ad creaturas est cognoscibilis infinitè: tum quia maior est necessitas diuini esse, quam possibilitas creaturarum. Deus est ens magis necessarium, quam creaturæ possibiles. Deus est ens à se, non creaturæ, ac proinde licet creaturæ non essent possibiles, adhuc Deus esset Deus, & infinitus in esse entis, & infinitè cognoscibilis. Tum etiam quia prius non potest accipere infinitatem à suo posteriori. Tum denique quia si Deus vt sic antecedenter ad intellectum creaturarum non esset infinitus, & incomprehensibilis, non redderetur talis per respectum ad creaturas, quia finitum ex additione alterius finiti non redditur infinitum.

6 Verum illa ratio optimè defendi potest, pro quo nota ex dictis 1. *p. q.* 12. omnes beati vident in diuina essentia omnia quæ sunt formaliter in Deo, cum sint vnica formalissima, & indiuisibilis formalitas, non tamen comprehendunt Deum, cum adhuc restent videnda quæ sunt in Deo eminenter, non quod illa eminentia sint ipsæ creaturæ possibiles, sed ipsa diuina essentia vt exprimit infinitas factibilitates. Ista autem infinita factibilitas, seu eminentia non sunt ipsæ creaturæ, ac proinde incomprehensibilitas Dei non desumitur per respectum ad creaturas, aliàs diuina incomprehensibilitas desumeretur per respectum ad creaturas, & prius dependeret à suo posteriori: ens à se dependeret ab ente ab alio, & creaturæ possibiles essent tantæ necessitatis ac est Deus. Sed infinitæ factibilitates, infinitę eminentiæ creaturarum sunt ipsamet diuina essentia vt exprimit infinitas factibilitates. Vel dicas duplicem esse factibilitatem, seu eminentiam: vnam passiuam, & hæc est creatura: aliam actiuam, & formalem & ista est ipsamet diuina essentia vt exprimit tantam, vel tantam perfectionem, vt sit factiua huius, illius, & illius creaturæ tantæ, & tantæ perfectionis in infinitum.

7 Alij probant, quod anima Christi D. non comprehendat diuinam essentiam quia non videt, nec videre potest omnes actus liberos diuinæ voluntatis, qui formaliter sunt in diuina essentia; licet enim Christus Dom. cognoscat de facto omnes actus liberos qui terminantur ad creaturas, quæ futuræ sunt in aliqua temporis differentia, tamen non videt, & per eandem visionem qua videt eandem diuinam essentiam, quod necessarium erat ad comprehensionem, sed per aliam ex peculiari reuelatione procedentem, quæ cum distincta sit à visione beata, eam non iuuat vt sit comprehensiua. Hanc rationem tribuit Cornexus loco cit. Vasquez.

8 Hanc rationem bene impugnat dictus Cornexus. Primò, quia anima Christi D. videt creaturas futuras in aliqua tēporis differentia, & omnes actus liberos Dei ad eas terminatas, & tamen non comprehendit diuinam essentiam; ergo non ideo anima Christi non comprehendit diuinam essentiam, quia non videt prædicta in diuina essentia. Antecedens probabitur infra, an autem videantur ex vi visionis, an requiratur aliqua Dei ordinatio, constabit ex infra dicendis, & constat ex dictis 1 *p.* Secundò, quia actus liberi Dei, non habent necessariam connexionem cum essentia diuina, ac proinde non pertinent ad illius comprehensionem. Sicut enim vt comprehēdatur ab Angelo creatura rationalis non requiritur, quod cognoscantur eius actus liberi, ita neque necesse est vt comprehendatur Deus.

9 Communis ratio conclusionis traditur à D. Thoma hoc loco *art.* 1. nam essentia diuina est infinita omnibus modis, at intellectus animæ Christi D. & lumen gloriæ, illius est finitum, & limitatum,

tum, ergo non potest diuinam essentiam comprehendere. Conseq. probatur, nam ad comprehensionem requiritur quod intellectus tantum cognoscat, quantum res cognoscibilis est, sed implicat quod intellectus finitus per lumen finitum cognoscat diuinam essentiam quantum cognoscibilis est; ergo, &c.

10 Occurrit Vasq. quod ad hoc vt infinitum secundum essentiam comprehendatur, non est necesse, quod cognitio sit infinita secundum essentiam, sed sufficit, quod cognoscatur quidquid est in eo, & eo modo quo est; & sic intellectus animæ Christi D. quantum est ex hoc, poterit comprehendere Deum, cum cognoscat quidquid in eo est, & eo modo quo in eo est, scilicet formaliter, nec est necesse quod cognoscatur quoad id, quod continetur eminenter, vt constat in Angelo comprehendente naturam humanam, cum tamen non cognoscat quod in ea eminenter continetur.

11 Sed contra, nam ad rationem comprehensionis requiritur, quod tanta sit extensio intellectus, quantæ rei intellectæ: requiritur, quod tantum intellectus cognoscat, quantum res cognoscibilis est: vt nihil rei cognoscibilis lateat cognoscẽtem, sed solus intellectus infinitus per essentiam est huiusmodi; ergo, &c. Vnde dicit S. P. Aug. lib. 11. de ciuit. cap. 28. quod *quidquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur*. Implicat autem quod diuina essentia finiatur per intellectum, & cognitionem creatam. Nec est verum, quod ad hoc vt Deus cõprehendatur non sit necesse, quod cognoscatur id quod in Deo eminenter continetur, nisi enim cognoscantur illæ eminentiæ, seu factibilitates actiuæ diuinæ essentiæ, non comprehendetur, cum istæ sint necessariò connexæ cum eadem diuina essentia, & quibus non cognitis, non cognoscitur quantum cognoscibilis est. Quod si in essentia hominis darentur istæ factibilitates, seu eminentiæ actiuæ, & cum illis esset necessariò connexa non solum in communi, sed etiam in particulari, vt est diuina essentia, deberent cognosci, vt comprehenderentur. At non est sic, quia ad summum essentia creata habet connexionem cum suo factibili vt sic, quia si nõ daretur hoc, aut illud factibile in particulari, vt hoc, aut illud visibile, adhuc daretur potentia visiua, cœterum respectu Dei si esset impossibilis hæc formica, à posteriori colligeretur impossibilitas diuinæ omnipotentiæ, ac subinde Dei. Soluuntur arg. in contrarium.

12 Primum argum. nam illud comprehendi dicitur, cuius nihil latet videntem, sed animę Christi D. nihil latet Dei; nam videt eius essentiam, attributa, relationes, & omnes actus liberos; ergo Deũ comprehendit. Respondet N. Cornexus, quod licet anima Christi videat omnia, quæ sunt formaliter in Deo, quod sufficit ad comprehensionẽ, quando cognoscuntur cognitione adeo perfecta qua postulant cognosci, tamen non sic cognoscuntur, cum postulent cognosci magis, ac magis vsque in infinitum.

13 Aliqui sic impugnant hanc solutionem, quia ex ea sequeretur, quod nulla creatura quantumuis infima comprehendi posset, etiam à supremo Angelo, quia semper conseruat quod nobiliori, & perfectiori modo in infinitũ sit cognoscibilis maximè à Deo. Sed hæc impugnatio non eneruat solutionem Cornexi, licet enim quantum ex perfectione modi cognoscendi creatura sit perfectiori modo cognoscibilis à Deo, quã à supremo Angelo, non tamen quantum ad gradum cognoscibilitatis, quem vnaquæque res ex sua natura, & intrinseca entitate cognosci postulat ad hoc vt perfectè, & pro meritis cognoscatur. Vnde maior, aut minor perfectio intellectus supra hanc intrinsecam cognoscibilitatem, est quid extrinsecum, & non faciens ad comprehensionẽ.

14 Non tamen ob hoc approbo illam solutionem Cornexi, sed partim approbo, & partim reprobo. Approbo quãtum ad hoc, quod nullus intellectus beatus licet videat omnia quæ sunt formaliter in Deo, non tamen ob hoc ipsum comprehendit, quia non adæquat gradum cognoscibilitatis diuinæ essentiæ, qui est infi-

infinitus, & immensus, & omnis intellectus creatus finitus, & limitatus. Vnde licet intellectus beatus videat totum quod est formaliter in Deo, non tamen totaliter, sed ad mensuram luminis; exemplum luminis candelæ paruæ, & magnæ, quod ostendit totam tabulam, seu picturam, sed vnum magis, aliud minus clarè, & sic etiã quantum ad ea quæ sunt formaliter in Deo, nullus creatus intellectus ipsum comprehendit. Reprobo quatenus ad cõprehensionem Dei non requirit quod cognoscatur id, quod eminenter in Deo continetur, seu quod non sit necesse, quod cognoscantur illæ factibilitates, illæ eminentiæ, quæ exprimunt summum, & vt ita dicam, vltimum diuinæ perfectionis, ipsam eminentiam diuinæ essentiæ.

15 Secundum argum. desumunt ex illo Phil. 9. Metaph. cap. vlt. *Intellectum decipi non posse circa rem simplicem*, quia aut prorsus non attingitur, aut totaliter attingitur, sed Deus est summè simplex; ergo vel non attingitur, aut totus, & totaliter attingitur, & sic comprehenditur. Resp. quod dictum Aristotelis non procedit de cognitione comprehensiua, qua Deus totus, & totaliter attingi debet, sed de cognitione essentiali, & quidditatiua, qua res non potest partim cognosci, & partim non cognosci, sed tota cognoscitur, quando res est simplex. At cognitio comprehensiua addit supra quidditatiuã adæquationem cum re cognita in ratione obiecti cognoscibilis.

16 Tertium argu. nam Angelus inferior comprehendit superiorem, secundum multorum sententiam; ergo ad cõprehensionem non requiritur adæquatio cognitionis cum obiecto, sed sufficit lumen eiusdem ordinis, vel gradus. Conseq. probatur, nam cognoscibilitas sequitur entitatem, in eaque fundatur, ergo cum in Angelo superiori detur perfectior entitas, dabitur etiam maior cognoscibilitas, quàm sit virtus cognoscitiua Angeli inferioris. Resp. quod licet Angeli de materiali se excedant, tamen conueniunt in vna ratione formali graduali separationis à materia physica, & sic licet vnus excedat aliũ de materiali, seu quoad id quod de materiali importatur, non tamen quoad id quod importatur de formali, & sic Angelus inferior cognoscit primò Angelum superiorem quoad id in quo conueniunt, deinde ascendit, & cognoscit etiã sub eadem ratione formali illum excessum materialem.

DVBIVM II.

An sit de fide, quod Anima Christi D. non comprehendat Deum.

17 PRima sententia tenet non esse de fide. Hanc tenet Vasq. 1. *p. disp.* 52. *cap.* 2. quem aliqui neotereci sequuntur. Communis, & vera sententia sequenti concl. explicatur. *De fide est animam Christi D. non comprehendere Deum*: Sententiam Vasq. rectè impugnat Suarez hoc loco *disp.* 26. *concl.* 1. N. Cornexus *hic q.* 10. *disp. vnica dub.* 2. & alij.

18 Probatur 1. ex illo Ieremiæ 32. vbi loquens de Deo dicit. *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu*, idest quocumque cogitatu, seu quacumque cogitatione creata incomprehensibilis. Respondet Vasquez, quod Propheta non loquitur de incomprehensibilitate diuinæ essentiæ, sed consiliorum eius, vt sit incomprensibilis in suo cogitatu, est enim Deus non minus incomprensibilis in suis consilijs, quàm in suis cogitationibus, iuxta illud psal. 91. *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ*. Et Rom. 9. *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius*.

19 Sed contra, nam SS. Patres communiter, & S. Tho. 1. *p. q.* 12. *art.* 7. intelligunt dictum locum de cogitatu nostro, vt sit sensus, quod Deus nullo nostro cogitatu comprehendi possit. Tum quia data illa interpretatione Vasquez, quod dictus locus Prophetæ intelligatur de cogitatu diuino, quod scilicet sit incomprehensibilis à nobis, ad huc non soluitur argumentum, nam si Dei cogitationes sunt incomprehensibiles à quacumque creatura rationali, etiam debet esse incomprehensibilis diuina essentia, non enim Deus est

eſt magis abſconditus ſecundum cogitationes, quam ſecundum eſſentiam, maximè quando ordinantur ad intellectum alterius. Licet enim vnus Angelus non cognoſcat cogitationes liberas alterius, niſi ad ipſum dirigantur, tamen ea directione facta eadē facilitate qua vnus Angelus cognoſcit eſſentiam alterius, etiam eius cogitationes ad ſe directas cognoſcit. Tum quia ſi Propheta de ſolis Dei cogitationibus loqueretur præſcindendo ab ordinatione, nihil ſingulare diceret de Deo, neque ex hoc adeo magnificaretur Deus, cum etiam cogitationes noſtræ ſint alijs abſconditæ, & nimis profundæ, vt de corde hominis etiam dicatur, quod ſit inſcrutabile, & ſoli Deo ſit patens.

20 Probatur 2. ex definitione Concilij Baſilienſis *ſeſ.* 2. vbi Patres tunc legitimè congregati damnarunt hanc propoſitionem vt hæreticam: *Anima Chriſti tam clarè, & intensè Deum videt, quàm clarè, & intensè Deus videt ſe ipſum*, ſed Deus comprehendit ſe ipſum, ergo ſi anima Chriſti tam clarè, &c. videt Deum, ac Deus videt ſe ipſum, comprehendet Deum quod ibid. damnatum eſt.

21 Occurrit Vaſq. quod licet admittatur, quod anima Chriſti D. comprehendat Deum, non tamen adhuc ſequitur, quam tam clarè videat Deum, ac Deus videt ſe ipſum, & ſic hoc ſolum definitur, non illud. Angelus namque ſuperior comprehendit interiorem, & tamen non ita clarè videt ac Deus. Sed contra, nam mens Concilij fuit damnare æqualitatem cuiuſcumque cognitionis animæ Chriſti cum diuinitate; nam ſi ſemel admittamus quod anima Chriſti comprehendit Deum, quantum ad hoc admittitur æqualitas cognitionis creatæ, cum increata. Tum quia Concilium ideo deſtruit inæqualitatem cognitionum, quia procedunt à naturis inæqualibus, ac proinde ſicut natura humana in Chriſto nunquam poteſt æquare diuinam; ita neque cognitio huius poterit æquare cognitionem illius, ac proinde non poterit cognitio humana comprehēdere naturam diuinam.

22 Probatur 3. ex Concil. Lateran. relat. *cap. firmiter, de ſumm. Trinit.* vbi dicitur. *Firmiter credimus, quia vnus eſt ſolus Deus, æternus, immenſus, immutabilis, incomprehenſibilis, omnipotens, &c.* Sed Deus eſt abſolutè immenſus, æternus, omnipotens, &c. ergo etiam erit abſolutè, & ſimpliciter incomprehenſibilis.

23 Occurrit Vaſq. quod non eodem modo definitur, quod Deus ſit immutabilis, & incomprehenſibilis, quia eſt omnino immutabilis, cum nec ab alijs, nec à ſe mutari poteſt; cæterum à ſe non eſt incomprehenſibilis, cum ſe ipſum comprehendat. Sed contra, nam mens Concilij, eſt excludere à Deo omnem defectum, omnemque imperfectionem, & quia eſſet imperfectio, quod Deus vel à ſe, vel ab alio mutaretur, ideo vtrumque excluditur, & quia eſſet non leuis imperfectio, quod Deus ab alio comprehenderetur, non à ſe, ideo excluditur, quod ab alio comprehendatur, non à ſe.

24 Sed obijcies 1. nam Dei opera Iob. 9. & alibi, dicuntur incomprehenſibilia, & tamen ab intellectu creato comprehendi poſſunt; ergo licet Deus dicatur incomprehenſibilis, non ob id negari debet, quin ſaltem de potentia abſoluta comprehendi poſſit. Reſp. quod opera Dei qua ratione ſunt incomprehenſibilia, ab intellectu creato non poſſunt comprehendi. Dicuntur autem incomprehenſibilia, quatenus procedunt, ſeu connotant diuinam omnipotentiam, & ſapientiam, qua facta ſunt, quæ ſunt incomprehenſibilia ab intellectu creato. Cæterum opera Dei ſecundum ſe, vt præſcindunt à Dei omnipotentia, & ſapientia comprehendi poſſunt.

25 Obijcies 2. nam ſi anima Chriſti D. non comprehenderet diuinam eſſentiam, ſed eam finito modo cognoſceret, ſequeretur, quod ſecundum rem non cognoſceret Deum perfectius quam Angeli, & animæ beatæ; ſed hoc eſt falſum; ergo, &c. Maior conſtat, vt enim diximus 1. *p. q.* 12. omnes viſiones beatæ ſunt eiuſdem ſpeciei, ac proinde ſecundum eſſentiam, omnes eſſent æquè perfectæ. Minor probatur ex illo Apoſt. ad Epheſ. 1.

Constituens eum ad dexteram suam in cælestibus, supra omnem principatum, potestatem, &c. Tum quia anima Christi D. habet maius, & excellentius lumen gloriæ; ergo magis, & excellentius Deum videt. Lumen enim deriuatur à Verbo diuino tanquam à primo fonte, iuxta illud Sapientiæ 1. *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis*, quo autem mens est propinquior fonti, vt est mens Christi, eo melius participat de fonte. Tum quia Christus D. est sanctior vniuersis; ergo magis omnibus Deum videt.

26 Resp. negando maiorem. Ad probationem dico, quod licet omnes visiones beatæ sint eiusdem speciei, cum procedant ex lumine eiusdem speciei vt 1. *p. q.* 12. obseruauimus, tamen intra eandem speciem visio beata animæ Christi D. est maximæ intentionis, ob maximam intensionem luminis gloriæ, qua maior esse nequit de potentia ordinaria.

DVBIVM III.

An visio beata animæ Christi tantum se extendat, quantum se extendit scientia visionis Dei.

27 SCientia visionis Dei se extendit ad omnia quæ in aliqua temporis differentia existunt, & sunt omnia quæ fuerunt, sunt, vel futura sunt per totam æternitatem. Obiectum namque scientiæ visionis Dei, sunt ea omnia, quę aliquando habuerunt existentiam, vel habitura sunt in rerum natura, siue pertineant ad ordinem naturæ, siue ad ordinem gratiæ, siue ad ordinem cognitionis, vt sunt omnes cogitationes hominum, & Angelorum futuræ per totam æternitatem.

28 Partem negantem docuerunt plures hæretici, præcipuè Celsus, qui vt refert Origenes *lib. 2. contra Celsum*, dicebat Christum D. non præsciuisse, quæ erat passurus. Et Agnoitæ dicebant Christum ignorare diem iudicij, vt refert Magnus Gregor. *lib. 8. Epist. 42.* & D. Isid. *lib. 8. Ethimol.* quos Lutherus *concione in Natali D.* secutus est. Zuinglius *ad cap. 24. Matth.* & alij. Hinc Beza dixit, quod Christus D. habuit in pueritia ignorantiam alijs pueris communem. Et Valentiniani dicebant Christum D. didicisse alphabetum sub ferula præceptoris. Alij etiam hæretici dixerunt Christum D. fuisse deceptum existimando fuisse ficus in ficulnea, cum non essent nisi folia. Alij demum dixerunt, quod in horto ignorauit voluntatem, seu præceptum Patris de sua morte.

29 Veritas catholica seq. concl. explicatur. *Visio beata Christi D. tantum se extendit, quantum se extendit scientia visionis Dei.* Seu. *Anima Christi D. videt in Verbo omnia, quæ cadunt sub scientia visionis Dei.* Colligitur ex illo Ioann. 5. *Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit*, quæ ipse facit in qualibet differentia temporis, & per totam æternitatem. Et Apocal. 5. dicitur de Christo D. *Dignus est agnus qui occisus est, accipere diuinitatem, & sapientiam, &c.* idest omnium rerum cognitionem, vt explicat gloss. ibid. Ad hoc facit, quod dicitur Ioan. 1. *Plenum gratiæ, & veritatis.* Non esset autem Christus D. plenus veritatis nisi omnia quæ cadunt sub scientia visionis sciret. Ad hoc etiam facit dictum D. Petri Ioan. 21. *Domine tu omnia nosti, tu scis quia amo te.* Videantur expositores D. Thomæ. Maximè N. Cornexus *hic art. 3. disp. 1. dub. 1.* Orlandus *tract. 3. disp. 2. q. 3.* Cipullus *art. 2. dub. 1. n. 4.* Isambertus *ad q. 10. disp. vnica art. 1.* Suarez, Vasq. Lugo, & alij hoc loco.

30 Probatur 1. ratione D. Thomæ *hic art. 2.* quia anima Christi D. videt in Verbo omnia quæ pertinent ad eius statũ, sicut & quilibet beatus: sed ad statum Christi Domini pertinent omnia quæ pertinent ad scientiam visionis Dei, seu quæ quocumque modo fuerunt, sunt, & erunt: ergo omnia ista videt. Maior constat nam quilibet beatus debet omnia ea videre, quæ cadunt sub eius desiderio; beatitudo namque debet omne beati desiderium satiare; aliàs non esset perfecta beatitudo, seu perfecta satietas; sed quilibet beatus desiderat videre quę pertinent ad eius statum. Minor probatur, nàm omnia quæ

ca-

cadunt ſub ſcientia viſionis pertinent ad ſtatum Chriſti D. cum omnia iſti ſint ſibi ſubiecta iuxta illud pſal. 8 *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius* & 2. Cor. 3. *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti*, &c. Sicut namque omnia creata ſunt prædeſtinatorum, ita & omnia creata, & ipſi prædeſtinati ſunt Chriſti. Tum quia, ad omnium iudicem pertinet omnia cognoſcere, tam omnes creaturas, quibus benè, vel male homines, & Angeli vſi ſunt, vel vſi potuerunt, quam omnes cogitationes, ſeu actus liberos, & neceſſarios, qui in iudicio iudicandi ſunt, ſed Chriſtus D. conſtitutus eſt iudex omnium, vt habetur *Ioan.* 5. ergo, &c.

31 Occurrunt aliqui hæretici noſtri temporis, quod Chriſtus D. cognoſcit quidem omnia de quibus iudicaturus eſt viuos, & mortuos, non tamen ſimul, ſed paulatim, & ſucceſſiuè. Sed contra, quia cum omnia iſta de quibus Chriſtus D. iudicaturus eſt, cognoſcantur per ſcientiam, ſeu viſionem beatam, debuit ſemper, & ab initio cognoſcere, cum viſio beata immutabilis ſit, & ſine vlla ſucceſſione, cum non menſuretur tempore, ſed æternitate participata.

32 Probatur 2. nam Chriſtus D. eſt caput totius Eccleſiæ, ſeu eſt caput omnium Angelorum, & hominum; ergo debet cognoſcere omnes homines, & omnes Angelos, omnes eorum cogitationes ac ſubinde omnia alia quæ aliquo modo cum illis habent connexionem; ſed iſta ſunt omnes creaturæ exiſtentes in aliqua temporis differentia; ergo, &c. Maior quoad homines, & Angelos, earumque cogitationes, patet, quia cum Chriſtus D. ſit caput eorum, debet omnia cognoſcere ad quæ tanti capitis moralis influxus pertingit, pertingit autem ad homines, & Angelos, eorumque cogitationes. Quod autem etiam omnia alia creata cognoſcere debeat, conſtat, quia omnia iſta poſſunt habere connexionem cum aliqua cogitatione eorum; ergo &c.

33 Probatur 3. quia congruum valde eſt admittere in Chriſto D. aliquam ignorantiam priuatiuam, quæ eſt carentia ſcientiæ eorum, quæ quis ſcire tenetur, vt ſunt ea quæ pertinent ad proprium ſtatū, & ſunt omnes res in aliqua temporis differentia exiſtentes. Ratione namq; vnionis humanitatis ad verbum in quo omnia repreſentatur, debita erat Chriſto D. omnium rerum ſcientia. Maximè quia in Chriſto D. totum id poni debebat, quod aliquo modo conducebat ad finem noſtræ redemptionis, ad quem non ignorantia aliquorum conducebat, ſed omnium ſcientia. Soluuntur argum. in contrarium.

34 Primum argum. nam *Matt.* 24. & *Marc.* 13. dicitur, quod Chriſtus D. ignorauerit diem iudicij ſic enim dicitur. *De die autem illa, vel hora nemo ſcit neque filius, niſi ſolus Pater.* Reſp. ſecundum communiorē Patrum expoſitionē quod Chriſtus D. dicitur neſcire diem iudicij, non quia illum re ipſa neſciat, ſed quia non nouerat ad manifeſtandum, quia ſcilicet illum acceperat ſub ſecreto. Ex communi namque modo loquendi cum ſcimus aliquid occultè, vt ſub ſigillo confeſſionis, aut ſub ſigillo, ſeu ſecreto naturali, ſolemus dicere nos illud neſcire, intelligendo ad manifeſtandum, aut reuelandum. Et ſic quia Chriſtus D. ita nouerat diem iudicij, vt iuxta diuinam voluntatem reuelare non poſſet, ideo dicebat illum neſcire, intelligendo, ad manifeſtandum.

35 Sed dices quod hoc modo etiam Angeli dici poſſent ſcire, & neſcire diem iudicij, pertinet namque ad ſtatum Angelorum illum ſcire, maximè illorum, qui futuri ſunt miniſtri reſurrectionis. Hoc idē dici poſſet de D. Petro, pertinet enim ad ſtatum illius cognoſcere omnes ſuos ſucceſſores vſque ad finē mundi. Idem etiam dici poſſet de N.S.P. & Propheta Elia, & de N.S. Matre Tereſia, cuius religio vſque ad finem mundi eſt perſeueratura vt reuelauit Beatiſſima Virgo S. Petro Thomæ, vt habetur in eius vita, in illis verbis. *Confidito Petre, religio namque Carmelitarum vſque ad finem mundi eſt perſeueratura, Elias namque eius parens olim à Filio id impetrauit.* Reſp. negando antecedens, non enim omnia quæ Deus operatur, vel operaturus eſt per homines, & Angelos pertinent ad eorum ſtatum, ſed ea dumtaxat

quæ per generalem, & ordinariam prouidentiam est operaturus, non ea quæ ex prouidentia specialissima, & profundissimo consilio; hæc enim non manifestantur in principio beatitudinis, sed quando Deo placet, & extra verbum per speciales reuelationes.

36 Secundum argum. nam si Christus D. cognosceret omnia, quæ à Deo cognoscuntur per scientiam visionis, sequeretur, quod Christus D. comprehenderet eandem scientiam visionis, hoc implicat; ergo & illud. Sequela probatur, quia ad conprehendendam aliquam potentiã sufficit cognoscere omne id ad quod se extendit; ergo si Christus D. cognoscit obiectum scientiæ visionis, eam comprehendet. Minor nota est, nam qui comprendit scientiam visionis, comprehendit scientiam simplicis intelligentiæ cum qua identificatur, comprehendit diuinam omnipotentiam, & diuinam essentiam cum quibus identificatur.

37 Aliqui apud Medinam hoc loco concedunt quod anima Christi D. comprehendat scientiam visionis Dei, non tamen ex hoc sequitur, quod comprehendat Deum absolutè, & simpliciter secundum totum suum esse, sed solum secundum quid, quatenus scilicet est cognoscens creaturas existentes in aliqua temporis differentia, in quo nullum apparet inconueniens. Huius sententiæ videtur Caiet. 1. *p.q.* 12. *art.*4. *dub. vlt.* §. *vlt.* vbi dicit, quod Deus comprehenditur ab anima Chrsti D. vt est causa omnium futurorum. Huius etiam sententiæ videtur Capreol. *in* 3.*dist.*14. *q.*2. *art.* 3. vbi admittit Deum comprehendi vt causam vnius effectus, quando videtur distinctè vt causa illius.

38 Cœterum ista solutio non placet, cum enim scientia visionis sit formalissimè ipse Deus, sequitur, quod comprehendi non possit, nisi Deus ipse comprehendatur. Tum quia non minus est infinitus Deus vt sciens, aut vt causans creaturas, nec minus est incomprehensibilis, & immensus, quàm secundum se, & absolutè consideratus. Tum etiam quia licet scientia beata animæ Christi D. sit æqualis scientiæ visionis Dei quantum ad numerum scibilium de facto, non tamen de possibili; neque quantum ad claritatem illius. Cum scientia visionis Dei procedat per lumen increatum, & visio beata animæ Christi Domini per lumen creatum, & longè illo inferius in claritate.

39 Respondet ad argumẽtum P. Orlandus negando sequelam, quia ad comprehensionem rei requiritur vt eo modo cognoscatur, quo ex sua natura cognosci petit; scientia autem visionis Dei petit cognosci cognitione infinita per essentiã, scilicet ipsamet cognitione, seu scientia Dei, quatenus per modum reflexionis est cognitio sui ipsius, ac proinde comprehendi non potest ab anima Christi. Addit deinde ex Lugo, quod ad comprehẽsionem scientiæ visionis requiritur, quod comprehensiuè cognoscatur quidquid identificatur cum ipsa scientia, vt est scientia possibilium, omnipotentia, &c. quæ à Christo Domino non comprehenduntur.

40 Verùm hęc responsio non placet, nam cognitio magis, aut minus clara non tollit comprehensionem dummodo totũ illius obiectum cognoscatur, ergo licet Deus clarius in infinitum cognoscat suam scientiam visionis quàm anima Christi D. tamen si semel anima Christi D. videt totam latitudinem obiecti scientiæ visionis, non ob id cessabit quod sit comprehensio. Exemplo Angeli, nam Angelus inferior minus clarè cognoscit muscam, quàm supremus Angelus, & tamen non ob id cognitio vltimi Angeli cessat esse comprehensiua. Neque id quod ex Lugo additur satisfacit, nam cum scientia visionis distinguatur virtute v. g. ab essentia diuina, possumus de ea discurrere prout sic virtute distinguitur, prout habet suum proprium obiectum, &c. an scilicet dicta scientia vt est formalissima tendentia in suum obiectum comprehendatur ab eo qui totam sui obiecti extensionem cognoscit.

41 Resp. 1. ex dictis 1.*p.q.* 12. quod licet

cet anima Chriſti D. cognoſcat omnia ad quæ de facto ſe extendit ſcientia viſionis Dei, non tamen videt omnia ad quæ ſe extendere poteſt,& ſunt omnia poſſibilia, quæ ſi crearentur, ad illa ſe extenderet, non viſio beata Chriſti D. vt autem aliqua ſcientia comprehendatur non ſufficit cognoſcere obiectum ad quod de facto ſe extendit, ſed debet totum eius obiectum adæquatum, & ſpecificatiuum cognoſci, ad quod ſe extendere poteſt. Hinc eſt, quod licet beatus cognoſcat Deũ vt productiuum Leonis, non ob id eum comprehẽdit,ſed deberet cognoſci vt eſt productiuus omnis poſſibilis, ita, vt comprehendatur ſcientia viſionis Dei, debet cognoſci totum id quod ſub ea poni poteſt, & eſt omne poſſibile.

42 Reſp.2. quod licet anima Chriſti D. videat omnes creaturas exiſtentes in aliqua temporis differentia, ad quæ ſe extendit ſcientia viſionis, non tamen ſe extendit ad totum obiectum actuale extenſionis illius. Pro quo nota ex dictis 1. *p.q.19.de voluntate Dei*, quod cum diuina voluntas non potuerit manere ſuſpenſa, ſed de quocumque poſſibili ſibi per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ propoſito,habuit actum, ſeu decretum quo voluit eius futuritionem, & exiſtentiam pro tali determinata temporis differentia,vel habuit actum, ſeu decretum quo noluit illius futuritionem, vel quo voluit non futuritionem, ex quibus actibus, ſeu decretis ſequitur negatio exiſtentiæ rei, de qua illi actus ſunt. Et ſic omnia quæ manent in ſtatu poſſibilitatis habent negationem exiſtentiæ, vnde tot ſunt negationes exiſtentiæ, quot remanſerunt in ſtatu poſſibilitatis, iſtæ autem negationes exiſtentiæ, cum ſint poſitæ in virtute decretorũ liberorum cognoſcuntur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſicut & ipſa decreta libera, & cum iſta decreta, & negationes ex illis ſecutæ non pertineant ad ſtatum animæ Chriſti D. ab ipſo non cognoſcuntur, ſed à ſolo Deo, & ſic anima Chriſti non cognoſcit totum obiectum ſcientiæ viſionis ad quod de facto ſe extendit, ac proinde neque ex hoc capite anima Chriſti Domini eam non comprehendit.

43 Tertium argum. ſequeretur,quod nulla operatio Chriſti D. fuiſſet libera; hoc eſt falſum; ergo. &c. Sequela probatur, nam Chriſtus D videbat in Verbo proprias ſuas operationes antequam eſſent; ſicut enim videbat omnes aliorum operationes, & actus liberos, ita videbat omnes operationes ſuas; ergo neceſſariò ab eo exercebãtur: ſtante namque tali viſione non poterat ab exercitio operationis vitæ abſtinere,aut oppoſitum elicere,aliàs viſio beata falſum oſtenderet.

44 Confirmatur 1. quia anima Chriſti D. videbat ſuas operationes in Verbo actu neceſſario, ac proinde non poterat non videre quid eius voluntas eſſet electura; ergo neceſſario eligebat, quod eligendum videbat. Confirmatur 2. nam ſi anima Chriſti D. potuiſſet eligere oppoſitum eius quod videbat, potuiſſet falſam reddere ſuam viſionẽ beatam. Sicut enim implicat, quod eam de facto reddat falſam, ita implicat quod eam falſam reddere potuerit, cum illa potentia ſit impoſſibilis,cuius actus eſt impoſſibilis. Confirmatur 3. quia viſio propriarum operationum fuit in intellectu Chriſti D. independenter à ſua voluntate; ergo non erat ei liberum non operari, qnod ſe operaturum videbat. Confirmatur 4. nam ceſſante indifferentia radicali in intellectu, ceſſat indifferentia formalis, & actualis in voluntate, ſed data ſcientia de futura electione alterius partis, non poterat ſimul eſſe in intellectu mouens cum indifferentia ad eligendam alteram partem; ergo: &c.

45 Reſp. negando ſequelam. Ad probationem dico, quod Chriſtus D. videbat in Verbo ſuas futuras operationes, ſed eo modo quo erant futuræ, & ponendæ, erant liberè futuræ, & liberè ponendæ, & ſic eodem modo eas videbat, & licet in ſenſu compoſito huius ſcientiæ non poſſent non poni, non tamen neceſſariò ponebantur, ſed tantum infallibiliter, & ex ſuppoſitione dictæ ſcientiæ. De hac re ponit tria exempla N. Cornexus *q.* 10. *diſp.*1.

disp.1.dub.1. Primum est D.Petri, cui facta fuerat infallibilis reuelatio suæ trinæ negationis, & tamen liberè negauit, aliàs non peccasset. Secundum est de bono latrone cui facta fuit certa, & infallibilis reuelatio suæ prædestinationis, & tamen liberè in gratia perseuerauit, aliàs nulli posset reuelari suus liber actus futurus. Tertium est Christi D. qui per scientiam diuinam vt Deus cognoscebat, quid sua voluntas creata esset electura sine vlla suæ libertatis læsione. Ratio est, quia humana Christi voluntas, non mouebatur, & dirigebatur immediatè ab intellectu diuino, & eius scientia increata, sed ab intellectu humano, & scientia creata; vnde sciẽtia diuina ita se habebat, ac si fuisset in alieno supposito. Quia ergo scientia beata animæ Christi qua videbat suas liberas operationes, non necessitabat voluntatem, quia libera eius operatio non sequebatur propositionem obiecti factam per dictam sciẽtiam beatam, sed per aliam cognitionem pertinentem ad statum viatoris, & proponentem obiectum cum indifferentia, ideo erat libera.

46 Ad 1. confirmationem resp. cum N. Cornexo negando conseq. nam cum Christus D. videret se liberè operaturum licet hoc videret per actum necessarium, debebat liberè operari, aliàs scientia beata falsum ostendisset. Vnde solum sequitur quod data illa scientia Christus D. debebat operari necessariò necessitate suppositionis, & in sensu composito, non necessitate absoluta. Ad 2. confirmationem dico ibi fieri transitum à sensu diuiso ad sensum compositum; poterat quidem anima Christi ponere appositum eius quod per scientiam beatam futurum videbatur, non tamen poterat reddere falsam scientiam beatam; quia cum dicitur, quod Christus D. poterat ponere appositum, intelligitur secundum se, & in sensu diuiso. At cum dicitur, quod potuisset fallere illàm scientiam, procedit in sensu composito, & ea scientia data, & supposita. Ad 3. confirmationem dico, quod licet illa scientia fuerit in intellectu humano Christi D. independenter à libertate propriæ voluntatis, tamen non ostendebat futuram operationem nisi dependenter à libertate propriæ voluntatis. Ad 4. confirmationem dicas, quod scientia beata animæ Christi non excludat iudicium practicum proponens hic, & nunc voluntati obiectum hic, & nũc cum indifferentia prosequendũ. Iudicium namque scientiæ beatæ stat simul, cũ hoc iudicio indifferenti, nec excludit illud, sed potius infert, supposito quod videat operationem fore liberè ponendam.

47 Quartum argum. nam plures beati ignorant ea, que pertinent ad eorum statum; ergo ex hoc non rectè infertur, quod Christus D. cognoscat omnia quæ sunt in scientia visionis Dei. Antecedens probatur, nam vt colligitur ex Daniele 10. Angeli prępositi prouinciarum pręliabantur inter se eo quod nescirent quæ pertinebãt ad illorum prouincias, cum hoc scire pertineret ad eorum statum. Confirmatur 1. nam Angeli non cognoscunt in Verbo omnia quæ agere debent, licet pertineant ad eorum statum; ergo &c. Antecedens probatur, quia vt docet S. Doctor 1. *p.q.112.art.3.* de his illuminantur ab Angelis superioribus, quod verum non esset si ea in Verbo viderent, iuxta illud Ieremiæ 31. *Non docebit ibi vir proximum suum*, quia nullus docet alium de ijs quæ clarè videt.

48 Confirmatur 2. nam sequeretur, quod Beata Virgo videret in Verbo quidquid videt anima Christi: hoc est falsum; ergo &c. sequela probatur, quia cum ad matrem pertineat cognoscere filij dignitatem, cum omnium cognitio quæ sunt in scientia visionis Dei pertineant ad statum & dignitatem Christi, etiam pertinebunt ad statum, & dignitatem Virginis, & matris Christi, maximè cum rectè appelletur Regina mundi, Regina Angelorum, & hominum. Confirmatur 3. nam licet ex eo, quod Christus D. sit futurus iudex Angelorum, & hominum debeat cognoscere omnes earum cognitiones, quæ laudem mererentur, aut pænam, non tamen sequitur quod debeat cognoscere res alias naturales, vt minutissimas, & absconditas maris venas, ergo.

Resp.

49 Resp. negando antecedens. Ad probationem ex loco Danielis respondēt aliqui cum Ruperto *lib. 9. de victoria Verbi Dei cap. 6.* Cassiano. *collat.* 8. *cap.* 13. & alijs, quod Angelus Regni Persarum qui se opposuit Archangelo Gabrieli orāti pro libertate populi Iudaici de captiuitate Babilonica, non fuit Angelus bonus illius populi custos, sed malus. Hanc sent. tribuit S. D. 1. *p. q.* 113. *art.* 8. D. Hierony. & sic non mirum quod Angelus malus nescierit id de quo orabat Archangelus Gabriel.

50 Melior tamen, & communior opinio est, quod ille Angelus qui restitit Gabrieli fuerit Angelus bonus, qui nesciebat quod tunc erat fiendum, quia non quæcumque operatur Deus per Angelos, vel homines pertinent ad eorum statum, sed ea dumtaxat quę operatur ex generali, & ordinaria prouidentia, non quæ ex specialissima, & profundissimo suo consilio; ista namque non manifestantur in Verbo statim à principio, sed speciali reuelatione quā Deus facit quando vult. Huius generis sunt mysteria prædestinationis, & reprobationis, dies iudicij, libertas populi Iudaici, &c. Vel dicas quod Angelus custos Persarum re ipsa viderat in Verbo substantiam liberationis populi Iudaici, non tamen omnes circunstantias dictæ liberationis ex quarum ignorantia orta fuit pugna cum Angelo custode Iudæorum, eo modo quo dicitur quod Angeli norunt in Verbo diem iudicij quoad substantiam non quoad omnem circunstantiam.

51 Ad 1. confirmationem negatur antecedens. Ad probationem dico, quod Angeli inferiores non illuminantur à superioribus de ijs quæ pertinent ad proprium statum, sed de ijs quæ Deus ex speciali, & profundo suo consilio facere debet vel per eosdem Angelos, vel homines, vt dictum est. Ad 2. confirmationem dico quod B. Virgo non videt actiones liberas animæ Christi D. cum non pertineant ad eius statum, nihil enim erga eas est operatura. Et licet sit Regina omnium creaturarum, quæ suo modo sub eius dominio cadunt, maximè ratione filij, non tamen est Regina Christi, nec habet dominium operationum liberarum illius. Ad 3. confirmationem dico, bene inferri ex hoc quod est futurus iudex Angelorum, & hominum, quod debeat minutissima quæque cognoscere, cum omnia possint habere connexionem aliquam cum cogitationibus Angelorum, & hominum.

DVBIVM IV.

An anima Christi viderit in Verbo omnia quæ à Deo cognoscuntur per scientiam visionis in instanti suæ conceptionis.

52 HOc dubium solet excitari 1. *p. q.* 12. de beatis, an scilicet beati videant à primo instanti suæ beatitudinis orationes, & preces, quæ ad illos dirigentur vsque ad diem iudicij, an successiuè eas videant, quando scilicet eis diriguntur; cum enim orationes, & preces quæ ad sanctos diriguntur, ad eorum statum pertineant, sequitur, quod ab ipso principio beatitudinis debeant cognosci, quæ enim in Verbo cognoscuntur, à principio cognoscuntur, cum in visione beata, eo quod æternitate mensuretur, non detur successio. Quod intelligitur de ijs quæ pertinent ad proprium statum secundum generalem, & ordinariam Dei prouidentiam, quæ enim Deus facturus est per eosdem sanctos per specialem, & extraordinariam prouidentiam, reuelat extra Verbum quando vult, & quomodo vult. Hoc idem dubium excitamus hoc loco de Christo Dom. an scilicet ea, quæ nouit per visionem beatam, & sunt omnia, quæ pertinent ad scientiam visionis Dei, nouerit statim à principio suæ conceptionis, quando tunc primo cœpit videre diuinam essentiam, an successu temporis.

53 Prima sententia est, quod anima Christi D. non videat omnia prædicta simul, & ab instanti suæ conceptionis, sed tractu temporis, seu successiuè. Sic Riccardus *in 3. dist.* 14. *art.* 2. *q.* 3. vbi dicit, quod anima Christi D. in Verbo cognouit om-

omnia præterita, præsentia, & futura, quæ non habent successionem, secus quæ habent successionem, vt sunt cogitationes cordium. Idem tradit D. Bonau. *eadem dist. art. 2. q. 3.* Gabriel *ibid. q. 2. art. 1. concl. 1. & 2.* Vasq. & alij apud Cornexum q. 10. disp. vnic.

54 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Anima Christi D. à primo suæ beatitudinis instanti cognouit omnia quæ in scientia visionis Dei continentur.* Sic tradunt omnes Theologi hoc loco, videatur N. Cornexus *q. 10. disp. vnica dub.* 4. Probatur 1. nam tunc anima Christi D. in Verbo omnia prædicta vidit, quando accepit potestatem excellētiæ in omnes res creatas; item quando accepit potestatem capitis, & quando accepit potestatem supremi iudicis, hæc enim omnia pertinent ad eius statum, cum tunc eius potestati, & curæ committantur, sed has potestates accepit in primo instanti suæ conceptionis, seu beatitudinis, vt supra vidimus; ergo, &c.

55 Probatur 2. nam est de ratione optimi, perfecti, & generalis prouisoris scire, & penetrare efficaciam mediorum, quibus vtitur, sicut & subiecta quibus illa applicat, singulares eorum conditiones, præuidere incommoda, quæ interdum possunt occurrere, vt sic bene instructus possit ad finem sibi propositum prouisa bene, & infallibiliter perducere; sed Christus D. etiam vt homo, est totius humani generis prouisor, à Deo datus vt caput, & distributor omnium donorum supernaturalium, in quo, & per quem sumus prædestinati, & ad gloriam æternam ordinati; ergo debuit tunc primò omnia, & singula cognoscere, quando cœpit nobis media promereri, quod fuit à primo suæ conceptionis instanti.

56 Probatur 3. nam beati à primò suæ beatitudinis instanti vident ea, quæ potissimum promeriti sunt, hoc enim spectat ad illorum statum; sed Christus D. à primo suæ conceptionis instanti, in quo etiam vidit diuinam essentiam promeruit nobis nostram prædestinationem, & totum hominum prædestinatorum ordinem; ergo ab eodem instanti debuit illum videre; ad quod requiritur, quod viderit singulorum hominum naturas, particulares singulorum circumstantias, connexiones; ergo, &c.

57 Probatur 4. nā visio beata quippè cū mensuretur æternitate, est inuariabilis, & inuariabiliter, ac proinde actualiter, & simul fertur in omnia, quę per ipsā videntur; ergo, &c. Antecedens colligitur ex S. P. August. 15. *de Trinit. cap. 16.* vbi sic fatur. *Tunc non erunt volubiles nostræ cogitationes, sed omnem nostram scientiam vno simul conceptu videbimus.* Tum quia visio beata suaptè natura est incorruptibilis; ergo omnia quæ aliquando sunt per ipsū manifestanda, à principio actualiter, & simul manifestari debent. Conseq. probatur, quia non est eadem omnino actio, quę successiuè diuersa manifestat.

58 Occurrunt aduersarij, quod ad actionis identitatem, sufficit quod actualiter, & simul manifestet obiectum primarium, licet admittat aliquam successionem circa obiecta secundaria, hoc autem contingit in visione beata, quæ simul repræsentat totum obiectum primarium, scilicet Deum, licet aliquam successionem admittat in obiecto secundario, vt sunt cogitationes hominum, & Angelorum futuræ per totam æternitatem. Sed contra, nam creaturæ videntur in Verbo ex vi visionis qua videtur Verbum; ergo si non variatur visio Verbi, neque variabitur visio creaturarum. Tum quia variatio effectus, seu obiecti secundarij refunditur in variationem primarij, quando ratio formalissima tendendi in primarium, est formalissima ratio tendendi in secundaria. Tum etiam quia quoties ratio tendendi in obiectum primarium, & secundarium est vna, & indiuisibilis, & neque de materiali multiplicatur, vt in scientijs, non potest admittere aliquam variationem etiam respectu secundarij, hoc se habet in præsenti; ergo, &c.

59 Probatur 5. nam omnia quæ anima Christi D. videt in Verbo, uidet, & cognoscit per eandem speciem diuinæ essentiæ, & per idem lumen gloriæ; ergo etiam

etiam per eandem omnino viſionem, ac ſubinde ſimul, & actualiter. Antecedens conſtat. Conſeq. probatur, nam quæ per vnicam ſpeciem, & vnicum lumen videntur, poſſunt ſimul cognoſci ſi eidem menſuræ coexiſtant, & non deficiat attentio ex parte intellectus; ſed omnia futura coexiſtunt æternitati, quæ eſt menſura viſionis beatæ; ergo ſimul omnia cognoſcuntur.

Soluuntur argum. in contrarium.

60 Primum argum. nam ſi anima Chriſti D. ſimul, & actualiter cognoſceret in Verbo omnia quæ pertinent ad eius ſtatum ſequeretur, quod viſio illa eſſet infinitè perfectior quacumque alia viſione alterius beati, hoc eſt falſum; ergo & illud. Minor conſtat, quia cum viſio Chriſti D. & aliorum beatorum ſint eiuſdem ſpeciei non poſſunt ſe excedere in perfectione infinita, cum certum ſit; quod viſio infinita non poſſit eſſe eiuſdem ſpeciei cum viſione finita. Sequela probatur, nam ad ſtatum animæ Chriſti D. pertinet videre quicquid videt ſcientia viſionis Dei, & hæc cum cognoſci non poſſint, niſi per viſionem infinitam, ſequitur quod viſio beata Chriſti D. quæ omnia ea videt, ſit infinita.

61 Confirmatur 1. nam eſt aliqua perfectio videre vnam creaturam in Verbo, videre duas, eſt maior perfectio, ergo erit infinita perfectio videre ſimul actu infinitas, vt facit anima Chriſti videndo infinitas cogitationes Angelorum, & homines futuras per totam æternitatem. Confirmatur 2. nam qui vno actu charitatis diligeret infinitos homines, infinitè mereretur, ergo etiam qui videt actu infinita, debet habere actum infinitæ perfectionis; actus namque deſumit ſuam perfectionem, & valorem per ordinem ad obiectum, ac proinde quando erit infinitum, refundet in actum infinitam perfectionem, & infinitum valorem.

62 Reſp. diſtinguendo maiorem, eſſet infinitè perfectior omni alia, perfectione intenſiua, negatur: extenſiua, conceditur; hæc autem infinitas non eſt ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid. Pro quo nota, quod ad hoc vt aliqua cognitio ſit infinita ſimpliciter, duæ conditiones requiruntur: vna, quod obiectum ſit infinitum ſimpliciter, & non tantum ſecundum quid, & in aliquo determinato genere; alia quod ſit comprehenſiua dicti obiecti. Cognitio diuina eſt infinita ſimpliciter, quia eius obiectum, ſcilicet diuina eſſentia eſt infinita ſimpliciter, & illud ſimpliciter comprehendit. Cæterum viſio beata Chriſti D. non eſt infinita ſimpliciter, non ex parte obiecti primarij, quia illud non comprehendit: neque ex parte obiecti ſecundarij, quia licet illud comprehendat, non tamen eſt infinitum ſimpliciter, & omnibus modis, ſed tantum in determinato genere.

63 Sed dices, nam infinitum in numero ſeu multitudine, eſt infinitum ſimpliciter; ſed cogitationes Angelorum, & hominum futuræ per totam æternitatem ſunt infinitæ in numero, ſeu multitudine; ergo ſunt infinitæ ſimpliciter, ac proinde cognitio eas attingens non poterit non eſſe, infinitæ perfectionis. Reſp. negando maiorē, cum enim illa infinita multitudo contineatur intra certum genus, non eſt ſufficiens ad refundendā infinitam perfectionem in cognitionem. Cum enim tota illa infinita multitudo cogitationum cognoſcatur lumine finito, & limitato, vt poſtea videbimus, non poteſt refundere infinitam perfectionem in cognitionem.

64 Ad 1. confirmationem dico illā concluſionem non eſſe bonam nam licet ſit aliqua perfectio, videre vnam creaturā, & aliqua, imò maior videre duas, tamen iſta perfectio non creſcit per partes aliquotas, & æquales, & non communicantes, ſed per partes proportionales, & communicantes, quæ non conſtituunt perfectionem ſimpliciter infinitam, ſed tantum ſecundum quid, contentam ſuis differentijs, ſicut & ipſe creaturæ continentur ſub terminis generis, & differentiæ. Ad 2. confirmationem dico, quod actus quo diligerentur infiniti homines non eſſet infinitus niſi obiectiuè, ſeu terminatiuè, vt eſt infinitus actus charitatis quo Deum diligimus; vt autem eſſet infinitus ſimpliciter, deberet eſſe infinitus ex parte principii,

quatenus ratio, seu virtus eliciens esset infinita simpliciter.

65 Secundum argum. nam si anima Christi D. aliqua simul, & actualiter cognosceret, maximè essent preces, & orationes, quæ ad ipsum diriguntur; sed has non potest simul, & actualiter cognoscere; ergo, &c. Maior constat. Minor probatur, primò ex D. Thoma 5. *contra Gent. cap.* 15. vbi de omnibus beatis dicit, quod cognoscant singularia sub speciebus existentia; sed illæ preces, & orationes non existunt sub speciebus nisi successiuè; ergo nisi successiuè cognoscuntur. Secundò, quia anima Christi cognoscit dictas preces, & orationes secundum quod ad ipsam diriguntur, sed diriguntur successiuè, & pro diuersis temporum differentijs; ergo, &c.

66 Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Licet enim orationes, & petitiones quę ad Christum D. diriguntur non sint simul, sed in diuersis temporis differentijs quoad propriam illarum mensuram; tamen sunt simul in mensura superiori, iuxta illud S. P. Aug. de Trin. cap. 17. *Apud Deum præterita, & futura stant.* Et illud eiusdem S.P. ibid. 15. *Apud Deum, nec præterita transierunt, & futura iam facta sunt.* Ad 1. probationem dico, quod licet singularia, & cogitationes omnes in tempore non coexistant, nec existant sub suis speciebus, tamen in mensura superiori, coexistunt. Ad 2. probationem dico, quod anima Christi cognoscit præces, & orationes siue dirigantur, siue non dirigantur in mensura superiori.

67 Ex quibus infertur 1. quod anima Christi D. non solum clarè, & distinctè videt in verbo singulos homines, singulas illorum circunstantias, singulas cogitationes futuras per totam æternitatem, sed etiam omnes bonos, & malos Angelos, eorumque cogitationes futuras per totam æternitatem; sunt enim: *Administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Infertur 2. quod anima Christi videt in verbo infinita, non simpliciter, sed in determinato, & certo genere, vt iam vidimus. Vnde omnino displicet Isambertus *ad q.* 10. *disp. vnica art.* 2. *in secundo Corollario*, quod anima Christi videat tantum finita, scilicet homines, & Angelos eorumque cogitationes solum futuras vsque ad diem iudicij, quæ sunt sub aliquo certo, & determinato numero; & quando solum de istis debeat iudicare. Displicet inquam, nam licet iudicium non sit faciendum de bonis cogitationibus, sed de malis, non de illis quæ erunt post diem iudicij per totam æternitatem, tamen negari non potest quin ad perfectum caput morale, & ad perfectum prouisorem non pertineat, prospicere totum id quod futurum est ex sua punitione malorum, & ex præmio bonorum.

DVBIVM V.

An Anima Christi D. cognoscat omnia quæ continentur in potentia creaturæ.

68 PRocedit dubium de illis quæ sunt in potentia creaturæ, à Christi D. anima cognitæ in verbo. An v. g. anima Christi cognoscendo in verbo hominem cognoscat quidquid in eius potentia continetur. An cognoscendo Angelum, cognoscat quidquid in eius potentia continetur. Prima sententia negat, & hanc sequuntur omnes illi qui dicũt, quod anima Christi non cognoscit infinita, vt Isambertus, & alij volentes quod anima Christi solum cognoscat determinata entia, &c.

69 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Anima Christi D. cognoscit omnia, quæ continentur in potentia completa creaturæ.* Sic S. Doctor *hic art.* 2. quem sequuntur non solum omnes Thomistæ, sed plerique Theologi vt testatur M. Cipullus *hic art.* 2. *dub.* 2. *n.* 2. Dixi quæ cõtinentur in potentia completa, nam quæ continentur in potentia incompleta, seu incompletè non cognoscuntur ex eo quod creatura cognoscatur, causa namque quæ incompletè, & imperfectè continet effectum, sicut non est sufficiens ad illum ponendũ, ita non est sufficiens ad illum repræsentandum, vt cognoscatur.

Pro-

70 Probatur 1. nam implicat, quod aliqua res comprehensiuè cognoscatur, & non cognoscantur omnia, quæ perfectè, & completè in eius potentia continentur, sed anima sanctissima Christi D. comprehendit creaturas quas videt in Verbo; ergo etiam cognoscit quicquid in potentia illarum completè continetur. Maior nota est, nam comprehensio intelligibilis in hoc consistit, quod obiectum tantum intelligatur, quantum est intelligibile, vt sit adæquatio inter potētiam cognoscentem, & obiectum cognitum, quod non esset, nisi creatura cognosceretur secundum totum quod in eius potentia completè continetur. Minor probatur, nam anima Christi D. cognoscit in Verbo quamlibet creaturam quantum cognoscibilis est, cognoscit enim cognitione adequata lumini gloriæ, quod in perfectione excedit quamlibet creaturam.

71 Probatur 2. nam implicat, quod comprehensiuè cognoscatur causa, quin etiam cognoscatur effectus, & implicat, cognoscatur potētia comprehensiuè, quin cognoscatur effectus adæquatus eiusdem potentiæ, sed anima Christi D. in Verbo cognoscit comprehensiuè hominem, v.g. eiusque potentias scilicet intellectum, & voluntatem; ergo debet cognoscere totum id ad quod & homo, & eius potentiæ se extendunt. Qui namque cognosceret causam, & non cognosceret omnes effectus quos virtute continet, non cognosceret perfectè virtutem eiusdem causæ.

72 Probatur 3. quia ad hoc vt aliquid comprehendatur, non sufficit, quod cognoscatur quoad ea quæ in eo formaliter continentur, nec sufficit quod cognoscatur quoad aliqua quæ in ea virtute, aut eminenter continentur, aliàs omnes beati comprehenderent diuinam essentiam, cum eam cognoscant quoad ea quæ in ea formaliter continētur, & quod aliqua quæ continentur eminenter, seu virtute, sed requiritur, quod cognoscatur quoad omnia quæ perfectè, & completè continentur, eminenter seu virtute, ergo ad hoc vt anima Christi D. cōprehēdat creaturas, quas in Verbo diuino videt, debet cognoscere ea quæ in illius virtute continentur.

73 Probatur 4. ratione D. Thomæ *in 3. dist. 14. q. 2. art. 2. quæstiunc. 1.* vbi dicit, quod non possit aliquid comprehensiuè cognosci quoad intensionem, quin etiam cognoscatur quoad extensionem, & è contra, quod non potest comprehensiuè cognosci quoad extensionem eorum, quæ sunt in potentia illius, quin etiam intensiuè comprehendatur, quia modus intensionis in cognitione, debet esse secundum modum extensionis eiusdem. Regula namque generalis est, quod quanto visio beata habet maiorem extensionem ad creaturas, tanto ipsæ habent maiorem intensionem in ordine ad Deum; ergo cum anima Christi comprehendat creaturas comprehensione intensiua, debet etiam comprehendere comprehensione extensiua. Hinc est, quod cum beati non comprehendant Deum comprehensione intensiua, neque comprehendent comprehensione extensiua cognoscendo omnes creaturas possibiles. Soluuntur argum. in contrarium.

74 Primum argum. nam anima Christi D. in Verbo ea solum videt, quæ pertinent ad eius statum, sed illa quæ continentur in potentia creaturæ nunquam tamen futura, non pertinent ad eius statum, ergo non videntur ab anima Christi Dom. Maior constat ex dictis. Minor probatur, nam ea solum pertinent ad statum animæ Christi D. quorum respectu est futurus iudex, & Dominus, sed ista sunt solum, quæ sunt futura in aliqua temporis differentia, ergo, &c.

75 Nec valet dicere, quod pertinet ad perfectionem animæ Christi D. cognoscere ea, quæ sunt in potentia creaturæ, & non sunt futura in aliqua temporis differentia, nec iudicium de illis est habendū. Nam hoc modo dici posset, quod etiam ea quæ sunt in potentia Dei possent cognosci ab anima Christi D. cum tamen, vt dub. seq. dicetur, non cognoscantur.

76 Resp. admittendo traditam solutionem; nam licet ea, quæ sunt in potentia creaturæ nunquam tamen futura in aliqua temporis differentia non subdan-

tur Christo vt iudici, & Domino, tamen negari non potest, quin eorum cognitio multum conducat ad perfectionem scientiæ beatæ animæ Christi Dom. Tum quia aliàs non comprehenderentur ipsæ creaturæ, quæ eidem Christo D. subduntur vt iudici, & Domino, vt ex dictis colligitur.

77 Secundum argum. nam si anima Christi D. comprehenderet ea, quæ sunt in potentia creaturæ, maximè quia ista continentur, & repræsentantur in Verbo, sed hæc ratio nimis probat; ergo,&c. Minor probatur, nam non possunt comprehendi creaturæ vt continentur in Verbo, nisi etiam ipsum Verbum comprehendatur, & nisi comprehendatur modus, quo fieri possunt, vt per creationem, &c. Sed implicat,quod Verbum comprehendatur, & etiam implicat, quod comprehendatur modus creationis quo fieri possunt, ergo, &c. Resp.quod creaturæ, & ea quæ in ipsarum potentijs continentur dupliciter cognosci possunt, vel secundum esse quod habent in Deo, vel secundum esse, quod habent in seipsis, vt comprehendantur secundum esse quod habent in se ipsis, non est necesse quod comprehendatur Verbũ diuinum, nec modus creationis,vt autem comprehendantur secundum esse, quod habent in Deo,tunc deberet comprehendi Verbum diuinum, quia secundum esse quod habent in Deo, sunt Deus, iuxta illud. *Creatura ab æterno nihil est nisi in mente creantis, vbi non est creatura, sed creatrix natura.*

78 Tertium argum.nam ex hoc quod Angelus cognoscat comprehensiuè naturam solis non sequitur, quod in particulari cognoscat omnes effectus, & circulationes illius, aliàs quilibet Angelus cognosceret diem iudicij quando;dabitur vltima circulatio, & cessabit omne tempus vt iurauit ille Angelus in Apocal. quod non erit amplius tempus. *Iurauit per viuentem in sæcula sæculorum, quod non erit amplius tempus.* Resp. concedendo antecedens; circulationes namque solis quoad earum numerum non sunt in potentia solis secundum se, sed prout subditur intelligentiæ, quæ ipsum mouet.Hæc autem intelligentia subditur in mouendo liberæ voluntati, ac proinde nec ipsa, nec alia superior ipsã compræhendens cognoscit vltimam circulationem, cum ab ipsa non habeat vt sistat, vel non, & sic cum circulationes non contineantur completè in potentia, nec cæli, nec intelligentiæ, non cognoscentur quoad suum numerum à comprehendente creato.

79 Quartum argum. Angelus comprehendit intellectum creatum, & tamen non cognoscit omnia, quæ sunt in potentia illlius; ergo, &c. Antecedens probatur, nam non cognoscit actus liberos. Resp.quod comprehendens intellectum humanum, non cognoscit actus liberos, sed solum necessarios, cum causa connexos; imò neque cognoscit omnes actus necessarios possibiles, sed eos tantum quorum est causa completa per species vel acquisitas,vel infusas; non autem illos quorum non est causa completa, sed tantum incompleta, & compleretur si darentur species ad illos deseruientes.

DVBIVM VI.

An Anima Christi D. cognoscat in verbo omnia, quæ sunt in potentia Dei, seu omnia possibilia.

80 CErtum est, quod per scientiam visionis Deus nõ cognoscit possibilia sed per scientiã simplicis intelligẽtiæ, quæ est rerum merè possibilium. Modo dubitatur an anima Christi D. non solum videat in verbo ea ad quę se extendit scientia visionis, an etiam ea ad quæ se extendit scientia simplicis intelligentiæ,& sunt omnia possibilia. Neque procedit dubium de cognitione confusa, cum certum sit,quod omnes beati videant creaturas possibiles secundum rationem communem, & confusam, seu in ratione factibilis vt sic, seu vt sunt specificatiuum virtuale diuinæ omnipotentiæ.Sed procedit dubium de cognitione clara, & distincta, de quo.

81 Prima sententia est Hugonis à S. Victo-

Victore *lib. de ſcientia animæ Chriſti*, vbi dicit, quod anima Chriſti D. quantum ad ſcientiam eſt æqualis Deo. Alij temperant hanc opinionem, quod ſcilicet anima Chriſti D. videat quidem omnia poſſibilia ſed tantum in habitu, ſeu habitualiter: Quod explicat D. Bonauent. *in 3. diſt. 14. qu. 2. & 3.* putat enim quod in anima Chriſti D. detur quædam qualitas ad modum habitus, quo redditur potens ad videnda ſingula poſſibilia, non tamen actu omnia, quia, inquit, ad videnda omnia actu requiritur virtus infinita. Scotus vero *ibid. q. 2.* putat, quod ipſa met diuina eſſentia per modum obiecti virtute, eminenter, & habitualiter repreſentat omnia poſſibilia animæ Chriſti, quæ vt attingantur, nil aliud requiritur niſi vt ad illa attendat, non poteſt tamen ob ipſius finitatem ad omnia ſimul attendere, ſed modo ad iſta, modo ad illa, vt ſic paulatim omnia videat, & tandem nihil ei lateat.

82 Noſtra ſententia ſequenti concl. explicatur. *Anima Chriſti D. plura videt ex creaturis poſſibilibus, non tamen omnes.* Sic S. Doctor *hic art. 2. & 3. & 1. p. q. 12. art.* 8. *& 3. contra Gent. cap.* 56. & alibi ſæpe, quem eius diſcipuli ſequuntur, & cæteri expoſitores, pro quo videri poteſt N. Cornexus *quaſt. 10. diſp. 2. dub.* 1. Iſamb. *ad q. 10 diſp. vnica art. 3. & 4.* & alij. Probat Iſamb. ex illo Luc. 10. *Si in Tyro, & Sidone facta fuiſſent virtutes, quæ facta ſunt in te, olim in cilitio, & cinere ſedentes pœniterent*; quod totum, inquit, cum numquam factum ſit, cenſetur vnum eſſe ex poſſibilibus, quæ anima Chriſti D. cognoſcebat. Cæterum non eſt verum, quod hoc ſit vnum ex poſſibilibus, ſed erat vnum ex futuris conditionatis, quod factum fuiſſet ſi conditio fuiſſet purificata; quod futurum conditionatũ cognouit anima Chriſti D. per viſionem beatã in eſſentia diuina per ſuum decretum determinata de futuritione pœnitentiæ Tyriorum, & Sidoniorum, ſi Chriſtus D. feciſſet illas virtutes, illa miracula, &c. in Tiro, & Sidone, quæ fecit in Chorozaim, & Chafarnao, ſed quia non fecit, ideo non egerunt pœnitentiam.

84 Probatur 1. ad videndum infinita, ſeu omnes res poſſibiles requiritur lumen infinitum, ſed anima Chriſti D. non habet lumen gloriæ infinitum; ergo non videt infinita. Maior nota eſt, cum enim omnia poſſibilia ſint abſolutè, & ſimpliciter infinita, cum ſint obiectum extenſiuũ diuinæ omnipotentiæ non poſſunt clarè, & diſtinctè videri ſine lumine infinito. Minor probatur, nam anima Chriſti D. non eſt capax luminis infinitè intenſi, forma namque debet proportionari ſubiecto, ac proinde cum ſubiectum eſt finitum, etiam forma debet eſſe finita, aliàs non eſſet verum commune dictum, quod ſubiectum limitat formam, & è contra. Tum quia lumen gloriæ datur ad menſuram gratiæ, & charitatis, ſed gratia, & charitas in Chriſto ſunt finita; ergo etiam lumen gloriæ.

85 Probatur 2. nam ſi anima Chriſti D. videret omnia poſſibilia, ſeu omnia quæ ſunt in potentia Dei, comprehenderet diuinam omnipotentiam, ac proinde ipſum Deum; hoc eſt falſum, ergo & illud. Minor nota eſt, implicat namque quod cognitio finita, & ordinis inferioris adæquet rem omnibus modis infinitam, & ordinis ſuperioris: quantumcumque enim creſcat res ordinis inferioris, non poteſt pertingere ad naturam, & perfectionem ordinis ſuperioris: vnde quantumcumque muſca creſcat in perfectione, nunquam poterit pertingere ad perfectionem hominis cuiuſcumque, & ſic quantumcumque creſcat cognitio creata, nunquam poterit pertingere ad cognitionem increatam, vt adæquet diuinam omnipotentiam, aut diuinam eſſentiam. Maior oſtenditur, nam tunc aliquid intelligibiliter comprehenditur, quando nihil eorum quæ in eo ſunt ſiue formaliter, ſiue eminenter à cognitione relinquitur, ſeu quando nihil latet videntem, ſed ſi anima Chriſti D. videret omnia poſſibilia, ſeu quæ ſunt in diuina omnipotentia, nihil diuinæ omnipotentiæ ipſam lateret; ergo, &c. In hoc enim natura comprehẽſionis conſiſtit, quod res tantum cognoſcatur, quantum cognoſcibilis eſt; tunc

autem

autem cognoscitur quantum cognoscibilis est, quando cognoscitur secundum omnia quæ dicit, tum formaliter, tum eminenter. Qui autem videt Deum, cognoscit omnia quæ in eo sunt formaliter, & qui videt possibilia, seu omnia, quæ continentur in diuina omnipotentia, cognoscit ea quæ sunt in Deo eminenter, ac proinde ipsum comprehendit.

86 Probatur 3. nam vt supra vidimus, cognitio comprehensiua intensiua, & extensiua debent proportionari, & sibi inuicem correspondere; vnde non potest quis comprehendere Deum comprehensione intensiua, nisi etiam comprehendat comprehensione extensiua, & è contra, sed si anima Christi D. cognosceret omnia possibilia, seu omnia ad quæ se extendit diuina omnipotentia, comprehenderet Deũ comprehensione extensiua; ergo etiam comprehenderet comprehensione intensiua, & sic omnibus modis, quod implicat.

87 Probatur 4. nam ideo anima Christi D. comprehendit creaturas in aliqua temporis differentia existentes, quia, vt dub. præcedenti vidimus, cognoscit omnia quæ sunt in potentia illarum, ergo si cognoscit omnia quæ sunt in potentia Dei, illum comprehendet; hoc autem est impossibile, vt supra vidimus; ergo, &c. Soluuntur argum. in contrarium.

88 Primum argum. desumunt ex illo Ioan. 1. *Plenum gratiæ, & veritatis*, sed non stat plenitudo veritatis sine scientia rerum omnium, non solum existentium in aliqua temporis differentia, sed etiam in diuina omnipotentia; ergo, &c. Respond. quod ad hoc vt Christus D. dicatur plenus veritate, non est necesse quod cognoscat possibilia, sicut ad hoc vt dicatur plenus gratia non est necesse, quod habeat omnem gratiam possibilem; sed sufficit, quod tantam habeat, vt de potentia ordinaria non possit habere maiorem; ita, vt dicatur plenus veritate sufficit quod tantum habeat cognitionem veritatum, vt de potentia ordinaria non possit habere maiorem. Dici etiam potest, quod Christus D. dicatur plenus veritatis respectu illarũ rerum quas nobis reuelauit, iuxta illud *Vnigenitus qui est in sinu Patris ipse nobis enarrauit*.

89 Secundum argum. desumunt ex illo Ioan. 16. vbi Apostoli sic Christum D. alloquuntur. *Nunc scimus quia omnia nosti*. Et cap. vltimo D. Petrus ait Christo D. *Tu omnia nosti*; sed dictio *omnia*, nihil excludit nec futura, nec possibilia. Qui namque omne dicit, nihil excludit, vt etiam ex legibus ciuilibus habemus, *l. Iulianus, ff. de legat. 3. l. hoc articulo, ff. de hæred. instit. l. pediculis, §. Labeo, ff. de auro, & argento legato, l. si quis ff. de peculio legato, l. si cui seruo omnes, ff. de legat. 1. l. pœnales, ff. ad leg. Falcid. l. à procurutore, C. mandati, &c.* Respondetur quod illa loca intelliguntur de Christo D. vt Deo. Vel intelliguntur de omnibus existentibus in aliquo temporis differentia. Nec citatæ leges nobis aduersantur, quia dictio *omnis*, vel *omnia*, non se extendit vt comprehendit id ex quo absurdum sequeretur, vt obseruant Decian. *in l. omnia, ff. si certum petatur n. 1. ad finem*. Cened. *singul. 25. n. 5.* & alij.

90 Tertium argum. nam dato quod anima Christi D. cognoscat omnes creaturas adhuc non sequitur quod comprehendat diuinam omnipotentiam, & Deũ, ergo ob rationem comprehensionis non est negandum, quod anima Christi D. cognoscat omnia possibilia. Antecedens probatur, nam dato quod anima Christi D. cognoscat omnes creaturas possibiles non tamen ex hoc sequitur, quod cognoscat modum quod dictæ creaturæ sunt in eadem omnipotentia, & essentia; nam iste modus excedit in infinitum omnes creaturas possibiles; nam creaturæ sunt in genere entis simpliciter finiti, & modus quo continentur in diuina omnipotentia, seu modus quo diuina omnipotentia illas continet est ens simpliciter infinitum, cũ sit quid in Deo existens, ac proinde ipse Deus.

91 Confirmatur, nam anima Christi D. cognoscit naturam humanam prout est in Deo, & licet ea cognitio adæquet, imò superet entitatem talis naturæ, non tamen adæquat modum quo Deus continet

nec illam: adæquat anima Christi continentiam passiuam, seu ipsam naturam humanam contentam, non tamen adæquat continentiam actiuam, seu modum quo diuina essentia continet eandem naturam humanam, hic enim modus est infinitus simpliciter infinitate diuina; ergo licet detur, quod anima Christi D. cognoscat, & adæquet omnes creaturas possibiles, non tamen sequitur quod Deum comprehendat, cum non adæquet illum modum quo à diuina essentia continentur.

92 Resp. negando antecedens. Ad probationem negatur item antecedens, ad cuius probationem dico, quod implicat, quod creaturæ possibiles cognoscantur in diuina essentia, & non cognoscatur modus quo in illa continentur. Aliter esset si creaturæ possibiles cognoscerentur per proprias species prout sunt in se ipsis, tunc enim non cognosceretur modus quo sunt in diuina essentia, at cum cognoscuntur per speciem diuinæ essentiæ, non potest non cognosci modus quo sunt in eadem diuina essentia, scilicet in esse intelligibili, & in diuina omnipotentia in esse factibili; esse autem factibile actiuè, seu esse factiuum, & esse intelligibile in diuina essentia sunt modi continendi infiniti, ac proinde incomprehensibiles.

93 Ad confirmationem dico, quod licet cognitio animæ Christi D. adæquet humanitatem secundum se, & hoc modo eam comprehendat, non tamen adæquat modum quo continetur in diuina omnipotentia, & in diuina essentia, ac proinde secundum hunc modum cognitio animæ Christi non comprehendit naturam humanam. Seu cognitio animæ Christi comprehendit naturam humanam contentam, non tamen ipsam rationem continendi.

94 Sed dices, quod sicut anima Christi D. cognoscit, & comprehendit naturam humanam, absque eo quod comprehendat modum quo continetur, scilicet diuinam essentiam, ita poterit comprehendere omnia possibilia absque eo, quod comprehendat modum quo continentur in diuina essentia, & omnipotentia, ac proinde absque eo quod comprehendat Deū. Resp. quod bene potest cognosci aliqua creatura absq; eo quod cognoscatur modus quo continetur, non tamen potest cognosci omnis. Cum enim omnis creatura adæquet extensiuè diuinam omnipotentiam in ratione factibilis, & diuinam essentiam in ratione intelligibilis, seu repræsentabilis, sequitur quod etiam earum cognitio debeat eandem adæquare intensiuè, & sic vtroque modo comprehendere, vt ex dictis colligitur.

95 Quartum argum. nam cognitio diuinæ omnipotentiæ vt sit comprehensiua debet esse infinita intensiuè, at cognitio creaturarum possibilium est solum infinita extensiuè; ergo ex hoc quod anima Christi D. illas cognoscat, non valet inferre, quod comprehendat diuinam omnipotentiam. Resp. quod licet cognitio creaturarum possibilium in seipsis si haberent propriam speciem fortè esset solum infinita extensiuè, tamen earum cognitio secundum quod continentur in diuina omnipotentia, vel essentia, est infinita intensiuè, cum hoc modo importet quandam adæquationem inter talem cognitionem, & diuinam omnipotentiam quoad omnem suum modum cognoscibilitatis. Dixi fortè esset solum infinita extensiuè, quia hoc sufficit ad solutionem argumenti. Absolutè tamen puto quod esset infinita intensiuè. Vnde qualitercumque anima Christi D. videret omnes creaturas possibiles, omnes effectus diuinæ omnipotentiæ etiam in se ipsis comprehenderet diuinam omnipotentiam. Aliter tamen, & aliter, nam si eas videret in diuina essentia, vel omnipotentia, videret infinitam virtutem illius in esse faciendi, & repræsentandi secundum modum continendi eas: vnde ab essentia, vel omnipotentia tanquam à causa procederet ad creaturas tanquam ad effectus. Cæterum si eas videret in se ipsis per proprias species, cum sint infinitæ, vltra quas non potest Deus aliàs producere, adhuc ea cognitio esset infinita intensiuè, tum quia ad illas cognoscendas indigeret infinito lumine; tum etiam quia à posteriori, & argui-

arguitiuè procederet ad cognoſcendam adæquatè diuinam omnipotētiam, diuinā virtutem productiuam earum, ſecundum omnem modum quo cognoſcibilis eſt.

96 Quintum argu. anima Chriſti D. vt dub. præcedenti vidimus, videt omnia, quæ ſunt in potentia creaturæ; ergo videt omnia poſſibilia. Conſeq. probatur, non poteſt anima Chriſti Dom. videre omnia quæ ſunt in potentia creaturæ, niſi videat omnia genera, omnes ſpecies, & omnes gradus entis, ſeu omnes gradus omnium, quæ ſunt in ordine vniuerſi, ſed hoc eſt videre omnia poſſibilia. Maior conſtat, quæ namque ſunt in potentia creaturæ, ſunt minoris cognoſcibilitatis, quam ſit virtus cognoſcitiua viſionis beatæ animæ Chriſti D. Minor etiam conſtare videtur, omnia namque poſſibilia continētur ſub gradibus entis qui ſunt eſſe, viuere, & intelligere; ergo ſi anima Chriſti comprehendit iſtos gradus, comprehendet omnia poſſibilia ſub illis contenta.

97 Reſp. 1. cum N. Cornexo *q.* 10. *diſp.* 2. *dub.* 1. concedendo antecedens, & negando conſeq. Ad probationem dico, quod ad hoc vt aliquis gradus comprehēdatur vt continetur in potentia creaturæ, non eſt neceſſe quod cognoſcatur ſecundum omnia ſingularia, & indiuidua, quæ ſub eadem eſſe poſſunt etiam per virtutem diuinam, aut per potentiam obedientialem, ſed ſufficit quod cognoſcantur illa indiuidua quę adæquatè ponentur per virtutem illius creaturæ in cuius potentia continentur. Vnde vt quis cognoſcat muſcam comprehenſiuè nō eſt neceſſe, quod cognoſcat omnes & ſingulas combinationes quæ poſſunt eſſe ſub illius ſpecie, attenta potentia diuina, ſed attenta præcisè natura, & potentia eiuſdem muſcæ. Sub quolibet namque gradu entis poſſunt poni per potentiam Dei plura, & plura indiuidua, plures, & plures ſpecies, plura, & plura genera, quæ non continentur in potentia naturali creaturæ, ſed vel ſolum in potentia obedientiali eiuſdem, vel à Deo ſolo immediatè producenda. Et ſic anima Chriſti D. comprehendendo quæ continentur in potentia creaturę comprehendit omnes gradus entis ſecundū quod continentur in potentia eiuſdem creaturę, non ſecundum quod reſpiciuntur per ordinem ad Deum, qui ſub vnoquoque illorum poteſt plura, & plura ponere. Reſp. 2. quod licet de facto, & ſecundum potentiam ordinatiam non dentur niſi illi gradus entis, tamen de potentia abſoluta, & in finibus diuinæ omnipotentiæ poſſunt dari alij, & alij rerum ordines, alij, & alij gradus, quos nos ignoramus.

98 Alij & non improbabiliter reſpōdent, quod ad hoc vt anima Chriſti Dom. (idem dic de quocumque alio intellectu comprehendente aliquam naturam, vel ſpeciem) comprehendat, v. g. muſcam, non eſt neceſſe vt cognoſcat in particulari, omnes, & ſingulos ejus effectus, ſed ſufficit vt cognoſcat hanc eſſe ejus naturam, quod ſit apta hæc, & alia facere ſecundum ſuam rationem formalem, non autem quod ſit habitura hoc numero indiuiduum, ſed confuſam quandam collectionem infinitam ſyncategorematicè, niſi aliunde impediatur.

99 Sextum argum. anima Chriſti D. videt in Verbo ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; ſed hæc extenditur ad omnes creaturas poſſibiles; ergo eas omnes videt. Minor conſtat, in hoc enim diſtinguitur ſcientia ſimplicis intelligentiæ à ſcientia viſionis, quod hæc terminatur ad exiſtentia, illa ad poſſibilia. Maior probatur, nam anima Chriſti D. videt omnia quæ ſunt formaliter in Deo, ſed ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt formaliter in Deo. Reſp. diſtinguendo maiorem: videt ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ſecūdum quod terminatur ad diuinam eſſentiam, vt eſt ratio faciendi creaturas vt ſic, conceditur, ſecundum particulares terminationes, quibus terminatur ad creaturas in particulari, ſecundum proprias rationes factibilitatis, negatur. Videt quidem anima Chriſti ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ſecundum ſuum ſpecificatiuum formale, quod eſt diuina eſſentia, & ſecundū ſuum ſpecificatiuū virtuale, quod eſt ratio factibilis vt ſic, non tamen videt particulares rationes factibilitatis.

DVBIVM VII.

An anima Christi D. videat entia infinita in actu.

100 ENtia alia sunt simpliciter talia, quę alio nomine vocantur entia completa, seu substantiæ completæ; alia sunt entia secundum quid, seu entis entia, seu accidentia, & omnia entia, quæ dicuntur talia respectiuè. An anima Christi D. videat infinita entia completa, seu simpliciter talia, vt sunt substantiæ complete, dicemus dubio sequ. an autem videat infinita entia secundum quid, dicimus in hoc dubio. Prima sententia est, quod anima Christi D. non videat infinita entia actu, sed tantum in potentia, seu syncategorematicè; docent hanc sententiam Ricard. *in 3.dist.14.art.2.q.3.* Scotus *eadem dist.q.2.* Almayn. *q.1.* & alij, quos refert, & sequitur Suarez *disp.26.sect.4.*

101 Nostra sententia seq. conclusione explicatur. *Anima Christi D. videt per scientiam beatam infinita entia secundum quid in actu.* Sic tradit S. Doctor *hic art.2. ad 3. & 1.p. q.14. art.12.* quatenus docet, quod anima Christi Dom. videt omnia ad quæ se extendit scientia visionis, patet autem quod Deus per scientiam visionis videt infinita in actu, scilicet omnes cogitationes hominum, & Angelorum futuras per totam æternitatem. Quocirca quando S. Doctor *hic art.3.* docet, quod anima Christi non videt infinita in actu, loquitur de entibus simpliciter, vt dubio seq. dicemus, vt bene aduertit Caiet. *hic art.3.* Cipullus, & cæteri D. Thomæ discipuli. Videantur Medina, Aluarez, Nazar. Cabrera, & alij.

102 Probatur 1. nam anima Christi D. videt per scientiam beatam ea omnia quæ videt Deus per scientiam visionis, vt supra vidimus, sed Deus per scientiam visionis videt infinita, vt docet S. Doctor loco citato ex 1. p. Videt namque omnes cogitationes, & omnes cordium affectiones futuras per totam æternitatem, quæ non possunt non esse infinitæ in actu; ergo cum id ipsum videat anima Christi D. sequitur quod videat infinita in actu, & non tantum in potentia, seu syncategorematicè.

103 Probatur 2. nam quilibet beatus videt omnia quæ pertinent ad eius statū, vt supra vidimus, sed videre omnes cogitationes; omnes cordium affectiones futuras per totam æternitatem pertinet ad statum animæ Christi D. ergo omnes videre debet; istæ sunt infinitæ in actu, ergo videt infinita in actu. Minor probatur, nā pertinet ad statum animæ Christi D. cognoscere totam latitudinem sui meriti, sed hoc extenditur ad omnes cogitationes hominum, & Angelorum beatorum, cum sint futuræ in virtute meritorum Christi, sicut enim, beatorum salus, & gloria est ex meritis Christi, ita omnia quæ ex illis sequuntur erunt ex meritis eiusdem Christi. Et sicut ex meritis eiusdem Christi est, quod iustitia exerceatur erga damnatos, & quod puniantur eorum malæ cogitationes, eorum mali cordium affectus futuri per totam æternitatem, non quidem noua pæna, sed extensa per totam ęternitatem; ergo & hoc debet à Christi Dom. anima cognosci, cum ad eius statum ea pertineāt ad quæ extendi debet eius sententia damnatiua: *ite maledicti in ignem æternum.*

104 Probatur 3. anima Christi D. per visionem beatā comprehendit omnes creaturas, & omnes causas creatas, ergo cognoscit omnes effectus qui ab illis producentur; sed isti sunt infiniti; ergo anima Christi cognoscit infinita. Antecedens constat ex dictis, comprehendit enim omnes homines, & Angelos qui in die iudicij apparebunt. Conseq. etiam constat, qui enim comprehendit aliquam causam, debet cognoscere omnes effectus ab illa determinatè, & completè procedentes, ac proinde si anima Christi comprehendit omnes homines, & Angelos, debet etiam cognoscere omnes eorum cogitationes, & cordis affectiones. Quod autem isti effectus siue cogitationes, & affectiones sint infinitæ in actu, patet, nam carent omni termino, non datur vltima cogitatio, non

datur vltima cordis affectio; ergo,&c.

105 Dices,quod cogitationes,& cordis affectiones futuræ per totam æternitatem non sunt infinitę in actu, sed tantum in potentia, cum numquam simul sint, sed futuræ sint successiuè, saltem per ordinem ad tempus imaginarium. Sed contra, nam illud est infinitum in actu cuius partes accipientibus semper restat aliquid accipere, sed accipientibus, seu numerantibus dictas cogitationes futuras per totã æternitatem, semper restat aliquid accipere, quia numquam ad finem perueniretur; ergo sunt infinitæ in actu. Tum quia illud est infinitum in actu, seu categorematicè, quod actu caret termino, & fine, sed tota collectio cogitationum futurarum per totam æternitatem caret termino, & fine; ergo, &c. Tum etiam quia idem iudicium faciendum est de illa collectione futura per totam æternitatem, ac de ipsa æternitate, in qua tamquam in mensura superiori continentur, sed in ęternitate nõ datur terminus, nec finis; ergo neque in illis cogitationibus, ac proinde sicut æternitas est infinita in actu, seu categorematicè, ita & illa cogitationum collectio. Aeternitas namque est duratio actu infinita, in qua actu, saltem eminentialiter, aut virtualiter sunt infiniti anni, infiniti menses, infinitæ horæ, & in qualibet hora beati elicient plures actus bonos, & damnati plures actus malos, qui omnes actus licet successiuè futuri sint per ordinem ad tempus imaginarium quod erit post finem temporis veri, tamen in ipsa æternitate sunt simul,& sic simul obijciuntur intellectui diuino, & simul ab eo cognoscuntur per scientiam visionis; item simul obijciuntur animæ Christi Dom. & simul cognoscuntur per scientiam,seu per visionem beatam; ergo,&c.Soluuntur argum.in contrarium.

106 Primum argum. implicat, quod detur infinitum in actu, seu categorematicè, ergo non potest cognosci ab anima Christi D. Antecedens tradunt communiter Philosophi in Physica. Conseq.probatur, nam ex eo quod res est, vel non est propositio, & cognitio dicitur vera, vel falsa; ergo si implicat dari infinitum in actu, implicat quod cognoscatur; si namque res cognitæ non possunt esse infinitæ nisi in potentia, ita nisi vt infinitæ in potentia cognosci possunt. Resp. distinguendo antecedens; implicat, quod detur infinitum in actu, & permanenter in aliqua differentia temporis, seu in aliqua duratione finita, determinata, & creata, conceditur; in æternitate, negatur; cum enim æternitas sit mensura superior continens simul, quod successiuè continetur in mensuris inferioribus, sequitur, quod licet dictæ cogitationes non sint, neque possint esse simul in mensura creata, seu in aliqua temporis differentia, possunt tamen esse simul in æternitate, nec vlla est repugnantia, quod mensura infinita vt est æternitas contineat simul infinitas cogitationes, quæ in infinitis temporis differentijs, siue veris, siue imaginarijs successiuè continentur. Vnde sicut Deus in æternitate simul cognoscit, quæ successiuè ponuntur per totam æternitatem, ita & anima Christi D.

107 Secundum argum. nam si anima Christi D. cognosceret infinitas cogitationes futuras per totam æternitatem,quæ licet in se sint successiuè futuræ,in mensura tamen æternitatis sunt simul, sequeretur, quod etiam cognosceret actu infinitas partes quæ sunt in hac quantitate palmari,& infinitas diuisiones illius in quas potest diuidi, sed hoc implicat, ergo & illud. Sequela patet, non enim est maior ratio de vno infinito, ac de alio, ita enim sunt infinitæ cogitationes futuræ per totam æternitatem,ac sunt infinitæ partes quantitatis, & diuisiones illius. Minor probatur, si enim anima Christi D. cognosceret actu partes quantitatis, & diuisiones illius, cognosceret vltimam partem, & vltimam diuisionem; sed nulla potest assignari pars quantitatis, quæ non sit vlterius diuisibilis; ergo,&c. Resp.concedendo maiorem, cognoscit namque anima Christi D. omnes partes quantitatis, & omnes diuisiones illius. Deinde negatur minor; ad probationem dico, quod non cognoscit vltimam partem, cum non de-

detur, ſicut neque cognoſcit vltimam cogitationem, cum non ſit aſſignabilis; eſt enim contra rationem infiniti, quod habeat vltimum, ſeu terminum, aut finem.

108 Dices, ſi anima Chriſti D. cognoſceret omnes partes continui, & omnes diuiſiones illius, cognoſceret continuum diuiſum, ſed hoc eſſe nequit, quia tunc cognoſceret vltimam diuiſionem, & vltimam partem; ergo, &c. Sequela probatur, nam qui cognoſcit continuum eſſe diuiſibile infinitis diuiſionibus, & in infinitas partes, cognoſcit infinitas diuiſiones, & partes, ac proinde ita cognoſcit ac ſi eſſet actu diuiſum. Reſp. negando ſequelam, qui enim cognoſcit continuum eſſe diuiſibile in infinitas partes, nec cognoſcit vltimam diuiſionem, nec vltimam partem, ac qui cognoſceret continuum actu diuiſum cognoſceret vltimam diuiſionem, & vltimam partem, quæ in infinito in actu repugnant.

109 Tertium argum. Si anima Chriſti D. cognoſceret in Verbo per ſcientiam beatam infinita in actu, vel ea cognoſceret ſimul, vel ſucceſſiuè; neutrum dici poteſt; ergo. Non ſucceſſiuè, quia cum viſio, ſeu ſcientia beata animæ Chriſti D. menſuretur æternitate ſaltem participata, & hæc non admittat ſucceſſionem, neque eam admittet viſio beata. Non ſimul, quia quæ poteſt creatura ſimul cognoſcere, poteſt Deus ſimul facere, aliàs ſcientia creaturæ eſſet perfectior, & ad plura ſe extenderet quam Dei potentia. Tum quia ſequeretur quod in anima Chriſti daretur infinitum in actu obiectiuè, quod implicare videtur. Reſpond. quod anima Chriſti D. cognoſcit ſimul infinita in actu. Ad 1. improbationem dico cum Aluarez *diſp.* 55. quod modus cognoſcendi maximè in Verbo, eſt valde diuerſus à modo, quo res cognitæ fiunt in propria menſura. Cognoſcuntur prout ſunt in intellectu repreſentatæ per ſpeciem, quæ poteſt plura ſimul repreſentare, quæ tamen non poſſunt ſimul eſſe. Hinc eſt, quod æternitas ſimul repreſentat diuerſas temporis, aut motus partes, quæ tamen in propria menſura non poſſunt eſſe ſimul. Ad 2. improbationem cōceditur, quod in anima Chriſti D. detur infinitum in actu ratione diuinæ eſſentiæ ſimul dictas cogitationes per totam ęternitatem futuras repreſentantis.

110 Quartum argum. nam ad cognoſcendum infinita requiritur quod cognitio ſit infinita, & lumen ſit infinitum, ſed cognitio animæ Chriſti D. non eſt infinita, nec procedit per lumen infinitum; ergo non cognoſcit infinita. Maior probatur, tum quia ad cognoſcenda infinita requiritur cognitio quæ æquiualeat infinitis cognitionibus, quæ ad omnia illa obiecta diuiſiuè ſumpta poſſint terminari, ſed cognitio æquiualens infinitis cognitionibus debet eſſe infinita; ergo, &c. Tum etiam quia cognitio attingens duo obiecta, debet eſſe perfectior illa quæ ſolum attingit vnum, ea quæ attingit tria debet eſſe perfectior illa quæ tantum attingit duo, & ſic deinceps; ergo quæ attingit infinita, debet eſſe infinitè perfecta.

111 Reſp. relictis varijs ſolutionibus, negando maiorem. Licet enim ad cognitionem infinitarum rerum ſe inuicem excedentium in perfectione determinata, & certa requiratur infinitum lumen, & debeat eſſe infinita, non tamen quando res infinitæ continentur infra certum, & determinatum genus v.g. infra ſpeciem hominis, tunc enim lumen quod eſt ſufficiens ad cognoſcendum hominem, erit ſufficiens ad cognoſcendum quicquid eſt infra hominem. Item lumen quod eſt ſufficiens ad cognoſcendam potentiam, v.g. voluntatem, & intellectum poteſt eſſe ſufficiens ad cognoſcendum quicquid cōtinetur ſub illa. Vnde cum Chriſtus D. comprehendat omnes creaturas exiſtentes in aliqua temporis differentia, poterit per idem lumen cognoſcere quicquid in earum potentijs continetur licet ſit infinitum in numero. Secus eſſet ſi loqueremur non deſcendendo, ſed aſcendendo; nam lumen quod eſt ſufficiens ad cognoſcendum hominem, non eſt ſufficiens ad cognoſcendas creaturas poſſibiles, quæ ipſum hominem excedunt magis, ac magis vſque in infinitum ſemper aſcendendo. Lumen namque quod eſt ſufficiens ad

cognoscendum id quod maius est, est etiã sufficiens ad cognoscendum id quod minus est, sub eo contentum, non tamen lumen, quod est sufficiens ad cognoscendum id quod est minus, est sufficiens ad cognoscendum maius,& excedens magis, ac magis vsque in infinitum.

DVBIVM VIII.

An Anima Christi D. videat in Verbo infinitas substantias possibiles, seu infinita entia completa.

112 PRima sententia dicit,quod nullo modo anima Christi D. videt infinitas substantias, seu infinita entia completa. Sic D. Bonau. *in 3.dist.14. art. 2. q. 3.* Gabriel, Scotus, Almayn. & alij ibid. Eo principio ducti quod aliàs visio Christi D. esset infinitè perfecta,cum terminaretur ad infinita entia completa.Cęterum hoc fundamentum iam solutum manet ex dictis dubio præcedenti.

113 Nostra sententia seq. conclusione explicatur. *Anima Christi D. videt in verbo infinitas substantias.* Sic tradit S.Doctor *art. 2. & 3.* quem omnes eius Discipuli sequuntur. Videantur Cipullus *hic art. 3. dub. 2.* Orlandus *tract 3. disp. 2. q. 6.* Lugo *disp. 19. sect. 2.* & alij.Ratio conclusionis est, ex dictis supra, nam dato, quod anima Christi D. comprehendat omnes substantias creatas, & omnia quæ in potentia earum continentur, sequitur quod cognoscendo hunc ignẽ cognoscat omnes ignes qui ex ipso possibiliter esse possunt. Et cognoscendo speciem ignis, cognoscat omnia indiuidua possibilia quæ ex ipso esse possunt. Et comprehendendo materiam primam, cognoscet omnes formas quæ in ipsa esse possunt, & cum ipsa componere possunt vnum.Et comprehendo cælos, cognoscet omnes circulationes quæ ex ipsis possibiliter esse possent, & subinde omnes generationes substãtiales, & omnes corruptiones futuras per totam æternitatem. Vnde quando S. D. negat cognitionem infinitarum substantiarum in Christo, loquitur, non de substantijs possibilibus, & contentis in potentia alicuius creaturæ,sed de actu existentibus in aliqua temporis differentia, quia productio substantiarum finietur ad finem mundi. Solum post finem mundi erunt futura accidẽtia scilicet cogitationes, affectiones cordis, &c.

114 Sed quæres 1. an anima Christi D cognoscat infinitas substantias possibiles solo numero distinctas, an etiam specie? Lugo loco citato,& post eum Cipullus putant, & alij communiter, quod solo numero distinctas. Sed dicendum est cum Suarez, Orlando, & alijs communiter, quod etiam specie. Hoc sic ostendo 1. quia Christus D. comprehendit materiam primam, ac proinde omnes effectus quos possibiliter causare potest in genere causę materialis; sed isti differunt non solum specie vt cum transit à forma equi ad formam bouis: sed etiam genere, vt cum transit à forma viuentis, ad formam non viuentis v. g. ignis; ergo, &c. 2. Quia licet ex ordine, & dispositione causarum, & ex earum coniunctione,& combinatione de facto non oriantur substantię specie diuersæ, tamen negari non potest quin fieri possint infiniti modi combinationum causarum naturalium,v. g. corporum simplicium, mixtorum, & qualitatum, ex quibus producerentur substantiæ specie diuersæ in infinitum, qui modi ab anima Christi D.cognoscuntur,eo ipso quod elementa, mixta, &c. comprehenduntur

115 Sed occurres ex doctrina de Lugo, & Cipulli, quod ordo causarum naturalium est finitæ, & limitatæ virtutis, & perfectionis; infinitæ autem species possibiles arguunt infinitam virtutem, & perfectionem, ac proinde nec esse, nec cognosci possunt ab anima Christi. Sed contra, nam infinitæ species successiuè producibiles non arguunt infinitam virtutem, vt patet in materia prima,quę successiuè producit tot effectus specie diuersos, argueretur tamen infinita virtus, si omnes simul producerentur. Vnde si materia prima simul reciperet omnes formas quas successiuè potest recipere, deberet esse infinitæ virtutis in recipiendo. Deinde non est necesse

ceſſe quod ſubſtantiæ contentæ in potentia alicuius creaturæ ſe excedant in perfectione, ſed poſſunt in ea deficere, vt ſint maioris, & minoris perfectionis in infinitum.

116 Quæres 2. an Chriſtus D. comprehendẽdo cauſas ſecundas in aliqua tẽporis differentia exiſtentes cognouerit infinitos effectus accidentales ſpecie differentes? Reſp. affirmatiuè, conſtat ex dictis nu. præcedenti, ſi enim potuit cognoſcere effectus infinitos ſpecie ſubſtantiali differentes, à fortiori potuit cognoſcere differentes ſpecie accidentali, quod etiam tradunt Lugo, & Cipullus loco citato, & probant ſequenti exemplo. Nam intellectus Angeli ſe ſolo poteſt cognoſcere ſubſtantiam Angeli, v. g. Gabrielis: rurſus idem intellectus cum hac cogitatione directa poteſt reflexè cognoſcere illam primam cogitationem: hæc autem ſecunda differt ſpecie à prima, quia prima habet pro obiecto directo Angelum, at poſterior habet pro obiecto cognitionem Angeli, quæ differt ſpecie ab Angelo. Sic poteſt habere aliam tertiam cogitationem reflexam qua cognoſcat ſecundam, & hæc tertia differt ſpecie à ſecunda, quia ſecunda habet pro obiecto cognitionem Angeli, at tertia habet pro obiecto cognitionẽ cognitionis Angeli, & ſic deinceps poterit habere aliam, & aliam vſque in infinitum.

117 Cæterum hoc exemplum non omnino ſatisfacit, nam licet iſtæ cognitiones poſſint ſpecie materiali diſtingui, non tamen ſpecie formali, cum enim potentia per ſuos actus ſpecificetur, oportet quod ſi potentia eſt vna ſpecie, quod etiam actus illius ſint vnius ſpeciei. Tum quia licet concedi poſſit, quod cognitio Angeli, & cognitio cognitionis ſint ſpecie materiali diſtinctæ, tamen omnes aliæ reflexæ non videntur ſpecie etiam materiali diſtingui. Cognitio namque cognitionis A. & cognitio cognitionis B. &c. non diſtinguuntur ſpecie, ſed ſolum numero, vt conſideranti patebit. Soluuntur argum. in contrarium.

118 Primum argum. ad hoc vt effectus cognoſcatur in virtute ſuæ cauſæ, oportet quod in ea adæquatè contineatur, neque ſpecies, neque indiuidua adæquatè continentur in virtute cauſæ ſecundæ; ergo ex cognitione cauſæ ſecundæ non cognoſcuntur effectus ex ea poſſibiles. Maior conſtat ex dictis ſupra, nam quando effectus ſolum inadæquatè continetur in virtute alicuius cauſę non poteſt cognoſci, vt ab ea dependens cum requiratur concurſus alterius cauſæ. Vnde ſi Deus non contineret in ſe etiam virtutem cauſæ ſecundæ, & ipſam cauſã ſecundã, ex cognitione ipſius Dei nõ poſſet cognoſci aliquis ex illis effectibus qui ſimul à Deo, & à cauſa ſecũda eſſe poſſet, ſed à cauſa prima, quę ex infinitis indiuiduis poſſibilibus vult cõcurrere hic, & nunc ad hunc potius numero effectum, quam ad alium, ac proinde hoc indiuiduum non producitur tale numero quia concurrit hæc cauſa ſecunda, ſed quia concurrit Deus; nam licet generetur equus quia cauſa ſecunda eſt equus, non tamen generatur hic equus quia cauſa ſecunda eſt hic equus.

119 Reſpondet Lugo *diſp. 19. ſect. 2. num. 44.* quod ex comprehenſione ſolius cauſę ſecundę licet inferatur cognitio ſuorum effectuum etiam in indiuiduo, non tamen infertur cognitio eorum quidditatiua, & perfecta, quia ſola cauſa ſecunda non eſt cauſa effectus adæquatè, ſed ſimul cum cauſa prima, ac proinde vt adæquatè comprehendatur, vtraque comprehendi deberet, quod implicat.

120 Sed hæc reſponſio non placet, nam ex ea ſequeretur, quod Angelus non comprehenderet aliquam creaturam, quia omnis creatura adæquatè ex duplici cauſa dependet, ſcilicet ex Deo tanquam ex cauſa prima, & ex ſua cauſa immediata, tanquam ex cauſa ſecunda. Si enim effectus procedentes ab iſta cauſa non comprehenduntur, ſeu non cognoſcũtur quidditatiuè ex ſola cognitione cauſæ ſecundæ cum etiam à prima procedant, cum hoc idẽ procedat de ipſa cauſa ſecũda, ſequitur quod nec ipſa cauſa comprehendatur. Vnde ſicut ad hoc vt comprehendatur effectus debet vtraque cauſa comprehendi,

nec

nec sufficit vnam comprehendi, nō aliam, ita hoc idem dicendum est de ipsa causa secunda, quod scilicet vt comprehendatur debeat & sua causa secunda, & causa prima comprehendi.

121 Resp. ergo, quod indiuiduatio non desumitur à Deo, quia ex possibilibus producit hoc non illud indiuiduum, sed desumitur ex hac numero materia, quæ est talis ex hoc quod per has, non per illas dispositiones præhabet hanc, non illam numero quantitatem. Vnde ex hoc quod cognoscitur causa sic, non sic disposita, cognoscitur indiuiduatio huius, non illius effectus. Tum quia dato, quod Deus concurrat ad indiuiduationem effectus in genere causæ efficientis, quatenus determinat causam ad has dispositiones, non ad illas, exigentes hanc sigillationem, non illam, adhuc ex comprehensione causæ comrehendetur effectus; cum enim causa secunda dicat intrinsecum ordinem, & dependentiam ad primam, qui causam secundam comprehendit, cognoscit hunc ordinem, & dependentiam ad primam, ac proinde cognoscet primam quantum necesse est vt cognoscat effectum causæ secundæ, vt indiuiduum, & determinatum.

122 Secundum argum. nam si anima Christi D. videret in Verbo per scientiam beatam infinitas substantias possibiles, maximè quia continerentur in virtute, seu in potentia alicuius causæ secundæ quam comprehendit, sed nulla causa secunda continet infinitas substantias in potentia; ergo ex cognitione illius non possunt cognosci infinitæ substantiæ. Minor probatur, nam infinito non datur aliquid maius, sed substantijs contentis in potentia alicuius creaturæ datur aliquid maius, scilicet substantiæ contentæ in potentia Dei; ergo, &c. Resp. negando minorem. Ad probationem dico, quod in potentia Dei datur aliquid maius materialiter, non formaliter, quatenus vnum infinitum est maius alio solum materialiter. Vnde in potentia Dei non datur solum vna linea substantiarum infinitarum, sed plures, & plures in infinitum.

DVBIVM IX.

An anima Christi D. clarius, & perfectius videat diuinam essentiam, quolibet alio intellectu creato.

123 COmmunis catholicorum sensus, seq. conclusione explicatur, *Anima Christi D. clarius, & perfectius videt diuinam essentiam quolibet alio beato.* Hæc concl. est de fide, habetur namque satis expresè in sacris litteris. Ad Ephes. 1. sic habetur. *Suscitans illum*, scilicet Christum, *à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro.* Vbi Apostolus apertè docet, quod Christus Dom. sedet ad dexteram Patris, ac proinde videat diuinam essentiam, supra id omne quod nominatur in hoc sæculo, & in futuro, quod est Christum D. ita esse eleuatum in gloria vt excedat omnem, & quemlibet siue huius sæculi, scilicet hominum, siue futuri, idest Angelorum beatorum. Et ad Hebræos 1. dicitur de Christo vt homine. *Melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit*; idest Christus D. in gloria est omnibus Angelis melior, omnibus prælatus.

124 Probatur 1. nam perfectio visionis beatificæ attenditur penes mensuram, & perfectionem luminis gloriæ; sed lumen gloriæ animæ Christi D. fuit longe maior lumine gloriæ cuiuscumque beati, imò omnium beatorum simul; ergo, &c. Minor probatur, nam lumen gloriæ datur ad correspondentiam gratiæ, sed hæc est longè maior in Christo D. quam in omnibus beatis, vt colligitur ex illo Ioan. 1. *plenum gratiæ, & veritatis.* Et ex illo ibid. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*; idest talem, qualem decebat vnigenitum Dei, ergo, &c.

125 Probatur 2. nam Christus D. fuit filius

filius Dei naturalis, & reliqui homines iusti, aut Angeli sunt solum filij Dei adoptiui; ergo Christus D. plenius, & perfectius debuit consequi æternam hæreditatem, quàm omnes Angeli. Tum quia cum Christus D. sit caput hominum, & Angelorum quoad gratiam, & gloriam, debuit habere perfectiorem gratiam, & gloriam omnibus.

126 Sed quæres an aliquis hæreticorum docuerit oppositum nostræ conclusionis; Negat P. Orlandus *tract.* 3. *disp.* 2. *q.* 7. *n.* 68. vbi dicit, quod nostra conclusio sit adeo certa vt à nullo etiam hæreticorum negetur. Oppositum, & merito docet N. Cornexus *ad q.* 10 *disp.* 2i *art.* 4. vbi oppositum errorem tribuit Iouiniano, asserente visionem beatam omnibus esse æqualem, atque adeo nec animam Christi D. esse visuram Deum perfectius alijs, vt refert D. Hierony. in expositione symboli ad Damasum. Ratio eius erat, quia opinabatur cum Stoicis, quod omnia vitia essent æqualia, & quod omnes virtutes essent æquales, vt refert D. August. *De hæresibus hæresi* 42. Errorem Iouiniani secutus est Lutherus, sed diuersa ratione, quia opinabatur, quod homines iustificantur extrinsecè per iustitiam Christi D. sibi imputatam, quæ cum vna sit non potest admittere inæqualitatem. Vnde putabat, quod omnes essent æqualiter iusti cum Christo ac proinde quod omnes æqualiter cum ipso videãt Deum, cum visio beata vnius cuiusque comensuretur iustitiæ, à qua iustus dicitur. Pro cuius confirmatione adducebat illam parabolam Matt. 20. de laborantibus in vinea, vbi æqualiter laborantibus æquale præmium fuit collatum, sub nomine denarij.

127 Cæterum iste error damnatus fuit inter opera Victorini, & Parmachij vt refert D. Hieronym. *lib.* 2. *contra Iouinianum.* Damnatus etiam fuit in Concilio Aquiliensi, & Florentino, vt testatur dictus Cornexus, vbi definitur, quod beati vident Deum sicuti est, pro diuersitate meritorum, vt alius alio perfectius videat, quod conuincitur ex illo Ioan. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.*

128 Neque hoc fundamentum hereticorum de laborãtibus inæqualiter in vinea, & æquale premium recipientibus, aliquid euincit, quia vt notauit S. D. 1. 2. *q.* 5. *art.* 2. *ad* 1. *&* 3. *contra Gent. cap.* 58. per ęqualem denarium datũ laborantibus æqualiter, non intelligitur visio beatifica, quæ inæqualis est in habentibus inæquale meritũ, sed intelligitur beatitudo obiectiua, seu obiectum beatitudinis, quod vnicum est respectu omnium, cum quo tamen stat quod sint diuersi gradus attingendi illud, designati per diuersas mansiones quas Christus D. loco citato dixit esse in domo Patris sui.

129 Sed obijcies 1. nam visio beatifica Angeli est perfectior visione beatifica Christi D. ergo, &c. Antecedens probatur, quia intellectus perfectior producit visionem perfectiorem; sed intellectus Angelicus est perfectior intellectu animæ Christi; ergo, &c. Vnde rectè dicit S. Doct. *hic art.* 4. *Gradus visionis attendi magis secundum ordinem gratiæ, quam secundum ordinem naturæ*; vbi apertè docet quod etiam ex ordine perfectionis naturalis intellectus, desumatur perfectio visionis. Resp. negando antecedens; tota namque perfectio visionis desumitur, & commensuratur cum virtute proxima videndi, quæ est lumen gloriæ, non cum potentia, quæ est tantum virtus radicalis, quæ solum concurrit vt eleuata, & ad mensuram virtutis eleuantis. Nec S. D. oppositum dicit, illud namque *magis*, non sumitur comparatiuè, vt aduertunt eius Discipuli, vt sit sensus, quod principalius concurrat lumẽ gloriæ, & minus principaliter virtus naturalis, sed accipitur aduersatiuè, seu negatiuè, vt sit sensus quod solum attendatur secundum perfectionem lũminis. Quo modo dicitur psal. 83. *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Et ad Ephes. 5. dicitur. *Vt in eis non sint peccata, sed magis gratiarum actio*, vbi *magis* accipitur negatiuè.

130 Obijcies 2. nam cognitionis, seu visionis perfectio, attenditur secundum modum cognoscendi; vnde cognitio demon-

monstratiua est perfectior opinatiua, quia procedit per medium nobilius, perfectiusque, quod est demonstratio; sed anima Christi D. & omnes beati vident Deum per idem medium, quod est diuina essentia; ergo &c. Resp. cum D. Tho. *art.* 4. *ad* 1. quod perfectio cognitionis ex parte rei cognitæ attenditur ex medio; at ex parte cognoscentis attenditur ex perfectiori habitu. Vnde etiam in humanis licet duo cognoscant eandem conclusionem, qui tamen habet habitum perfectiorem, perfectius cognoscit. Vel dicas, quod medium videndi ex parte potentiæ, est lumen, species namque se tenet ex parte obiecti, & tamquam vicaria illius.

131 Obijcies 3. nam in visione corporea res non videtur perfectius, nisi quid superaddatur de nouo quod videnti appareat, quod prius non apparebat; sed hoc non potest contingere in Deo cum sit indiuisibilis; ergo, &c. Resp. quod etiam in visione corporea potest contingere maior perfectio ex sola maiori perfectione potentiæ; nam visio perfectior esse potest solum ex parte potentiæ, licet nihil superaddatur ex parte obiecti.

DISPVTATIO XI.

IN QVAEST. XI. DIVI THOMAE.

De scientia indita, vel infusa animæ Christi.

1 IN 1. art. docet S. Doctor, quod anima Christi D. per scientiam inditam cognouit omnia quæ sunt ordinis naturalis, & supernaturalis, excepta diuina essentia. Perfectio namque naturalis requirebat vt omnia cognosceret quæ naturali ratione cognosci possunt, & perfectio per gratiam requirebat vt omnia cognosceret quę per reuelationem innotescere possunt. In art. 2. probat potuisse Christum D. vti scientia indita absque conuersione ad phantasmata, quia cum esset comprehensor, eius anima non subdebatur corpori, corporisque facultatibus, sed eis dominabatur. In art. 3. dicit, quod scientia indita fuit per infusionem non per discursum acquisita. In art. 4. ait, quod scientia indita Christi D. fuit excellentior, & perfectior quàm fuerit in Angelis. In artic. 5. tradit, quod scientia indita fuit habitualis, seu per modum habitus. In art. 6. explicat an fuerit vna, an multiplex. Pro quibus sit.

DVBIVM I.

An anima Christi Dom. per scientiam inditam cognouerit omnia naturalia.

2 PRo intelligentia dicendorum notãdũ 1. quod scientia indita est veluti medium quid inter scientiam beatam, & acquisitam; habet namque aliquam conuenientiam cũ vnaquaque illarum. Conuenit cum scientia beata ex parte principij, ex parte subiecti, ex parte obiecti, & ex parte modi procedendi. Ex parte principij, quia per se pendet à Deo auctore gratiæ, qui eam infundit: ex parte subiecti, quia illud perficit secundum potentiam obedientialem: ex parte obiecti, quia manifestat obiecta pertinentia ad ordinem supernaturalem: & ex parte modi procedendi, quia non est necesse vt fiat per

per discursum. Conuenit cum scientia acquisita ex parte principij, quia etiam scientia acquisita potest fieri per accidens per infusionem. Conuenit ex parte subiecti, quia perficit illud, etiam secundum potentiam naturalem. Conuenit ex parte obiecti, quia etiam manifestat pertinentia ad ordinem naturalem. Conuenit etiam ex parte modi procedendi, quia potest etiam fieri cum discursu. Vnde sicut scientia beata continet eminenter quicquid pertinet ad scientiam infusam, ita scientia infusa continet eminēter quicquid pertinet ad scientiam naturalem, seu acquisitam quamcumque.

3 Notandum 2. quod Christus D. ex propria, & peculiari ratione qua est Deus & homo postulabat habere hanc sciētiam inditam. Cum enim Christus D. sit medium quoddam subsistens in duplici natura, diuina scilicet, & humana, non solum debuit habere scientiam beatam, quam habent omnes comprehensores, nec solum debuit habere scientiam acquisitam, quam plures habent viatores, sed etiam debuit habere hanc singularissimam sciētiam inditam, nobiliori, ac perfectiori modo quam aliquis beatorum habeat, ob singularissimam sui suppositi perfectionē.

4 Notandum 3. quod scientia indita, sicut quilibet habitus cuiuscumque scientiæ non est aggregatio specierum, vt aliqui putant, species namque se tenent ex parte obiecti, & habitus se tenet ex parte subiecti, confortans potentiam, tribuensque vel posse simpliciter, vt habitus supernaturales, aut faciliter, promptè, & delectabiliter agere, vt habitus acquisiti; neque est lumen distinctum ab ipso habitu, vt tenere videtur Isambertus *ad q. 11. disp. 1. art. 1.* Sed est lumen ab eodem habitu indistinctum, sicut est lumen gloriæ, quod est lumen, seu qualitas habitualis data intellectui, ipsum confortans, & eleuans ad videndum Deum; ita scientia indita est qualitas habitualis, seu lumen quoddam habituale tribuens intellectui virtutem ad cognoscenda, quæ cadunt sub reuelatione diuina, &c. Hoc lumen, seu qualitas, duo habet munia; vnum pro apprehendendis obiectis, & terminorum connexionibus: alterum pro formando assensu, & ferendo iudicio. Sicut enim idem lumen fidei habet hæc duo munera virtute distincta, ita & hoc lumen, seu habitus scientiæ inditæ; cum enim illa duo munera sint ad inuicem subordinata, ab eadem luminis entitate præstari possunt.

5 His positis quærimus, an anima Christi D. per scientiam inditam cognouerit omnia entia naturalia. Prima sententia est, quod anima Christi Dom. per scientiam infusam non cognoscat distinctè & in particulari omnia singularia, quæ aliàs ab intellectu creato possunt naturaliter cognosci, sed tantum naturam vniuersalem, seu omnia vniuersalia, & quidditates rerum in communi. Sic Scotus *in 3. dist. 14. q. 3. §. ad quæstionem potest dici.* Gabriel *eadem dist. q. vnica art. 2. concl. 2. & 3.* Almayn. ibid. & alij Scoti discipuli.

6 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Anima Christi D. per scientiam inditam cognoscit omnia, quæ ab homine cognosci possunt per virtutem luminis intellectus agentis non solum secundum rationes communes, & vniuersales sed etiam secundum rationes particulares, & indiuiduales, clarè, distinctè, & in particulari. Item cognoscit substantias separatas, & omnia quæ ab intellectu Angelico naturali lumine cognoscuntur.* Sic docent S. Doctor *hic art. 1.* Ricard. *in 3. dist. 14. art. 2.* D. Bonau. *dist. eadem q. 3. n. 6.* N. Cornexus, Orlandus, Cipullus, & alij hoc loco.

7 Probatur 1. ratione D. Thomæ 1. *contra Gent. cap. 65.* ex Boetio 5. *de consolat.* nam in omnibus potentijs, habitibus, & virtutibus ordinatis communiter inuenitur, quod virtus superior ad plura se extendit quam inferior, vt patet in imaginatione, quæ ad omnia se extendit, ad quæ sensus exteriores, & etiam ad plura, vna existens; sed scientia indita animæ Christi Dom. est longè superior omnibus scientijs, & naturalibus cognitionibus, quibus omnia manifestantur quę ad ordinem naturalem pertinent non solum in communi, sed etiam in particulari; ergo ad omnia ista, & modo superiori se extendet

scientia indita. Hinc videmus, quod noster intellectus, quia est superior imaginatione, cognoscit totum id, quod illa cognoscit, vt omnia singularia, quæ ab ea cognoscuntur, superiori tamen, & perfectiori modo, ratione scilicet quidditatis eorum, quod non facit imaginatio.

8 Probatur 2. nam scientia indita animæ Christi, est præstantior scientia indita Angelis, & animabus beatis, ergo debet se extendere ad omnia ad quæ se extendit scientia indita Angelorum, & animarum beatarum. Consequ. constat, scientia namque superior debet se extendere ad id ad quod se extendit scientia inferior, patet autem quod scientia indita Angelis, & animabus beatis ad omnia naturalia tũ in communi, tum in particulari se extendit, aliàs eorum appetitus nõ satiaretur. Antecedens probatur, nam Christus D. est caput hominum, & Angelorum, ergo scientia illi indita debet esse præstantior scientia indita hominibus, & Angelis.

9 Nec valet dicere, quod Christus D. est caput, & superior hominibus, & Angelis quoad scientiam beatam, nõ quoad scientiam inditam, & infusam. Nam contra est, quia Christus Dom. debuit esse caput, & superior Angelis secundum omnem considerationem, & secundum quod est tantum comprehensor, & secundum quod est viator, & secundum vtrumque simul; sed est superior beatis secundum quod est comprehensor per sciẽtiam beatam, & est superior secundum quod est viator per scientias naturales per accidens infusas; ergo etiam debet esse superior secundum quod erat simul viator, & comprehensor per scientiam inditam, quæ est medium quid inter scientiam beatam, & acquisitam vt n. 2. notauimus.

10 Probatur 3. nam anima Christi D. per scientiam inditam debuit ea omnia cognoscere, ad quæ erat in potentia naturali. sed erat in potentia naturali ad cognoscenda omnia quæ ab homine cognosci possunt per virtutem luminis intellectus agentis; ergo, &c. Minor nota est. Maior probatur, nam anima Christi Dom. ratione vnionis ad Verbum debuit perfectiori, nobiliori, & altiori modo cognoscere ea omnia ad quæ erat in potẽtia naturali; ergo vltra scientias naturales quibus hæc omnia cognoscebat, modo illis adæquato, debuit habere scientiam inditam qua eadem cognosceret modo altiori, & perfectiori, aliàs dignitati Christi D. non fuisset sufficienter prouisum.

11 Probatur 4. nam omnia quæ naturali lumine cognosci possunt ab homine, vel Angelo, sunt attingibilia per scientiam inditam tam in communi, quam in particulari; ergo scientia indita animæ Christi D. ad ea tam in communi, quam in particulari extendi poterit. Antecedens quoad cognitionem in communi admittunt aduersarij. Quoad cognitionem autem in particulari probatur, nam virtus quæ se extendit ad res in communi, potest etiam ad easdem in particulari se extendere vt patet in nostro intellectu, qui cum primariò se extendat ad cognoscendas rerum quidditates in vniuersali (intellectus namque primariò est vniuersalium) secundariò se extendit ad cognoscenda singularia, vt tradunt Philosophi *in tract. de anima*, & bene docent N. Complut. ibid. ergo si semel scientia indita, etiam per aduersarios, se extendit ad quidditates rerum in communi, etiam se extendet ad easdem in particulari. Soluuntur argum. in contrarium.

12 Primum argum. nam de rebus, quæ lumine naturali intellectus siue humani, siue Angelici cognosci possunt, datur scientia naturalis; ergo non datur de ijdem scientia indita. Antecedens probatur, nam scientia naturalis datur de rebus naturalibus, quæ lumine naturali cognosci possunt. Conseq. etiam probatur, quia de vno, eodemque obiecto non potest dari duplex scientia, maximè quando vna est naturalis, & alia supernaturalis, vt contingit in nostro casu, scientia namque indita est entitatiuè supernaturalis, ac proinde eius obiectum debet esse supernaturale.

13 Ad hoc argumentum respondet P. Orlandus cum Granado, quod scientia indita non cognoscit obiecta, seu res natu-

naturales qua naturales sunt, seu qua naturaliter cognosci possunt, sed alio eminentiori modo cadunt sub hac scientia, non secundum cognoscibilitatem naturalem, sed secundum cognoscibilitatem supernaturalem. Quod explicant exemplo virtutum per se infusarum, quæ habent pro obiecto res naturales, sed pro vt sunt supernaturaliter attingibiles.

14 Sed contra, nam scientia indita cognoscit res naturales, qua naturales sũt, licet non respiciat sub motiuo naturali, sed sub motiuo supernaturali; ergo &c. Antecedens probatur, nam licet res naturales sint cognoscibiles sub motiuo supernaturali, non tamen habent cognoscibilitatẽ supernaturalem, res namque naturalis non potest includere aliquid supernaturale, ac proinde non potest esse cognoscibilis cognoscibilitate supernaturali, sed tantum naturali, licet sub motiuo supernaturali. Aliàs scientia infusa nõ attingeret id quod attingit scientia naturalis, sed aliud, quod est contra propriam lineam supernaturalitatis. Vnde exemplum ab illis adductum, est contra eos; nam virtutes morales infusæ versantur prorsus erga eandem materiam qua versantur acquisitæ, solum diuersificantur in motiuo, quia acquisitæ versantur circa illam materiam naturalem, sub motiuo naturali, & virtutes infusæ versantur circa eãdem prorsus materiam, sed sub motiuo supernaturali, vt omnes tradunt, & nos vidimus in 1. 2.

15 Secundum argum. nam si anima Christi D. cognosceret singularia, deberet habere species omnium illorum, ac proinde cum sint infinita, deberent habere species infinitas, quod implicat; ergo &c. Antecedens probatur, nam singularia non possunt cognosci clarè, & distinctè per speciem vniuersalem, sed solum indistinctè, & confusè, vt hoc, aut illud. Cum enim ipsa natura secundum se, non contineat singularia determinatè, sed tantum confusè, ita species representans naturam humanam non representat singularia illius nisi indistinctè, & confusè. Vnde per speciem naturæ humanæ cognoscitur singulare à quo desumpta est per opus intellectus agentis per quandã conuersionem ad phantasma quod fuit singularitate nudatum. Resp. hoc argum. bene probare, quod per species acquisitas non cognoscantur singularia nisi aliquo modo confusè vt probat argum. Cæterum non sic dicendum est de speciebus infusis, quę cum sint quædam participationes diuinarum idearum, possunt non solum naturã vniuersalem, sed etiã eius indiuidua clarè, & distinctè representare; vt patet in speciebus Angelorum, quæ clarè, & distinctè repræsentant singularia sub natura contenta. Species autẽ deseruientes scientiæ infusæ non sunt acquisitæ, sed infusæ, vt postea videbimus.

16 Tertium argum. nam scientia non est de singularibus; sed scientia indita est perfectissima scientia; ergo non est de singularibus. Resp. quod scientia est etiã de singularibus quando representantur inuariabiliter, & certò, vt patet de scientia increata Dei, & de visione beata, & etiam de nostra Theologia, quæ est vera, & propria scientia etiam vt versatur circa singularia inuariabilia, & immutabilia, vt est Christus D. vbi agitur de eius incarnatione, & omnibus mysterijs eius. Secus dicendum est de nostris scientijs, cum indiuidua illarum sint mutationi obnoxia.

17 Quartum argum. nam cognitio singularium pertinet in Christo Dom. ad prudentiam infusam, & ad donum cõsilij, ergo non pertinet ad scientiam infusam. Antecedens probatur, nam prudentia, & consilium sunt de agibilibus, seu de pertinentibus ad actiones humanas. Fuit namque in Christo D. plenitudo prudentiæ, non solum monasticæ, sed etiam politicæ, imò & regalis, & monarchicæ in ordine ad omnes creaturas in singulari, & determinatè, quia ratione vnionis hypostaticæ ad verbum, habuit dominium, & potestatem in omnia creata, vel immediatè, vel quatenus aliquo modo ordinantur ad electorum salutem; vt colligitur ex illo psalm. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius, &c.* quem locum expendens Apostolus ad Hebræos 2. dicit. *In eo enim quod omnia*

nia subiecit, nihil dimisit non subiectum ei. Resp quod ex hoc apertè colligitur firma ratio contra aduersarios, quod Christus D. debuerit per scientiam inditam cognoscere singularia, nam prudentia infusa, & consilium, debent maximè regulari per scientiam inditam, ac proinde si prudentia versatur circa omnia singularia agibilia, debent hæc proponi per scientiam inditam.

18 Quintum argu. nam si semel anima Christi D. cognoscit per scientiam inditam singularia contenta in potentia creaturæ, seu quæ naturali lumine cognosci possunt virtute luminis naturalis intellectus humani, & Angelici, sequeretur, quod cognosceret omnes effectus possibiles omnipotentię Dei; hoc est impossibile; ergo, & illud. Sequela probatur, nam anima Christi D. ad omnia ea se extendit per hanc scientiam ad quæ se extendere potest per lumen receptum per potentiam obedientialem; sed potest recipere lumen ad omnia dicta; ergo, &c. Minor probatur, nam anima Christi D. habet potentiam obedientialem ad recipiendum lumen, quo cognoscantur omnia reuelabilia à prima veritate, sed ista sunt infinita; omnia namque possibilia sunt reuelabilia; ergo. Resp. negando sequelam. Ad probationem concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem, nego minorem. Non enim omnia possibilia sunt reuelabilia collectiuè, & simul sumpta, sed tantum diuisiuè, aliàs comprehendi posset diuina omnipotenta. Sicut enim Deus non potest omnia possibilia simul facere, ita non potest omnia simul reuelare.

DVBIVM II.

An anima Christi D. per scientiam inditam cognouerit omnes actus liberos naturales hominum, & Angelorum.

19 De actibus naturalibus dubium procedit, nam quid de supernaturalibus, constabit ex infra dicendis. Item dubium procedit de actibus liberis naturalibus præsentibus, quia de illis vt futuris, & præteritis dicetur dub. seq. Pro quo sciendum, quod liberi actus naturales duobus modis cognosci possunt. Primò in aliquo signo, vel effectu, & hoc modo nulli dubium est, quin cognoscantur, hoc enim modo etiam dæmones cognoscunt nostros actus liberos. Si enim vident aliquem confiteri, cognoscunt eum habere voluntatem confitendi; si vident aliquem fornicari, cognoscunt actum internum fornicandi, & sic in signo, vel effectu cognoscunt nostros actus liberos, quod à fortiori concedendum est animæ Christi D. Secundò in se ipsis per propriã speciem, seu per speciem aliquam ipsos repræsentantem.

20 Prima sententia negat. Hanc docent omnes auctores dub. præcedenti pro prima sententia citati. Cum enim negent animam Christi D. per scientiam inditam cognoscere singularia quæ ab intellectu creato proprijs viribus cognosci possunt, à fortiori id negabunt de actibus liberis, quod etiam sentire videtur S. Doctor *in 3. dist. 14. q. 1. art. 3. quæstiunc. 1. & q. 20. de veritate art. 6.*

21 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Anima Christi D. per scientiam inditam cognoscit omnes actus liberos naturales hominum, & Angelorum.* Sic tenet S. Doctor *hic art. 1.* quatenus dicit, quod anima Christi D. per scientiam inditam cognoscit omnia quæ per reuelationem innotescere possunt hominibus, patet autem quod omnes actus liberi hominum, & Angelorum per diuinam reuelationem innotescere possunt hominibus. D. Thomam sequuntur eius expositores hoc loco præsertim Orland. *tract. 3. disp. 3. q. 3.* Cipullus *art. 1. dub. 2.* & alij.

22 Probatur 1. quia non debet Christo D. ea cognitio denegari, quæ spectat maximè ad eius dignitatem, excellẽtiam, & munus, seu officium, sed huiusmodi est cognitio actuum liberorum hominum, & Angelorum; ergo, &c. Minor probatur, nam Christus D. in futuro iudicio iudicaturus est dictos actus, ergo spectat ad eius dignitatem, excellentiam, & munus iudicis eos cognoscere. Non videtur namque

que decens, quod Christus D. extra Verbum cognoscat dictos actus dependenter à voluntate hominum, & Angelorum, expectando quod ordinentur, vt facit Angelus cum cognoscit actus liberos alterius Angeli, & hominis, &c.

23 Probatur 2. nam Christus D. vt viator, quando scilicet conuersabatur inter homines, manifestabat illorum actus liberos, cordium illorum affectiones, vt constat ex Sacris Euangelijs; ergo eos cognouit per scientiam inditam. Antecedens est de fide. Conseq. probatur, nam Christus D. vt viator erat, non vtebatur scientia beata, sed scientia indita; sed dictos actus cognoscebat vt viator, vt cum hominibus conuersabatur, &c. ergo, &c. Tum quia Christus D. vt erat viator, erat perfectissimus Propheta, iuxta illud. *Propheta magnus surrexit in nobis*, sed ad perfectissimum Prophetam spectat scire occultas cordium cogitationes; ergo vt viator habebat perfectissimam notitiam illarum: hæc non poterat esse nisi per scientiam inditam; ergo, &c. Soluuntur argum. in contrarium.

24 Primum argum. nam actus liberi, & cordium cogitationes ex sui natura sũt occulti, etiam quando existunt; ergo non possunt cognosci ab anima Christi D. per scientiam inditam. Nec valet dicere, quod ex hoc quod dicti actus sint occulti, solum sequitur, quod non possint cognosci per scientiam naturalem nisi manifestentur, seu ordinentur ab eo cuius sunt, non tamen sequitur, quod non cognoscantur per scientiam inditam, quæ procedit per species à Deo infusas. Nam contra est, quia scientia indita reperitur etiam in Angelis, & animabus beatis, & tamen per eam non cognoscunt cordium cogitationes, nisi manifestentur, vel ordinentur ab illo, qui eas habet, vt cum quis dirigit suas orationes, sui cordis affectiones ad Angelos, & animas beatas. Vnde Angeli, & animæ beatæ neque per scientiam beatam cognoscunt omnium affectiones, nisi dirigantur, aut à Deo per reuelationem manifestentur. Resp. admittendo traditam solutionem. Ad probationem dico, quod licet Angeli, & animæ beatæ habeant scientiam inditam, non tamen in ea perfectione qua est in Christo D. ad statum namque animæ Christi vt capitis, & iudicis pertinet hæc scire, non ad statum Angelorum beatorum, & animarum beatarum. Vnde in anima Christi D. fuerunt infusæ species hos æstus representantes, non in intellectu Angelorum, & aliorum beatorum.

25 Secundum argu. nam dicti actus liberi, nec cognoscuntur obscurè per sciẽtiam inditam; nec clarè; ergo nullo modo. Non cognoscuntur obscurè, quia cognitio obscura non decet Christo D. Neque clarè, nam cognitio clara vel est rei per causam, seu à priori, & hoc modo dicti actus non possunt cognosci clarè in sua causa, scilicet voluntate, quia ex clara cognitione volũtatis non cognoscũtur actus eius liberi, aliàs Angelus qui clarè cognoscit nostram voluntatem, & alterius Angeli, eorum actus liberos clarè cognosceret, quod est falsum. Neque cognoscit clarè dictos actus in aliquo effectu, quia actus liberi dari possunt absque eo, quod producant aliquem effectum extra voluntatem. Neque etiã cognoscuntur clarè in se ipsis, aliàs non cognoscerentur, nisi quando sunt, & non ab instanti incarnationis Christi D. Resp. quod cognoscuntur clarè in se ipsis, seu prout clarè representantur per speciem à Deo infusam, quæ species representat dictos actus secundum quod sunt: nam quando sunt præsentes, representat vt præsentes, & quando sunt præteriti, repræsentat vt præteritos, & quando sunt futuri, repræsentat vt futuros, vt dub. seq. dicemus.

26 Tertium argu. Anima Christi D. per scientiam inditam ea solum cognoscit ad quæ erat in potentia naturali, aut obedientiali, sed anima Christi D. non erat in potentia naturali, aut obedientiali ad cognoscendos actus liberos hominum, & Angelorum in se ipsis clarè, & per proprias species; ergo, &c. Maior est D. Th. hic art. 1. Minor quoad potentiam naturalem constat, quia potentia naturalis est solum ad cognoscenda ea quæ per lumen intel-

intellectus agentis cognosci possunt; certum est autem quod actus liberi cognosci nō possunt per lumen intellectus agentis. Quoad potentiam autem obedientialem, probatur illa minor, nam in Christo Dom. non erat potentia obediētialis ad cognoscendos actus liberos in se ipsis, cum hoc sit proprium solius Dei, iuxta illud Ier. 17. *Prauum est cor hominis, & inscrutabile, & quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda*. Resp. quod anima Christi D. erat in potentia obedientiali ad cognoscendos actus liberos clarè, & per proprias species ad quas anima Christi D. erat in potentia. Dicitur tamen cognitio cogitationum cordis propria Dei, quia soli Deo conuenit connaturaliter, & à se, alijs autem solum ex gratia communicatur.

DVBIVM III.

An Anima Christi D. per scientiam inditā certò cognoscat futura contingentia libera.

27 DE futuris contingentibus à causa libera dependentibus solū dubium procedit nam de illis quæ habent contingentiam ex vario causarum concursu, nulla videtur difficultas, quia licet isti effectus respectu vnius causæ proximæ sint contingentes, respectu tamen totius ordinis causarum naturalium, necessariò eueniunt. Vt quod hodie pluat, quod hoc anno sit futura abundantia, aut caritas, respectu alicuius causæ proximæ, potest esse contingens, non tamen respectu totius ordinis causarum naturalium, quas cum anima Christi D. per scientiam inditam comprehendat, sicut & earum ordinem, seriem, & combinationem, etiam earum effectus cognoscet. Difficultas ergo præsens procedit de futuris contingentibus, liberis, seu quorum contingentia ex causis liberis desumitur. De qua prima sententia est, quod ista futura ab anima Christi D. non cognoscantur, saltem clarè, & distinctè per scientiam inditam. Sic tenent omnes illi qui putāt, quod anima Christi D. nō cognoscat singularia, de quibus *n*.5.

28 Nostra sententia seq. explicatur. *Anima Christi D. per scientiam inditam cognoscit clarè, & distintè futura contingentia libera, seu dependentia à causis liberis* Sic S. D. *art*. 1. vbi expresè docet, quod anima Christi D. ea omnia cognoscat, quæ per diuinam reuelationem sciri possunt, patet autem quod ista futura per diuinam reuelationem ab intellectu creato sciri possint. D. Thomam sequuntur omnes expositores hoc loco. Videantur *N*. Cornexus *q*. 11. *disp*. 1. *dub*. 1 Orlandus *tract*. 3. *disp*. 3. *q*. 4. Cipullus *hic dub*. 3. Lugo, Suarez, Vasq. & alij.

29 Probatur 1. ratione D. Thomæ; nam anima Christi D. per scientiam infusam cognoscit omnia, quæ per reuelationem hominibus innotescere possunt, siue pertineant ad donum sapientiæ, siue ad donum prophetiæ, siue ad quodcumque donum Spiritus S. sed futura contingētia libera innotescunt prophetis, vt docet idē S. D. 2. 2. *q*. 171. ergo illa cognouit anima Christi D. per scientiam inditam. Cum enim Christus D. fuerit perfectissimus Propheta, debuit dicta futura cognoscere, cum eorum cognitio spectet ad munus, & officium summi, & perfectissimi Prophetæ.

30 Probatur 2. alia ratione desumpta ex eodem D. Thoma dicto *art*. 1. *ad* 3. vbi dicit, quod in Christo D. fuit plenitudo prudentiæ, secundum donum consilij, ex quo sic formatur ratio, nam Christus D. habuit plenitudinem prudentiæ; ergo etiam habuit plenitudinem prouidētiæ, ac proinde cognouit dicta futura. Antecedens constat, cum enim habuerit donum consilij, & hoc sit connexum cum prudentia, debuit habere plenitudinem prudentiæ, sicut habuit plenitudinem doni consilij. Conseq. constat quoad primam partem; prouidentia namque est pars prudentiæ, nec potest esse plenitudo prudentiæ, sine plenitudine prouidentiæ. Deinde probatur conseq. quoad vltimam partem, quia ad prouidentiam requiritur memoria præteritorum, cognitio præsentium, & circumspectio futurorum, vnde ad prouidentiam maximè spectat cognitio futurorum

349

rorum contingentium. Tum quia nullum est futurum contigens liberum de quo Christus D. vt vniuersalis omnium Dominus non potuerit aliquid disponere, aut prouidere.

31 Probatur 3. quia Christus D. meruit omnibus hominibus tam prædestinatis, quam reprobis auxilia gratiæ, saltem sufficientia, ac proinde meruit auxilia sufficientia ad omnes actus liberos ritè ponendos; ergo debuit eos cognoscere per scientiam infusam. Antecedens constat. Conseq. ostenditur, nam Christus D. per scientiam inditam cognouit extensionem sui meriti, sed extenditur ad omnes actus liberos futuros, seu extenditur ad omnia futura contingentia libera; ergo. Indecens namque esset dicere, quod eius merita extenderentur etiam ad dicta futura, & ea ignoraret Christus D.

32 Occurrit Suarez *disp.* 27. *sect.* 2. quod ex istis rationibus non colligitur, quod anima Christi D. cognouerit dicta futura euidenter in se ipsis per proprias species, sed solum euidentia in attestante, quæ in hoc consistebat, quod per scientiā inditam cognoscebat euidēter Deum esse qui dicta futura reuelabat; & quod mentiri non poterat. Hoc modo. Quicquid Deus dicit, aut testificatur, est verum, Sed Deus dicit hoc esse futurum; ergo erit futurum.

33 Sed contra, nam Suarez videtur sibi contrarius, dum dicit, quod dicta futura cognoscūtur per scientiam inditā, & quod cognoscantur solum euidentia in attestante, nam est contra rationem scientiæ cognoscere euidentia in attestāte, hoc enim est propirum fidei, vt *in* 2. 2. vidimus, aut etiam prophetiæ, patet autem quod sciētia indita procedit lumine excellentiori, quam sit lumen fidei, & prophetiæ, quibus non repugnat obscuritas vt patet. Præterea ex doctrina P. Suarez anima Christi Domini solum obscurè, & imperfectè cognosceret dicta futura, cum euidentia in attestante non sit euidentia simpliciter, sed tantum secundum quid, est enim simpliciter obscura, & solum secundum quid clara, qua ratione euidentia in attestante, vt diximus *de fide in* 2. 2. potest simul stare cum obscuritate fidei. Soluuntur argum. in contrarium.

34 Primum argum. nam nullus datur modus quo anima Christi D. per scientiam inditā cognoscat futura contingentia libera; ergo non ea cognoscit. Antecedens probatur, nam non cognoscit in causa, quia ista non est determinata ad illa ponenda, aliàs non essent futura contingentia, sed necessaria. Neque in effectu, nam cum effectus debeat esse futurus, erit eadem ratio de ipso. Neque in attestatione diuina, quia hoc pertinet ad fidem, aut prophetiam, & inuoluit imperfectionem Christo D. repugnantem vt contra Suarez dicebamus. Neque etiam ea cognoscit in se ipsis, cum in se ipsis non habeant esse, sed tantum in causa, cum enim adhuc non sint, sed futura sint, non possunt habere esse in se ipsis, ac subinde in se ipsis cognosci non possunt. Resp. ex dictis, quod anima Christi D. per scientiam inditam cognouit futura contingentia in se ipsis, per species à Deo infusas, quæ species sunt quædam participationes diuinarum idearum, quæ ex determinatione diuinorum decretorum futura contingentia repræsentant. Pro quo nota, quod sicut Deus duobus modis cognoscit certò, & infallibiliter futura contingentia, scilicet in essentia diuina determinata per decretum suæ voluntatis quo statuit rei futuritionē, & in æternitate quatenus amplectitur illud tempus in quo est res futura, & in quo erit. Sic anima Christi D. dupliciter cognoscit futura eadem, in specie determinata per diuinum decretum, seu vt est participatio diuinarum idearum, seu diuinæ essentiæ per decretum determinatæ, & in æternitate saltem participata, in qua continetur tempus in quo sunt futura. Dixi in æternitate saltem participata, quia vt tradidi 1. *p.* est valde probabile, quod visio beata mensuretur ipsa æternitate per essentiam, non tamquam primum mensurabile, hoc enim est ens diuinum, sed tamquam secundum mensurabile.

35 Secundum argum. nam futura contingentia non sunt determinatè represen-

sentabilia; ergo non sunt determinatè cognoscibilia. Antecedens probatur, nam quod non habet esse determinatum, non habet determinatam repræsentabilitatē; sed futura contingentia non habent esse determinatum, cum sit contingens; ergo non habent determinatam repræsentabilitatem. Quod enim est indifferens ad essendum, & non essendum, nec esse determinatum, nec determinatam habet repræsentabilitatem. Resp. quod futurum contingens in se nec habet determinatum esse, nec determinatam repræsentabilitatem, in mensura tamen æternitatis, in suis causis, & in sua specie vt determinata, seu vt subdita diuino decreto habet certum, & infallibile esse futurum, ac proinde hoc modo certò, & infallibiliter per scientiam inditam ab anima Christi D. cognosci potest.

36 Tertium argum. nam futura contingentia secundum se certò cognosci non possunt, neque vt subsunt diuinis decretis; ergo nullo modo. Quod secundum se certò cognosci non possint, constat, quia secundum se non habent esse determinatum, sed tantum contingens. Quod neque vt subsunt diuino decreto, quia ad hoc oporteret, quod species, quæ repræsentat futura, repræsentaret etiam diuina decreta, aut essentiam diuinam determinatam per sua decreta, aut diuinas ideas eodem modo determinatas, aut saltem æternitatem in qua inuariabiliter continentur, quatenus eorum tempus amplectitur; hæc implicant; ergo, &c. Implicat namque quod species creata repræsentet diuinam essentiam clarè, vt determinatam per suum decretum. Resp. cognosci vt subsunt diuino decreto; nam licet non possit repræsentari, nec certò cognosci futurum, nisi habeat esse determinatum à diuino decreto, non tamen necesse est, quod vt futurum certò cognoscatur, quod in specie repræsentetur decretum à quo habet esse determinatum, quia determinatio non se habet vt obiectum repræsentatum, sed vt conditio requisita ad hoc vt futurum possit esse obiectum in specie repræsentatum. Vel dicas repræsentari in obliquo diuinum decretum, & in obliquo, & mediatè cognosci.

37 Quartum argu. nam Christus D. per scientiam inditam non cognoscit futura contingētia nec cognitione intuitiua, nec abstractiua; ergo nullo modo, non cognitione intuitiua, quia ista terminatur ad rem præsentem secundum actualem existentiam; futurum autem contingens non est præsens secundum actualem existentiam; ergo, &c. Non cognitione abstractiua, quia hæc vtpotè præcisiua, est imperfecta, ac proinde non ponenda in Christo D. Resp. posse dici, quod dicta futura cognoscantur cognitione intuitiua, & abstractiua. Nam si per cognitionem intuitiuam, illam intelligamus qua clarè, & distinctè res cognoscitur in propria tēporis differentia, tunc dicta futura cognoscuntur, & cognosci dicentur cognitione intuitiua. Si autem per cognitionem intuitiuam intelligamus eam qua cognoscitur res vt præsens cognoscenti pro ea differentia qua cognoscit, tunc cognitio dictorum futurorum non erit intuitiua, sed abstractiua, absolutè tamen dicitur intuitiua, quia tendet ad rem præsentem in aliqua temporis differentia, nec est necesse quod sit præsens ipsi cognoscenti, vt obseruant Caiet. *hic art.* 1. §. *Et breuiter*. Aluarez *disp.* 60. & alij.

38 Quantum ad cognitionem præteritorum P. Suarez putat, quod cognoscentur per scientiam inditam non in se, nec per propriam speciem, sed per Dei reuelationem. Pro quo notat, quod præterita tantum tribus modis cognosci possunt. Primò per memoriam relictam ex præcedenti cognitione habita quando res illa erat præsens. Iste tamen modus non est vniuersalis ad omnia præterita, quia non omnia præterita actu fuerunt cognita, vel considerata ab anima Christi quando erāt præsentia, vt sunt omnia illa quæ fuerunt antequam anima Christi Dom. crearetur. Secundò per speciem directè, & in se repræsentantem ipsum præteritum; & de isto etiam modo dicit Suarez, non esse vniuersalem, quia ea futura quæ in suo esse

eſſe dependêt à ſola voluntate Dei, non poſſunt in ſe ipſis cognoſci, & per propriã ſpeciem repræſentari, vt eſt creatio mundi, animæ rationalis, miracula, &c. Tertiò per teſtificationem alterius, qui ipſa præterita nouit; Et iſte modus eſt ille, quo Chriſtus D. nouit per ſcientiam inditam præterita.

39 Sed iſta doctrina Suarez nõ videtur ſequenda, nã omnes iſti modi cognoſcendi præterita poſſunt admitti in Chriſto, licet enim non ſint vniuerſales, quoad alios, ſunt tamen vniuerſales quoad animam Chriſti D. Nam primus quando præterita cognoſcuntur per modum memoriæ ex præcedenti cognitione relictæ, admitti debet, memoria namque præteritorum, & cognitionis eorum pertinet ad perfectionem naturæ intellectualis. Cum enim anima Chriſti D. per ſcientiam inditam cognouerit omnia præterita etiam poſita antequã crearetur vt creatio mundi, &c. & ſpecies ad hanc cognitionem deſeruiens non fuerit deſtructa, ſed permanſerit, potuerunt dicta præterita dici manere in memoria ratione ſpeciei illa repræſentantis, & cognitionis per quam fuerunt cognita. Secundus modus eſt vniuerſalis in Chriſto Dom. & admitti debet, cum per ſcientiam inditam dicta præterita cognouerit per propriam ſpeciem, nam etiam præterita à ſolo Dei voluntate dependentia poſſunt per ſpeciem repræſentari, prout illa ſpecies ſubeſt determinationi diuini decreti, eo proportionali modo quo propria ſpecies poteſt, vt ſubeſt diuinæ determinationi repræſentare futura à ſola diuina voluntate dependentia. Tertius modus per teſtificationem, ſeu reuelationem admitti debet in anima Chriſti D. non per ſcientiam inditam, cum non ſit actus ſcientiæ, ſed per propheriam, quæ regulari poteſt per teſtificationem reuelantis.

DVBIVM IV.

An anima Chriſti D. cognouerit omnia entia, ſeu omnes effectus ſupernaturales.

40 Res creatæ ſupernaturales ſunt in duplici differentia, nam aliæ ſunt ſupernaturales quoad ſubſtantiam, & quoad modum, vt eſt gratia, charitas, virtutes per ſe infuſæ, lumen gloriæ, &c. Aliæ ſunt ſupernaturales, quoad modum tantum, vt corpus Chriſti D. in Euchariſtia; accidentia panis, & vini remanentia in Sacramento altaris abſque ſubiecto, viſio reſtituta cæco nato, &c. Res creatæ ſupernaturales quoad ſubſtantiam ſunt in duplici differentia, nam aliæ dicunt tantum ordinem habitualem ad diuinam eſſentiam vt in ſe ipſa viſam, ſeu vt obiectum, vel terminus, vt gratia habitualis, lumen gloriæ, &c. Aliæ dicunt ordinem actualem, vt viſio beatifica, &c.

41 Prima ſententia tenet, quod anima Chriſti D. non cognouerit entia ſupernaturalia, ita Scotus *in 3. diſt.* 14 *q.* 3. Durandus *q.* 3, *&* 4. & alij, quatenus volunt, quod ſcientia indita animæ Chriſti D. ſit eiuſdem rationis cum noſtra ſcientia acquiſita, ſolumque differant per ordinem ad cauſas efficientes, ſicut viſus, habitus per generationem, & per miraculum reſtitutus. Cum enim noſtra ſcientia acquiſita non ſe extendat ad obiecta ſupernaturalia, neque ſcientia indita animæ Chriſti ſe extendet.

42 Noſtra ſententia ſeq. concl. explicatur. *Anima Chriſti D. per ſcientiam inditam cognoſcit omnia entia ſupernaturalia creata.* Colligitur apertè ex D. Thoma *hic art.* 1. quatenus vniuerſaliter dicit quod anima Chriſti D. per ſcientiam inditam cognouit omnia quæ per reuelationem hominibus innoteſcunt, ſola diuina eſſentia excepta. Vnde S. Doctorem ſequuntur omnes eius expoſitores hoc loco Videantur N. Cornexus *q.* 11. *diſp.* 2. *dub.* 1. Orlandus, Cipullus, & alij.

43 Probatur 1. teſtimonio D. Thomæ

in hoc art. vbi sic fatur. *Per hanc scientiam cognouisse Christum omnia illa, quæ post reuelationem diuinam hominibus innotescunt siue pertineant ad donum sapientiæ, siue ad donum prophetiæ, siue ad quodcũque donum Spiritus S. omnia enim ista abundantius, & plenius cæteris cognouit anima Christi*; ergo per D. Thomam anima Christi D. cognoscit omnia illa quæ ab alijs cognosci possunt per donum sapientiæ, per donum prophetiæ, & per quodcumque aliud donũ Spiritus S. quod est dicere, quod cognouit omnia dona gratiæ, cum omnia ista innotescere possint alijs hominibus per aliquod donum Spiritus S.

44 Probatur 2. nam cognitio entium seu effectum supernaturalium est possibiris haberi extra Verbum in proprio genere; ergo fuit in Christo D. Conseq. constat, cum enim ista cognitio nullam inuoluat imperfectionem, cum sit scientifica, sed dicat perfectionem, non debet denegari Christo D. si semel est possibilis haberi, imò si semel in alijs detur; quidquid enim perfectionis ponitur in alijs, scilicet in membris, debet poni in capite, cum omnis perfectio membrorum sit ex refluẽtia capitis. Antecedens probatur, nam cognitio entium, seu donorum, aut effectuum supernaturalium de facto datur in beatis, imò eam habent Theologi in via, & alij etiam non Theologi; ergo est possibilis haberi per scientiam inditam ab anima Christi D.

45 Probatur 3. nam anima Christi D. vidit per scientiam beatam diuinam essentiam vt est radix donorum supernaturalium; ergo etiam vidit per scientiam inditam. Antecedens constat, & admittunt omnes, implicat namque quod beati videant diuinam essentiam, & non videant dona supernaturalia, quæ sunt illius participationes. Conseq. probatur, nam scientia indita subalternitur scientiæ beatæ, ergo cognoscit ea quæ sunt veluti conclusiones illius, seu quæ ab illa inferuntur, sed dona supernaturalia inferuntur ex diuina essentia veluti conclusiones illius, ergo debent per scientiam inditam cognosci. Scientia namque subalternata respicit conclusiones subalternantis tanquam sua principia, ex quibus alias conclusiones deducit.

46 Probatur 4. nam anima Christi D. cognouit totum id ad quod eius meritum se extendit, sed meritum Christi D. se extendit ad omnia dona gratiæ, seu ad omnes effectus supernaturales, ad omnia entia supernaturalia creata; ergo omnia illa cognouit non tantum per scientiam beatam, sed etiam per scientiam inditam. Maior nota est, nihil enim meruit Christus D. ad quod eius merita non se ordinauerit, ordinatio autem requirit cognitionem. Minor etiam nota est, nam nullum est donum gratiæ hominibus concessum, quod sub Christi D. merito non cadat. Quod autem ea cognouerit per scientiam inditam, patet; quia cum meritum fuerit à Christo D. vt viatore, meruit enim vt viator, vt mortalis, vt passibilis, debuit illud cum eius extensione cognoscere per scientiam inditam per quam cognoscebat ea quæ etiam viatoris sunt; maximè quia vt diximus *dub.* 1. scientia indita est medium quid inter scientiam beatam, & acquisitam. Soluuntur argumenta in contrarium.

47 Primum argum. dona supernaturalia creata, illa maximè quæ sunt talia, & quoad substantiam, seu entitatem, dicunt intrinsecum ordinem, & dependentiam à Deo, nam visio beata dicit intrinsecum ordinem ad Deum Trinum, & vnũ, tãquam ad eius obiectum saltem *vt quod*: vnio hypostatica dicit intrinsecum ordinem ad subsistentiam Verbi diuini: gratia sanctificans dicit intrinsecum ordinem ad essentiam diuinam tanquam ad eius specificatiuum, vel tanquam ad id cuius est participatio, &c. sed ista non possunt cognosci per scientiam inditam, nec per speciem creatam repræsentari; ergo, &c. Resp. 1. cum N. Cornexo loco citato, quod adhoc vt aliquod obiectum dicens habitudinem ad aliquem terminum extrinsecum clarè, & euidenter cognoscatur, non est necesse, quod ille terminus eadem claritate, & euidentia cognoscatur. Dat exem-

exemplum ex Caiet.2.2.*q.*137.*art.*4. in cognitione prophetica Christi D. quæ clara, & euidens erat, & tamen per eandem non cognoscebat clarè, & euidenter essentiam diuinã in se, sed per aliud lumen, scilicet per lumen gloriæ. *Resp.* 2. quod etiam anima Christi D. clarè, & euidenter cognoscebat essẽtiam diuinam, Deum trinum, & vnum, Verbi personalitatem, &c. Sed per scientiam beatam, licet non per scientiam inditam. Cum enim scientia indita subalternetur scientiæ beatæ, vt sit clara, & euidens, non est necesse quod ipsa cognoscat clarè, & euidenter principia, sed sufficit, quod clarè, & euidenter cognoscantur à scientia subalternante, cui subalternata coniungitur.

48 Secundum argum. nam ad cognitionem comprehensiuam alicuius obiecti requiritur, quod lumen intellectuale eidem cognitioni deseruiens, & species illud obiectum repræsentans sint tantę perfectionis, quantæ est idem obiectum, sed lumen deseruiens scientiæ inditæ, & species, non sunt tantæ perfectionis, quantæ est gratia, v. g. aut quantæ est vnio hypostatica; ergo non possunt ista clarè, cognosci per scientiam inditam. *Resp.* distinguendo maiorem: lumen, & species deseruientes scientiæ inditæ debent esse tantæ perfectionis, quantæ est obiectum, in esse intelligibili, seu repræsentatiuo, cõceditur: in esse entitatiuo, negatur. Sufficit enim ad cognitionem claram, & euidentem, quod lumen, & species sint tantæ perfectionis in repræsentando, vt manifestent omnem obiecti perfectionem, omnes habitudines, & connexiones, quas ex sui natura habet, vel habere potest, hoc enim modo reddunt obiectum cognoscibile, quantum cognoscibile est, ex propria natura, licet aliàs tam lumen, quam species in ordine entitatiuo sint ordinis inferioris. Vnde videmus, quod Angelus comprehendit se ipsum, & tamen lumen illi deseruiens est entitatiuè accidens, & comprehendit alium, & tamen species ad hoc deseruiens est extitatiuè accidens, & item beati comprehendunt gratiam, & vnionem hypostaticam, & tamen lumen gloriæ est inferius gratia, cum sit quædam passio illius, & est inferius vnione hypostatica, cum tamen ista sit perfectior lumine gloriæ. Cæterum vt omnia ad quæ se extendit scientia indita melius cognoscantur, pono sequentes §§.

§. I. An anima Christi D. per scientiam infusam cognoscat visionem beatificam, & vnionem hypostaticam.

49 PRima sententia est, quod anima Christi D. cognoscat quidem ista cognitione abstractiua, non intuitiua. Sic tenet Cabrera *hac q.*11. *disp.*5. & alij. Communis, & vera sententia seq. concl. explicatur. *Anima Christi D. clarè, & intuitiuè cognoscit per sciẽtiam inditam visionem beatam, tam propriam, quam aliorum beatorum, sicut etiam vnionem hypostaticam.*

50 Probatur 1. nam visio beata, & vnio hypostatica sunt obiecta creata, finita, & intelligibilia per intellectum creatum in ordine supernaturali positum, ergo cum intellectus animæ Christi sit in ordine supernaturali positus per sciẽtiam inditam, & ex alia parte dicta duo obiecta sunt sibi pręsentia tum per species illorum, tum in mensura æternitatis, saltem participatæ, debent ab eodem intuitiuè cognosci.

51 Probatur 2. nam si ob aliquam rationem duo illa obiecta non cognoscerentur intuitiuè maximè quia visio beata dicit habitudinem ad diuinam essentiam clarè visam, & vnio hypostatica dicit habitudinem ad subsistentiam Verbi diuini, quæ per scientiam inditam intuitiuè cognosci non possunt, sed hæc ratio non probat; ergo, &c. Minor probatur, nam Angeli sua cognitione intuitiuè cognoscũt actum fidei naturalem, seu fidei acquisitæ quem facit hæreticus de Sacrosancto Trinitatis mysterio, & tamen dicit ordinem essentialem ad Deum vt Trinum in personis, sicut dicit visio beatifica ad diuinam essentiam; ergo, &c. Tum quia tunc solum id quod respicit aliud non potest

intuitiuè cognosci, nisi intuitiuè cognoscatur illud aliud, quando respectus est prædicamentalis, seu relatiuus, quoniam relatiua sunt simul cognitione, secus quando non est relatiuus, nisi transcendentaliter, tunc enim sufficit, quod aliud solum sit possibile; relatiua namque transcendentalia non requirunt existentiam termini, seu obiecti, sed sufficit quod sit possibile; ergo cum in nostro casu terminus, seu obiectum actuum supernaturalium sit solum transcendentalis, non est necesse vt intuitiuè cognoscantur, quod etiam intuitiuè cognoscatur terminus, seu obiectum.

52 Probatur 3. nam Angelus potest intuitiuè cognoscere speciem aliquam, absque eo quod intuitiuè cognoscatur eius obiectum; ergo, &c. Antecedens probatur, nam Angelus cognoscit intuitiuè, quicquid est in proprio intellectu, & tamen non cognoscit intuitiuè obiecta ad quæ dicit ordinem illa species, dicit namque ordinem repræsentabilitatis ad omnia quæ per ipsum repræsentari possunt, cum tamen non repræsentet actu, vt intuitiuè cognoscuntur. Soluuntur argum. in contrarium.

53 Primum argum. nam visio beatifica, vnio hypostatica, gratia sanctificans, &c. sunt nobilioris, & altioris ordinis quã sit scientia indita, ergo non possunt ab illa clarè, & intuitiuè cognosci. Antecedens constat. Conseq. probatur, nam scientia debet suo obiecto proportionari, sed scientia indita non proportionatur visioni beatificæ, huic enim solum lumen gloriæ proportionatur, & vnioni hypostaticæ solum lumen huius ordinis debet proportionari. Resp. quod visio beatifica duobus modis considerari potest. Vno modo vt est obiectum cognoscibile in Verbo, & hoc modo non proportionatur nisi lumine gloriæ. Alio modo vt est obiectum cognoscibile etiam extra Verbum, & hoc modo proportionatur etiam scientiæ inditæ. Idem cum proportione seruata dicendum est de alijs.

54 Secundum argum. nam scientia indita non comprehendit visionem beatã, nec gratiam, nec vnionem hypostaticam, &c. ergo non cognoscit illa maximè intuitiuè, si enim ea intuitiuè cognosceret, etiam cognosceret comprehensiuè. Resp. maximè ista duo distingui, scilicet cognoscere intuitiuè, & comprehensiuè; nam beati vident, & intuentur diuinam essentiam, & tamen eam non comprehendunt. Vnde per scientiam beatam prædicta intuentur, non tamen comprehenduntur, aut saltem necesse non est vt comprehendantur.

55 Sed quæres 1. quot modis anima Christi D. videat, seu cognoscat visionem beatam siue propriam, siue aliorum beatorum. Resp. quod tribus modis. Primò directè in Verbo, vbi cum videantur omnia ad proprium statum pertinẽtia, & ipsa visio videbitur. Secundò reflexè, quatenus visio beatifica est virtualiter reflexa supra se ipsam, qui enim cognoscit, cognoscit se cognoscere. Tertiò per scientiam inditam.

56 Quæres 2. an cognitio visionis beatificæ fiat per scientiam inditam media specie infusa? Aliqui dicunt, quod fiat sine vlla specie, cum enim hæc visio sit valde intelligibilis, & intra ipsum intellectum animæ Christi, & maximè indistincta, poterit se ipsa cognosci, secus dicunt de visione beatifica aliorum beatorum; nam ista non est maximè intelligibilis respectu aliorum intellectuum, sicut nec est indistans. Cæterum dicendum est, quod anima Christi Dom. non videat propriam visionem beatificam per scientiam inditam sine vlla specie, & per se ipsam, sed per speciem creatã infusam; nam species intelligibilis non solum requiritur propter indistantiam obiecti, sed etiam propter improportionem; nam visio beatifica nec est sua intelligibilitas, nec datur ad repræsentandum, sed ad essendum, ac proinde debet dari species creata, quæ ipsam repræsentet, vt cognosci possit per scientiã inditam.

S. II.

§.II. An anima Christi D. per ſcientiam inditam cognoſcat entia ſupernaturalia poſſibilia.

57 Conueniunt omnes, quod anima Chriſti D. cognoſcat aliqua entia ſupernaturalia poſſibilia. Si enim hoc cognoſcunt aliqui, & plures Doctores Theologi, qui conſiderando infinitatem diuinæ omnipotentiæ, admittunt plura entia ſupernaturalia per diuinam omnipotentiam fieri poſſe; nam admittunt, quod vna perſona diuina plures naturas aſſumere poteſt: quod omnes tres perſonæ diuinæ poſſunt eandem naturam terminare, quod omnes tres poſſunt incarnari, &c.

58 Difficultas eſt, an anima Chriſti D. cognoſcat, aut ſaltem cognoſcere poſſit omnia entia ſupernaturalia poſſibilia. Affirmabit aliquis ſequenti ratione ductus; nam lumen quod eſt ſufficiens ad cognoſcendum primum in vnaquaque linea, eſt etiam ſufficiens ad cognoſcenda omnia inferiora eiuſdem lineæ, & lumen quod eſt ſufficiens ad cognoſcendũ aliquod genus, eſt etiam ſufficiens ad cognoſcenda cuncta inferiora eiuſdem generis. Quocirca ſi poſſet aſſignari vltima creatura poſſibilis omnibus perfectior, & quis haberet lumen ſufficiens ad illam cognoſcendam, habet etiam lumen ſufficiens ad cognoſcẽdas omnes ſub illa contentas. Sed in linea entis ſupernaturalis, gratia, & vnio hypoſtatica ſunt huiuſmodi; ergo lumen, quod eſt ſufficiens ad cognoſcendam gratiam, & vnionem hypoſtaticam, erit etiam ſufficiens ad cognoſcenda omnia entia ſupernaturalia poſſibilia ſub illis contenta. Minor probatur, nam gratia habitualis cum ſit primum eſſe ſupernaturale, & ſuprema diuinę eſſentiæ participatio, qua ſecundum conceptum ſpecificatiuum non poteſt dari maior, eſt primum in linea entis ſupernaturalis, eſt veluti omnium genus, ſub quo omnia alia continentur, ergo lumen quod erit ſufficiens ad cognoſcendam gratiam, erit etiam ſufficiens ad cognoſcenda omnia inferiora illius. Deinde vnio hypoſtatica eſt primum in linea entis hypoſtatici; ergo lumen quod erit ſufficiens ad eam cognoſcendam, erit etiam ſufficiens ad cognoſcenda omnia inferiora illius.

59 Ex alia parte non ſequitur, quod anima Chriſti Domini comprehendat Deum. Primò quia ex eo, quod anima Chriſti D. cognoſcat omnia entia ſupernaturalia poſſibilia, non ſequitur, quod cognoſcat omnia alia poſſibilia, quia non cognoſcet omnia entia naturalia, quæ ſunt participationes Dei ſecundum aſſenſum, licet fortè cognoſcat omnia quæ sũt participationes ſecundum deſcenſum. Aliqua namque entia naturalia participant Deum ſecundum deſcenſum, quatenus ſub certo genere, aut ſpecie, minus, & minus de Deo participant per aſſenſum quatenus ſupra certumgenus, aut ſpeciem, magis, ac magis in infinitum participant, exprimendo maiorem, ac maiorem perfectionem Dei; maiorem, ac maiorem excellentiã partipabilitatis diuinæ. Secundò, quia valde probabile eſt, quod licet anima Chriſti D. videat intuitiuè gratiam habitualem, nõ tamen eam comprehendit, ac proinde neque ex hoc capite ſequetur comprehenſio diuinæ eſſentiæ.

60 Alij dicunt, quod anima Chriſti D. non cognoſcat omnia entia ſupernaturalia poſſibilia, hac ratione ducti, quia hæc cognitio fundaretur in dignitate, aut ſtatu animæ Chriſti D. ſed eius dignitas id non poſtulat, quia licet ſit infinita, perfectiones tamen quæ illi conceduntur debent commenſurari eius ſtatui ſecũdũ quem eſt auctor gratiæ, & Doctor totius generis humani, iſte autem ſtatus non poſtulat dictorum entium poſſibilium cognitionem, ſed eorum dumtaxat, ad quæ eius virtus, & efficientia ſe extendit, aut ſe extendere poteſt, quod non eſt quoad omnia illa poſſibilia.

61 Cæterum hæc ratio non videtur efficax, nam Chriſto D. non ſolum concedimus eorum cognitionem ad quæ eius efficientia ſe extendit, aut ſe extendere po-

potest, sed etiam eorum ad quæ eius efficientia nec se extendit, nec se extendere potest, vt sunt omnia infinita sub certo genere, cuius cognitionem omnes ferè iam concedunt Christo D. cũ tamen eius efficientia non possit ad illa se extendere.

62 Adducunt alij aliam rationem, quia si anima Christi D. cognosceret omnia entia supernaturalia possibilia, cognosceret etiã omnia entia naturalia possibilia, lumen namque quod est sufficiens ad cognoscendo superiora, est etiam sufficiens ad cognoscẽda inferiora, vt sunt entia naturalia respectu supernaturalium. Sed neque hæc ratio probat, nam vt vidimus 1. *p. q.* 12. licet gratia sit ens supernaturale, est tamen secundum se patens; solum namque illud non est patens, quod est perfectius secundum substantiam, & modum, gratia autem est perfectior secundum modum non secũdum substantiam. Et sic ex hoc quod quis videat patenter gratiam, non sequitur, quod videat substantias naturales, cum istæ in diuinæ essentiæ finibus magis abscondantur, & lateant.

63 Vera ergo ratio quare anima Christi D. non videat omnia entia supernaturalia est, quia licet videat ea quæ sub gratia continentur tanquam passiones, aut proprietates illius, non tamen ex vi gratiæ videt ea, quæ sunt supernaturalia quoad modum de quo fieri possunt infinitæ combinationes, vt quoad pænetrationes corporum, quoad replicationes eorum, quoad restitutionem, & sanitatẽ membrorum, &c. quæ Deo possibilia sunt, & ab ipso solo omnia cognscuntur.

§. III. *An Anima Christi D. per scientiam inditam cognouerit Deum esse trinum, & vnum.*

64 Conueniunt omnes, quod anima Christi D. non cognoscat Deum vt trinum, & vnum cognitione intuitiua per scientiam inditam; Deus namque intuitiuè per nullam speciem creatam cognosci potest, ac proinde solum per scientiam beatam quæ sit per ipsam diuinam essentiam vt fungitur officio speciei. Conueniunt etiam communiter, quod eadem anima Christi D. non cognoscat Deum trinum, & vnum per scientiam inditam quidditatiuè clarè, sed abstractiuè, quia cognitio quidditatiua abstractiua clara non potest haberi per speciem creatam, cum nulla species creata possit quidditatiuè clarè, licet abstractiuè repræsentare diuinam essentiam, aliàs deberet esse eiusdem naturæ quidditatiuè, cum diuina essentia. Imò puto quod neque dari possit species creata repræsentans Deum vt trinum quidditatiuè confusè, seu obscurè, quia nulla creatura potest inducere in cognitionem quidditatiuam huius mysterij licet sit abstractiua, & non clara, quia omnis creatura cum sit producta à Deo vt vno, & non vt trino, non potest inducere in cognitionem quidditatiuam Dei vt trini. Potest tamen inducere in cognitionem quidditatiuam Dei vt est vnus, cum hoc etiam Philosophi cognouerint, & definierint, definitio autem exprimit quidditatem Dei: tunc tamen quidditas Dei non cognoscitur in se, sed tantum in alio, scilicet in effectibus qui ducunt in cognitionem quidditatis Dei quatenus in creaturis relucere potest.

65 Difficultas solum procedit de *quo an est*, an scilicet anima Christi Dom. per scientiam inditam cognouerit mysterium Sanctissimæ Trinitatis quoad an est, non obscurè, sed euidenter. Prima sententia negat. Hanc defendit Vasq. 1. *p. disp.* 135. *cap.* 4. *& hic disp.* 53. *cap.* 1. & alij.

66 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Anima Christi D. per scientiam inditam cognouit euidenter mysterium Sanctissimæ Trinitatis quoad an est, seu cognouit Deum esse vnum in essentia, & trinum in personis.* Ita Capreolus *in 3. dist.* 23. *q. vnica.* Caiet. *hic art.* 1. Aluarez, N. Cornexus, Orlandus, Suarez, Cipullus, & omnes Thomistæ hoc loco. Colligitur manifestè ex D. Thoma hic *art.* 1. quatenus dicit, quod anima Christi Dom. per scientiam inditam cognoscit omnia, quæ

per

per reuelationem hominibus innotescunt, sed mysterium Sanctissimæ Trinitatis innotescit hominibus per fidem, & prophetiam, ergo illud cognouit anima Christi D. per scientiam inditam.

67 Probatur 1. nam ex perfecta cognitione alicuius effectus cognoscitur necessariò causa illius, qua causa illius est; sed anima Christi D. cognoscit perfectè visionem beatificam, quæ est effectus Trinitatis in genere causæ formalis extrinsecæ, seu obiectiuè, aut terminatiuè; ergo cognoscit ipsam Trinitatem, non quidditatiuè, seu quoad quid est, ergo quoad an est. Maior nota est. Minor probatur, nam visio beata specificatur non solum à Deo vt vno, sed etiam vt Trino; Deus namque etiam vt Trinus est obiectum visionis beatæ. Sicut enim implicat, quod clarè videatur visio albi, & non videatur album; ita implicat, quod videatur visio Dei trini, & non videatur, seu non cognoscatur, saltem quoad an est, Deus vt trinus.

68 Huic argum. occurrit Suarez *disp.* 27. *sect.* 5. quod per nullum effectum creatum etiam supernaturalem possit haberi cognitio euidens mysterij Trinitatis quoad an est. Vnde ad instantiam de visione beata dicit 1. quod terminatur per se primò ad Deum vt sic, & secundariò, seu consequenter, ac proinde ex cognitione visionis solum cognoscitur Deus vt sic, nõ vt trinus. Secundò dicit, quod visio beata extra Verbum non comprehenditur, deberet autem comprehendi vt duceret in cognitionem mysterij Trinitatis quoad an est.

69 Sed contra vtramque solutionem est, quia neutra sufficienter occurrit nostræ rationi 1. nam in primis, communis sententia Theologorũ est, quod tres personæ diuinæ sint obiectum primarium *quod*, visionis beatæ, & essentia diuina sit obiectum primarium *quo*, nam visio beata terminatur ad diuinam essentiam, vt est re ipsa à parte rei, cum enim visio beata sit intuitiua, debet tendere in diuinam essentiam vt re ipsa est à parte rei, sed diuina essentia est re ipsa à parte rei in tribus personis; ergo debet visio beata tendere in diuinam essentiam vt est in tribus. Tum quia non est de essentia diuinæ essentiæ, quod sit communicabilis, sed quod sit actu communicata; ergo non potest videri nisi vt est actu communicata, ac proinde nisi vt est in tribus personis diuinis. Propterea diximus 1. *p.q.* 12. quod neque de potentia absoluta potest videri essentia diuina sine personis, nec vna persona sine alia. Quod si sequamur sententiam Scoti, quod essentia diuina possit de potentia absoluta videri sine personis, adhuc responsio P. Suarez est nulla, quia etiam Scotus admittit, quod de facto non videatur essentia sine personis, cum de facto visio beata sit intuitiua, & debeat terminari ad essentiam diuinam, vt de facto est à parte rei, de facto autem à parte rei est in tribus, ac proinde de facto essentia diuina non videtur nisi vt in tribus.

70 Neque illud quod dicit 2. Suarez, quod scilicet anima Christi D. non comprehendat per sciẽtiam inditam visionem beatam illi prodest, nam hoc dato, tamen adhuc cognoscitur quidditatiuè, vt etiam ipse Suarez fatetur, sed non potest visio beata cognosci quidditatiuè, nisi cognoscat ipsius obiectum saltem quoad an est; implicat namque quod quis cognoscat quidditatiuè actualem visionem, seu visionem actu tendentem in aliquod obiectum, nisi actu cognoscat idem obiectum esse in rerum natura, cum non possit dari actualis visio, nisi obiecti actualis, & in rerum natura existentis.

71 Probatur 2. nam Christus D. meruit nobis per amorem diuinarum personarum, quem habuit dum erat viator, sed iste regulabatur per scientiam istam, ergo per scientiam inditam cognouit tres diuinas personas. Maior nota est, nam non solum meruit amãdo diuinam essentiam, sed etiam amando Patrem, orando Patrẽ, recurrendo ad Patrem, &c. Minor probatur, nam cum iste amor esset liber non poterat regulari per scientiam beatam, sed per scientiam inditam quæ ex se est formaliter libera, tum quia ista scientia regulabat orationem ad Patrem quæ formali-

maliter libera erat; ergo, &c.

72 Probatur 3. nam anima Christi D. per scientiam inditam cognouit suam subiectionem ad Patrem, & Spiritum S. ergo per scientiam inditam cognouit mysterium Sanctissimæ Trinitatis. Conseq. constat, non enim cognosci potest subiectio ad Patrem, nisi Pater cognoscatur, & nisi cognoscatur filius qui in assumpta humanitate subijcebatur. Antecedens probatur, nam anima Christi per scientiam inditam cognoscebat quod eius subsistentia erat diuina, non absoluta, sed relatiua Verbi, quæ in humanitate subdebatur Patri, illius voluntatem, illius obedientiam faciebat, hæc autem subiectio cum esset Christi D. adhuc viatoris non regulabatur à scientia beata, sed indita.

73 Probatur 4. nam anima Christi D. per scientiam inditam cognoscebat actus fidei quos facimus, orationes, & supplicationes Ecclesiæ, quæ quotidie fiunt; ergo cognoscebat mysterium Sanctissimæ Trinitatis quoad an est. Antecedens constat ex dictis, pertinebat namque ad statum animæ Christi D. cognoscere orationes ab Ecclesia sua sponsa, & à fidelibus cunctis oblatas; aliàs non posset pro sua sponsa, & pro quacumque fideli anima fungi officio mediatoris, cum tamen per Apostolum sit mediator, & aduocatus apud Patrem. Conseq. probatur, nam Ecclesia communiter in suis supplicationibus orat Patrem per filium, vt per eius merita nobis concedat quæ petimus, vel si orat Filium, orat vt regnantem cum Patre, & Spiritu S. ac proinde debet tota Trinitas ab anima Christi cognosci, cum personæ diuinæ quippè relatiuæ sint simul cognitione. Soluuntur argum. in contrarium.

74 Primum argum. desumitur ex testimonio D. Thomæ *hic art. 1.* vbi postquã dixit quod anima Christi D. cognouit per scientiam quidquid hominibus innotescere potest per reuelationem, excludit à scientia indita cognitionem diuinæ essentiæ, subdens. *Ipsam tamen Dei essentiam per hanc scientiam non cognouit, sed solum per primam*, scilicet beatam, sed non potest loqui de essentia vt pertinet ad vnitatem, hoc enim modo certum est cognosci, ergo prout est in tribus, seu prout pertinet ad Trinitatem personarum. Resp. faciliter, quod S. D. solum negare voluit quod anima Christi cognoscat per scientiam inditam essentiam diuinam quidditatiuè, vt cognoscit omnia entia creata, nõ tamen negare voluit, quod eam cognoscat quoad an est.

75 Secundum argum. nam per scientiam inditam ea solum cognosci possunt, quæ per propriam speciem sunt repræsentabilia, sed Sanctissimæ Trinitatis mysterium etiam quoad an est, non est repræsentabile per propriam speciem; ergo nõ est cognoscibile etiam quoad an est per scientiam inditam. Maior constat; proprium namque est scientiæ inditæ terminari ad suum obiectum in proprio genere, non in alio, seu in propria specie, non per speciem alterius. Resp. negando maiorem, quæ enim cognoscuntur per scientiam inditam immediatè, debent habere propriam speciem, secus quæ cognoscuntur mediatè, sed hoc magis explicatum remanebit ex dicendis §. seq.

§. IV. *Per quas species Anima Christi D. cognoscat mysterium Trinitatis quoad an est, per scientiam inditam.*

46 Explicato quod anima Christi D. cognoscat mysterium Trinitatis quoad an est, per scientiam inditam, restat explicandum per quod medium, seu per quam speciem illud cognoscat. Conueniunt communiter Theologi hoc loco, quod species per quam anima Christi D. per scientiam infusam cognoscit Trinitatis mysterium quoad an est, non sit ipsius propria, vt enim cum D. Tho. & N. Salmanticensibus diximus 1. *p. disp.* 12. *& disp.* 14. species propria cuiuscumque rei, debet esse eiusdem ordinis ac rationis cum illa, imò eiusdẽ prorsus naturæ in esse intelligibili; implicat autem quod detur species creata, quæ sit eiusdem ordinis, rationis, & naturæ cum sanctissima Trinitate, vt ex se constat.

fiet. Tum quia species propria rei, repræsentat rem, non tantum secundum gradum communem, sed secundum propriam rationem suæ entitatis, & non ad instar alterius primarij repræsentati: implicat autem species creata quę repręsentet Trinitatem; ergo, &c.

77 Videtur etiam certum, quod species quæ repræsentat Trinitatem, non ideo eam represfentet, quia repræsentat dependentiam effectiuam quam habent effectus quorum illa est immediata species. Ratio clara est, quia dependentia effectiua quam habent creaturæ à Deo tanquam à principio efficiente, non terminatur ad Deum vt Trinum, sed vt vnũ; quia opera ad extra sunt indiuisa Trinitatis; virtus namque creatiua, seu productiua Dei pertinet ad vnitatem essentiæ, & nō ad trinitatem personarum. Tum quia personæ diuinæ secundum propria cōstitutiua non sunt principium creaturarum, nam relationes non sunt actiuæ.

78 Aliqui vt Suarez supra relatus, putant Christum D. cognoscere mysteriũ Trinitatis, per testificationem Dei. Sed adhuc non explicant per quas species ea testificatio fiat à Deo, dato quod sic fieret, quod supra impugnauimus cũ ista testificatio non sit actus sciētiæ, sed fidei, quę in Christo esse non potuit, aut per prophetiam, quæ cum non sit clara non potuit esse in Christo, prophetia nāque in Christo non fuit obscura, sed clara, ac proinde nō potuit esse ea testificatio in Christo per prophetiam.

79 Vera, & communis sententia seq. conclusione explicatur. *Anima Christi D. per scientiam infusam, seu inditam cognouit mysterium Trinitatis per speciem repræsentantem ei lumen gloriæ, visionem beatificam, & actus supernaturales qui à viatoribus exercentur, quatenus ista repræsentata per species infusas dicunt essentialem, & intrinsecum ordinem ad Deum vt vnũ & trinum tamquam terminum, seu obiectum proprium.* Sic tradunt communiter expositores D. Thomæ hoc loco. Pro quo sciendum, esse aliquos actus supernaturales, qui licet secundum communem rationem effectus, vel entis creati solum dicant respectu ad Deum vt est vnus; tamen secundum suas rationes specificas dicunt respectum, seu ordinem transcendentalem ad totam Trinitatem, tamquã ad obiectum; seu tamquam ad terminũ: nam visio beatifica, in genere causæ efficientis, seu vt ens est, dicit ordinem ad Deum vt est vnus; at secundum quod specificatur in ratione visionis intuitiuæ specificatur à tota Trinitate tamquam à termino specificante, & immediatè inspecto. Et sic species quę repræsentat visionem beatam inducit saltem mediatè in cognitionem obiecti illius, scilicet essētiæ & personarum. Species quæ represfentat lumen gloriæ, repræsentat ex consequenti Trinitatem personarum, cum lumen gloriæ sit dispositio ad videndam totam Trinitatem. Species quæ repræsentat actum fidei quo credimus Trinitatem, repræsentat ex consequēti eadem Trinitatem. Species quæ repræsentat animæ Christi Domini vnionem hypostaticam, repræsentat ex consequenti Verbi diuini subsistentiam, ac subinde alias personas diuinas; cum subsistentia dicta, sit relatiō, & relatiua sint simul cognitione, &c.

80 Sed quæres 1. quomodo intellectus animæ Christi D. habeat certitudinē, & euidentiam mysterij Trinitatis, quoad an est per cognitionem dictorum actuum, seu effectuum terminantium modo dicto ad Trinitatem? Resp. prouenire ex penetratione veritatis determinatæ, quæ reperitur in dictis actibus, aut effectibus, quę veritas cum sit conformitas talis assensus ad mysterium Trinitatis, quod de facto, & actu existit, dum Christus D. certò, & euidenter eam cognoscit, debet etiam certò, & euidenter cognoscere terminum talis veritatis, & habitudinis, scilicet ipsam Trinitatem.

81 Quæres 2. vnde habeat intellectus animæ Christi D. quod cognoscat dictos actus prout dicunt conformitatem, & habitudinem ad Trinitatem? Resp. id habere ex eo, quod cognoscat sua obiecta eo modo quo ei per species repræsentantur,

tur, & sic cum illi actus dicant veritatem suam per ordinem ad Trinitatem, ac proinde conformitatem ad illam, debet hoc modo ea conformitas cognosci.

81 Sed obijcies 1. nam si anima Christi D. cognosceret mysterium Trinitatis per species dictorum actuum supernaturalium quoad an est, vel cognosceret euidenter, vel obscurè, non obscurè, quia hæc cognitio non decet animā Christi D. ratione suæ maximæ perfectionis; ergo, &c. Neque euidenter, quia mysterium Trinitatis non potest euidenter cognosci, nisi per propriam speciem: tum quia quod cognoscitur ratione alterius, secundariò, & quasi arguitiuè, non cognoscitur euidenter; hoc modo cognoscitur hoc mysterium in dictis actibus; ergo, &c. Resp. cognosci euidenter non quidditatiuè, sed tantum quoad an est; qui enim comprehendit actum quo ego credo mysterium Trinitatis, cognoscit euidenter illud esse, cum sciat, quod nostræ fidei non potest subesse falsum. Qui comprehendit visionem beatam terminari ad Trinitatem personarum, cognoscit euidenter Trinitatem esse, &c.

82 Obijcies 2. nam anima Christi D. per scientiam beatam cognoscit euidenter mysterium Trinitatis, ergo cessat cognitio illius quoad an est per scientiam inditam medijs dictis actibus. Antecedens est certum. Consequ. probatur, nam ad positionem motiui valdè perfecti, cessat motiuum valdè debile; ergo ad præsentiam intuitiuæ cognitionis mysterij Trinitatis, cessabit cognitio quoad an est illius. Resp. concedendo antecedens, & negādo consequ. Ad probationem negatur antecedens, vniuersaliter loquendo. Vnde ad præsentiam luminis maioris non cessat lumen minus, sed continuat in sua minori illuminatione. Quod maximè verum est in nostro casu, vbi lumen scientiæ beatæ, & inditæ non habent ad inuicem repugnantiam, sed bene possunt stare simul, cum procedant ex diuerso motiuo.

DVBIVM V.

An anima Christi D. per scientiam inditam potuerit omnia sua obiecta cognoscere absque conuersione ad phantasmata.

83 DVobus modis intelligitur conuersio ad phantasmata, primò ex hoc quod dum intellectus intelligit aliquod obiectum, etiam phantasia, suo modo apprehendit illud. Vt si intellectus cognoscat hominem, phantasia cognoscat Petrum, vt sit correspondentia inter intellectum, & phantasiam, quod vterque versetur circa eandem materiam, sed intellectus sub ratione vniuersalis, & phantasia sub ratione particularis, quo modo intelligi solet illud dictum Philosophi. *Oportet intelligentem phantasmata speculari.* Secundò ex eo quod intellectus conuertatur ad phantasmata, in ijsque cōtempletur quod cognoscit. Cum enim intellectus pro hoc statu sumat species ex phantasmatibus, confert eas cum illis, & intelligit obiectum per eam collationem etiam in phantasmatibus.

84 His positis. Prima sententia est, quod anima Christi D. non potuerit, vti scientia indita sine conuersione ad phantasmata. Ita tenent Durandus *in 3. dist. 1. q. 3.* & alij ex recentioribus. Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Anima Christi D. potuit per scientiam inditam cognoscere omnia sua obiecta sine conuersione ad phantasmata.* Sic tradunt Thomistæ, & cæteri expositores hoc loco. Videantur N. Cornexus *hic art. 2. & 3. disp. vnica dub. 1.* Orland. *tract. 3. disp. 3. q. 1.* Cipullus *q. 11. art. 2. dub. 1.* Ilambert. *ad q. 11. disp. 7. art. 4.* Medina, Aluarez, Cabrera, & alij.

85 Probatur 1. nam anima Christi D. etiam dum erat in corpore passibili, & mortali non erat necessariò subiecta corpori, cum enim etiam tunc esset beata, habebat plenum sui corporis dominium, nec species huic scientiæ deseruientes, cū sint infusæ, debent à corpore, seu à phantasia dependere; ergo anima Christi D.

in

in vſu ſcientiæ inditæ, ſeu infuſæ non dependet à phantaſia, ac proinde poterat ſua obiecta intelligere ſine conuerſione ad phantaſmata. Antecedens conſtat. Si enim ob aliquam rationem fuiſſet neceſſaria conuerſio ad phantaſmata, maximè ob ſubiectionem animæ corpori, vel ob dependentiam ſpecierum à phantaſia; ergo cum hæc duo non eſſent in Chriſto, ſequitur quod potuerit vti ſcientia indita ſine conuerſione ad phantaſmata. Conſeq. ſequitur ex antecedenti. Modus namque operandi ſequitur modum eſſendi, ergo ſi ſemel modus eſſendi animæ, & ſpecierum eſt independens à corpore, etiam modus operandi erit independens.

86 Probatur 2. nam Chriſtus D. habuit ſcientiam inditam ab inſtanti ſuæ cõceptionis, eaque vſus eſt ab eodem inſtanti, cum ea vteretur ad dirigendos actus meritorios, quos ab illo inſtanti exercere cæpit. Sed tunc non poterat eſſe conuerſio ad phantaſmata, cum rectus phantaſmatum vſus non fuerit in inſtanti conceptionis, phantaſmata namque fuerunt poſtea acquiſita ad vſum ſcientiæ experimentalis; ergo, &c.

87 Probatur 3. nam Chriſtus D. vtebatur ſcientia indita ad cognoſcendos quidditatiuè Angelos, viſionem beatam, lumen gloriæ, actus ſupernaturales, &c. quorum ſpecies ſunt ſpirituales, & independẽtes à phantaſmatibus, ergo non vtebatur dicta ſcientia per conuerſionem ad phantaſmata, ſaltem ex neceſſitate. Antecedens conſtat, nam nec Angeli, nec alia recenſita cognoſci poſſunt quidditatiuè per conuerſionem ad phantaſmata, quæ enim ſunt omnino incorporea non poſſunt intelligi quidditatiuè per conuerſionem ad corpus, ſicut quod eſt ſpirituale non poteſt intelligi per conuerſionem ad corporale, cum ad illud non dicat habitudinem.

88 Probatur 4. nam ſcientia indita præcedit ſcientias acquiſitas, cum iſtę ſint ordinis naturalis, & illa ordinis ſupernaturalis; ergo non debet fieri per conuerſionem ad phantaſmata, vt fiunt ſcientiæ naturales. Antecedens conſtat; nam ideo ſcientiæ naturales fiunt per cõuerſionem ad phantaſmata, quia earum ſpecies deſumuntur à phantaſmatibus; ſed ſpecies deſeruientes ſcientiæ inditæ non ſunt deſumptæ ex phantaſmatibus, ſed à Deo infuſæ; ergo, &c. Species namque independentes à phantaſmatibus, non poſſunt neceſſariò mouere ad vſum illarum per dependentiam ab ipſis phantaſmatibus.

Soluuntur argum. in contrarium.

89 Primum argu. Anima Chriſti D. non poterat vti ſcientia indita, niſi ſecundum proprium modum viatoris, maximè dum eſſet viatrix; ſed proprius modus viatoris eſt intelligere per conuerſionem ad phantaſmata; ergo, &c. Maior patet, omnis namque forma recipitur ſecundum modum, & capacitatem ſubiecti in quo recipitur. Minorem docet S. Doctor 2. 2. *q. 174. art. 2. ad* 4. ex D. Dionyſ. *lib. 1. de cæleſti hierarch. cap.* 1. vbi dicit. *Impoſſibile eſt nobis ſuperlucere diuinum radium niſi varietate ſacrorum velaminum circumuelatum*, illuſtratio namque diuini radij in hac vita non fit ſine phantaſmatibus, quæ ſunt quædam animæ velamina. Reſp. negando maiorem, cum enim anima Chriſti dum erat in via eſſet etiam beata, & Deum comprehenderet, habebat iura comprehenſoris, & ſic poterat intelligere modo comprehenſoris, maximè per ſpecies infuſas, & omnino independentes à phantaſmatibus.

90 Secundum argum. Si anima Chriſti D. potuiſſet vti ſcientia indita ſine conuerſione ad phantaſmata, maximè quia erat beata; ſed hæc ratio eſt nulla; ergo, &c. Minor probatur, nam in tantum anima poteſt intelligere aliquid extra Verbũ ſine conuerſione ad phantaſmata, in quantum totaliter dominatur ſuo corpori, ſed anima Chriſti non totaliter dominabatur ſuo corpori cum adhuc non eſſet glorioſum. Tum quia anima Chriſti indigebat conuerſione ad phantaſmata in cognitione ſcientiæ acquiſitæ; ergo, &c. Reſp. negando minorem. Ad probationem dico, quod, licet corpus Chriſti Dom. non eſſet glorioſum ante mortem, non ſequitur, quod anima non haberet plenum dominium

niutn illius, quia miraculosè fiebat, quod ex anima gloriosa non redundarent corporis gloriosi dotes, &c. Ad aliam probationem dico, quod anima Christi D. poterat etiam vti scientijs acquisitis sine conuersione ad phantasmata, sicut facere potest anima beata vnita suo corpori.

DVBIVM VI.

An anima Christi D. potuerit pro sua libertate vti scientia indita, conuertendo se ad phantasmata.

91 VAsquez *hic disp.* 52. *cap.* 2. *n.* 5. putat, quod anima Christi non potuerit vti scientia indita conuertendo se ad phantasmata. Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Anima Christi D. potuit vti scientia indita conuertendo se ad phantasmata*. Hæc conclusio magis indiget explicatione, quam probatione, nam sensus illius non est, quod intellectus animæ Christi D. vtatur scientia indita conuertendo se ad phantasmata ex eo, quod in phantasmatibus contempletur obiectũ quod cognoscit, quatenus species illud repræsentans est deducta ex aliquo phantasmate; hoc enim modo certum est, quod Christus D. non vtatur scientia indita per conuersionem ad phantasmata, cum neque species sint ex phantasmatibus deductæ, cum sint per infusionem, nec obiecta communiter spectantia ad scientiam inditam reluceant in phantasmatibus, vt est lumen gloriæ, visio beata, actus supernaturales, &c. licet aliqua relucere possint, vt sunt omnia entia creata naturalia, de quibus postea. Neque sensus conclusionis est, quod anima Christi vti possit scientia indita conuertendo se ad phantasmata, quatenus dum intellectus intelligit aliquod obiectum scientiæ inditæ, phantasia concomitanter phantasietur; hoc enim non est intelligere per conuersionem ad phantasma, sed est phantasiam concomitari intellectum, vt dum ille intelligit, ipsa non maneat otiosa, sed & ipsa aliquid phantasietur, aliàs si ad intelligendum per conuersionem ad phantasmata, sufficeret ista concomitantia, etiam scientia, seu visio beata esset per conuersionem ad phãtasmata cum possit phantasia in corpore glorioso phantasiari, dum intellectus videt Deum.

92 Sensus ergo nostræ conclusionis est, quod animam Christi vti scientia indita per conuersionem ad phantasmata nihil aliud sit, quam intellectum per talem scientiam cognoscere aliquam naturam communem; & phantasiam formare phantasmata in quibus intellectus cognoscat illius singularia. Tunc enim intellectus non vtitur specie ex phantasmate deducta, nec hoc est extrahere speciem ex phantasmate, sed est intellectum specie alicuius naturæ informatum conuertere se ad phantasiam, faciendo quod formet, vel proponat phantasmata illius naturæ, vt sic in illis cognoscat immediatè, & magis directè, singularia dictæ naturæ, cum prius solum cognosceret indirectè, & media tantum natura vniuersali.

93 Ex quibus probatur 1. conclusio, quia nulla est implicantia, & nulla est imperfectio in hoc quod intellectus animæ Christi D. cognoscendo per scientiam inditam aliquam naturam vniuersalem, v.g. naturam humanam, conuertat se ad phãtasiam vt producat, aut proponat aliquod vel aliqua phantasmata repræsentãtia aliquod, vel aliqua singularia dictæ naturæ, quæ postea intellectus in illis phantasmatibus contempletur; ergo iste modus cognoscendi non debet denegari animæ Christi Domini. Antecedens probatur, nam Christus D. per hanc scientiam docuit homines, aperiens illis parabolas, & exempla rerum materialium singularium, ad explicandum res spirituales, ergo potuit ea vti mouendo phantasiam ad phantasmata formanda in quibus non spiritualia, sed naturalia inspiceret.

94 Probatur 2. nam anima Christi D. poterat vti scientia indita modo suo connaturali, & dictæ scientiæ non repugnante, sed cognoscere per conuersionẽ ad phantasmata est connaturalis animæ rationali quandiu est in via, & non repugnat scientiæ inditæ; ergo poterat anima

ra-

rationalis Chriſti D. vti dicta ſcientia per conuerſionẽ ad phantaſmata. Maior nota eſt. Minor quoad primam partem conſtat. Et quoad ſecundam, quod conuerſio ad phantaſmata non repugnet ſcientiæ inditæ probatur, nam ſcientia indita, & acquiſita, non repugnãt eſſe ſimul in anima Chriſti D. vt omnes tradunt, maximè quia poſsunt verſari circa idem obiectũ, & eandem materiam, ergo neque repugnãt eſse ſimul quoad rationem conuerſionis ad phantaſmata, &c. Soluuntur argum. in contrarium.

95 Primum argum. nam ſpecies ſcientiæ inditæ non ſunt deſumptæ ex phantaſmatibus, ſed ſunt per infuſionem, ergo ſcientia indita, non poterat haberi per conuerſionem ad phantaſmata. Conſeq. probatur, nam intantum poteſt quis vti aliqua ſcientia per conuerſionem ad phantaſmata, inquantum ſpecies illi deſeruientes ſunt deſumptæ à phantaſmatibus; ſed non eſt ſic in noſtro caſu; ergo, &c. Reſp. concedendo antecedens, & negando conſeq. Ad probationem dico quod licet ſpecies non ſint deſumptæ à phantaſmatibus, adhuc intellectus poteſt vti illis vt conuertatur ad phamtaſmata, quatenus cognoſcendo in ſpecie naturam vniuerſalem, mouet phantaſiam vt proponat ſingularia illius in phantaſmatibus, vt ſic intellectus in illis cognoſcat ſingularia quaſi in ſe ipſis, cum prius cognoſceret ſolum in illa ſpecie vniuerſali; non quod ipſe intellectus vtatur phantaſmatibus, ſed quia ſpecies illa vniuerſalis ad præſentiam phantaſmatum veluti fortificatur, & roberatur, vt repræſentet ſingularia. Ad eum modum quo ſpecies Angelica, quę antequam poneretur Petrus, illum non repræſentabat vt præſentem, eo poſito, abſque noua additione, ſed ſolum ex noua connotatione, eum vt præſentem repræſentat.

96 Secundum argum. nam intelligere per conuerſionem ad phantaſmata, nihil eſt aliud, niſi quod cognitio fiat per dependentiam à phantaſmatibus, ſeu à ſenſibus, ſed intellectus animæ Chriſti per ſcientiam inditam non dependet à phantaſmatibus, nec ab aliquo ſenſu; ergo, &c. Maior conſtat. Minor probatur, nam cum anima Chriſti D. nõ ſit immerſa in materia, cum ei dominetur, eamque ſibi ſubdat, etiam eius intellectus erit independens à materia, ſeu à materialibus, ſcilicet ſenſibus, & phantaſmatibus, ac proinde ab illis non pendebit. Reſp. negando maiorem; licet enim in nobis intelligere per conuerſionem ad phãtaſmata ſit dependere ab illis, ſeu ſit cognitionem intellectus dependere à cognitione ſenſus, & phantaſiæ, tamen in Chriſto, & in beatis non eſt cognitionem fieri per dependentiam à ſenſibus, ſeu à phantaſia, & phantaſmatibus, ſed eſt phantaſiam, & phantaſmata dependere ab intellectu. Non enim iſta conuerſio fit ex neceſſitate, ſed ex voluntate, qua intellectus excitat phantaſiam vt producat phãtaſmata, vt ſibi deſeruiant in cognitione ſingularium, modo explicato. In nobis phantaſia per phantaſmata excitat intellectum. At in Chriſto D. & beatis, intellectus ob perfectum dominium in phantaſiam, excitat illam vt ſibi deſeruiat, & obſequatur.

97 Tertium argum. nam eadem videtur ratio de ſcientia indita, ac de beata, ſed ſcientia beata non poteſt fieri cum conuerſione ad phantaſmata; ergo neque indita. Minorem docent omnes. Maior probatur, nam ideo ſcientia beata non poteſt fieri per conuerſionem ad phantaſmata, quia eſt omnino ſupernaturalis, & non poteſt acquiri per ſenſus. Tum quia ſemper eſt in actu ſecundo circa omnia ſua obiecta, ſed etiam ſcientia indita eſt ſupernaturalis, & eſt ſemper in actu ſecundo erga omnia ſua obiecta; ergo, &c. Reſp. negando maiorem. Ad probationem dico, quod ſcientia indita non eſt ſemper in actu ſecundo ergo omnia ſua obiecta, vt infra dicemus.

DV-

DVBIVM VII.

An scientia indita sit discursiua.

98 MOdus cognoscendi intellectus creati est duplex. Vnus per simplicem intuitum, quatenus vno, eodẽque simplici actu simul antecedens, & consequens, mutuaque illorum connexio cognoscitur, hoc modo Deus, & Angeli cognoscunt, percipiendo conclusiones in suis principijs: proprietates in ipsa essentia, & effectus in suis causis. Alius est per illationem, & discursum, inferendo vnum ex alio, vt prior cognitio causet posteriorem, vt cum deducimus hominem esse risibilem, ex eo quod est rationalis, &c. qui modus est proprius hominis pro hoc statu.

99 Pro quo nota, quod vt docet S.D. 1.*p.q.*14 *art.*7. discursus est duplex, proprius scilicet, & improprius, seu secundum quid. Discursus proprius est ille, qui non solum dicit successionem cognitionum, vt cum vno intellecto, conuertimur ad intelligendum aliud, siue ista sint connexa, siue non, sed importat causalitatem vnius cognitionis ex alia, quatenus cognitio antecedentis causat, seu concurrit ad cognitionem consequentis, vnde debet esse inter res habentes aliquam connexionem, aliàs cognitio vnius non posset esse causa cognitionis alterius: non est tamen necesse, quod cognitio quæ est causa cognitionis alterius sit talis quoad esse rei, sed sufficit quod sit causa quoad cognosci. Discursus improprius solum importat successionem cognitionis, nõ quod vna sit alterius causa. De discursu propriè dicto dubium procedit.

100 Prima sententia est, quod scientia indita sit discursiua. Sic tenent Alens. 3.*p.q.*13.*n.*5. Durand. *in* 3. *dist.* 14.*q.*3. Paludanus *ibid.q.*2. & alij antiqui, volentes, quod scientia indita sit propriè discursiua, vt dicat quendam motum est vno prius cognito, in aliud posterius cognitum, ac proinde inferens duas saltem cognitiones, quarum vna sit causa alterius.

101 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Scientia indita animæ Christi D. non est per se, & ex sua natura discursiua, sed percipit suum obiectum per modum simplicis intuitus, seu intelligentiæ: cognoscit simul vnico actu antecedens, & consequens: cognoscit effectus in sua causa: conclusiones in suis principijs, & proprietates in sua essentia.* Sic tenet S. Doctor quem eius expositores sequuntur. Videantur N. Cornexus, Orlandus, Cipullus, Syluius, Isambertus, & alij post Caiet. Medinam, Aluarez, & alios.

102 Probatur 1. nam illa scientia est discursiua, cuius lumen est debile, cuius species illi deseruientes sunt imperfectæ, vt non repræsentent causam, & effectum simul, vt non repræsentent simul essentiam, & proprietates, &c. Item quando vis intellectiua est aliquo modo immersa in materia, nec est omnino eleuata supra materiam, cum illi aliquo modo subdatur, non eam sibi subdat; sed hæc omnia cessant in nostro casu; ergo, &c. Maior constat in scientia à nobis acquisita pro hoc statu; vbi lumen, species, & vis cognoscitiua est valde debilis. Minor probatur, nam lumen scientiæ inditæ est quædam participatio luminis gloriæ: species sunt perfectissimæ, cum sit spirituales, ac proinde represẽtat simul essentiam, & passionem. Et vis intellectiua animæ Christi D. est fortissima, & independens à materia; ergo, &c.

103 Probatur 2. nam scientia indita Angelorum non est discursiua; ergo neque scientia indita animæ Christi. Antecedens constat, in Angelis namque non datur discursus, vt omnes tradunt. Conseq. probatur, tum quia scientia indita animæ Christi Dom. est simpliciter perfectior qualibet scientia Angelorum, excepta beata. Tum etiam quia Angeli per nullam scientiam discurrunt, quia lumen illorum est perfectius nostro lumine quod deseruit scientiæ acquisitæ, quia species repræsentat passiones in essentia, conclusiones in suis principijs; & quia vis intellectiua illorum est ab omni materia separata; sed hæc omnia reperiuntur in Christo;

sto; ergo, &c. Soluuntur argumenta in contrarium.

104 Primum argum. Illa scientia est discursiua, quæ non potest eodem actu attingere principia, & conclusiones; huiusmodi est scientia indita; ergo est discursiua. Maior nota est ex dictis. Minor probatur, nam tunc non possunt eodem actu attingi principia, & conclusiones, quando pertinent ad distincta lumina, seu habitus; duo namque lumina, & duo habitus non possunt causare vnum, eundemque actum, aliàs idem actus ad duas species pertineret; sed principia, & conclusiones scientiæ inditæ pertinet ad duo lumina, seu habitus; ergo, &c. Minor probatur, nam veritas mediata, & immediata pertinent ad diuersa lumina, scilicet ad habitum principiorum, & conclusionum. Tum quia scientia indita subalternatur scientiæ beatæ; ergo eius principia sunt conclusiones scientiæ beatæ.

105 Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad 1. probationem dico, quod veritas mediata, & immediata, seu veritas conclusionum, & principiorum tunc pertinet ad diuersa principia, scilicet ad habitum principiorum, & conclusionum, quando vtraque attingitur ratione sui, secus quando vna attingitur ratione alterius. Vnde quando principia attinguuntur in se, attinguuntur per habitum principiorum, at quando attinguuntur vt sunt rationes inferendi conclusiones, attinguuntur per habitum conclusionum. Habitus namque conclusionum attingit etiam principia, non secundum se, sed prout sunt rationes attingendi conclusiones. Per quod patet ad secundam probationem; conclusiones namque scientiæ beatæ, vt tales, non attinguuntur à scientia indita, bene tamen vt sunt rationes inferendi conclusiones scientiæ inditæ.

106 Secundum argum. nam Christus D. non potuit vti scientia indita, nisi secundum modum intelligendi sibi connaturalem; sed modus connaturalis intelligendi animæ Christi fuit per discursum, ergo non nisi hoc modo potuit ea vti. Homo namque est animal rationale, seu discursiuum. Resp. quod anima Christi D. vtrumque habuit, & quod esset rationalis, & quod esset intellectiua: hoc erat necessitatis, illud libertatis, vt dub. seq. dicetur.

DVBIVM VIII.

An anima Christi D. potuerit vti scientia indita ad discurrendum.

107 Dubio præcedenti vidimus sciẽtiam inditam non esse per se discursiuam, modo quærimus an saltem per accidens, & ratione subiecti fuerit discursiua, ac proinde, an Christus D. potuerit pro sua libertate ea vti ad discurrendum. Prima sententia negat. Hanc tenent Ricard. *in 3. dist. 14. q. 3. art. 4.* Suarez *disp. 28. sect. 2.* Vasq. *disp. 52. cap. 3.* Isambertus *q. 11. disp. 7. art. 2.* & alij.

108 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Anima Christi D. potuit discurrere per scientiam infusam.* Sic tradit Sanctus D. hic ar. 3. vbi sic dicit. *Aliqua scientia potest dici discursiua, vel collatiua dupliciter. Vno modo quantum ad scientiæ acquisitionem, sicut accidit in nobis, qui procedimus ad cognoscendum vnum per aliud, sicut effectus per causas, vel è conuerso. Et hoc modo scientia animæ Christi non fuit discursiua, vel collatiua, quia hæc scientia de qua nunc loquimur, fuit sibi diuinitùs indita, non per inuestigationem rationis acquisita. Alio modo potest dici aliqua scientia discursiua, vel collatiua quantum ad vsum, sicut interdum scientes, ex causis concludunt effectus, non vt de nouo edíscant, sed volentes vti scientia quam iam habent. Et hoc modo scientia animæ Christi poterat esse collatiua, & discursiua: poterat enim vnum ex alio concludere, sicut sibi placebat, sicut Matt. 17. cum Dominus quæsisset à Petro à quibus Reges terræ tributum acciperent, à filijs suis, an ab alienis, Petro respondente, quod ab alienis, conclusit; ergo liberi sunt filij.* D. Thomam sequuntur omnes eius discipuli hoc loco. Noster Cornexus *art. 3. disp. vnica dub. 3.* Cipullus *art. 3. dub. 2.* Orlandus

landus *disp.4.q.2.concl.2.* Medina, Nazar. & alij.

109 Probatur 1. nam licet ista scientia indita, & species illi deseruientes, quantum est ex vi suę perfectionis possint eodem actu manifestare principia, & conclusiones, nihil tamen impedit quominus possit Christus D. diuersis actibus cognoscere principia, & conclusiones vt cognitio principiorum inferat cognitionē conclusionis; ergo hoc non est denegandum animæ Christi. Conseq. constat. Antecedens probatur, nam cognoscere principia, & conclusiones per diuersos actus modo dicto, est connaturale animę Christi D. pro hoc statu, quatenus conuenit in ratione specifica cum nostris animabus; ergo licet anima Christi ob eleuationem supra materiam non necessitaretur ad eũ modum cognoscendi, tamen poterat illo vti pro sua libertate. Anima namque Christi D. poterat pro sua libertate vti scientia sibi inexistente, modo sibi connaturali, maximè quia illa scientia dabatur ad complendam actiuam illius potentialitatem; modus autem connaturalis animæ, & actiuæ potentialitatis illius, est intelligere per discursum, vt patet.

110 Occurrit Isambertus *q.11.disp.7. art.3.* quod anima rationalis non est discursiua circa quæcumque obiecta, quæ per quamcumque cognitionem ab illa cognosci possunt, & ad quemcumque gradũ sit eleuata, sed tantum circa obiecta naturalia, & naturali modo cognoscibilia. Propria autem obiecta scientiæ inditæ, non sunt connaturalia intellectui animæ Christi. Hinc est, quod intellectus animæ Christi D. & omnes beati cognoscunt per visionem beatificam diuinam essentiam, & aliquot creaturas, non tamen per discursum. Et sic scientia indita non complet potentialitatem naturalem, sed tantum obedientialem. Sed contra, nam scientia indita versatur circa plura obiecta naturalia, & naturali modo cognoscibilia; ergo saltem circa ista poterit esse discursiua. Antecedens probauimus in hac disp. *dub.1.* & non dissentit Isambert. scientia namque indita extenditur ad omne id ad quod se extendit lumen naturale intellectus agentis. Tum quia noster intellectus versatur per discursum circa entia superuaturalia, & tamen nec sunt obiecta omnino proportionata pro hoc statu, nec petunt ex sui natura sic cognosci; ergo dato quod omnia obiecta scientiæ inditæ essent improportionata intellectui Christi secundum potentiam naturalem, adhuc posset pro sua voluntate Christus D. versari circa illa modo suo connaturali, scilicet per discursum. Quod autem scientia beata non sit discursiua, ideo est, quia est semper in eodem actu circa sua obiecta, quod non est sic de scientia indita. Deinde falsum est, quod scientia indita solum compleat potentiam obedientialem, quia etiam complet potentiam naturalem, in ordine ad obiecta naturalia.

111 Probatur 2. nam ad discursum, vt dicebamus, sufficit, quod sint duæ cognitiones, quarum vna causetur ex alia; sed anima Christi D. vtendo hac scientia potuit habere duas cognitiones, quarum vna causaretur ex alia; ergo potuit vti scientia indita ad discurrendum. Minor probatur, nam species huius scientiæ subdebantur voluntati Christi, vt repræsentarent ei essentiam, non passionem, seu vt eis vteretur pro cognitione essentiæ, & postea pro cognitione passionis, vt prius per vnum actum cognosceret essentiam, postea passionem; ergo, &c.

112 Occurrit idem Isamb. vbi supra negando minorem. Ad probationem dicit, quod species scientiæ inditæ subduntur libertati animæ Christi, quantum ad hoc quod possit eis vti, vel non vti ad intelligendum ea obiecta quę repræsentant, non autem quoad hoc, quod possit illis vti ad cognoscendam solummodo causã, excludendo cognitionem effectus, qui simul per talem speciē repræsentatur, quia species referunt omnia ista concretè, idest naturam cum proprietate; causam cum effectu; principium cum conclusione.

113 Sed contra, nam licet verum sit, quod non possit anima Christi D. vti specie repræsentante essentiam, & passionem,

nem, cauſam, & effectum; principia, & concluſiones, ad cognoſcendum vnum, v.g. eſſentiam, excludendo paſſionem, hoc enim eſſet contra veritatem talis ſpeciei, tamen poteſt vti illa ſpecie ad cognoſcendum vnum per vnum actum, non vtendo pro tunc ad cognoſcendum aliud, non tamen excludendo. Intellectus namque animæ Chriſti ſubditur voluntati, non ſpecies, quoad ſuam repræſentationem, cum repræſentatio ſit illi naturalis, non libera, & ſic voluntas poteſt applicare intellectum ad vnum ex repræſentatis per illam ſpeciem vt ſolum ad illud attendat, non ad aliud; ſicut enim liberum eſt volũtati applicare intellectum ad totam ſpeciem, ita liberum illi eſt facere quod ad vnum tantum attendat per illum actum, & poſtea per alium ad aliud. Tum quia etiam reſpectu noſtri poteſt ſpecies repræſentare naturam, & proprietatem, vt naturam humanam, & riſibilitatem: ignem & calorem; Solem, & lucem, &c. & tamen poteſt noſter intellectus ſe applicare ad vnum, & non ſe applicare ad aliud; ergo id ipſum facere poterit intellectus animæ Chriſti ex libera ſuæ voluntatis applicatione.

114 Probatur 3. nam Chriſtus Dom. multoties vſus eſt ſcientia indita per diſcurſum; ergo, &c. Antecedens probatur, nam Luc. 2. arguebat cum Doctoribus in templo, & reſpondebat illis, qui actus erat proprius ſcientiæ inditæ, cum ad ipſam pertinerent obiecta de quibus agebatur, cum tamen adeſſet diſcurſus: arguere namque cum homine rationali, non poteſt eſſe niſi per diſcurſum. Ad hoc facit teſtimonium D.Thomæ ex illo Matth. 17. de Chriſti interrogatione facta Simoni, an eſſet ſoluendum tributum Cæſari, vbi per verum diſcurſum intulit: *ergo liberi ſunt filij*.

115 Occurrit Iſambertus, quod Chriſtus D. habuit diſcurſum vocalem, non mentalẽ, qui ſolus verus diſcurſus eſt, non vocalis qui ſolum eſt explicatiuus interioris conceptus, ſiue habitus ſit per diſcurſum, ſiue per ſimplicem intuitum; quo modo Angelus Raphael loquens vtrique Tobiæ, explicabat per diſcurſum vocalem, quæ ſine diſcurſu mentali concipiebat; namque Angeli dũ in aſſumptis corporibus loquuntur, & diſcurrunt, per diſcurſum explicant, quod ſine diſcurſu cognoſcunt.

116 Sed contra, nam ideo Angeli dum loquuntur in aſſumptis corporibus ſolum loquuntur vocaliter, quia ſunt incapaces tum diſcurſus mentalis, tum vocalis vitalis; ſi namque eſſent capaces diſcurſus vocalis vitalis poſſent etiam mentaliter diſcurrere. Quod ſic oſtendo, nam diſcurſus vitalis vocalis, debet regulari à diſcurſu mentali, non enim poteſt ſimplex intuitus regulare diſcurſum vocalem; verbum namque oris dependet à verbo mentis, vnde vbi ſunt plura verba oris debent etiam eſſe plura verba mentis. Soluuntur argum. in contr.

117 Primum argum. Nullus poteſt vti ſcientia modo ei oppoſito, quem eadem ſcientia ſibi eſſentialiter, & ex propria natura ſibi vendicat; ſed modus proprius, quem ſcientia indita ſibi vendicat, eſt cognoſcere vnico intuitu eſſentiam, & paſſionem, & abſque diſcurſu; ergo non poteſt contra propriam naturam tendere cum diſcurſu. Maior conſtat, nam aliàs deſineret eſſe talis, & tranſiret ad aliam ſpeciem cognitionis. Hinc videmus quod cum habitus primorũ principiorum habeat ex ſua natura quod tendat in ſua obiecta ſine compoſitione, & diuiſione, non poteſt quis eo vti ad componendum, & diuidendum, ſeu diſcurrendũ. Minor probatur, nam lumen ſcientiæ inditæ, & ſpecies illi deſeruientes, ſunt eiuſdem rationis in Chriſto D. & in Angelis, ſed in Angelis non inferunt diſcurſum; ergo neque in Chriſto. Reſp. concedendo maiorem, & negando minorem; habet quidem ſcientia indita ex ſe vt tendat in obiectum ſimplici intuitu, & ſine diſcurſu, tamen ex parte ſubiecti permittit, ſeu admittit diſcurſum. Ad probationem dico, quod ſcientia indita, dato quod ſit eiuſdem ſpeciei in Chriſto D. & in Angelis, ſolum ſequitur, quod ſecundum ſe petit eſſe ſine diſcurſu, licet ratione ſubiecti illud

admittat. Vel dicas, & in idem reddit, quod scientia indita nec petit positiuè, & essentialiter esse cum discursu, aut sine, sed vtrumque admittere potest pro conditione subiecti. Cum enim scientia indita sit medium inter scientiam beatam, & acquisitam, de vtraque debet participare, vt possit tendere sine discursu, vt facit scientia beata, & vt possit tendere cum discursu, vt facit scientia acquisita. Tum quia scientia indita perficit intellectum Christi D. & vt conuenit cum Angelis, & vt est rationalis, primum facit tendendo sine discursu, secundum, cum discursu, prout subiectum ea vti maluerit.

118 Secundum argum. Scientia indita nec est discursiua vt tendit in principia, nec vt tendit in conclusiones, seu si Christus D. potuisset vti scientia indita per discursum, vel hoc fuisset circa principia, vel circa conclusiones; neutrum dici potest; ergo, &c. Minor probatur, nam tam principia, quam conclusiones in Christo Domino, prout vtebatur scientia indita, erant per se notæ; ergo, &c. Cognoscebantur namque immediatè per se, cum eodem modo cognoscerentur conclusiones, ac principia, eodem namque modo per species repræsentantur. Resp. quod discursus includit duo, & tendentiam in principia, & in conclusiones, dicitur tamen discursus esse circa conclusiones, quia istæ sunt quæ deducuntur, & in hoc sensu conceditur maior, & negatur minor. Ad probationem dico, quod licet conclusiones, quæ inferuntur sint aliàs per se notæ, non tamen vt inferuntur, taliter namque inferuntur, ac si aliàs notæ non essent. Vnde ista propositio. *Homo est risibilis*, & erat per se nota, vt cognoscebatur à Christo D. per scientiam inditam immediatè, in se ipsa, seu in sua essentia simul in eadem specie repræsentata, & erat nota per medium, cum illud haberet, scilicet esse rationale, & sic Christus D. vtroque modo poterat eam propositionē cognoscere, & cum medio, & sine medio, cum vterque modus cognoscēdi pertineat ad perfectionem Christi D.

119 Tertium argum. nam discursus est processus quidam mentis ab vno noto, ad aliud ignotum, sed secundum scientiā inditam non poterat in Christo D. esse iste processus, seu motus; ergo &c. Maior est D. Thomæ 1. *p. q.* 14. *art.* 7. & *q.* 58. *art.* 3. *ad* 1. Minor etiam est S. Thomæ *hic art.* 3. *in corpore*, & *ad* 1. Christus nāque D. nihil vnquam ignorauit eorum quæ ad scientiam inditā pertinebāt. Resp. distinguendo maiorem: discursus est processus mentis ab vno noto, ad aliud ignotum, in scientijs acquisitis, conceditur. In scientia indita, negatur. In scientia namque indita discursus est processus vnius ex alio, siue prius esset notum, siue non. Vel dicas quod discursus sit progressus ab vno noto, ad aliud ignotum actualiter, conceditur; habitualiter, negatur. Christus namque D. quod actualiter infert per scientiam inditam, habitualiter scit; in nobis quod per sciētiam infertur, actualiter scitur, non habitualiter: Christus D. actualiter sciebat per illationem, quod habitualiter sciebat.

120 Sed quæres an Christus D. potuerit vti scientia indita componendo, & diuidendo? Resp. affirmatiuè, vt enim notat S. D. 1. *p. q.* 58. *art.* 4. & *q.* 85. *art.* 5. ex eadem radice, intellectus habet componere, & diuidere, ex qua habet discurrere. Et sic intellectus Angelicus qui non discurrit, neque componit, & diuidit. Nos qui discurrimus, componimus, & diuidimus. Fit autem compositio, & diuisio formādo duos conceptus distinctos, & vnus postea de subiecto affirmatur, seu attribuitur, vel negatur. Tum quia discursus infert compositionē, vel diuisionē, vel etiam supponit. Infert, cum in conclusione prædicatum attribuitur subiecto, aut negatur. Supponit, cum præmissæ compositæ attribuitur, vel negatur prædicatum de subiecto. Hinc Suarez, & Vasquez qui volunt Christum D. non potuisse vti scientia indita ad discurrendum, dicunt etiam eum non potuisse eadem vti ad componendum, & diuidendum. Nos qui oppositum sustinemus; oppositum dicimus,

DV-

DVBIVM IX.

An ſcientia indita animæ Chriſti D. ſit perfectior ſcientia indita Angelorum, aliorumque beatorum.

121 PRima ſententia eſt, quod ſcientia indita animæ Chriſti D. ſit abſolutè, & ſimpliciter longè perfectior ſcientia indita, & qualibet alia, excepta ſcientia beata, Angelorum. Hanc tenent Suarez *diſp.29. ſect.1.* Vaſq. *diſp.52. cap.4.* & alij. Secunda ſententia eſt, quod ſcientia indita Angelorum, ſit longè perfectior abſolutè, & ſimpliciter ſcientia indita Chriſti D. Sic Scotus *3. diſp.14. q.4.* & alij.

122 Noſtra ſententia ſequent. concluſionibus explicatur. Prima concluſio. *Scientia indita Chriſti D. ſecundum ſe, & & quoad ſubſtantiam eſt longè perfectior ſcientia indita Angelorum, & quacumque alia ſiue naturali, ſiue ſupernaturali illorũ excepta ſcientia, ſeu viſione beata.* Hæc eſt expreſſa S. Thomæ ſententia *hic art. 4.* quem omnes eius Diſcipoli ſequuntur, Medina, Nazar. Aluarez, Cipullus, Cornexus, Orlandus, & alij communiter. Quod ſcientia beata Angelorum ſit perfectior ſcientia indita animæ Chriſti D. conſtat, quia ſcientia beata nec poteſt eſſe cum diſcurſu vt ſcientia indita animæ Chriſti D. Habet lumen ſuperius, ſcilicet lumen gloriæ. Habet obiectum nobiliſſimum clarè, & certiſſimè viſum, ſcilicet eſſentiam diuinam, quæ non conueniunt ſcientiæ inditæ. Quod ſcientia indita animæ Chriſti D. ſit perfectior quacumque ſcientia naturali Angelorũ etiam conſtat; nam ſcientia indita animæ Chriſti D. procedit per lumen ſupernaturale. Quod etiam ſit perfectior quacumque ſcientia ſupernaturali Angelorum, conſtat, quia ſcientia indita in beatis immediatè ſequitur ad ſcientiam beatam, ac proinde ſi ſemel probetur, quod ſcientia beata animæ Chriſti D. eſt perfectior ſecundum ſe, & quoad ſubſtantiam, probatum remanebit, quod ſcientia indita ſit perfectior quacumque alia.

123 Probatur 1. nam illa ſcientia eſt ſecundum ſe, & quoad ſubſtantiam perfectior alia, quæ procedit per lumen perfectius, clarius, & certius; ſed ſcientia indita animæ Chriſti D. eſt huiuſmodi, ergo eſt perfectior ſcientia indita Angelorum. Minor eſt D. Thomæ in hoc articulo; perfectio namque ſcientiæ, ex perfectione luminis procedit. Minor probatur, nam lumen deſeruiens ſcientiæ inditæ ſequitur ex gratia medio lumine gloriæ, ſed gratia Chriſti D. & lumen gloriæ intellectus illius longè excedit gratiam, & lumen omnium Angelorum, & hominum ſimul, vt ſupra vidimus; ergo, &c.

124 Probatur 2. nam Chriſtus D. per ſcientiam inditam illuminat Angelos etiã quoad obiecta ſcientiæ inditæ illorum; ergo ſcientia indita Chriſti eſt longè perfectior ſcientia indita Angelorum. Conſeq. conſtat, nam doctrina docentis, & illuminantis debet eſſe perfectior in certitudine, & clariate illuminati, aliàs Diſcipulus eſſet ſupra magiſtrum. Antecedens probatur, nam Chriſtus D. eſt caput Angelorum ex eo quod eos docet, inſtruit, & illuminat de pluribus, quæ neſciebant; illuminat namque de multis rebus futuris ad quas eorum ſcientia indita non extenditur.

125 Probatur 3. & confirmatur præcedens argu. nam ſcientia indita animæ Chriſti D. ad multa extenditur ad quæ nõ ſe extendit ſcientia indita Angelorum; ergo eſt multo perfectior. Conſeq. conſtat, quantò namque ſcientia eſt perfectior, tantò ad plura, ſe extendit; exemplo ſpecierum infuſarum in Angelis, vbi illa quæ eſt perfectior, eſt vniuerſalior. Antecedens probatum eſt ſupra, quod ſcilicet ſcientia indita animæ Chriſti D. extenditur ad futura contingentia ex libertate procedentia: extenditur ad cognoſcẽdos actus liberos, & cordium affectiones, & cogitationes, ad quæ non ſe extendit ſcientia indita Angelorum.

126 Probatur 4. illa ſcientia eſt perfectior, quę eminenter continet perfectiones prudentiæ, & donorum Spiritus Sancti; ſed ſcientia indita Chriſti D. continet eminenter perfectiones prudentiæ, & do-

norum Spiritus Sancti, non sic scientia indita Angelorum, ergo illa est perfectior ista. Minor constat, illa namque scientia est perfectior quæ continet perfectiones plurium luminum. Minor probatur, nam vt supra vidimus, scientia indita animæ Christi extenditur ad omnia illa singularia, ad quæ se extendit prudentia tum acquisita, tum infusa, & ad quæ se extendit prophetia.

127 Secunda concl. *Indita scientia animæ Christi D. ex parte subiecti, seu ratione modi attingendi obiectum quem ex subiecto participat est imperfectior scientia indita Angelorum.* Hanc concl. expresse docet S. D. *eodem art.* 4. quem sequuntur omnes eius Discipuli pro prima concl. citati. Ratio conclusionis est, quia Christus D. ratione subiecti poterat vti scientia indita ad discurrendum, per conuersionē ad phantasmata, ad componēdum, & diuidēdū, ad quę Angeli nō possunt vti suis sciētijs inditis. Pro quo nota, quod quando dicimus, quod sciētia indita animæ Christi D. est inferior scientia indita Angelorū ex parte subiecti, non dicimus ex eo non esse ita perfectam quia necessariò fiat per conuersionem ad phantasmata, & per discursum; quia vt supra vidimus, non ex necessitate, sed ex libertate eo modo procedit. Ex quo nō sequitur, quod scientia indita animę Christi D. habeat aliquā imperfectionem qua careat scientia indita Angelorum, quia si scientia animæ Christi fuisset Angelis infusa, nō haberet illum modum discursus, aut conuersionis ad phantasmata. Sed solum sequitur, & volumus, quod scientia indita animæ Christi ex conditione subiecti potest elicere cognitionem, quæ non entitatiuè, sed modaliter sit imperfectior scientia indita Angelorum, imò etiam scientia naturali eorum, quia neque ista fit per conuersionem ad phantasmata, neque per discursum, vt patet. Igitur scientia animæ Christi D. secundum suam entitatem, secundum lumen quo procedit, secundum species quibus vtitur, secundum latitudinem obiecti in quod tendit, est perfectior scientia indita Angelorum. Cæterum si conferatur modus intelligendi per discursum, per collationem, per conuersionem ad phantasmata, quæ conuenire possunt scientiæ inditæ Christi D. cum modo intelligendi per simplicem intuitum, qui conuenit scientiæ inditæ Angelorum, certum est, quod prior modus inuoluit aliquam imperfectionem comparatiuè ad posteriorem. Hæc tamen imperfectio, seu nō tanta perfectio non est simpliciter, sed tantum secundum quid. Soluuntur argu. in contrarium

128 Primum argum. nam scientia, quæ est imperfectior alia quoad modum, est etiam perfectior quoad entitatem, & substantiam; sed scientia indita Angelorū est perfectior scientia indita animæ Christi D. quoad modum, modo explicato, ergo etiam est perfectior quoad entitatē, & substantiam. Maior probatur, nam modus cognoscendi in scientijs, sequitur modum essendi, seu entitatem scientiæ, ergo vbi modus cognoscendi est perfectior, etiam modus essendi, seu entitas eiusdem scientiæ erit perfectior. Resp. negando maiorem, quando ex diuerso capite desumitur entitatis perfectio, & ratio modi, vt in nostro casu; nam perfectio entitatis desumitur ex lumine, ex speciebus, ex vniuersalitate obiecti, At modus de quo loquimur sumitur ex conditione subiecti, quod non est omnino elungatum à materia vt contingit in intellectu Christi D. vt ex dictis liquet.

129 Secundum argum. nam intellectus perfectior, semper elicit perfectiorē intellectionem, sed intellectus Angelicus est perfectior intellectu animæ Christi, ergo semper eliciet perfectiorē intellectionem. Resp. concedendo maiorem, quando cætera sunt paria. Secus quando non sunt cætera paria, vt in nostro casu: Si enim tam intellectus Angelicus quam humanus considerentur secundum quod procedunt per vires proprias, semper intellectus Angelicus elicet operationem perfectiorem. Cæterum si considerentur secundum vires supernaturales superadditas, tunc maior perfectio attendetur ex maioribus viribus supernaturalibus;

vnde

vnde cum intellectus animæ Chriſti D. per ſcientiam inditam illuſtretur maioribus viribus ſupernaturalibus, ſcilicet perfectiori lumine, perfectioribus ſpeciebus &c. Perfectiorem elicet intellectionem.

130 Tertium argum. nam quod ſcientia indita animæ Chriſti D. habeat modũ quo ex parte ſubiecti poteſt intelligere per diſcurſum, & per conuerſionem ad phantaſmata, nullam inducit imperfectionem in ſcientia, ſed ſolum denotat imperfectionem ſubiecti; vnde ſi ſcientia indita animæ Chriſti poneretur in Angelo non haberet illum modum; ergo ex hoc non poteſt dici quod ſcientia indita animæ Chriſti ſit quoad modum, & ex parte ſubiecti imperfectior, ſed quod abſolutè, & ſimpliciter ſit perfectior, licet ſubiectũ ſit imperfectius. Reſp. negando antecedens: in ipſa namque ſcientia eſt ſua imperfectio, cum ſit talis conditionis, quod vtrũque poſſit illi accidere, ſcilicet & diſcurrere, & intelligere per ſimplicem intuitum; at ſcientia indita Angelorum dicit abſolutè intelligere per ſimplicem intuitum vt neque ratione ſubiecti poſſit ſibi vtrumque accidere.

131 Sed quæres 1. an anima Chriſti D. habuerit vnũ tantum actum toti ſcientiæ inditæ adæquatum? Reſp. negatiuè, eſt expreſſa ſentẽtia D. Thomæ, quatenus hic articulo 3. docet ſcientiam inditam in Chriſto D. fuiſſe diſcurſiuam, ſeu collatiuam; vbi enim eſt diſcurſus, & collatio, ibi non poteſt eſſe vnus tantum actus, vt patet. Et art. 5. docet, Chriſtum D. non fuiſſe ſemper in actu, ſaltem adæquato per hanc ſcientiam. Probatur, nam vbi ſunt obiecta maximè diſtincta, & diuerſi ordinis, vt pro illis plures ſpecies infundantur, ibi non poteſt eſſe vnicus tantum actus omnibus illis, & toti ſcientiæ adæquatus; iſta reperiuntur in noſtro caſu; ergo &c. Tum quia actus huius ſcientiæ debet eſſe minus perfectus quam viſio beatifica, cum ſit ordinis inferioris vt conſtat ex dictis ſupra; ſed viſio beatifica attingit omnia ſua obiecta ſimul, ergo ſcientia indita cum procedat per lumen, & ſpecies ordinis inferioris, non poterit vnico actu attingere omnia ſua obiecta.

132 Quæres 2. quantum ſe extendãt actus huius ſcientiæ? Reſp. quod ſe extendunt plus, aut minus ſecundum quod ſpecies ſunt magis, aut minus vniuerſales, & intellectus magis, aut minus attendit. Licet enim, vt ſupra vidimus, vna eademque ſpecies repræſentet eſſentiam, & paſſionem, tamen intellectus poteſt ſe applicare ad cognitionem eſſentiæ, abſque eo quod eodem actu ſe applicet ad cognitionem paſſionis. Poterit etiam intellectus Chriſti D. vti duabus ſpeciebus repræſentantibus duo obiecta, & taliter eas ſimul vnire, vt ſimul, & vnico actu cognoſcat obiecta illa, vt componentia vnum idemque obiectum, hoc enim facimus nos, & faciunt Angeli, vt communiter traditur.

133 Quæres 3. à quo intellectus Chriſti D. determinetur ad vtendum potius hac ſpecie quam alia, cum non ſit sẽper in actu reſpectu omnium, neque reſpectu omnium obiectorum per illas repræſentatorum? Reſp. hoc prouenire ex voluntatis applicatione. Cum enim anima Chriſti D. per ſcientiam inditam cognoſcat ſe, & ſua accidentia, ſeu ſuas potentias: item omnes ſpecies ſuo intellectui infuſas, & inhærentes, & cum iſtæ ſpecies ſint media quædam ad repræſentanda obiecta pro quibus dantur, pro ſua libertate applicat eundem intellectum ad vtendum potius hac quam illa ſpecie, & liberè potius cognoſcit hoc, quam illud obiectum. Poterit etiã excitari vel à Deo, vel ex cognitione ſcientiæ beatæ. In nobis iſta excitatio poteſt etiam ab extrinſeco procedere, ſcilicet ex cognitione alicuius ſenſus, ex alteratione alicuius organi, &c.

134 Quæres 4. an anima Chriſti D. de facto cognouerit omnia obiecta ſuæ ſcientiæ inditæ, vtendo omnibus ſpeciebus, quæ ſunt in ſuo intellectu? Reſp. affirmatiuè, videtur enim debitum animæ Chriſti, quod cognoſcat omnia quorum habet ſpecies; licet omnia fortè quæ pertinent ad ſcientiam inditam abſolutè, & ſecundum ſe non pertineant ad ſtatum ani-

animæ Christi Dom. propterea non fuit à primo instanti suæ conceptionis in actu, quoad omnes species, & omnia obiecta huius scientiæ. Tamen ex suppositione quod Deus infuderit species tot obiectorum, pertinuit ad perfectionem animæ Christi, quod ad omnia illa se extenderet. Vnde modo est in habitu quoad omnia obiecta, quia iam ad omnia se extendit, licet non sit necesse, quod modo actu sit in actu respectu omnium obiectorum, sed in habitu respectu omnium, & in actu respectu aliquorum, sed de hac re fusius infra *n.146.cum seq.*

DVBIVM X.

An scientia indita sit habitus distinctus à speciebus intelligibilibus.

135 PRima sententia est, quod scientia indita nõ sit habitus distinctus à speciebus intelligibilibus, sed est quædam collectio specierum intelligibilium. Hanc tenent Valentia *q.11.punct.1.* Vasquez *hic disp.14.cap.2.* & aliqui iuniores. Secunda sententia est, quod scientia indita est duplex habitus distinctus à speciebus intelligibilibus, primus vocatur à suis auctoribus habitus luminis, & est quoddam lumen, quædam qualitas habitualis illuminans intellectum, vt vtatur speciebus, in illisque obiecta discernat. Secundus est habitus scientiæ, inclinans intellectum ad cognoscenda obiecta dictæ scientiæ inditæ. Sic aliqui recentiores. Et videtur esse sententia Isamberti hoc loco; de quo aliqua diximus supra.

136 Nostra sententia duabus conclusionibus explicatur. Prima conclusio. *Scientia indita animæ Christi D. est habitus realiter à speciebus distinctus.* Sic colligitur ex D.Thoma *hic art. 6.* quatenus docet, quod Christus Dom. præter species à Deo infusas habuit etiam aliquod lumẽ diuinitus infusum; hoc autem lumen non est aliud quam habitus scientiæ, eo quod habitus scientificus est quoddam lumen habituale illuminans intellectum, eumque confortans, vt per species attingat obiectum. Clarius hoc docuit idem S.D. *in 3. dist.14. q.1. art.3. quæstiunc.2. & 4.* Nostram sententiam etiam tenent D. Bonau. *ead.dist.art.6. q.2.* Ricard. *ibid. art.3. & 4.* & expositores D.Thomæ hoc loco.

137 Probatur 1. nam vltra species ad producendum actum permanenter requiritur aliqua virtus eleuans, & confortans potentiam vt fiat ordinis actus quem producit, sed iste est habitus; ergo ad eliciendum actum scientiæ inditæ vltra species infusas debet dari habitus. Maior constat, nam nulla potentia potest attingere actum nisi illi proportionetur, & sit eiusdem ordinis cum illa; hinc videmus quod potentia naturalis vt attingat actum supernaturalem, debet per aliquid supernaturale eleuari, confortari, & fieri eiusdem ordinis, vt patet in visione beata, vbi intellectus per lumen gloriæ confortatur, & eleuatur ad videndum Deum, quod etiam patet in nostro intellectu, qui vt eliciat actum fidei, vltra species indiget habitu fidei per quem fiat potens elicere actum fidei, &c. Minor probatur, tum quia id quod eleuat intellectum ad eliciendum actum scientiæ inditæ, debet se tenere ex parte eiusdem intellectus, sed species intelligibiles nõ se tenent ex parte intellectus, sed ex parte obiecti, sunt enim vicariæ obiecti, & præstant id quod præstaret obiectum si esset ex se intelligibile, & intimè vnitum potentiæ. Concursus autem obiecti est per modum masculi, & id quod se tenet ex parte potentiæ simul cũ ipsa potentia, habet rationem fœminæ, vt sic ex masculo, & fœmina intelligibili, pariatur notitia, iuxta illud proloquium ex D.August. *lib.9.de Trinit.cap.12.* communiter receptum. *Ex obiecto, & potentia, paritur notitia.* Cum autem species sint semen obiecti, quando se ipso non vnitur, fæcundans potentiam, oportet, quod vltra species, quæ se tenent ex parte obiecti, debeat dari aliquid se tenens ex parte potentiæ, eam habitualiter eleuans, & confortans, vt sit potens simul cum specie attingere habitualiter, seu quoties voluerit attingere, notitiam.

138 Probatur 2. nam quoties ad vnũ, eun-

eundemque actum, vel effectum concurrunt duæ causæ, seu duo principia vtrumque debet eidē actui proportionari, aliàs actus, siue effectus non ponetur, maximè quando illa duo principia se habent, vt actiuum, & passiuum, tunc enim vtrumque debet in suo ordine proportionari, sed ad actum scientiæ inditæ concurrunt duo principia, scilicet actiuum, & passiuū, seu potentia, & obiectum; ergo vtrumque debet proportionari. Sed obiectum proportionatur per speciem, cum sit eius vicaria, & præstet id quod obiectum præstare deberet si esset se ipso tantæ immaterialitatis, vt immediatè per se ipsum posset vniri potentiæ, essetque illi intimè indistans; ergo vltra speciem debet dari lumen, seu habitus per quem potentia eleuetur, confortetur, & proportionetur, vt eliciat actum supernaturalem scientiæ inditæ. Cum enim virtus natiua, seu naturalis animæ Christi D. non sit proportionata actui supernaturali scientiæ inditæ, debet aliquid recipere per quod proportionetur.

139 Probatur 3. nam si vltra species non daretur in intellectu animæ Christi D. aliqua qualitas, seu habitus, qui eleuaret potentiam ad eliciendum actum supernaturalem, sed sufficerent ipsæ species, vt vult Vasq. sequeretur, quod species essent tota ratio agendi, & attingendi proximè actum supernaturalem scientiæ inditæ; hoc est falsum; ergo, &c. Sequelam admittet Vasq. Cum enim neget habitum, seu lumen, & velit sufficere species, oportet, quod species sint tota ratio agendi proxima; ratio namque remota, est ipsa potentia quæ eleuatur. Minorem probo, nam species solum partialiter concurrit ad cognitionem, concurrit ex parte obiecti, vt semen illius; ergo non potest esse tota virtus agendi. Consequ. constat, & bene infertur ex antecedenti. Antecedens ostenditur, nam implicat, quod vna, eademque res concurrat vt masculus, & vt fœmina, vt principium actiuum, & passiuum; aliàs idem esset principium actiuū, & passiuum simul, ageret simul, & reciperet, & pateretur.

140 Occurres pro aduersarijs, quod istæ rationes ad summum probant, quod vltra species in intellectu animæ Christi D. requiratur aliqua qualitas supernaturalis eleuans intellectum ad eliciendum actum scientiæ infusæ, seu inditæ circa obiecta supernaturalia, non tamen circa obiecta naturalia, cum circa ista intellectus non indigeat eleuatione. Sed contra 1. quia etiam cum scientia indita versatur circa obiecta naturalia, versatur per actum supernaturalem: omnis namque actus scientiæ supernaturalis, vt est scientia indita, est supernaturalis, cum principium sit supernaturale. Exemplum habemus in virtutibus moralibus infusis, quæ per actus supernaturales versantur circa materiam, seu obiecta naturalia. 2. Quia etiam in actibus naturalibus vltra species requiritur lumen, seu habitus naturalis, tenens se ex parte potentiæ, tribuens ei facilitatem, & promptitudinem ad eliciēdos actus naturales. 3. Quoniam licet actus scientiæ inditæ esset naturalis quoad substantiam, adhuc tamen vltra species indigeret virtute superaddita vt fieri posset sine collatione, sine conuersione ad phantasmata.

141 Secunda concl. *Scientia indita nō importat duos habitus quorum vnus habet rationem luminis, & alius rationem facultatis, seu habilitatis.* Sic docet communiter Theologi. Ratio communis est, quia nulla est necessitas multiplicandi hos duos habitus, cum vtrumque munus illuminandi, & habilitandi potentiam, optimè possit vni habitui conuenire. Tum quia non aliter habitus habilitat potentiam, nisi eam illuminando, nec aliter potentiam illuminat, nisi eam habilitando. Si enim potentia visiua indigeret habitu, non indigeret vno qui eam illuminaret, & alio, qui eam habilitaret, sed vno, eodemque, qui vtrumque munus præstaret. Cū enim potentia visiua sit quoddam lumen, per lumen habilitaretur magis, & magis illuminaretur. Cum ergo intellectus sit quoddam lumen, per idem lumen superadditur & illuminatur, & habilitatur, & non nisi lumen illi superaddi potest, quod enim

enim agit illuminando, vt magis agat, vel vt agat circa id quod non videt, non nisi lumine indiget. Soluuntur argum. in contrarium.

142 Primum argum. nam intellectus animæ Christi D. constituitur sufficienter in actu primo per species infusas ad intelligenda obiecta illius; ergo frustra superadditur habitus realiter à speciebus distinctus. Conseq. constat. Antecedens probatur, nam in actu scientiæ infusæ duo tantum assignari possunt; scilicet esse intellectionem, & esse talem intellectionem talis obiecti, sed ad primum concurrit intellectus, & ab ipso sufficienter attingitur. Secundum attingitur à specie; ergo frustra aliud superadditur. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico, quod licet esse intellectionem vt sic, non excedat virtutem intellectus, tamen esse talem intellectionem supernaturalem, ac proinde esse talem intellectionem, superat eius virtutem, vt patet. Nec verum est, quod ratio supernaturalitatis, seu talis intellectionis supernaturalis attingatur à specie, licet sit supernaturalis, nam species cum se teneat ex parte obiecti, solum obiectiuè potest supernaturalitatem actus intellectionis attingere, seu per modum masculi fæcundantis potentiam. At vltra hunc concursum ex parte obiecti, debet dari aliquid, quod sit virtus proxima potentiæ, eamque constituat & compleat in ratione proximæ potentiæ primò receptiuæ virtutæ masculi intellectiui, & postea simul cum eo, vt constituunt vnam integram causam, vnum integrum principium, concurrat ad producendam intellectionem.

143 Secundum argum. nam non requiritur habitus distinctus à speciebus ad attingendam intellectionem, neque vt vitalem, neque vt claram, neque vt certam, neque vt supernaturalem; ergo nullo modo. Conseq. constat; in intellectione namque sciẽtię inditæ nil aliud assignari potest pro quo habitus distinctus requiratur. Antecedens probatur, nam vitalitas attingitur ab intellectu; claritas, & certitudo, producitur ab intellectu; & specie: supernaturalitas producitur à specie quæ supernaturalis est; ergo, &c. Resp. quod ad omnia prædicta attingenda à potentia tamquam à principio actiuo requiritur habitus superadditus; potentia namque intellectiua nuda non est potens ad attingendum prædicta per modum potentiæ, & vt fæmina nisi ab aliquo eleuetur, cum eius natiuam virtutem excedant, vt ex dictis constat.

144 Tertium argum. nam habitus scientiæ inditæ si esset distinctus à speciebus infusis, deberet aliquid producere in actu eiusdem scientiæ inditæ, sed nihil producit; ergo &c. Minor probatur, nam non producit vitalitatem, non claritatem non certitudinem, non supernaturalitatẽ; ergo nihil producit. Antecedens probatur, quia quod nõ producit vitalitatem actus, neque attingit alia recensita, sed non producit vitalitatem, cum non sit vitalis, non enim dimanat à principio vitali, aliàs esset actus secundus; ergo &c. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dico, quod habitus sciẽtiæ inditæ ad omnia illa concurrit. Ad improbationem dicendum, quod habitus est vitalis *vt quo*, & est vitalitas proxima supernaturalis per quam attingitur vitalitas supernaturalis actus illius. Vt autem aliquid sit vitale *vt quo*, non est necesse, quod procedat à principio vitali intrinseco, hoc enim est proprium vitalis actus. Exemplum habemus in lumine gloriæ, quod est vitale *vt quo*, tum quia determinat potentiam vitalem, & eleuat eam; tum quia est participatio formalissimæ vitalitatis Dei, &c. & tamen non procedit vt à principio intrinseco ab intellectu. Aliàs neque species essent vitales, & sic vitalitas actus non posset esse ab illis, quod tamen negant aduersarij. Stat ergo vitalitas ex hoc quod aliquid sit determinatio potentiæ vitalis, &c. licet aliàs sit per infusionem.

145 Sed quæres, an habitus scientię infusæ sit lumen distinctum à lumine gloriæ? Partem affirmatiuam defendit Suarez *disp.* 29. *sect.*4. Opposita sententia est verior, & communior; colligitur ex D. Thoma

ma hic *art.* 1. *supra q.* 9. *art.* 2. *&* 3. *& q.* 10 *art.* 3. *&* 4. Ratio est, quia habitus scientiæ inditæ, & luminis gloriæ, habent diuersa obiecta; nam obiectum luminis gloriæ est diuina essentia clarè visa in se; seu obiectum formale habitus luminis gloriæ est aliquid formalissimè increatum scilicet Deus clarè visus, at obiectum scientiæ inditę, est aliquid creatum, vt ex dictis supra, constat.

DVBIVM XI.

An Anima Christi D. cognouerit semper actu per scientiam inditam, & omnia obiecta illius.

146 SVpra *n.* 134. hac difficultatem tetigimus, eamque expressius examinandam ad hunc locum remisimus. Est ergo prima sentētia, quod anima Christi D. semper fuit in actuali consideratione omnium obiectorum, & omnium rerum ad scientiam inditam pertinentium. Sic tenent aliqui recentiores. Secunda sententia est, quod anima Christi D. numquam actu simul cognoscit omnia obiecta huius scientiæ, neque potuit connaturali modo & simul omnia cognoscere. Sic Suarez *disp.* 28. *sect.* 1. & alij.

147 Nostra sententia sequ. concl. explicatur. Prima concl. *Anima Christi D. semper habuit aliquem actum scientiæ inditæ: modo vnum, modo alium: modo circa vnam materiam, modo circa aliam, secundum exigentiam loci, temporis, negotij, personarum, aliarumuè circumstantiarum.* Sic tenent Nazarius *hic art.* 5. in expositione textus; Cabrera *hic disp. vnica concl.* 4. & communiter recentiores, vt testatur Cipullus *art* 5. *dub.* 3. *n.* 4. Ratio communis est, quia meritum Christi D. numquam fuit interruptum; sed hoc meritum regulabatur per scientiam inditam. Meritum namque liberum, debet regulari per scientiam omnino liberam; ergo, &c. Tum quia perfectius est esse semper in actu secundo scientiæ quàm solum in actu primo, ergo; &c. Tum etiam quia species deseruientes scientiæ inditæ eo fine impressæ sunt intellectui Christi D. non vt eas in armariolis memoriæ conseruaret, & veluti abscōditas teneret, sed vt per eas actuali cognitione cognosceret ea omnia quorum sunt species.

148 Sed obijcies 1. nam Christus D. vtebatur scientia indita secūdum modum connaturalem, & proportionatum animæ humanæ, sed modus connaturalis, & proportionatus intelligendi animæ humanæ, non est quod semper sit in actu, sed quod sit quandoque in actu, quandoque in potentia, vt patet in nobis qui cessamus ab actuali intellectione vel per somnum, vel per aliam applicationem. Resp. distinguēdo maiorem: vtebatur scientia indita secundum modum connaturalem animæ humanæ nondum à materia eleuatæ, vt illi non dominetur, negatur: vt illi dominetur, conceditur. Anima ergo Christi D. cum plenè dominaretur materiæ, cum esset gloriosa, licet miraculosè impedirentur corporis dotes, intelligebat taliter, vt esset semper in aliquo actu huius scientiæ. Neque impediebatur ob somnum, ob lassitudinem, ob aliam quamcumque occupationem, cum ob dominium animæ supra corpus, operationes animæ non impedirentur.

149 Objicies 2. nam si anima Christi D. semper fuisset in actu scientiæ inditæ, maximè quia hoc pertineret ad eius perfectionem, sed hoc non videtur dicendum; ergo, &c. Minor probatur, nam sequeretur, quod necessitaretur anima Christi vt semper esset in actuali cognitione dictæ scientiæ inditæ, non enim poterat Christus D. carere aliqua perfectione suæ animæ debita. Resp. negando minorem. Ad probationem dico ad summum sequi, quod anima Christi D. necessitaretur ad habēdum aliquem actum, quod autem habeat hunc, vel illum, non est necessitatis, sed libertatis.

150 Secunda concl. *Anima Christi D. de facto cognouit omnia ad quæ se extendit scientia indita.* Ratio est, quia vt diximus supra *num.* 134. videtur debitum animæ Christi D. quod cognoscat omnia quorum habet species, quia ex suppositione, quod

Deus infuderit species scientiæ inditæ, voluit, quod anima Christi illis vteretur, & non manerent otiosæ,& sic modo vtendo vna, modo alia, tandem omnibus vsus est, & sic fuit in actu omnium, & postea in habitu aliquorum, & in actu aliorum.

151 Tertia concl. *Probabile est, quod anima Christi D. semper fuerit in actu scientia indita, quoad omnia obiecta illius, vt semper actualiter cognouerit omnia ad quæ se extendit scientia indita*. Hanc concl. tenet probabiliter Cipullus, & eam defendunt Vasqu. Marsilius, Nazar. & alij per Cipullum relati. Probatur, nam vel anima Christi D. habuit vnicam tantum speciem,quæ esset tantę vniuersalitatis,quod repræsentaret totam latitudinem obiecti scientiæ inditæ, vt dicitur de primo Angelo, quod per vnicam speciem intelligat vniuersalitatem sui obiecti, & tunc nulla videtur implicantia, quod anima Christi per illam vnicam speciem esset semper in actu respectu totius beatitudinis obiecti scientiæ inditæ, vt multi probabiliter dicunt de supremo Angelo. Vel certè habuit multas species, & omnes supernaturales, & tunc nihil prohibet quo minus omnibus simul vteretur ad cognoscenda omnia quorum sunt species; licet enim nos totidem actibus in entitate supernaturalibus specie, & numero diuersis, ea cognosceremus, intellectus tamen Christi Dom. vim sufficientem ad eos omnes simul habendos, habuit, cum nonnisi per potentiam obedientialem eos exerceret, ad quos omnes simul exercendos diuina virtus se extendere potest.

152 Dices 1. quod species deseruiẽtes scientiæ inditæ non erant solum supernaturales, sed etiam naturales, implicat autem quod anima Christi D. simul, & semel vtatur tot speciebus supernaturalibus, & naturalibus. Sed contra,nam dato, & non concesso, quod non omnes species scientiæ inditæ essent supernaturales, sed etiam darentur plures naturales, repræsentantes obiecta naturalia, adhuc tamen nihil impedit quominus intellectus animæ Christi D. adeo eleuatus, & sublimatus non potuerit vti omnibus speciebus tum supernaturalibus, tum naturalibus; sicut enim in nobis cognitio naturalis per vim actiuam naturalem intellectus, non impedit, quod non possit simul elicere cognitionem supernaturalem per vim supernaturalem, vt videre est in beatis qui simul cum visione diuinæ essentię habent alias cognitiones naturales; ergo, &c.

153 Dices 2. quod vna dictarum cognitionum reddit intellectum impotẽtem ad aliam, aut saltem minus potens, ac proinde imperfectè vtriusque obiecta intelligeret, quod in Christo Dom. admitti non potest; ergo, &c. Antecedens constat ex illo. *Pluribus intentus, minor est ad singula sensus*, quod etiam de intellectu intelligitur, vt docet experientia. Sed contra, nam licet in nobis admitti possit pro hoc statu, vbi cognitio dependet à sensibus, quod vna cognitio reddat intellectum impotentem, aut minus potentem ad aliam, non sic in Christo,tum ob maximam ipsius perfectionem, tum ob dominium supra corpus, & independentiam à corpore,& sensibus. Dici etiam posset, quod Christus D. simul vteretur prædictis speciebus, vtendo singulis inadæquatè intensiuè, eo modo vt dici solet de Angelis, quod possint simul omnibus vti, ad ea simul omnia cognoscenda, quæ per illas repræsentantur, vtendo singulis inadæquatè intensiuè. Quia sicut vsus specierum est Angelo liber, & tantum impẽdit virtutis, & attentionis in vsu vnius quantum vult, ita potest omnibus simul eam attentionem impendere quam vult. Hoc idem de Christo D. dici potest, vsus namque specierum infusarum est ipsi liber, ac proinde in earum vsu tantum virtutis impendere,seu insumere potest,quãtum vult.

154 Dices 3. quod ex his ad summum deducitur, quod Christus Dom. per potentiam obedientialem potuerit omnibus speciebus scientiæ inditæ vti, non tamen connaturaliter, & secundum modum proportionatũ animæ humanæ. Sed contra, nam si semel per potentiam obedientialem potuit anima Christi Dom. vti

omni-

omnibus dictis ſpeciebus, ſequitur, quod cum hoc pertineat ad maximam perfectionem animæ Chriſti, quod Deus hanc vim illi contulerit. Tum quia ſi anima Chriſti Dom. ſucceſſiuè cognouit omnia quorum proprias habet ſpecies, vt in 2. concl. diximus, potuit etiam ſimul cognoſcere, quod enim nos ſucceſſiuè cognoſcimus, & per multos actus, poſſumus poſtea per vnicum actum omnia cognoſcere, quod autem nos ſucceſſiuè facere poſſumus, Chriſtus Dom. potuit facere ſimul.

155 Obijcies 1. Obiectum ſcientiæ inditæ, eſt multitudinis infinitæ, ſed intellectus animæ Chriſti Dom. non poteſt ſimul cognoſcere infinita; ergo non poteſt ſimul attingere, ſeu cognoſcere obiectum ſcientiæ inditæ. Maior conſtat ex dictis ſupra, ſe extendit namque obiectum ſcientiæ inditę ad omnes cogitationes hominum, & Angelorum futuras per totam æternitatem. Minor probatur, nam infinitum eſt impertranſibile; ergo eſt incognoſcibile, quod enim ſimul vna cognitione cognoſcitur, per eam totum pertrāſitur. Reſp. negando minorem. Ad probationem dico, quod licet infinitum non poſſit pertranſiri numerando omnes eius partes, poteſt tamen pertranſiri cognoſcendo totum ſimul, abſque eo, quod cognoſcatur pars vltima cum non ſit, ac proinde quod pertranſeatur.

156 Obijcies 2. nam vel intellectus animæ Chriſti reduceretur in actum adęquatum ſcientiæ inditæ, qui eſt circa infinita, neceſſariò, & naturaliter, vel liberè, & ex motione voluntatis, neutrum dici poteſt, ergo, &c. Minor probatur, nam non reduceretur in actum neceſſariò, quia intellectus animæ Chriſti D. quoad vſum ſcientiæ inditę dependet ex libera voluntatis motione. Neque liberè, quia motio libera voluntatis debet eſſe circa aliquid certum, & determinatum, non circa incertum, & indeterminatum, vt eſt infinitas cogitationum hominum, & Angelorum futura per totam æternitatem. Reſp. quod reducitur in actum ex libera voluntatis motione. Ad improbationem dico, quod motio voluntatis eſt circa aliquid determinatum, & certum; mouet namque voluntas intellectum ad certam, & determinatam cognitionem rerum infinitarum.

157 Obijcies 3. nam ſi anima Chriſti D. per ſcientiam inditam cognouit totam latitudinem ſui obiecti, ac proinde infinita, vel hoc fecit per cognitionem confuſam, aut claram, & diſtinctam; neutrum dici poteſt; ergo, &c. Minor probatur, nam non cognouit per cognitionem confuſam, quia cum iſta dicat imperfectionem, non poteſt poni in Chriſto Dom. Neque cognitione diſtincta, & clara, quia ad cognoſcenda infinita clarè, & diſtinctè, requiritur lumen infinitum, quod eſt impoſſibile. Reſp. cognoſcere cognitione clara, & diſtincta. Neque ad hoc requiritur lumen infinitum, ſed ſufficit finitum, cum enim omnia illa contineantur intra certum genus, lumen quod eſt ſufficiens ad cognoſcendum ipſum genus, erit etiam ſufficiens ad cognoſcendum ea quæ ſunt intra illud, maximè quia illa non afferunt perfectionem per aſſenſum, ſed per deſcenſum, & non per partes certas, & determinatas, ſed communicantes, vt ſupra vidimus.

158 Sed quæres 1. quomodo voluntas poteſt determinare, aut mouere intellectum animæ Chriſti D. ad cognoſcendū totum obiectum extenſiuum, quod eſt infinitum, vt ad cognoſcendas omnes cogitationes hominum, & Angelorum futurus per totam æternitatem, cum hæc infinitas non ſit præcognita; non enim poteſt voluntas applicare intellectum ad cognoſcendum id, quod prius non fuit ſibi propoſitum vt cognoſcendum? Reſp. ex dictis in ſimili ſupra n. 133. quod potuit voluntas excitari à Deo, vel à ſcientia beata. Tum quia cū intellectus animæ Chriſti D. cognouerit omnes ſpecies quæ in ipſo erant, ex harum cognitione potuit voluntas applicare intellectum ad cognitionem obiectorum per illas repræſentatorum.

159 Quæres 2. an anima Chriſti D. vno, an pluribus actibus cognouerit ſimul

totam latitudinem obiecti scientiæ inditæ. Resp. vtrumque defendi posse cum Marsilio *in 3. dist. 10. art. 2.* quod scilicet & vnico actu, & pluribus cognouerit totam latitudinem obiecti scientiæ inditæ, & etiam quod pluribus actibus inadæquatis. Primum facilius defendi potest, si dicamus quod in intellectu animæ Christi D. esset vnica tantum species vniuersalissima, quæ obiecta omnia scientiæ inditæ repræsentaret. Secundum, si dicatur, quod plures fuerint species.

DVBIVM XII.

An species scientiæ inditæ sint supernaturales quoad substantiam.

160 PRima sententia est, quod species deseruientes scientiæ inditæ animæ Christi D. sint ordinis naturalis; licet ipsa scientia indita sit ordinis supernaturalis. Sic Medina hic art. seq. & alij plures vt refert Aluarez hoc loco. Secunda sententia dicit, quod species deseruientes scientiæ inditæ Christi D. sint partim naturales, & partim supernaturales; quæ repræsentant obiecta naturalia, debet esse naturales, & quæ repræsentant obiecta supernaturalia, sunt supernaturales. Sic Vasq. *disp. 52. cap. 1. & 1. p. disp. 200. cap. 3.* & alij.

161 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Omnes species deseruientes scientiæ inditæ animæ Christi D. siue repræsentēt obiecta naturalia, siue supernaturalia sunt supernaturales.* Hanc sequuntur communiter Thomistæ, & alij hoc loco. Caiet. *hic art. 6.* Aluarez hoc loco, Cabrera *art. 6. disp. 3.* Suarez *disp. 29. sect. 1.* Cipullus *art. 5. dub. 4. n. 5.* & alij.

162 Probatur 1. nam scientia indita, & lumen illius sunt supernaturalia; ergo etiam species illis deseruiētes debent esse supernaturales. Antecedens constat. Conseq. probatur, nam debet esse proportio inter scientiam, lumen, & species; ergo si scientia indita, & lumen illius sint supernaturalia, etiam species debent esse supernaturales.

163 Hanc rationem tribuit Cipullus Suarez, dicitque sibi non placere & affert contra eam instantiam de fide, quæ est quoddam lumen supernaturale, & tamen species illi deseruientes sunt non solum naturales, sed etiā sensum ministerio adquisitæ. Nihillominus potest optimè tueri illa ratio cuiuscumque sit, nam eam etiam ponit Aluarez *disp. 65.* & confirmat ex Caiet *1. 2. q. 54. art. 4.* quia coadunatio, seu collectio specierum, per se pertinet ad scientiam, ergo si scientia est supernaturalis, etiam species debent esse supernaturales, & eiusdem ordinis. Vnde ad instantiam de lumine, seu habitu fidei, dicendum, esse omnino diuersam rationem; nam cum habitus fidei sit essentialiter de non visis, seu de obscuris, ac proinde eius lumen non ostēdat rem sicuti est, non potest vti speciebus per se infusis, & quoad substantiam, & modum supernaturalibus, quę ostendunt res pro vt sunt in se. At scientia indita cum sit supernaturalis, & res ostendere debeat clarè, & pro vt sunt in se proportionatè ipsi scientiæ, non potest vti speciebus naturalibus etiam ad cognoscenda obiecta naturalia; quia species naturales solum possūt repræsentare res naturales clarè, & pro vt sint in se, modo naturali, non modo eleuato, & superiori quo scientia ipsa procedit. Modus autem essendi debet proportionari modo operandi; ac proinde cum modus operandi, seu cognoscendi scientiæ inditæ sit supernaturalis, modus essendi specierum deseruientium debet esse supernaturalis.

164 Probatur 2. nam species infusæ animæ Christi D. ad vsu scientiæ inditæ; sunt simpliciter, & absolutè loquendo perfectiores speciebus inditis Angelis; sed nulla species intelligibilis naturalis est simpliciter perfectior speciebus inditis, seu infusis Angelis; ergo species inditæ animæ Christi D. pro vsu scientiæ inditæ non possunt esse ordinis naturalis. Maior constat, nam species animæ Christi D. ad vsum scientiæ inditæ repræsentāt obiecta eiusdem speciei inditæ clarius, certius, ac magis distinctè; quam species Angelis inditè, sic enim requirit summa Christi D. per-

perfectio super Angelos; sic requirit eius potestas excellentiæ, &c. Minor etiam constare videtur, quia cum species inditæ Angelis, maximè supremis, sint in summo naturalitatis gradu, non possunt superari nisi à speciebus supernaturalibus.

165 Probatur 3. nam inter obiecta naturalia scientiæ inditæ animæ Christi D. sunt futura contingentia naturalia, sunt actus liberi, sunt cordium cogitationes, &c. Sed ista non possunt certò, & determinatè, & distinctè repræsentari per species naturales: ergo per supernaturales. Scientia namque indita animæ Christi D. distinctè, clarè, & omnino certè sua obiecta cognoscit. Maior nota est, minor etiã nota videtur, cum enim futura contingentia, dependeant à libertate, & cordium cognitiones non pertineant ad ordinem vniuersi, non possunt per species existentes, & ad ordinem vniuersi pertinentes distinctè, clarè, & omnino certò cognosci. Tum quia species deductæ, & exemplatæ ab essentia diuina sunt ordinis supernaturalis, cum repræsenteot ea, quæ naturaliter cognosci non possunt vt sunt dicta futura, & cordium cogitationes: huiusmodi sunt species infusæ animæ Christi pro exercitio, & vsu scientiæ inditæ; ergo, &c. Tum etiam quia species inditæ pro dicto vsu, sunt infusæ à Deo gratiæ auctore; ergo sunt supernaturales. Quidquid namque Deus causauit in anima Christi D. etiamsi aliàs esset ordinis naturalis, totum fecit ex motiuo supernaturali gratiæ, & vnionis hypostaticæ. Tum denique quia species, dicta obiecta repræsentantes clarè, & distinctè, non possunt esse connaturales intellectui creato, ergo sunt supernaturales. Antecedens constat; solus namque Deus prædicta connaturaliter cognoscit. Consequ. probatur, nam illud est supernaturale, quod nulli creaturæ potest esse connaturale; huiusmodi sunt dictæ species; ergo, &c. Soluuntur argum. in contrarium.

166 Primum argum. quo conuincitur Medina, est exemplum fidei infusæ, quæ est habitus supernaturalis, & tamen species quibus fidei mysteria apprehendimus, sunt naturales, imò & à nobis sensuum ministerio acquisitæ; ergo idẽ dicendum est de scientia indita animæ Christi D. Resp. ex dictis negando consequentiã. Ratio discriminis est, quia vt etiam bene vidit Aluarez loco citato, cognitio fidei est imperfecta, & obscura, per quam non cognoscũtur res euidenter nec in se ipsis, nec in suis effectibus. Quocirca ad cognitionem fidei sufficiunt species ordinis naturalis, quæ per habitum fidei eleuantur vt concurrãt ad essendum fidei, medio auxilio diuino. Cæterum cognitio scientiæ inditæ animæ Christi D. est perfecta, clara, & euidens, per quam res euidenter in se ipsis cognoscuntur, ac proinde oportet quod species illi deseruientes sint modo speciali exemplatæ, & deductæ ab essentia diuina, diuinisque ideis, seu exẽplaribus, ac subinde ordinis supernaturalis.

167 Secundum argum. Species intelligibiles Angelorũ sunt perfectiores speciebus scientiæ inditæ animæ Christi D. sed species Angelorum sunt naturales, ergo etiam species inditę animæ Christi ad vsum scientiæ infusæ. Antecedens probatur, nam vt docet S. Doctor *hic art. 6.* species Angelorum sunt vniuersaliores; ergo etiam sunt perfectiores, vna namque species non est alia vniuersalior, nisi sit perfectior. Resp. distinguendo maiorem: sunt perfectiores quoad substantiam, & entitatem, negatur: quoad modum, quatenus possunt etiam deseruire ad cognoscendum per collationem, per discursum, per conuersionem ad phantasmata, conceditur.

168 Tertium argum. nam ad scientiam inditam non solum pertinent mysteria supernaturalia, sed etiam omnia obiecta naturalia, sed species repræsentantes obiecta naturalia sunt naturales; ergo, &c. Minor probatur, nam ad hoc vt aliquid sit supernaturale, oportet, quod nulli creaturæ connaturaliter conueniat, sed species repræsentantes res naturales, connaturaliter cõueniũt creaturæ; ergo, &c. Tum quia species cum sit eiusdem naturæ cum obiecto, debet esse eiusdem ordinis cum illo;

illo; ergo, &c. Resp. negando minorem. Species namque repræsentantes obiecta naturalia animæ Christi D. pro vsu scientiæ inditæ non sunt naturales, sed supernaturales, licet enim repræsentent res naturales, non tamen qua naturales, seu solitariæ, sed vt dicunt potentiam obedientialem ad dona gratiæ; vt enim dicebamus, quicquid animæ Christi D. concessum est, ex fine, motiuo, & ordine ad ordinem gratiæ, & hypostaticum, est concessum.

169 Quartum argum. nam si species deseruientes ad vsum, & exercitium scientiæ inditæ essent supernaturales, maximè quia repræsentarent obiecta, quæ nullo intellectui creato, vel creabili possunt esse connaturalia, sed hoc est falsum; ergo, &c. Minor probatur, nam obiecta fidei nulli intellectui possunt esse connaturalia, & tamen species illa repræsentantes sunt naturales; ergo, &c. Resp. negando maiorem, nam non ideo species scientiæ inditæ sunt supernaturales, quia repræsentãt obiecta, quæ nullo intellectui creato sunt connaturalia, sed quia modus repræsentandi nulli rei creatæ potest conuenire; repræsentant namque illæ species obiecta naturalia, sed modo supernaturali, quatenus scilicet res illæ naturales substant potentiæ obedientiali Dei ad opera, seu dona gratiæ, seu quatenus repræsentant illas res naturales quatenus subduntur diuinæ ordinationi, & ordini tum gratiæ, tum vnionis hypostaticæ.

DVBIVM XIII.

An species scientiæ inditæ Animæ Christi D. sint magis vniuersales, quàm species Angelorum.

170 Prima sententia, quæ mihi valde probabilis est, eamque sequerer, nisi obstaret auctoritas S. Thomæ *hic art. 5.* & communis sententia Thomistarum hoc loco, est quod in Christo D. pro exercitio, & vsu scientiæ inditæ, non dentur plures species, sed vna tantum, repræsentans omnia obiecta huius scientiæ, ad eum modum quo de supremo Angelo dicitur, quod vnica tantum species infusa, omnia sui intellectus obiecta repræsentet, quod enim conceditur supremo Angelo, non debet denegari Angelorum capiti; Angelorum Regi, Angelorum Domino, &c. Hanc sententiam docet Marsilius *in 3. dist. 14. q. 10. art. 2. p. 4. concl. 2.* quem aliqui iuniores sequuntur.

171 Secunda sententia est, quod species scientiæ inditæ animæ Christi D. sint plures, & vniuersaliores, quàm sint species Angelorum. Sic Suarez *disp. 29. sect. 1.* Vasq. *disp. 54. cap 4. circa finem,* & alij. Tertia sententia est, quod species obiectorum naturalium, vt hominis, leonis, &c. sint in Christo D. minus vniuersales, quàm in Angelis; non sic species obiectorum supernaturalium; illæ namque sunt magis vniuersales in Christo D. quàm in Angelis. Sic aliqui relati à Cabrera *art. 6. disp. 3.*

172 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Species scientiæ inditæ animæ Christi D. sunt minus vniuersales, quàm sint species Angelorum.* Sic expressè S. Doctor *hic art. 6 in corpore,* vbi sic fatur. *Scientia indita animæ Christi habuit modum connaturalem animæ humanæ, vt recipiat species in minori vniuersalitate quàm Angeli, &c.* S. Doctorem sequuntur omnes eius discipuli, Caiet. Medina, Cipullus, & alij hoc loco. Ratio desumitur ex citato D. Thomæ testimonio, nam Deus in infundendis speciebus animæ Christi D. pro exercitio, & vsu scientiæ inditæ, attendit ad modum connaturalem animæ humanæ, sed anima humana connaturaliter petit species minus vniuersales, quàm sint species Angelorum; ergo, &c. Maior nota est, Deus enim se accomodat rerum naturis, quando aliunde nullum sequitur inconueniens. Minor probatur, nam cum anima humana tum in statu coniunctionis, tum in statu separationis sit inferior Angelis, petit etiam modum operandi inferiorem, modus namque operandi, sequitur modum essendi.

173 Occurris Suarez loco citato, quod hæc ratio D. Thomæ debet etiam solui

solui à Thomistis dicendo, hanc scientiam non esse infusam iuxta capacitatem tantum naturalem, sed iuxta obedientialem, & ideo modum eius non esse mensurandum ex naturali modo operandi ipsius potentiæ, sed ex perfectione debita ipsi scientiæ, ad quam potentia eleuatur, sicut in visione beata eleuatur potentia ad vnionem cum essentia diuina per modum perfectissimæ, & vniuersalissimæ speciei, vbi non attenditur naturalis perfectio, vel conditio potentiæ, sed perfectio luminis. Sed contra, nam licet species cum sint supernaturales non debeant commensurari potentiæ naturali Christi D. sed scientiæ, & lumini, tamen quoad rationem vniuersalitatis debent cum subiecto, & modo eius connaturali commensurari; ergo, &c. Potentiæ namque infunduntur res supernaturales non solum iuxta rationem potentiæ obedientialis, sed etiam iuxta capacitatem potentiæ naturalis, qua ratione in appetitu non infunduntur species, quia non habet ad eas capacitatem naturalem. In visu non recipiuntur, nec recipi possunt species auditus, quia ad illas non habet capacitatem naturalem. In phantasia non recipiuntur species vniuersales, quia ad illas non habet capacitatem naturalem. Sic in anima Christi D. non infunduntur species ita vniuersales, vt sunt species Angelorum, quia ad eas non habet capacitatem naturalem. In Angelo infimo non infunduntur species ita vniuersales, quia non habet capacitatem naturalem; licet fortè habeat capacitatem obedientialem. Deus enim etiam in donis gratiæ se accomodat capacitati naturali; vnde Angelis supremis ampliorem gratiam concessit, quod expressit S. Lucas Euangelista in parabola talentorum à Deo datorum *vnicuique secundum propriam virtutem*. Soluuntur arg. in contr.

174 Primum argum. quo conuincitur Suarez, est, quia anima Christi D. in omnibus alijs perfectionibus gratiæ superauit Angelos; ergo etiam in hac perfectione vniuersalitatis specierum debet eos superare. Respondent, inquit, Thomistæ, non esse eandem rationem, quia species infusæ sunt connaturales animæ humanæ, & anima Christi Dom. superauit Angelos in perfectionibus gratiæ, non naturæ. Hanc Thomistarum solutionem, quam sibi fingit Suarez, sic impugnat, quia inquit, non est hoc constanter dictum, nam ipsi concedunt lumen huius scientiæ, non esse connaturale animæ humanæ, sed esse supra naturam etiam Angelicam, species autem infunduntur proportionatè lumini, & intellectui, non secundum se, sed prout eleuatur per lumen. Sic arguit Suarez.

175 Cæterum ea solutio nec est, nec potest esse Thomistarum, cum enim Thomistæ dicant, quod species inditæ animę Christi non sint, saltem omnes, naturales, sed supernaturales, illæ saltem quæ repræsentant obiecta supernaturalia, & res supernaturales, non solum in sententia Thomistarum, sed omnium Theologorum, non possit esse connaturalis, nec animę humanę, nec vlli enti naturali, non potueuunt Thomistæ tradere eam solutionem, quod scilicet species inditę, de quibus loquimur, non possint esse connaturales animæ Christi D.

176 Vera ergo solutio, quæ traditur à Thomistis est illa quam tradit Caietanus *hic art. 6. §. circa hanc doctrinam*, vbi simile proponit argumentum ex Scoto, in hanc formam. Species intelligibiles animæ Christi fuerent perfectissimæ, quia sicut ponitur animæ Christi collatam esse gratiam summam possibilem creaturę, ita probabile est infusas esse sibi species perfectissimas, nobilissimas, &c. Respondet Caietanus esse quidem concessam Christo D. gratiam perfectissimam super gratiam Angelorum, non tamen species. Pro quo notat, quod dono gratię, directè correspondet donum glorię, & consequenter sicut animæ Christi fuit collata summa gratia, ita & summa gloria, ad quod spectat cognitio beata, & non cognitio infusa. Vnde quia cognitio infusa non respondet gratiæ, consequenter non benè fit proportio ad summas species infusas ex summa gloria, & summa gratia.

177 Quod si quæratur cur gratia glo-

gloria, & visio beata non modificantur, & articulantur iuxta modum naturalem animæ humanæ, bene tamen scientia infusa, & species, vt non ponantur adeo vniuersales, vt in Angelis? Respondet Caietanus, quod visio beata, lumen gloriæ, &c. sunt de ordine connaturalium diuinæ naturæ, & per hoc superexcedentium modum cuiuscumque naturæ, & propterea non modificantur ex modo naturali animæ, vel Angeli. Cæterum scientia infusa, & species illius, sunt de ordine connaturalium creaturis, scilicet Angelis, & animabus nostris in statu separationis, ac proinde sunt de ordine proportionatorum, quocirca scientia indita in anima Christi modificatur vt possit esse cum discursu, & conuersione ad phantasmata, non in Angelis, & species modificantur, vt non sint ita vniuersales vt in Angelis. Quo cum stat, quod scientia indita animæ Christi sit perfectior quoad certitudinem, quoad euidentiam, & multitudinem cognitorum.

178 Secundum argum. ex Suarez est, quia licet Christus D. per naturales vires humanitatis non possit præstare aliqua, quæ possunt Angeli per vires naturales, tamen eleuatus eius intellectus potest perfectius hæc præstare, quàm Angeli, & ita perfectius comprehendit ipsum Angelum, & perfectius dictat de omnibus agẽdis, quàm Angelus; ergo pari ratione licet per vires naturæ non possit tam vniuersaliter intelligere sicut Angeli, hoc tamen poterit eleuatus lumine diuino, non solum in cognitione in Verbo, sed etiam in proprio genere. Resp. concedendo antecedens, quando suauis modus operandi Dei id exigit, & in ordine ad operationes animæ Christi quæ non sunt contra suum proprium modum connaturalem; gratia namque perficit naturam, non destruit. Hinc videmus, quod anima Christi perfectius per sciẽtiam inditam intelligit res, clarius cognoscit, clarius comprehendit, &c. quia ista perficiunt sui modum connaturalem intelligendi, cæterum non posse intelligere sine discursu, sine conuersione ad phantasmata, per species magis vniuersales, &c. connaturaliter à Deo conferri non debent, quia destruunt modum connaturalem operandi animæ Christi Domini.

179 Tertium argu. nam species animæ Christi, sunt in sua entitate, & substantia perfectiores, quam Angelicæ, vt sentit D. Thomas *art. 4.* & ex se patet, quia proportionantur lumini, quod est omnino perfectius, ergo etiam erunt vniuersaliores, cum sit eadem ratio. Resp. quod species animæ Christi D. sunt perfectiores, quia certius, quia euidentius, &c. repręsentant sua obiecta, non tamen quoad modum vniuersalitatis naturarum, licet etiam sint perfectiores quoad repræsentationem indiuiduorum sub eadem natura contentorum, vt postea dicemus sequentibus numeris.

180 Quartum argum. quia aliàs non posset anima Christi Dom. vno actu tam multa simul intelligere, quam Angeli possunt, nam ea solum potest simul intelligere, quæ per vnam speciem repræsentantur; hoc est absurdum; ergo, &c. Resp. 1. quod licet anima Christi per vnicam speciem solum ea cognoscat, quæ per eã repræsentantur, tamen adhuc dicere possumus, quod vnico actu plura simul cognoscat quam Angelus per speciem vniuersaliorem; vt enim supra aduertimus, intellectus animæ Christi potest simul vti pluribus speciebus, & fortè omnibus, & sic vnico actu attingere totam latitudinẽ obiecti scientię inditæ, quod longè excedit latitudinem obiecti intellectus Angelici, cum hoc non extendatur ad futura contingentia, ad cordium cogitationes futuras per totam ęternitatem, vt facit obiectum scientiæ inditæ animæ Christi Domini.

181 Resp. 2. quod species inditę animæ Christi non sunt ita vniuersales, vt Angelicæ cum non repræsentent nisi vnã naturam, v.g. humanam, equinam, &c. tamen species indita animę Christi, quæ repræsentat naturam humanam, repręsentat etiam accidentia infinita, scilicet infinitas cogitationes futuras per totam æternitatem, quod excedit totam natiuam

capa-

capacitatem intellectus Angeli. Vnde haec vniuersalitas speciei inditę animae Christi quoad hanc infinitatem repraesentandam, excedit longè illam perfectionē, quam habent species Angelicę quoad repraesentationem plurium naturarum.

182 Quintum argum. nam Christus D. vt homo illuminat Angelos, vt docent Theologi ex D. Dionys. *cap.7. caelest. Hier.* ergo debuit habere species vniuersaliores, aliàs non posset eos illuminare, qui enim alium illuminat magis vniuersaliter intelligit, quàm qui illuminatur. Exemplo Angelorum superiorum illuminantiū inferiores, qui habent species vniuersaliores, aliàs non possent eos illuminare. Resp. cum Nazar.& alijs hoc loco, quod licet in Angelis superioribus illuminantibus inferiores, sit maior vniuersalitas specierum, tamen ad illuminandum non est absolutè necessaria, sed sufficit quaecumque alia maior excellentia, & perfectio scientiae illuminantis, vt certitudinis, euidentiae, latitudinis, praesertim ad futura, ad occultas cordium cogitationes,&c. quae perfectio est in scientia indita animae Christi, sine tanta specierum vniuersalitate,quanta est in Angelis,&c.

DVBIVM XIV.

An scientia indita animae Christi Dom. sit vnus habitus, an plures.

183 PRima sententia est, quod scientia indita non sit vnus habitus, sed in tot habitus distinguatur,quot sunt species,diuersas naturas specificas propria & quidditatiua cognitione repraesentantes. Hanc tenent Cabrera hic *disp. 6.* D. Bonauent. & Caiet. 1.2. *q.54. art.4.* quos citat, & sequitur Cipullus *hic art. 6. dub. vnico.*

184 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Scientia indita animae Christi, est tantum vnus, idemque habitus, ac proinde non multiplicatur ad multiplicationem specierum repraesentantium diuersas naturas specificas.* Hanc sententiam expresè docet S.D. *in 3.dist.14.q.1. art.3. quaest.4.* vbi sic dicit. *Quia ergo Christi anima habuit scientiam magis vniuersalem, quàm aliquis Angelus: ideo non habuit diuersos habitus, quibus cognosceret, sed vno habitu omnia cognouit, quae ad hanc scientiam pertinent, quamuis diuersis speciebus.* Et optimam assignat rationem hic ad 3. *quia lumen diuinitus infusum est communis ratio intelligendi, quae diuinitus reuelantur, sicut & lumen intellectus agentis, eorum quae naturaliter cognoscuntur.* Vbi enim est vnum lumen, ibi est vnus habitus,quia habitus non multiplicantur nisi ad multiplicationem luminum, seu rationum formalium quibus procedunt. D.Thomam sequuntur communiter Theologi hoc loco. Suarez *disp.29 sect.3.* post Ricardum, Marsilium, & alios.

185 Occurrit Cipullus, quod D Thomas retractauit sententiam in hoc *art. 6.* quatenus dicit. *Scientia indita animae Christi fuit distincta secundum diuersos habitus* & ad 3. dicit. *Opportuit esse diuersos habitus scientię in anima Christi.* Nec valet inquit dicere cum Suarez, quod nomine habitus intelliguntur species infusę, non lumen scientificum. Nam haec explicatio repugnat textui, cum S. D. directè loquatur non de speciebus scientiae inditę deseruientibus, sed de habitu seu lumine scientifico, quia ex diuersitate in genere scibilis infert diuersitatem in habitu, non in speciebus,quia ex diuersitate in genere scibilis nō infertur distinctio inter species.

186 Caeterum non rectè Cipullus arguit Suarez vt loquentem, & exponentē D. Thomam contra eius mentem, quia fidelissimus D.Thomae Discipulus P.Aluarez *in expositione art. 6.* eodem modo interpretatur D. Thomam, ac Suarez. Audiat Cipullus verba doctissimi Aluarez. Notandum est, quod cum ad scientiam sint necessariae species intelligibiles ex parte obiecti, quibus repraesententur ea, quae cadunt sub scientia, & similiter sit necessarium lumen scientificum, seu facultas tenens se ex parte potentiae, ad rectè iudicandum de obiecto, secundum haec duo potest scientia indita animae Christi dici vnus habitus; vel multiplex. Etenim

si consideretur ex parte specierum intelligibilium, non est vnus habitus, sed multiplex, & sic intelligitur conclusio huius articuli, in quo S. D. species intelligibiles inditas animę Christi appellat habitus infusos, quia non semper vtitur illis in actu. Cæterum si consideretur hæc scientia indita ex parte luminis, est vna scientia specie atoma, & vnus habitus indicatiuus. Pro quo adducit locum ex 3. *dist.* 14. *& ex hoc art. ad* 3. vbi explicatur quod dicit in corpore dicens. *Et ideo oportuit esse in anima Christi proprias species singularium rerum ad cognoscendum cognitione propria vnumquodque & secundum hoc oportuit esse diuersos habitus scientiæ in anima Christi.* Vbi apertè loquitur de speciebus vt patet. Quocirca quando S. Doctor in corpore articuli dicit, quod diuersitas scientiarum desumitur ex diuersitate scibilium, potest intelligi dupliciter. Primò vt per diuersitatem scientiarum intelligatur habitus illarum, vt scilicet diuersificentur ex diuersitate scibilium formaliũ sub vno genere contentorum, & hoc est verissimum. Secundò, vt intelligatur, quod ipsi habitus scientiarum multiplicentur pro diuersitate scibilium materialium, repræsentatorum per proprias species, & hoc est falsum, nec vult S. D. vult ergo S. D. quod in anima Christi multiplicentur habitus idest species scientiæ inditæ ad multiplicationem scibilium in suis speciebus repræsẽtatorum: ne dicamus, quod sententiam mutauerit, cum facilem habeat reconciliationem. Sed agamus rationibus contra Cipullum, & alios suæ scientiæ sectatores.

187 Prima ratio est D. Thomæ *dicta quæstiunc.* 4. nam illa scientia non mul tiplicatur ex multiplicatione specierũ repræsentantium diuersas naturas specificas quidditatiuè, quæ habet cognitionẽ limpidissimam, ex limpiditate namque cognitionis scientia est magis vna, & magis simplex, quantò namque intellectus linpidius videt tantò ex paucioribus speciebus plura cognoscit; sed anima Christi Dñi per scientiam inditam habet cognitionem limpidissimam rerum in proprio genere, inter omnes creaturas, ergo eius scientia indita est magis vna, ac proinde non multiplicatur ad multiplicationem specierum repræsentantium naturas specificas completas vt naturam humanam, equinam, &c.

188 Secũda ratio ex Aluarez loc. cit. nam quanto magis scientia est perfecta, tanto magis est vna; sed scientia indita Christi D. est perfectissima; ergo debet esse maximè vna, & maximè simplex, & sic nõ debet multiplicari ad multiplicationẽ tot specierum, tot naturarum specificarum repræsentantium. Maior constat in scientia Dei, quæ quia est perfectissima, est etiam maximè vna, iuxta illud psal. 146. *Et sapientiæ eius non est numerus,* idest nõ diuiditur in plures species, vt explicat D. Bernardus. Vnde videmus, quod ea quæ in inferioribus diuiduntur, in superioribus vniuntur vt patet in vegetatiuo, & sensitiuo, quæ vniuntur in rationali, & obiecta sensuum externorum vniuntur, clauduntur, & complantantur in sensu communi; sed scientia indita animæ Christi est superior ad omnes scientias humanas; ergo debet esse magis vna. Quocirca neque scientiæ humanæ multiplicantur ad multiplicationem specierum repręsentantium naturas specificas completas, nam sub Physica continentur omnes species quæ sunt sub ente morali sub Metaphisica continentur omnes rerum species quæ sunt sub ente vt sic; & sic de alijs scientijs; nec fuit qui istas scientias inferiores scientia indita, multiplicaret ad multiplicationem dictarum specierum. Et valde absurdum esset dicere, quod istæ scientiæ naturales in anima Christi essent magis vnæ, quam scientia indita, & quod ista multiplicaretur ad multiplicationem tot specierum, non illæ adeo inferiores.

189 Tertia ratio, nam scientia indita animæ Christi D. est architectonica respectu omnium humanarum scientiarum; ergo est magis vna, quam omnes illæ, ac proinde anima Christi D. per eam immultiplicatam omnia obiecta ad quæ se extendit cognouit. Conseq. probatur, nam scientiæ, & artes inferiores vniuntur in archi-

architetonica, vt per vnum, idemque lumen omnia obiecta inferiorum attingat. Tum quia ſacra Theologia ſubalternatur ſcientiæ inditæ, ſed ſacra Theologia eſt vna; ergo, & illa, aliàs neſciremus cui habitui ſcientiæ inditæ ſubalternaretur; ſed modo vni, modo alteri, & pluribus ad multiplicationem ſpecierum repræſentantium diuerſas naturas completas.

190 Quarta ratio, nam nullus eſt habitus ſcientię, qui non vtatur pluribus ſpeciebus intelligibilibus, ergo non benè dicitur per Cipullum, quod habitus ſcientiæ inditæ multiplicetur ad multiplicationem ſpecierum intelligibilium. Antecedens eſt certum quia cum habitus ſe teneat ex parte potentiæ, maiorem debet habere vniuerſalitatem, quam ſpecies quę ſe tenet ex parte obiecti, & datur ad determinamdum habitum, & potentiam ad determinatum obiectum.

191 Occurrit Cipullus loco cit. *n.*15. eſſe ſpeciale in ſciẽtia indita animæ Chriſti, quod multiplicetur ad multiplicationem ſpecierum, quia iſtæ ſpecies ob maximam illarum perfectionem, repræſentant clarè, & diſtinctè ſua obiecta, etiam quoad rationem vltimam, ſecundũ quam vnum diſcriminatur ab alio. Sed contra, nam eo ipſo, quod ſcientia indita animæ Chriſti D. eſt perfectiſſima, & ſpecies ad illius vſum deſeruientes ſunt perfectiſſimæ, non ſequitur, quod ad earum multiplicationem multiplicetur, ſed quod vnus, idemque habitus perfectiſſimus, pluribus vtatur ſpeciebus perfectiſſimis, clarè, & diſtinctè ſua obiecta repræſentantibus, vſque ad vltimam rationem. Habitus namque non multiplicantur niſi ad multiplicationem modi cognoſcibilitatis, non ad multiplicationem ſpecierum, & obiectorum. Vnde ſicut habitus fidei non multiplicatur ad multiplicationem credibiliũ, ſed rationis formalis credendi, ac proinde vbi eſt vna ratio formalis credendi, vt in fide infuſa, ibi eſt vnus habitus. Ita cum in noſtro caſu omnia ſcibilia per ſcientiã infuſam reſpiciantur ſub vna ratione formali luminis ſupernaturalis, ſeu ſub vna ratione cognoſcibilitatis, non multiplicabitur ad multiplicationem ſpecierum; Maximè quia modus cognoſcendi diſtinguens habitus ſcientificos ſe tenet ex parte ipſius habitus, non ex parte ſpecierum; ergo, &c. Soluuntur arg. in contrarium.

192 Primum argum. nam ſcientia, quæ ad cognoſcendas diuerſas naturas ſpecificas ſubſtantiales, propria, & quidditatiua cognitione, vtitur proprijs ſpeciebus ſingularum, eſt diſtincta per diuerſos habitus; huiuſmodi eſt ſcientia indita animæ Chriſti D. ergo, &c. Minor nota eſt. Maior probatur, nam tunc obiecta ſunt diuerſa formaliter in genere ſcibilis, quandoquidem vnumquodque attingitur propter ſe, & ratione ſui, atque ſine vlla dependentia ab alio, vel ab aliquo ipſis communi. Tum quia actus quorum hæ ſpecies ſunt principia diſtinguuntur ſpecie inter ſe adæquatè, propter formalem diſtinctionem ipſorum obiectorum, ſed actibus ſpecie diuerſis adequatè, correſpondent habitus ſpecie diuerſi; ergo, &c. Reſp. negando maiorem, nam Phyſica vtitur ſpeciebus proprijs multarum ſpecierum, idem dic de metaphyſica, & de alijs omnibus ſcientijs naturalibus. Idem videre eſt in noſtra Theologia, & beatorum, quæ in omnium ſententia eſt vnus tantum habitus, & tamen vtitur ſpeciebus proprijs diuerſarum naturarum, quod etiam currit in habitu fidei. Ad prob. dico, quod diuerſitas ſcibilis nõ attenditur ex diuerſitate ſpecierum propriarũ repræſentantium diuerſas naturas ſpecificas propter ſe, & ratione ſui, ſed ex diuerſitate obiecti formalis, ſeu motiui, ſeu luminis, ſub quo tendit in obiecta, vt patet ex dictis in Logica à N. Complut. Ad 2. probationem dicendum, quod diuerſitas habituũ non deſumitur ex diuerſitate actuum inter ſe ſe diſtinctorũ adęquatè, vt patet tum in ſcientijs quæ habent plures actus inter ſe ſe adæquatè diſtinctos: tum in virtutibus ſiue infuſis, ſiue acquiſitis; nam Religio habet plures actus ſpecie adæquata inter ſe ſe diſtinctos, vt eſt votum, iuramentum, &c. Sed deſumitur à diuerſitate luminis, ſeu motiui, aut modi formalis tendendi, ſub qua actus aliàs inter ſe

se adæquatè distincti, ponitur, quod currit in nostro casu, cũ omnes actus scientiæ inditæ attingantur sub modo tendendi, præscindendo à discursu, à collatione, à cõuersione ad phantasmata, in obiecto ordinata ad ordinem gratiæ, & vnionis hypostaticę.

193 Secundum argu. Habitus scientiæ diuersificatur ex diuersitate generis scibilis; sed in scientia indita animę Christi D. inuenitur diuersitas scibilis; ergo etiam diuersitas habituum. Maior habetur 1. Posteriorum. Minor probatur, nam connaturale est animæ humanæ vt recipiat species in minori vniuersalitate, quàm Angeli, ita scilicet, quod diuersas naturas specificas cognoscat per diuersas species intelligibiles; sed scientia indita animæ Christi D. habet modum connaturalem animæ humanæ; ergo distinguitur secundum diuersitatem specificam specierum diuersas naturas repræsentantium. Resp. negando minorem. Ad probationem negatur vltima consequ. Sunt quidem species deseruientes scientiæ inditæ minus vniuersales, quàm sint species Angelicæ. Recipitur scientia indita in anima Christi secundum modum illius, quatenus potest esse discursiua, &c. non tamen ex hoc sequitur, quod dicta scientia multiplicetur ad multiplicationem dictarum specierũ, sicut neque multiplicantur, hoc modo scientiæ naturales, vt patet.

DISPVTATIO XII.

IN QVAEST. XII. DIVI THOMAE.

De scientia acquisita animæ Christi.

1 IN 1. art. docet S. D. quod anima Christi D. per scientiam acquisitam sciuit omnia illa, quæ sciri possunt per actionem intellectus agentis, quia sicut scientia infusa ponitur in anima Christi D. ad perfectionem intellectus possibilis, ita scientia acquisita ponitur propter conueniẽtiam intellectus agentis, ne eius actio sit otiosa, sed scientia infusa se extendit ad omnia ad quæ est in potentia intellectus possibilis; ergo per sciẽtiam acquisitam sciuit omnia quæ per actionem intellectus agentis sciri possunt. In 2. art. probat, quod scientia acquisita, seu experimentalis, quę secundum habitum fuit in Christo D. decursu temporis profecit iuxta illud Luc. 2. *Proficiebat sapientia, &c.* quod de sapientia humana explicat D. Ambrosius *lib. de Incarn. Dominica cap. 7.* Nam anima Christi D. successiuè alias, & alias species abstrahebat à phantasmatibus, quibus dicta scientia augebatur. In art. 3. ait, quod Christus D. nihil didicit ab vllo homine, quia cum esset constitutus à Deo caput Ecclesiæ, & Doctor omnium hominum, non fuit conueniens eius dignitati, quod ab aliquo homine doceretur. In 4. art. probat, quod nihil didicit, vel accepit ab Angelis, cum ipse Angelos doceat, & illuminet, non est autem eiusdem docere, & doceri. Verum sit.

DVBIVM I.

Ad quid se extendat scientia acquisita, seu quodnam sit illius obiectum.

2 SCientiæ nomen deducitur à verbo *scio*, quod significat habere notitiam veram alicuius rei, quatenus ex eius causis cognitis, vel effectibus haberi potest. Hinc scire definitur, quod sit *rem per causam cognoscere, &c.* Et scientia est rei alicuius per causam cognitio, seu vt alijs placet, scire est veritatem perceptam men-

mente retinere. Acquiritur scire partim per argumentationem demonstratiuam, partim per solam mentis intuitionem, sine sensibus, vt beati in cælis suam gloriam cognoscunt, & damnati in inferno suas pœnas, & anima hominis suos actus in corpore, & partim per sensuum apprehensionem, præsertim visus. In foro iudiciali quis scire non dicitur, quod probare non potest, & testis non dicitur scire, quod tantum obiter audiuit, maximè si non à persona fide digna. Hoc loco nomine sciētiæ intelligimus cognitionem certam, & euidentem, maximè quæ est per causam, & à priori, non enim videtur conueniens ponere in Christo scientiam tantum *quia*, seu à posteriori: dixi quæ est tantum à posteriori, quia nulla est imperfectio scire rem tum à priori, tum à posteriori.

3 His positis, quæritur quodnam sit obiectum scientiæ acquisitę animæ Christi Dom. Aliqui hæretici negarunt animæ Christi D. scientiam acquisitam, cum superflua videatur, nihil enim cognosci potest per scientiam acquisitam, quod melius, clarius, & perfectius non cognoscatur per scientiam beatam, & per scientiam inditam. Vt enim vidimus disp. præcedenti scientia indita extenditur ad totum id ad quod se extendit lumen intellectus agentis, ac proinde ad totum id ad quod se extendit scientia acquisita.

4 Vera, & communis sententia sequenti concl. explicatur. *In Christo Dom. datur etiam scientia acquisita, cuius obiectum sunt omnia quæ sciri possunt per actionem intellectus agentis.* Sic tradunt omnes Theologi hoc loco post D. Thomā *art.* 1. Prima pars probatur, nam hæc scientia non repugnat vnioni hypostaticę, & aliunde est perfectio naturæ humanæ Christi D. ergo datur in eo.

5 Nec valet dicere, quod etiam subsistentia creata sit perfectio naturæ humanæ, & tamen per aduentum subsistentiæ diuinæ destruitur; ergo licet scientia acquisita sit perfectio animæ Christi Dom. per aduentum scientiæ beatæ, & inditæ, destruetur. Resp. negando conseq. Ratio discriminis est, quod subsistentia creata, & increata opponuntur secundum probabilem multorum sententiam, & vna excludit aliam, cum non possit vna, eademque natura subsistere duplici subsistentia, aliàs esset in se, & per se, & non esset, sed in alio. Cæterum scientia indita, & acquisita non opponūtur, sed possunt esse simul cum nihil habeant per quod se excludant vt patet.

6 Probatur 2. pars; nam Christus D. in naturalibus fuit perfectior Adamo, & Salomone; sed Adam habuit cognitionem omnium obiectorum naturalium, vt colligitur ex *Eccles.* 7. & docent D. Thomas 1. *p.q.*49. *art.*3. N.S.P. Cyrillus *lib.* 1. *in Ioan.cap.*9. & alij Sancti PP. Item Salomon habuit scientiam naturalem omniū rerum naturalium, vt animalium, arborum, herbarum, piscium; &c. 3. *Reg.* 4. Item omnium corporum cælestiū, & elementorum, *Sapien.*6. ergo à fortiori hanc scientiam debuit habere Christus D. cum sit plusquam Adam, & plusquam Salomon, iuxta illud. *Ecce plusquam Salomon hic*.

7 Probatur 3. nam virtus naturalis intellectus agentis in Christo D. habuit maiorem perfectionem in Christo Dom. quam habuit in Adamo, & Salomone, & in omnibus hominibus simul; ergo debuit perfectius expleri, ac proinde debuit habere scientiam acquisitam modo perfectiori, & nobiliori. Vt autem docet S.D. in art. 1. scientia acquisita Christi Dom. debet ad ea omnia obiecta terminari ad quæ actio intellectus agentis se extendere potest.

8 Probatur 4. nam Christus Dominus per scientiam inditam cognouit omnia entia naturalia; cognouit obiecta omnium artium, & omnia ad quæ se extendere potest intellectus humanus, vt supra vidimus; ergo etiam habuit scientiam acquisitam omnium illorum. Antecedens constat ex dictis *disp. præcedenti*. Consequ. probatur, nam ea, quæ per lumen supernaturale attingere possumus, etiam consequi possumus per lumen naturale, quando, vt supponimus, sunt naturalia; vnde qui fidem habet, si eam amittat discredendo

dendo

dendo vni articulo, adhuc retinet cognitionem naturalemm eorum, quæ sunt naturalia, & per fidem credebat, vt quod Deus sit vnus,&c. Ergo cum anima Christi D. cognosceret per scientiam inditam omnium rerum naturalium naturas, potuit etiam habere scientiam acquisitam earumdem, cum istæ duæ scientiæ, earumque cognitiones non repugnent, vt patet.

9 Maior difficultas est, an scientia acquisita animæ Christi D. fuerit vna tantum, seu vnus tantum habitus, qui eminenter contineret omnes sciẽtias naturales, & omnes artes, esseque cum speculatiuus, tum practicas eminenter, vt diximus 1. *p. disp.* 1. de nostra Theologia, quæ simul est speculatiua,& practica eminenter.

10 Est non nullorum opinio, quod scientia acquisita plurificetur eo proportionali modo quo plurificatur in nobis iuxta distinctionem obiectorum. Huius sententiæ fundamentum esse potest, quia virtus naturalis intellectus non potest in nobis producere vnam scientiam, vnumuè habitum qui attingat omnia entia naturalia pertinentia ad tot scientias, & artes, earumque rationes formales, scibilitates, & vnitates; ergo neque intellectus animæ Christi D. Conseq. constat, cum sint eiusdem speciei atomæ. Antecedens probatur, nam diuersitas scientiarum in nobis oritur ex debilitate luminis, sicut ex perfectione luminis supernaturalis oritur, quod vna,eademque scientia indita, extendatur sub vna ratione formali ad tot obiecta, adeoque diuersa, vt sunt entia naturalia, & supernaturalia.

11 Alij absolutè dicunt, quod scientia acquisita sit tantum vna, eademque. Sicut enim per vnam, eãdemquæ scientiã inditam animæ Christi extenditur ad omnia entia creata siue naturalia, siue supernaturalia, ita vna,eademque scientia naturalis,seu acquisita extẽdetur ad omnia entia naturalia. Vnde sicut Metaphisica attingit obiecta, & materias omnium scientiarum inferiorũ sub suo lumine, ita, &c.

12 Mihi distinctione vtẽdum videtur quod scilicet scientia experimentalis multiplicetur ad multiplicationem obiectorũ formalium, etiam in nobis;cum enim ista scientia producatur medijs speciebus ex sensibus desumptis, eo ferè modo quo in nobis contingit, sequitur quod etiam eodem ferè modo vt in nobis multiplicetur. Cæterum scientia naturalis propriẽ dicta quæ maximè perficit partẽ speculatiuam, & in nobis est acquisita per discursum, & veram demostrationem,& quam diximus in Christo fuisse per accidens infusam, nõ multiplicatur,sed vna, eademque ad omnia obiecta scientiarum naturalium extẽditur sub vnica ratione formali. Cũ enim ista scientia sit à Deo infusa animæ Christi D. vt supra vidimus, in instanti suæ cõceptionis cum omnibus speciebus sibi deseruientibus, sequitur quod in maiori perfectione fuerit infusa nõ solum quoad intensionem, sed etiam quoad extensionem: vt vna,eademque ad omnia obiecta extendatur, modo excellentiori quàm Metaphisica, & sub lumine naturali eminenter formaliter continenter omnes rationes scientiarum inferiorum; ad distinctionem Metaphisicæ, quæ solum eminenter, non formaliter continet rationes, & vnitates, & scibilitates scientiarum inferiorum. Ratio autem sub qua ista scientia procedet erit ratio entis creati, seu vt est participatio Dei vt est auctor naturæ. Vel erit ratio luminis intellectus, vt est perfectibilis per omnes scientias naturales.

13 Ex quibus infertur 1. quod anima Christi D. per hanc scientiam cognouit omnes naturas rerum materialium,& sensibilium,cum plura ex istis cognita fuerint à sapientibus, & Philosophis. Infertur 2. quod anima Christi D. per hanc scientiã cognouit de Deo omnem veritatem quã cognouerunt Philosophi antiqui, & modo longe perfectiori. Plato *in Timeo* cognouit Deum esse incorporeum, eique soli conuenire *Est*, nam *erat*, & *erit* dicuntur de rebus quæ in tempore fiunt, cum significent motum, & Deus semper in suo statu permanet. Hoc nobiliori modo

do

do cognouit anima Christi D. per hanc scientiam acquisitam, optimè namque nouerat quod Deus *est qui est*. Idem Plato *lib. de leg.* nouit Deum esse vnum, rerum omnium creatorem, beatum, beatificum, optimum, nihilo indigentem, & cuncta conferentem. Et *in Phædro* dicit, quod Deo soli conueniat nominari sapiens. In Apologia dicit, quod Deus non mentiatur, nec fas sit ipsi mentiri. Et *Epist. 3. ad Dionys.* ait, quod est procul à voluptate, & dolore. Et hæc omnia mirificè nouit beatissima anima Christi.

14 Aristoteles *lib. 11. Metaphys. cap. 7.* dicit. *Deus actio est, illius porro actio, quæ per se est, vita est, & optima, & æterna.* Et lib. 2. de cælo dicit. *Dei actio est immortalitas, quæ in vita posita est sempiterna.* Et lib. 7. de Repub. cap. 1. ait. *Deus cum beatus sit, & fælix, non propter aliquid aduentitium adiumentum, sed per se, & quod natura bonus est.* Et lib. 2. de actu cap. 10. sic fatur. *Deus perpetuam rerum originem fabricatus, vniuersum omnibus suis numeris expleuit.* Hæc penetrabat excellentissimè anima Christi per scientiam acquisitam.

15 Cicero *lib. 1. de natura Deorum* tribuit Deo omnipotentiam, & *lib. 2.* tribuit illi prouidentiam, mundi gubernationem, omniumque rerum humanarum, & diuinarum peritiam: item tribuit illi omniscientiam. Virgilius *Eglog. 3.* sub nomine Iouis tribuit Deo rationem principij, & attributum immensitatis. *Ab Ioue principium (musæ) Iouis omnia plena.* Idem cognouit Deum omnium conditorem, vbique præsentem. *Georg. 4.* & *Aeneid. 6.* cognouit Deum posse hominum mentes mutare, 1. *Aeneid.* Esse largitorem omniũ bonorum. *Eglog. 1.* Habere curam horum inferiorum, ibidem.

16 Horatius dicit Deum esse omniũ rerum gubernatorem. *Qui res hominum, ac Deorum. Qui mare, & terras, varijsq; mundi temperat horis.* lib. 1. Oda 12. & lib. 5. Oda 4. Agnouit etiam eum esse vindicem iniquitatis. *lib. 3. Oda 3. dare hominibus plura dona, lib. 3. 16.* Ouidius cognouit Deum esse conditorem cœli, terræ, & omnium rerum, *lib. 1. Metapho.* Omnia scire, *lib. 1. de Ponto.* Omnia videre. *lib. 13. Metamorph.* Obseruare hominum facta, *lib. 1. de tristibus.* Posse facere quę vult. *lib. 4. & 8. Metamorph.* Omnia illi subijci *ibid.* Esse remuneratorem, maiora dare quam petimus. Parcere, aut punire pro meritis, *lib. 3. de tristibus. & lib. 3. de Ponto.* Hæc omnia longè perfectius cognouit Noster Redemptor per scientiam acquisitam. Soluuntur argmenta in contrarium.

17 Primum argu.nam si anima Christi D. habuit scientiam acquisitam vt dictum est, in ea vniuersalitate, debuisset habere omnes, ac proinde debuisset habere etiam scientiam, seu artem magicam, aut magicè acquisitam; hoc est falsum; ergo, &c. Minor constat, nam aliàs dici potuisset, quod Christus D. fecesset miracula arte magica. Maior probatur, nam ars magica acquiritur lumine naturali intellectus agentis; ergo &c. Tum quia quæ fiunt arte magica, non superant vires naturæ; dœmon namque non potest facere miracula, sed solum applicat actiua passiuis.

18 Resp. concedendo maiorem; scientia namque rerum magicarum, seu cognitio earum, bona est, & laudabilis, cum etiam in Deo reperitur. Vsus tamen est malus, & vitiosus, aut saltem est periculosus ob pactum saltem virtuale cum dœmone, & sic est prohibitus. Deinde negatur minor. Ad probationem dicendum, quod facere miracula arte magica, est facere miracula falsa, præstigiosa, & tantum apparentia, & est vti arte magica mala, quod est prohibitum. Cum autem Christus D. non potuerit peccare, nec facere miracula falsa, ideo non potest dici, quod per artem magicã fecerit miracula.

19 Secundum argum. Nostra Theologia est vera, & propria scientia acquisita virtute intellectus agentis, & tamen non fuit in Christo D. ergo non habuit scientiam acquisitam in tota sua latitudine. Maior constat, cum enim nostra Theologia non habeatur per infusionem, debet haberi per operationem intellectus agentis. Minor probatur, quia communiter Theo-

Theologi non admittunt in Christo scientiam supernaturalem nisi scientiam beatam, & infusam. Tum quia ibi non est Theologia, vbi non sunt principia illius, quæ sunt principia fidei, sed in Christo D. non sunt principia fidei, cum non sit fides; ergo neque Theologia.

20 Resp. distinguendo maiorem; acquisita virtute intellectus agentis vt eleuati conceditur: virtute intellectus agentis secundum se, & non vt eleuati negatur. Cum enim nostra Theologia sit supernaturalis; saltem quoad modum non potest produci virtute intellectus agentis nisi vt eleuati per fidem, & auxilium actuale. Deinde nagatur minor, licet enim in nobis Theologia procedat per principia fidei quæ sunt obscura, tamen hoc non est de eius essentia; vnde sicut manet in beatis, ita fuit in Christo D. coniuncta cum scientia beata, & cum scientia indita.

21 Tertium argum. nam Christus D. non elicuit actus omnium scientiarum, & omnium artium; ergo non habuit omnes scientias, & omnes artes. Resp. 1. quod adhoc vt dicamus quod Christus D. habuerit omnem scientiam, & omnem artem per infusionem, non est necesse quod exercuerit actus illarum. Resp. 2. quod si loquamur de scientia experimentali, quæ artes complectitur, dicendum, quod vt eã habuerit non est necesse, quod exterius exercuerit actus illius, sed sufficit, quod exercuerit actus interiores, qui consistunt in cognitione non modo speculabili, sed etiam operabili, quæ in Christo D. esse potuerunt. Ex quo patet, quod Christus D. habuit perfectissimam artem nauigandi, pingendi, curandi infirmos ab omnibus infirmitatibus, &c.

DVBIVM II.

An Christus Dom. aliquid didicerit ab homine.

22 FVit error Gnosticorum, Valentiniani dicti, qui, vt narrat S. Irenæus *lib. 1. aduers. hæres. cap.* 17. dicebant, Christum D. prima litterarum rudimenta à præceptoribus didicisse. Et Gallatius hæreticus dicebat, quod Christus D. erudiebatur more aliorum hominum; vnde discebat sciuisse non solum per lectionem Sacræ Scripturæ, verum etiam legẽdo libros Philosophorum. Sic ex Platone *lib. de leg.* didicit Deum esse. Sic enim dicit Plato. *Terra, Sol, sydera, ipsumque vniuersum, temporum quoque varietas ornatissima; annis, mensibusque distincta, Deum esse ostendunt*. Idem didicit ex Aristotele lib. 1. de cælo cap. 3. vbi dicit. *Omnes homines summum locum diuino cuidam Numini assignant; tum Græci, tum Barbari, &c.* Vt enim notauit Apertius lib. 2. de cælo cap. 3. *Deos plures esse sine ratione dicebant antiqui.* Et lib. de mundo cap. 6. dicit. *Quod in naui gubernator, quod in curru agitator, quod in Choro præcentor, quod denique lux in ciuitate, & Dux in exercitu, hoc Deus est in mundo*. Rursus. *Deus quidem, si vim spectes, valentissimus; si decorem, formosissimus: si vitam, immortalis: si denique virtutem, præstantissimus*. Ex Cicerone lib. 1. de leg. didicit, quod *nulla gens est tam ferrea, quæ non, etiamsi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat*. Rursus lib. 2. de natura Deorum. *Quid enim potest esse tam apertum, atque conspicuum, cum cælum conspexerimus, cælestiaque contemplati sumus, quàm esse aliquod Numen præstanti acumine mentis, quo hæc regantur*. Et lib. 1. refert. *Athenienses librum Protagoræ Sophistæ, in cuius principio, an Deus sit, dubitare videretur, combusisse, & ipsum de vrbe, & agro expulisse*. Et sic omnia alia ex alijs Philosophis, & Poetis didicisse spatio triginta annorum, & postea prædicasse.

23 Veritas catholica seq. conclusione explicatur. *Christus D. à nullo didicit, seu à nullo homine, & à nullius hominis scriptis fuit edoctus.* Sic docet S. D. hic *art.* 3. quem omnes Theologi sequuntur. Colligitur hæc veritas ex sacris litteris, nam Matt. 13. dicitur de Christo D. quod *docebat eos in synagogis eorũ, ita vt mirarentur, & dicerent, vnde huic sapientia hæc, & virtutes?* Marci 6.

ci 6. dicitur. *Capit in ſynagoga docere, & multi audientes admirabantur in doctrina eius, dicentes, vnde huic hæc omnia? Et quæ eſt ſapientia, quæ data eſt illi.* Et Io. 6. dicitur. *Quomodo ſcit litteras, cum non didicerit, &c.*

24 Probat 1. S. Doctor *in argum. ſed contra* hoc modo, nam Iſa. 55. dicitur de Chriſto D. *Ecce teſtem populi mei dedi eum, Ducem, ac præceptorum gentibus:* ſed præceptoris non eſt doceri, ſed docere; ergo Chriſtus non accepit aliquam ſcientiam per doctrinam alicuius hominis; aliàs nõ veniſſet vt præceptor, ſed vt diſcipulus. Hinc per Ioan. dicit. *Vos vocatis me magiſter, & Domine, & bene dicitis, ſum etenim.* Vnde ſicut à nullo homine accepit eſſe Dominum, neque eſſe magiſtrum.

25 Probat 2. *in corpore art.* hoc modo, nam in quolibet genere, id quod eſt primum mouens, non mouetur ſecundum illam ſpeciem motus: ſicut primum alterans non alteratur; ſed Chriſtus D. conſtitutus eſt à Deo caput Eccleſiæ, & omnium hominum, vt non ſolum omnes per ipſum gratiam accipiãt, ſed etiam vt omnes ab eo doctrinam veritatis reciperent, iuxta illud Ioann. 8. *In hoc natus ſum, ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati*; ergo non fuit conueniens eius dignitati, & officio vt veritatem, & doctrinam à quocumque homine acciperet, ac proinde doceretur.

26 Præterea probatur, nam optimus ille eſt, quia omnia nouit; ſed Chriſtus D. inter omnes homines eſt optimus ſummo modo, ergo ex ſe omnia nouit, & non ab alio homine. Tum quia Magiſter docens, & illuminans Diſcipulum, cæteris paribus habet maiorem cognitionem, & perfectionem, quam eius Diſcipulus, ſed nullus hominum habuit perfectiorem cognitionem, & maiorem perfectionem quam Chriſtus D. ergo, &c. Minor probatur, nam Chriſti D. intellectus, etiam in naturalibus fuit perfectiſſimus ex cognitione omnium perfectiſſima, ex redundantia luminis gloriæ, ex perfectiſſima ſcientia indita; ergo, &c.

27 Sed obijcies 1. nam Chriſtus D. ſecundum animam habuit perfectionem ſtatus innocentiæ; ſed homines in ſtatu innocentiæ didiciſſent ex aliis; ergo etiã Chriſtus D. debuit ex alijs diſcere. Maior conſtat, anima namque Chriſti D. habuit omnem excellentiam poſſibilem, & ſibi conuenientem; conueniens autem erat, quod haberet perfectionem ſtatus innocentiæ. Minor probatur, nam cum anima in ſtatu innocentiæ dominaretur corpori nõ dependebat à corpore in acquiſitione ſcientiarum, nec perfici poterat à rebus corporeis; ergo neque Chriſtus D. ac proinde ſicut in ſtatu innocentiæ non acquiſiuiſſent ſcientias per dependentiam à corpore, debebant eas acquirere per doctrinam, & inſtructionem ab alio, ſic & Chriſtus D. &c. Reſp concedẽdo maiorem, & negando minorem, nam etiam tunc homines nati fuiſſet cum intellectu qui eſſet tanquam tabula raſa, & acquiſiuiſſent ſcientiam tum per doctrinam, tum per dependentiam ab intellectu agẽte, medijs ſenſibus, tamen quia anima dominabatur corpori; facillimo negotio didiciſſet, & ſine labore, & laſſitudine & ſenſum defatigatione, tamen cum non haberent tunc homines ſcientias infuſas, nec ſpecies illis deſeruientes, cũ nati fuiſſent vt tabula raſa, debuiſſent eas acquirere. Cæterum Chriſtus D. habuit ſcientias infuſas, excepta ſcientia experimentali; & ſic illas non acquiſiuit, bene tamen iſtam, non ab aliquo homine per doctrinam, cum non eſſet decens, cum eſſet primus, & ſupremus omnium magiſter.

28 Obijcies 2. nam nulla videtur indecentia Chriſtum D. diſcere, ſeu recipere doctrinam à creaturis irrationalibus; ergo neque vlla eſt indecentia cum diſcere à creaturis rationalibus, ſcilicet ab homine. Conſeq. conſtat. Antecedens probatur, nam negari non poteſt, quod ſpecies deſeruientes ſcientiæ experimentali non fuerint à Chriſto Dom. acquiſitæ per ſenſus à rebus ſaltem irrationalibus; ergo, &c. Tum quia vt optimè notat Magnus Baſilius *hom.* 1. *Exam.* diuina ſapiẽtia eſt diffuſa ſuper omnem creaturam,

qua ratione dicitur continere omnia; totus namque mundus, & omnia creata scientiam habent vocis, sunt enim vice Dei ad erudiendum nos. Vnde etiam res corporeæ sunt quædam instrumenta Dei ad causandam scientiam in nobis, sicut voces sensibiles præceptoris subordinantur sapientiæ in eius mente existente ad causandam scientiam in discipulo; nulla autem est indecentia animam Christi D. accipere scientiam ex rebus materialibus tanquam ex instrumentis Dei, quodammodo eleuatis à diuina sapientia. Resp. concedendo antecedens,& negando conseq. Ratio discriminis est,quia dum homo discit experimentaliter ex rebus,non subditur illis, sed potius eas sibi subdit. At dum discit per doctrinam ab alio homine acceptam, illi subditur. Primo modo homo se agit; secundo modo agitur. Primo modo se habet actiuè,secundo modo passiuè, &c.

DVBIVM III.

An Christus Dom. aliquid didicerit ab Angelis.

19 Aliqui dicunt Christum Dom. didicisse ab Angelis, maximè à Gabriele, qui eum instruebat dum cum matre mansit spatio triginta annorum. Magis errarunt aliqui Iudæorum, qui teste Iansenio *in Concordia Euangel. cap.* 15. dicunt Christum D. accepisse à dæmone cognitionem litterarum,& Scripturarum. Putabant namque quod sicut in principe dæmoniorum eiiciebat dæmonia, ita per scientiam dæmoniorum mirabilia prædicabat.

30 Veritas catholica sequ.concl. explicatur. *Christus D. nihil didicit ab Angelis, & maximè à dæmonibus.* Hæc concl. docetur à S.Thoma,& ab omnibus Theologis, hoc loco. Colligitur apertè ex illo Ioan.7. *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me Patris.* Hanc concl. probant omnia argumenta quibus idem Christus D. vsus est Luc.11.& alibi ad conuincendos Iudæos, quod non expellebat dæmonia in virtute dæmoniorum. Tum quia doctrina quam docebat Christus D. erat dæmonibus contraria, & destructiua regni ipsorum, ergo non potuit esse ab ipsis dæmonibus; dæmones namque non docuissent doctrinam ipsis contrariam,& sui regni destructiuam.

31 Hanc concl. probat S.D. in argu. Sed contra ex D. Dionys. cap. 7. cælestis hierarch. vbi dicit, quod *supremi Angeli ad ipsum Iesum quæstionem faciunt, diuinique illius operis & pro nobis assumptæ carnis scientiam discunt, & eos ipse Iesus sine medio docet*, sed non est eiusdem docere,& doceri; ergo si Christus D. docet Angelos, non potest doceri ab eis. Videatur alia ratio eiusdem S.Doctoris in corpore articuli.

32 Præterea probatur ex doctrina eiusdem S.Doctoris 1.*p.q.*113.*art.*4.*ad* 1. vbi docet, quod Christus D. non habuit Angelum custodem, ex eo, quod Angeli custodis est illuminare animam quam custodit, eamque docere, & instruere; ergo signum est, quod anima Christi Dom. non potuit aliquid discere ab Angelis, ac proinde multò minus à dæmonibus.Tum quia Christus D. erat perfectissimus magister, & caput Angelorum; ergo non potuit aliquid ab eis discere. Tum quia vt docet D.Ambrosius. *Primus discendi ardor, dignitas est magistri*, si enim magister non sit tantæ dignitatis, & auctoritatis, vt discens assentiatur illius dictis, illisque credat, seu fidem præstet, non discet; qui enim vult discere aliquam veritatem ab aliquo, necesse prius est, quod illius dictis essentiatur propter ipsius auctoritatem; licet postea assentiatur rebus ipsis propter earum veritatem; vnde communiter dicitur. *Oportet discentem credere*, sed non potuit, saltem decenter, Christus D. assentiri alicui veritati propter auctoritatem alterius; hoc enim esset habere fidem humanam, quæ in Christo D. esse nequit propter sui obscuritatem, & fallibilitatem; ergo, &c.

33 Sed obiicies 1. nam Angeli aliquando proposuerunt Christo D. aliqua obiecta sensibilia ex quibus potuit venire in

in cognitionem naturalem illorum; ergo Christus D. fuit ab Angelis illuminatus. Conseq.constat, hoc enim modo Angeli docent, & illuminant homines, & hoc eodem modo Angeli superiores illuminant inferiores vt docet S.D. 1.*p.q.* 106. *art.*1. quatenus dicit, quod vnus intellectus alium illuminat, in quantum tradit ei aliquod medium cognoscendi ea, quę ante non cognoscebat. Antecedens probatur, nam Angeli ministrabant Christo in deserto. *Accesserunt Angeli, & ministrabant ei*, non solum cibos, sed etiam omnia obiecta sensibilia, vt ex illis naturalem illorum cognitionem sumeret. Vnde Origenes *lib.*1. *in Iob.* docet dæmonē repræsentasse Christo in tentatione multa obiecta sensibilia, repræsentantia omnia regna mundi, & gloriam eorum, vt ex illis peculiarem sumeret cognitionem.

34 Resp. concedendo antecedens, & negando conseq. ad hoc enim vt vnus doceat, aut illuminet alium, non sufficit, quod ei proponat obiecta, aliàs qui proponeret alteri fasciculum herbarum, aut florum, illum illuminaret; sed requiritur quod proponat media quibus res cognoscat, cum prius non cognosceret. Non enim dicimus quod discipulus illuminet magistrum ex eo, quod ipsum interroget, proponendo aliqua obiecta ex quibus excitetur ad formanda illorum phantasmata, cum ipse iam haberet sufficiens principium proximum, & proportionatum ad illa cognoscenda. Et sic quando Diabolus proposuit Christo omnia regna mundi, & gloriam eorum, non eum docuit, cum iam omnia sciret per scientiam beatam, & inditam, & haberet ex se sufficiens principium ad efformanda phantasmata, & species eorum, vt etiam per sciētiam experimentalem ea perciperet.

35 Obijcies 2. nam Angeli illuminabant Prophetas non per hoc, quod eis aliquod lumen infunderēt, sed per hoc eis obiecta sensibilia repræsentarent, ex quibus formarent phantasmata, eorumque species, vt colligitur ex toto libro Apocal. vbi nonnisi obiecta sensibilia Angeli repræsentabant Ioanni, vt ea scripturæ mandaret; ergo ad hoc vt dicantur Angeli illuminare Christum D. sufficit, quod illi obiecta sensibilia proponerent. Resp. negando antecedens. Ideo namque Angeli illuminabant Prophetas, non quia simpliciter proponebant obiecta sensibilia, sed quia ea proponebant ad quæ cognoscenda Prophetæ non habebant sufficiens, proximum, & proportionatum principiū, vt habebat Christus D.

36 Obijcies 3. nam Christus D. secundum animam fuit subditus ordinationi legis antiquæ, iuxta illud Apostol. ad Galat.4. *Factus sub lege*; ergo etiam fuit subditus ordinationi Angelicæ, secundum quam omnes erudiuntur ab Angelis. Conseq.probatur, nam vt dicitur Act.7. & ad Galat.3. lex antiqua facta est per Angelos, ac proinde qui fuit subditus legi, etiā Angelis subdi potuit, est namque minus subdi Angelis, quam subdi tali legi. Resp. negando conseq. Ad probationem dico, non incongruere quod anima Christi subderetur legi, bene tamen, quod subderetur Angelis. Ex eo namque quod subdebatur legi, sequitur quod subderetur auctori legis, scilicet Deo, nam Angeli non fuerunt auctores legis, sed instrumenta Dei, & ministri pro illius intimatione facta Moysi. At incongruum est, quod subdatur Angelis sibi subiectis, quoad doctrinam, & magisterium, in quo Angeli essent causa principalis. Secus esset, si solum essent delatores voluntatis Dei, vt fortè fuit Archāgelus Gabriel dum Christum D. in horto confortauit, referendo experimentaliter, quod iam Christus D. sciebat de diuina voluntate, de morte, & passione subeunda.

DISPVTATIO XIII.

IN QVAEST. XIII. DIVI THOMAE.

De potentia animæ Christi.

1 N art.1.docet S.Doctor quod anima Christi D. non habuit omnipotẽtentiã simpliciter, quia hæc est proprietas naturæ diuinæ; per vnionem autem hypostaticam neque est facta confusio naturarum, neque proprietatum sed vnaquæque natura suas retinuit proprietates naturales. In art.2. probat, quod anima Christi D. non habuit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum, potuit quidem producere motus, & effectus animæ conuenientes, siue naturales, siue supernaturales, vt gubernare corpus, actus humanos disponere, homines, & Angelos illuminare. Potuit etiam vt instrumentum coniunctum Verbi facere omnes illas miraculosas immutationes, quæ ad finem incarnationis ordinari possunt, non tamen potuit creare, vel annihilare, &c. In art.3.dicit, quod anima Christi ex propria virtute, quæ ei competit vt est anima humana non habuit omnipotentiam circa proprium corpus immutãdum à sua naturali dispositione. In art.4.dicit, quod anima Christi D. habuit omnipotentiam respectu suæ voluntatis, quatenus poterat facere quæcumque absoluta, & rationabili voluntate volebat fieri, vel per se, vel per diuinam virtutem, cuius erat instrumentum; non tamen semper fuerũt adimpleta ea quæ voluit voluntate conditionata, seu inefficaci, seu velleitate. Pro quibus sit.

DVBIVM I.

An Christi Dom. humanitas sit omnipotens.

2 ALij hoc dubium sic proponunt, an humanitati sit communicata omnipotentia Dei formaliter, ita quod ipsa humanitas sit formaliter omnipotens, & non tantum identificatè, ratione scilicet identificationis omnipotentiæ, cum subsistentia Verbi diuini. Aliqui hæretici nostri temporis, qui vocantur Lutherani Vbiquistæ dicunt, quod humanitas sit formaliter omnipotens ex vi vnionis hypostaticæ. Kemnitius *tract. de duab.natur. in Christo, & hypostatica vnione cap.* 24. explicat exemplo ferri igniti, quia sicut ferrum ignitum per vnionem cum igne, accipit virtutem lucendi, & vrendi, sic humanitas Christi D. per vnionem hypostaticam accipit omnipotentiam.

3 Veritas catholica seq. concl. explicatur. *Humanitas Christi D. non est omnipotens.* Hæc concl. est de fide definita in Concil. Calcedon. *art.* 5. Eam docet S. Doctor *hic art.* 1. quem omnes Theologi sequntur. Probatur 1. ratione D. Thomæ ad hanc formam redacta. Nam in sacrosacto incarnationis mysterio facta est vnio duarum naturarum, diuinæ scilicet, & humanæ, taliter quod vtraque retinet suas proprietates; sed omnipotentia, est proprietas naturæ diuinæ, non humanæ, ergo natura diuina eam retinet, non communicat humanitati. Maior nota est, & docetur in multis Concilijs contra Nestorium, aliosque hæreticos. Minor etiam nota est, quia omnipotentia cum sit quædam

dam

dam potẽtia actiua debet sequi suam formam, quæ est agendi principium virtute infinita; hęc est sola natura diuina ergo, &c.

4 Probatur 2. nam omnipotentia soli illi naturæ conuenire potest, quæ est principium incircumscriptum; sed natura humana non potest esse principium primũ incircumscriptum, sed tantum natura diuina; ergo omnipotentia non naturæ humanæ, sed tantum diuinæ conuenire potest. Minor nota, natura namque humana etiam per vnionem ad Verbum non fit principium incircumscriptum, primum, &c. Maior probatur, nam de ratione omnipotentiæ est, quod sit principium actiuum omnium quæ possunt habere rationẽ entis, sed nihil potest esse principium omnium quæ possunt habere rationem entis, nisi sit principium incircumscriptũ, primum, &c. quod est solius naturæ diuinæ; ergo, &c. Formalissima namque ratio entis nonnisi à primo ente attingi potest.

5 Probatur 3. nam si omnipotentia esset formaliter humanitati Christi communicata vel esset illi communicata per se ipsam, vel medio aliquo dono creato: neutrum dici potest, ergo humanitas Christi non est formaliter omnipotens. Minor probatur; non potest communicari medio aliquo dono creato, quia nullum ens creatum potest esse omnipotens, seu habere rationem omnipotentiæ, aliàs haberet vim producendi quodlibet possibile. Neque potuit communicari ipsa omnipotentia per se ipsam, nam implicat quod humanitas sit omni potens omnipotentia diuina; omnipotentia namque diuina non potest alteri naturæ conuenire præter diuinæ; si namque conuenire posset alteri naturæ, deberet illi communicari per modum formæ, non enim potest communicari per modum termini, vt subsistentia, cum non sit terminus, sed quædam forma; sed implicat quod vniatur alteri naturę per modum formæ, cum hoc inuoluat imperfectionem, ergo, &c.

6 Probatur 4. nam de ratione omnipotentiæ est, quod sit omnia potens, quod possit producere quidquid non implicat contradictionem, ac proinde omne possibile; sed humanitati Christi non potest communicari vis ad producendum omne possibile; ergo non potest illi communicari omnipotentia. Minor probatur, nam sibi communicaretur vis ad producẽdam se ipsam, cum etiam ipsa sit ens possibile. Tum quia posset humanitas Christi etiam vt causa principalis creare, annihilare, cõseruare, & facere, quod est solius primæ causæ proprium, quod 1. p. agentes de creatione, improbauimus.

7 Probatur 5. nam vnio hypostatica præcisè sumpta, solum dicit nudam terminationem humanitatis à Verbo; sed ex vi nudæ terminationis, non communicatur omnipotentia formaliter; ergo humanitas ex vi vnionis hypostaticæ non est omnipotens formaliter. Maior constat ex dictis supra. Minor probatur, nam ex vi nudæ terminationis solum communicatur humanitati subsistentia Verbi, quæ est terminus, non natura diuina, aliàs humana natura denominaretur formaliter natura diuina, & sic fieret confusio naturarũ contra definitionem Concilij Calcedon. *actione* 5. ergo neque communicabitur omnipotentia diuina. Aliàs sicut natura humana diceretur omnipotens omnipotentia diuina, ita natura diuina diceretur potens potentia finita humanitatis, propter confusionem, & communicationem proprietatum. Soluuntur argum. in contrarium.

8 Primum argum. est, nam non repugnat quod natura diuina vniatur humanitati in ratione virtutis actiuæ; ergo non repugnat quod vniatur in ratione omnipotentiæ. Conseq. constat, virtus namque actiua naturæ diuinæ, est omnipotentia. Maior probatur, nam potest intellectus creatus eleuari ad videndum Deum absque lumine gloriæ quatenus ipsa diuina essentia se ipsa vnitur per modum luminis; ergo etiam poterit vniri per modum virtutis actiuæ.

9 Ad hoc argum. occurrit Isambertus *ad q. 13. disp. 1. art. 2.* concedendo antecedens, quod scilicet possit natura diui-

na

na in ratione virtutis actiuæ vniri immediatè humanitati, per intimam sui indistantiam, eamque sic eleuare, & confortare vt attingat id quod eius vires naturales maximè superant. Hinc tamen non sequitur, quod possit communicari omnipotentia. Ad hoc vt vniatur diuina essentia in ratione virtutis actiuæ non requiritur, quod habeat rationem formæ inexistentis, & informantis humanitatem, sed sufficit vt ei vniatur per intimam indistãtiam, confortando eam, speciali quodam concursu, & vt, quædam concausa simul cum humanitate, effectus superexcedentes attingat. Cœterum vt communicetur diuina omnipotentia, requiritur, quod sit forma informans, seu formale principium *quo* humanitas operetur, quod esse nequit.

10 Sed hæc solutio non placet. Primò, quia implicat, quod natura diuina vniatur in ratione virtutis actiuè, per intimam sui indistantiam, confortando, & eleuando naturam, vt attingat effectus excedentes, v.g. visionem beatam sine lumine gloriæ; nam vel aliquid ponit tunc temporis essentia diuina in intellectu quo maneat eleuatus, & confortatus, vel nihil? Si nihil non eleuabitur, nec confortabitur. Cum enim intellectus de se sit impotens, debet fieri potens per superadditionem alicuius virtutis. Si aliquid, vel est ipsa diuina essentia, & hoc non, quia diuina essentia non potest vniri intellectui creato, vt se tenens ex parte illius, sed solum vt se tenens ex parte obiecti, aliàs haberet rationem formæ intellectus creati. Si addit aliquid ab ipsa distinctum, erit ipsum lumen.

11 Dices, ex doctrina Isamberti, quod additur ipsa diuina essentia, non vt informans, sed vt assistens, & vt concausa adiuans, & complens operationem, quam intellectus se solo ponere non poterat. Sed contra, nam intellectus de se est insufficiens ad videndum Deum v.g. ergo nisi aliquid ipsi superaddatur, semper manebit insufficiens; ex sola namque assistentia causæ potentis, non fit intellectus potens, sed remanet sicut prius.

12 Secundò non placet dicta solutio, quia si semel essentia diuina potest vniri humanitati per modum virtutis actiuæ, poterit etiam vniri per modum omnipotentiæ; cum enim virtus actiua diuina, sit ipsa omnipotentia, si semel potest humanitati vniri diuina virtus actiua, poterit etiam vniri diuina omnipotentia; tum quia nihil est per illum auctorem, per quod finiatur, & limitetur; cum enim non vniatur per modum formæ, sed solum per modum assistentis, poterit assistere cum sui tota latitudine.

13 Resp. ergo ad argum. n. 8. propositum negando antecedens, implicat namque vt diximus, quod diuina essentia vniatur humanitati per modum virtutis actiuæ. Nec exemplum de visione beatifica est verum, vt enim diximus 1. *p. q.* 12. cum D. Thoma, & N. Salmant. implicat quod Deus videatur sine lumine gloriæ, nec vllo modo potest actiuitas luminis gloriæ suppleri à diuina essentia, neque tãquam à forma informante, quod implicat, neque tamquam à supplente per suum auxilium, seu concursum extrinsecum, cum ex hoc intellectus maneat vt prius, &c.

14 Secundum argum. Christi D. humanitas ex vi vnionis hypostaticæ facta est formaliter omnipotens; ergo ex vi eiusdem vnionis omnipotentia fuit illi communicata. Antecedens probatur, nã humanitas Christi D. est vnita diuinitati saltem mediatè, mediante scilicet verbi diuini personalitate, quę cum ipsa diuinitate identificatur; ergo implicat humanitatem esse diuinitati coniunctam, & non esse coniunctam omnipotentiæ, seu implicat, quod diuinitas sit sibi mediatè communicata, & non sit sibi hoc modo communicata omnipotentia. Resp. negãdo antecedens. Ad probationem dico, quod sicut ex mediata vnione humanitatis cum diuinitate, non sequitur, quod humanitas sit formaliter deitas, ita non sequitur quod sit formaliter omnipotentia.

15 Tertium argum. nam ad ea omnia se extendit potentia humanitatis, ad quæ se extendit eius scientia: sed eius scien-

ſcientia ſe extendit ad præterita, præſentia, & futura; ergo etiam ad ea ſe extendet eius potentia. Tunc ſic, potentia quæ ſe extendit ad præterita, præſentia, & futura eſt infinita ſicut eſt infinita ſcientia, cum futura per totam ęternitatem ſint infinita, ſed potentia infinita, eſt omnipotentia; ergo, &c. Reſp. quod aliter potentia humanitatis ſe extendit ad omnia ad quæ ſe extendit ſcientia; nam ſcientia cum attingat res vt ſunt in menſura ſuperiori in qua omnia ſimul repræſentantur, ad ea omnia ſimul cognoſcenda ſe extendit. Cæterum potentia animę Chriſti dato quod concurrat ad ea omnia producenda, non attingit ea omnia ſimul; ſed in ſuis differentijs temporis, ac proinde non eſt infinita intenſiuè, ſed tantum ſecundum quid, & extenſiuè, eo modo res quo à ſuis cauſis producuntur pro ſuis temporis differentijs.

16 Quartum argum. nam humanitas Chriſti D. denominatur ſancta ab eſſentiali attributo ſanctitatis; ergo etiam denominabitur omnipotens ab attributo omnipotentiæ. Reſp. concedendo antecedens, & negando conſeq. Ratio diſcriminis eſt, quia cum denominatio omnipotentis ſit phyſica, requirit realem, & phyſicam efficientiam, ac proinde phyſicum, & reale principium *quo*, formaliter inexiſtens; quod de omnipotentia reſpectu humanitatis dici nequit. Cæterum denominatio ſanctitatis, cum ſit moralis, poteſt deſumi ab aliquo, verè quidem formaliter, & intrinſecè ſancto, extrinſeco tamen denominato, dummodo tale denominatum habeat aliquam habitudinem ad illud, quod eſt formaliter, & intrinſecè ſanctum. Poteſt quidem ſanctitas eſſe etiam phyſicè, & formaliter à forma intrinſeca, ſcilicet à gratia, ſed de hac non procedit argumentum.

17 Quintum argum. deſumunt Lutherani ex illo Matt. 11. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Et ex illo Matt. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Et ex illo pſal. 8. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius*, quem locum Apoſt. *ad Epheſ.* 1. Explicat de Chriſto D. Reſp. quod ex iſtis ſacræ ſcripturæ locis, non colligitur, quod Chriſto D. fuerit diuina omnipotentia communicata, ſed tantum quoddam ſingulare ius, & dominium, aut eximia poteſtas excellentię in omnes creaturas.

18 Sextum argum. quo maximè fidunt hęretici eſt, quod per communicationem idiomatum proprietates vtriuſque naturæ ad inuicem in cõcreto dicantur; ſed omnipotentia eſt proprietas naturæ diuinæ, ergo in concreto dici poterit; & ſic poterimus dicere humanitas Chriſti eſt omnipotens. Reſp. quod, vt dicemus infra, communicatio idiomatum non fit in proprietatibus naturarum, non enim dicere poſſumus natura diuina eſt riſibilis, eſt mortalis, &c. & è contra, non dicimus natura humana eſt infinita, incomprehenſibilis, omnipotens, &c. Sed communicatio idiomatum fit in cõcreto, ſeu naturarum, & proprietatum in ſuppoſito, vnde dicimus Chriſtus eſt riſibilis, eſt omnipotens, &c. ſed de hac re infra ad *q.* 17.

19 Septimum argum. eſt fundamentum *Kemnitij*, nam eodem modo ſe habet humanitas vnita Verbo diuino ad diuinam naturam, quo modo ferrum ignitum ad ignem cui quatenus ignitur vnitur; ſed ferrum per vnionem cum igne accipit virtutem ignis, vnde lucet, & vrit, ac proinde accipit proprietates ignis, ergo eodem modo humanitas per vnionem hypoſtaticam ad Verbum accipit omnipotentiam, quæ eſt virtus diuinitatis. Reſp. negando paritatem, nam ideo ignis communicat ferro vim conburrendi, quia illi communicat calorem; qui eſt virtus ignis. At natura diuina nihil tale phyſicum communicat humanitati, quod ſit eius virtus actiua, vt ex dictis conſtat.



DVBIVM II.

An causalitas humanitatis ad causandos effectus supernaturales, vt gratiam, miracula, &c. sit physica, an moralis.

20 DE hoc dubio fusè egimus *de Sacramentis in genere disp. 4. q. 2.* per totam. Pro quo nota, quod, vt ibi diximus, causa moralis est illa quæ non habet influxum physicum in effectum, sed moralem tantum, quatenus vel orando, vel merendo, vel impetrando mouet causam physicam, & applicat ad producendum effectum. Cœterum causa physica est illa quæ in effectum physicè influit. Et vtraque est duplex. Principalis, & instrumentalis. Causa physica principalis est illa quæ attingit effectum per virtutem propriam, & causa instrumentalis est illa, quæ eundem attingit per virtutem ab alio communicatam, qua eleuetur, & confortetur, &c. Causa principalis moralis est illa quæ agit per intensionem, seu per voluntatem liberam. At causa instrumentalis moralis est illa quæ agit vt subest intentioni, & libertati causæ principalis, vt epistola v.g. est causa instrumentalis moralis, quia mouet vt subest intentioni, & libertati causæ principalis, ad obtinendum officium, vel beneficium. Quo etiam modo pretium est causa instrumentalis moralis redemptionis captiui, quia mouet vt subest libertati soluentis illud.

21 Conueniunt omnes Theologi, quod humanitas Christi D. sit causa instrumentalis moralis effectuum supernaturalium, vt gratiæ, miraculorum, &c. quatenus dicta humanitas pro ipsis orauit, rogauit, illos meruit, pro illis obtinendis pactum iam præstitum intimauit, vel alio simili modo, Patris voluntatem inclinauit, & inclinat, quo solent voluntates inclinari ad aliquid efficiendum. His positis, tres de hac re celebres sunt sententiæ. Prima est, quod Christi D. humanitas est causa physica principalis gratiæ, & miraculorum. Hanc tenent Medina *hic dub. vlt.* Cabrera *disp. 2.* & quidam alij recentiores. Secunda sententia est, quod dicta Christi D. humanitas non sit causa physica gratiæ, &c. neque instrumentalis, sed tantum moralis. Sic Altisiodorensis *lib. 3. summa tract. 1. cap. 4. q. 2. ad 1.* D. Bonau. *in 3. dist. 13. art. 1. q. 3.* & ibi Richard. Durand. *in 3. dist. 14. q. 5.* Vasq. *hic disp. 57. cap. 6. circa finem*, & alij.

22 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Humanitas Christi D. est causa effectuum supernaturalium non tantum moralis, sed etiam physica, non principalis, sed instrumentalis.* Hęc sententia est communis Thomistarum, vt testatur Cipullus *hac q. 13. art. 2. dub. 1. n. 2.* pro quo refert Driedonem, Vegam, aliosque, quibus addo Orlandum *tract. 5. disp. 1. q. 2. n. 7.* vbi citat Caiet. Paludanum, Capreolum, Valentiam, Granadum, & alios. Eandem sententiam optimè defendit Isambertus *ad q. 13. disp. 2. art. 1.* Estque expressa sententia D. Thomæ hic art. 2. vbi sic dicit. *Si ergo loquamur de anima Christi secundum propriam naturam, & virtutem, siue naturalem, siue gratuitam, potentiam habuit ad illos effectus faciendos, qui sunt animæ conuenientes: puta ad gubernandum corpus, & ad disponendos humanos actus, & etiam ad illuminandum per gratiæ, & scientiæ plenitudinem omnes creaturas rationales ab eius perfectione deficientes, per modum quo hoc est conueniens creaturæ rationali. Si autem loquamur de anima Christi secundum quod est instrumentum Verbi sibi vniti, sic habuit instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, ordinabiles ad incarnationis finem, qui est instaurare omnia, siue quæ in cælis, siue quæ in terris sunt, &c.*

23 Occurrunt aliqui, quod S. Doctor loquatur de causalitate instrumentali morali, non de physica. Nam contra est, nam S.D. ibi vult animam Christi D. fuisse eleuatam ad faciendos effectus miraculosos in eo genere efficientiæ, quo eidē humanitati denegat esse instrumentum creationis, & an nihilationis; sed denegat esse instrumentum creationis, & annihilationis physicè; ergo, &c. Nullus namque negat posse dari instrumentum morale

se creationis, & annihilationis. Verba S. D. in eodem art. sunt. *Immutationes verò creaturarum secundum quod sunt vertibiles in nihil, correspondent creationi earum: prout scilicet producuntur ex nihilo; & ideo sicut solus Deus potest creare, ita solus potest creaturas in nihilum redigere; qui etiam solus eas in esse conseruat, ne in nihilo decidant.* Idem tradit 1.2. *q.* 112. *art.* 1. *& supra q.* 8. *art.* 1. *ad* 1. *& q.* 48. *art* 6. *& q.* 62. *art.* 5. *& q.* 64. *art.* 3. & alibi frequenter. Hanc sententiam adeo certam existimauit P. Suarez *disp.* 31. *sect.* 4. vt dixerit oppositam esse omnino falsam, & temerariam, quod ego non dico; non enim meum est aliorum opiniones censura afficere.

24 Probatur 1. ex illo Luc. 6. *Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Et cap. 8. de Hærmorrhoissa dicitur. *Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius, & confestim stetit fluxus sanguinis eius.* Et Matt. 14. dicitur. *Obtulerunt ei omnes male habentes, & rogabant eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent, & quicumque tetigerunt salui facti sunt, &c.* Vbi curatio tribuitur Christo D. vt instrumento physico, & non tantum morali; curatio namque quæ tribuitur contactui, non est moralis, sed physica vt patet, aliàs non bene dixisset Christus D. *Quis me tetigit, & noui virtutem exijsse ex me*; quia nouit effectum admirandæ sanctitatis ex sui corporis contactu exijsse, melius ac ex verbis medicinalibus. Idem argumentum desumi potest ex miraculo quo Christus D. sanauit leprosum Luc. 5. vbi dicitur. *Et extendens manum tetigit eum, dicens, volo mundare, & confestim lepra discessit ab eo:* vbi imperauit sanitatem, non eam rogauit à Patre. Idem etiam argumentum potest desumi ex restitutione visus cæco nato. Ideo namque Christus D. expuit in terram, vt eum sanaret, ex luto facto, vt ostenderet, quod sputum ex ore Christi D. progrediens habebat virtutem sanandi, non lutum, cum potius contrariam habeat virtutem ex se.

25 Probatur 2. nam id omne concedendum est Christo Dom. quod ex Sacra Scriptura, & Patribus satis apertè colligitur, & aliunde nullum sequitur incommodum, sed potius maximè Christi Dom. excellentia, dignitas, & perfectio commendatur; sed ex Sacra Scriptura, & Patribus satis apertè colligitur, quod Christi D. humanitas sit instrumentum Verbo diuino coniunctum ad patranda miracula, aliosque effectus supernaturales efficiendos; ergo, &c. Maior negari non potest à Theologo catholico. Minor quoad primam partem de Sacra Scriptura, constat ex dictis n. præcedenti. Quoad Sanctos Patres ostenditur, referendo aliquas illorum auctoritates.

26 Titus Bostrensis *in commentarijs ad cap.* 7. *Lucæ secunda p. tom.* 2. *Bibliot. PP.* Sic inquit. *Ob id loculum, seu feretrum tetigit, quia voluit, vt hinc disceremus corpus Christi Dei nostri, corpus esse vitæ, eiusdemque carnem vnigeniti filij Dei Verbique cuncti potentis esse carnem: nam cum erit eius illi effectu sit propria, qui viuificat omnia, fit vt ipsa quoque sit viuifica, mortemque & corruptionem interimere idonea.* N. S. P. Cyrillus *lib. ad Reginas de recta fide*, sic habet. *Vt ostenderet viuificum eius corpus, corpus enim vitæ, & iam quo pacto non vita secundum naturam est, qui non solum seruare, & repellere mortem potuit sed etiam tactu manus; erat enim consequens, & necessarium viuificum esse corpus, quod erat proprium vitæ.*

27 S. Ioannes Chrysostomus ho. 56. in Ioan. sic habet. *Cur non aqua, sed sputo ad lutum vsus est? Missurus eum erat in Siloam, ne quid ergo fonti adscriberetur, sed ex eius ore virtutem processisse intelligeretur, quæ illius oculos & finxerit, & aperuerit, inspuit in terram, & fecit lutum ex sputo, inde ne ex terra eam processisse virtutem suspicaretur, leuare iussit.* Idem tradit Theophylactus *ad cap.* 7. *Lucæ, & cap.* 8. *Marci*. Idem etiam tradit D. Ambrosius *lib.* 5. *in Luc.* & alij Patres communiter, maximè D. Hilarius *canone* 9. *in Matt.* vbi sic dicit. *Est autem in simplici intelligentia magna virtutis Dominicæ admiratio, cum potestas intra corpus manens, rebus*

bus caducis efficientiam adderet sanitatis, & vsque ad vestium fimbrias operatio diuina prouideret; vbi vult, quod virtus patrandi miracula intra corpus maneat, & sit vera efficientia.

28 Probatur 3. nam Deus est causa physica principalis gratiæ, & omnium effectuum supernaturalium; ergo humanitas Christi erit causa physica instrumẽtalis. Non enim potest esse causa physica principalis vt in tractatu de gratia fusè probauimus. Antecedens est certum, solus namque Deus potest esse causa principalis gratiæ. Conseq. probatur, nam instrumẽtum debet causæ principali proportionari, ergo si causa principalis est physica, etiam eius instrumentum erit physicum. Instrumentum namque in eodem genere causæ causat, quo causa principalis, cum enim instrumentum concurrat in virtute causæ principalis, & media actione eiusdem, etiam debet esse eiusdẽ ordinis, aliàs debita proportio non seruaretur.

29 Occurrunt 1. aliqui, quod Deus est causa principalis tum physica, tum moralis, qua causa physica nullo vtitur instrumento, qua vero causa principalis moralis illis vtitur, & hoc modo seruatur debita proportio inter causam principalem, & instrumentalem. Sed contra, nam negari non potest quin Deus vt causa physica non vtatur etiam instrumentis physicis. Tum quia non videtur dicendũ quod Deus sit causa moralis; causa namque moralis, vt dicebamus, est illa quæ alterius voluntatem inclinat, mouet, & excitat, media oratione, rogatione, meritis, &c. ad ponendum effectum, sed Deus nullo modo potest alterius voluntatem allicere, inclinare, mouere per orationem, per merita; &c. ergo.

30 Occurrunt 2. alij, quod non est contra rationem causæ physicè principalis quando est intellectualis, quod vtatur instrumento morali, vtendo aliquo quod suam moueat voluntatem, excitet, inclinet, applicet, & determinet ad physicè producendum effectum. Sed contra, nam dum causa principalis ob aliquo mouetur excitatur, &c. non gerit munus causæ physicæ, sed potius moralis, non quia excitet aliam, sed quia excitatur ab alia; ergo, &c.

31 Probatur 4. nam Sacramenta nouæ legis sunt instrumenta physica gratiæ, vt fusè ostendimus *de Sacram. in genere disp. 4. q. 2. per totam*; ergo etiam Christi D. humanitas idem præstat physicè. Conseq. probatur, nam Sacramenta habent vim, & efficaciam ex Christi humanitate. Humanitas namque est instrumentum coniunctum, & Sacramenta sunt instrumenta separata. Soluuntur argum. in contrarium.

32 Primum argum. desumunt ex varijs Sanctorum Patrum testimonijs. Diuus Athanasius *orat. 4. contra Arrianos*, loquens de miraculo quo Christus D. sanauit Socrum Petri sic dicit. *Humano modo manum extendit, diuinitas autem morbum compescuit*. Vbi miraculum tribuit diuinitati, non humanitati Christi D. S. P. N. Ioan. Damasc. lib. cui titulus est. *Quomodo ad imaginem Dei facti sumus*. Sic habet. *Quomodo diuinitus tactu carnis sanabat infirmos, alia erat actio propria diuinitatis, alia humanitatis, & finis humanæ actionis in manus extentione, & tactu positus erat, diuinæ autem naturæ in excitatione puellæ*. Idem tradit *lib. 3. de fide cap. 15. circa medium*. Idemque tradunt alij Patres.

33 Resp. quod Sancti Patres nil aliud dicere volunt, nisi quod tota virtus, quæ erat in carne ad sanandos infirmos, ad patranda miracula, ad causandos quoscumque effectus supernaturales, non erat in carne ex se, sed descendens à diuinitate, communicata à diuinitate, quod explicuit idem S. Athanasius loco citato dum dicit. *Nisi opera Deitatis Verbi per corpus patrata fuissent, nunquam homo deificatus fuisset*. Et post aliqua subdit. *Si viderimus diuinitus eum per organum sui corporis agere quidpiam, tum veniat in mentem, Deum esse qui ista operatur*. Deinde concludit. *Rectam fidem bene tuebimur, si quod vtriusque naturæ proprium est, consideremus, & ab vno vtrique præstari animaduertamus, si id fiat à nobis, numquam in errorem*

rem prolabemur. Vbi vt vides, clarè docet, quod opus miraculosum ab vtraque natura præstatur, à diuina tanquam à causa principali, & ab humana tanquam à causa instrumentali physica.

34 Secundum argum. nam eadem est ratio vnius miraculi Christi D. ac aliorum; sed Christi D. humanitas fecit multa miracula ad quæ non concurrit physicè, sed tantum moraliter; ergo idem de omnibus dicendum est. Minor probatur, nam resurrectio Lazari solum moraliter facta est, sine vllo contactu physico. Item sine aliquo contactu physico absentem puerum Centurionis sanauit; idem dic de filio Reguli. Idem etiam dicendum est, quando eiecit Dæmones, eosque compescuit ne loquerentur. Idem quoque dicendum quando Petrum super aquas ambulare fecit, tunc enim sola fuit subtractio diuini concursus, ne aquæ diffluerent, quæ subtractio nullam inuoluit physicam efficientiam.

35 Resp. 1. negando maiorem, non enim est necesse, quod humanitas Christi D. attingeret omnia miracula physicè ad sustinendam nostram sententiam, sed sufficit, quod aliqua physicè attigerit. Vnde ad illa miracula ad quæ non requiritur influxus physicus vt ponantur, nō physicè, sed tantum moraliter Christi D. humanitas dicetur concurrere. Resp. 2. negando minorem, ad hoc enim vt Christi D. humanitas physicè concurrat ad productionem alicuius effectus non requiritur contactus physicus; cum enim contactus sit solum conditio ad agēdum, sequitur, quod saltem in instrumento suppleri potest diuina virtute; dummodo virtus principalis agētis pertingat ad locum vbi effectus est producēdus; vnde alibi diximus, quod ad hoc vt Deus medio instrumento aliquid producat Mediolani, non est necesse, quod ibi pertingat virtus instrumentaria, sed sufficit, quod ibi sit virtus principalis agentis, scilicet Dei. Per quod solui possunt instantiæ in illa minoris probatione adductæ. Nam licet Christi humanitas non pertingeret per contactum physicum ad locum vbi erat anima Lazari, pertingebat tamen virtus diuina, cum qua virtus instrumentaria humanitatis Christi D. coniungebatur. Idem dic de miraculo sanitatis filij Centurionis, & filij Reguli. Ad illud de eiectione dæmonum & iussu ne loquerentur, dico quod Christi D. humanitas, vt instrumentum Dei potest imprimere dæmonibus aliquem motum, ratione cuius etiam coactè mutent locum. Sicut enim Deus vtitur igne tanquam instrumento ad alligandos dæmones, ita vti potest humanitate Christi D. ad illos eiciendos, ad comprimendos, vt non loquantur, &c. Vltimò ad id quod vltimo loco dicitur, dicendum, quod ad hoc vt aliquod corpus graue non demergatur in aqua non sufficit sola diuini concursus subtractio, ne partes aquæ effluant, sed opus est aliquo positiuo, quod aquæ conferat vim positiuam ad sustentandum corpus graue.

36 Tertium argum. nam Apostoli, alijque Sancti eodem modo operabantur, miracula, ac Christi D. humanitas, sed nec Sancti Apostoli, nec alij, eorumuè reliquiæ operantur miracula instrumentaliter physicè, sed tantum moraliter; ergo, &c. Resp. 1. negando maiorem, est enim alia ratio de Christo D. & de sanctis; humanitas namque ratione summæ dignitatis quam habebat ex vnione ad Verbum debuit habere hanc excellentiam, vt miracula, aliosque effectus produceret effectiuè physicè; cæterum sanctis sufficit efficientia moralis. Resp. 2. quod etiam sancti physicè faciunt miracula, tanquam instrumenta separata. Colligitur ex illo Ioan. 1. *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet*, & sic tradunt Diuus Chrysostomus *hom. 12. in Acta Apost.* S. P. August. *tract. 72. in Ioan. & serm. 29. de sanctis*, & alij.

37 Sed quæres 1. quomodo Christi D. humanitas possit esse causa moralis? Ratio difficultatis est, quia causa moralis est illa, quæ mouet, & excitat voluntatem alterius, ad producendum aliquem effectum, sed humanitas Christi non potest mouere, & excitare voluntatem Dei

vt faciat miraculum, aut gratiam causet, aliumuè effectum supernaturalem ponat; ergo non potest esse causa moralis. Minor probatur, nam diuina voluntas non potest in nullo genere causæ pendere à creatura. Tum quia causa moralis non exercet suam causalitatem erga effectum, sed erga causam principalem, vt effectum ponat; nulla autem res creata potest suam causalitatem exercere erga diuinam voluntatem. Nihilominus resp. cum distinctione, quod scilicet Christi D. humanitas non excitet, nec moueat diuinam voluntatem ex parte ipsius actus volēdi, hoc enim esse non potest, nulla namque causa assignari potest ex parte diuinæ voluntatis, seu ex parte actus volendi; excitari tamen & moueri potest ex parte obiecti, seu ex parte volitorum, ex parte namque horum causa assignari potest.

38 Quæres 2. quomodo intelligantur Sancti Patres cum videntur dicere, quod Christi D. humanitas sit causa principalis effectuum supernaturalium? Ratio dubitandi est, quia sic videntur dicere aliqui Sancti Patres, explicantes illud Apost. 1. Cor. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur*; nam omnes moriuntur in Adam tanquam in causa principali, ergo debent viuificari in Christo tanquam in causa principali viuificationis, & sic illum locum videntur intelligere. Sic etiam videntur intelligere illud Ioan. 1. *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*. Resp. quod Sancti Patres intelligi debent de causa physica instrumentali, non principali. Vel quod in linea causæ instrumētariæ sit Christi D. humanitas causa principalis, seu instrumentum primum, & principale, cum sit instrumentum coniunctum. Quomodo autem nec Christi D. humanitas, nec vlla creatura possit esse causa principalis gratiæ, ostendo in meo tract. de gratia, & obiectis satisfacio.

DVBIVM III.

An virtus quæ est in humanitate Christi ad patranda miracula sit potentia obedientialis actiua.

39 Prima sententia est, quod virtus, qua humanitas Christi D. facit miracula, facitq; vsque ad mundi finem, siue immediatè per se, siue medijs instrumentis separatis, sit quædam potentia obedientialis actiua, quæ etiam in qualibet creatura reperitur, vt ea media sine alia virtute superaddita rei intrinsecè, Deus faciat quicquid non inuoluit contradictionem; est autem hæc potentia actiua ipsamet entitas creaturæ vt Deo subdita, seu subordinata. Sic Suarez *disp. 31. sect. 5* quem aliqui recentiores sequūtur, maximè ex Patribus Societatis. Hanc sententiam sic explicant. Nam sicut in creaturis datur potentia obedientialis passiua, vt ex eis, & in eis faciat Deus quicquid non implicat contradictionem; ita in eisdem datur potentia obedientialis actiua, vt faciant, seu vt Deus ipsis mediantibus, & instrumentaliter concurrentibus faciat quidquid non implicat contradictionem, concurrente ipso Deo per concursum effectui proportionatum. De hac ergo potentia actiua dicunt eorum auctores, quod nec realiter, nec formaliter distinguitur à cōceptu cuiuslibet entis creati, & conuenit illis ex vi suæ primæ productionis, & est ipsa entitas rei, vt potens agere. Est innata, cum non sit aliud quàm ipsa rei entitas, & natura. Dicitur obedientialis, quia non constituit rem simpliciter potentem, sed capacem vt eleuari possit per extrinsecum Dei auxilium, quod est veluti potentia, & virtus proxima habens omnia necessaria ad agendum; ex quo sequitur, quod dicta potentia nec sit naturalis, nec supernaturalis, sed denominationem sortitur ab auxilio, seu concursu naturali, vel supernaturali.

40 Secunda sententia est, quod in creaturis detur duplex potentia obedientialis, vna actiua, & alia passiua. Potentia

tia obedientialis actiua est ipsa entitas rei qua est potest attingere quodlibet non implicans contradictionem, & hoc solum radicaliter, & in actu primo, completur autem per receptionem alicuius superadditi, ad quod etiam est in potentia, & ex vtroque completur intra causa effectuum excedentium. Sic aliqui iuniores post Nauarretum *in 1. p. controu.* 41. vbi dicit, quod in rebus est potentia obedientialis actiua radicalis illis congenita, quæ est subiectum immediatè susceptiuum qualitatis supernaturalis, qua suscepta cum ea concurrit ad operationes supernaturales, ita tamen vt omnis conatus supernaturalis sit à qualitate superaddita.

41 Tertia sententia dicit, quod nec in rebus, nec in Christi D. humanitate datur aliqua potentia obedientialis actiua, nec proxima, nec radicalis ad opera supernaturalia, ad miracula, &c. Sed tantum datur potentia obedientialis passiua, ad recipiendum aliquid intrinsecum per quod compleatur, & sit tota virtus proxima ad agendum, & antecedenter ad potentiam obedientialem passiuam nil aliud intelligatur, nisi non repugnantia ad accipiendum, vel faciendum quod Deus disponit. Cœterum vt clarius procedamus, per proprios SS. rem totã explicabimus.

§. I. *An in rebus à Deo creatis detur potentia obedientialis passiua.*

42 NEgant auctores primæ sententiæ, qui non aliam potentiam agnoscunt, nisi obedientialem actiuam. Communis, & vera sententia seq. concl. explicatur. *Datur in rebus creatis potentia obedientialis passiua ad actus, & immutationes superexcedentes, ac proinde etiam in Christi D. humanitate dabitur ad facienda miracula, ad causandam gratiam in nobis, & ad omnes effectus supernaturales producendos.* Secunda pars colligitur ex prima. Primam autem docent omnes ferè Theologi post D. Thomam 1. p. q. 115. *art. 2. ad 4. supra q. 1. art. 3. ad 3. & q. 11. art. 1. in corpore, & q. 8. de veritate art. 4. ad 13. & art. 12. ad 4.* vbi dicit, quod potentia obedientialis est illa secundum quam in creatura fieri potest, quicquid in ea fieri voluerit Creator.

43 Ratio nostræ conclusionis est euidens, nam potentiæ infinitæ actiuæ Dei quatenus potest operari præter, & supra totum ordinem naturæ, debet correspondere in rebus creatis potentia passiua secundum quam id totum recipere possunt in ordine ad id quod Deus in illis efficere vult, & ex illis, vel per illas vult operari; hæc est potentia obedientialis passiua; ergo in rebus creatis datur potentia obedientialis passiua. Maior constat, nam omni potentiæ actiuæ, debet correspondere sua potentia passiua, cum dicantur ad conuertentiam, & relatiuè. Cum autem potẽtia actiua Dei in ordine ad creaturas sit ad producendum in illis, ex illis, & per illas quicquid non implicat contradictionem. Sic potentia passiua illi correspondens in creaturis debet esse quædã capacitas, non ad faciendum, hæc enim non est potentia passiua, sed ad recipiendum quicquid Deus vult, in ordine ad faciendum, seu ad producendum, &c. Minor nota est, per potentiam namque obedientialem passiuam nil aliud intelligimus nisi quandam capacitatem respicientem actiuitatem potentiæ actiuæ Dei, vt recipiat quicquid potest illa Dei actiuitas producere.

44 Maior difficultas est inter Thologos, an ista potentia obedientialis passiua, quæ correspondet potentiæ actiuæ Dei sit aliquid distinctum ab entitate rei vt subijcitur diuinæ omnipotentiæ, an sit aliquid ab entitate rei distinctum? Tres de hac re inuenio sentẽtia. Prima est, quod sit physica quædam realitas ab entitate rei distincta, sic quidam moderni. Sed hæc sententia communiter reicitur, nam est eadem ratio de hac entitate physica, cum etiam sit quid respiciens diuinam omnipotentiam, in qua potest quicquid vult producere in ordine ad effectus quos producere voluerit. Secunda sententia est quod nõ sit entitas, seu realitas entitati superaddita, sed tantum quædam formalitas supernaturalis desumpta ex hoc, quod

res

res respiciant omnipotentiam Dei, vt est operatiua effectus supernaturalis. Hanc probabilem reputant N. Salmanticensis *1. p. ad q. 12. D. Thomæ*. Cæterum neque hæc sententia, licet probabilis sit, satisfacit, nam eius Auctores volunt, quod ista formalitas supernaturalis idẽtificetur cum ipsa entitate rei, non enim dari potest formalitas solitaria, quæ cum aliqua entitate non identificetur, cuius; sed non videtur quomodo formalitas supernaturalis possit identificari cum entitate naturali, ergo, &c. naturale namque, & supernaturale cum sint ordinis adeo diuersi sibi vendicant entitates proportionatas Quod si dicant, quod illa supernaturalis formalitas, sit eadẽ entitas naturalis, quatenus respicit vim, seu virtutem, aut potentiam supernaturalem sub ratione supernaturalis. Contra est, quia respectu, entitatis naturalis cuiuscumque rei ad Deum non est formalis, sed est passiuus nõ repectiuus, sed ex sola recipibilitate ab agente superiori non ponitur formalitas respectiua; ergo, &c. Tum quia id quod ponitur à diuina omnipotentia, non recipitur in ista formalitate, cum ista non sit subiectum v. g. luminis gloriæ, sed ipsa entitas intellectus, vt passiuè respicit Deum supernaturaliter agentem, lumen namque gloriæ non eleuat istam formalitatem, sed ipsum intellectus entitatem, quæ simul cum lumine gloriæ tanquam cum virtute proxima constituit vnum principium adæquatum videndi Deum, quod si resoluatur non in illam formalitatem resoluetur, sed in intellectum vt in potentiam remotã, & in lumen gloriæ vt in potentiam proximã, de quo magis *n. 46*.

45 Tertia sententia cui magis adhæreo est, quod potentia obedientialis passiua nil aliud sit, nisi quædam non repugnantia ad recipienda quæcumque non repugnantia à Deo supernaturaliter agente. Pro quo sciendum, quod omnis creatura duobus modis subijcitur Deo, & tanquam auctori naturali, & tanquam auctori supernaturali, vt subditur Deo auctori naturali perficitur, & mouetur motu, aut transmutatione naturali. At vt subditur Deo auctori supernaturali perficitur, & mouetur motu, aut transmutatione supernaturali, recipiendo aliquid supernaturale. Vnde entitas creaturæ secundum se nec dicit esse supernaturalem potentiã, nec potentiam naturalem, sed vtrumque potest sibi accidere, & esse naturalem, & esse supernaturalem, pro ratione effectus recepti. Hæc sententia sic explicata.

46 Probatur, nam potentia obedientialis non est aliquid rebus creatis superadditum, neque entitas, neque formalitas; ergo est ipsamet entitas vt dicit non repugnantiam ad recipiendũ, quod Deus voluerit. Antecedens probatur, nam si esset aliquid superadditum entitati, deberet in ea recipi secundum aliquam potentiam receptiuam, sed nulla assignari potest; ergo, &c. Maior constat. Minor probatur, nam peto de illa potentia receptiua huius potentiæ superadditæ an sit superaddita, an sit ab entitate distincta, an sit supernaturalis, saltem formaliter? Si hoc admittant, applicetur arg. ad illam aliam, & tunc vel dabitur processus in infinitum, vel sistendum est in aliqua entitate naturali, quæ illum effectum recipiet immediatè, & sic solum dicet potentia obedientialis non repugnantiam dictam, &c.

47 Sed obijcies, nam si ista potentia obedientialis passiua esset ipsa entitas rei, & non aliquid supernaturale superadditum, vt aliqua formalitas, sequeretur 1. quod potentia, seu entitas naturalis respiceret actum, vel effectum supernaturalem, seu quod esset ad aliquid supernaturale ordinatum, quod implicat; implicat namque quod res naturalis ordinetur ad aliquid supernaturale, cum potentia, & actus sint eiusdem ordinis. Sequeretur 2. quod dicta potentia obedientialis esset innata. Resp. negando vtramque sequelam, implicat quidem, quod detur potentia simpliciter etiam passiua naturalis, quæ determinatè respiciat ens supernaturale, & quod sit innata, non tamen implicat quod detur potentiam secundum quid quæ scilicet non dicit positiuum ordinem ad aliquid supernaturale, sed solum non repugnantiam. Pro quo nota, quod ad poten-

potentiam simpliciter requiritur, quod sit eiusdem ordinis cum re cuius est potentia ac proinde quod dicat ordinē positiuum, inclinationem, & proportionem ad actum seu formam. Cæterum ad potentiam secundum quid, quæ solum consistit in quadam non repugnantia, non requiritur, quod sit eiusdem ordinis cum actu, quod dicat ordinem positiuum, quod dicat inclinationem, & proportionem ad actum, sed sufficit, vt dicat non repugnantiam

48 Ex quibus infertur 1. quod quando D. Thomas, & alij Theologi dicunt quod potentia obedientialis est quædam capacitas, non est sensus, quod sit quid positiuum ab entitate rei distinctum, sed quod sit rei non repugniantia ad actus, vel effectus supernaturales, quæ non repugnantia non est aliquid ab entitate rei didistinctum, sed ipsamet rei entitas vt primę causæ subordinata. Infertur 2. quod potentia obedientialis passiua neque est substantia, neque accidens cum tam in substantia, quàm in accidente reperiatur, cum Deus tamen substantia quàm in accidente possit operari quod voluerit.

49 Infertur 3. quod potentia obedientialis in sua entitate & est naturalis, & supernaturalis. Est supernaturalis; quatenus Deus potest vti re supernaturali ad aliquem alium effectum supernaturalem præstandum. Est naturalis quatenus vtitur re naturali ad effectus supernaturales, vt intellectu ad videndum Deum, voluntate ad amandum, &c. Corpore ad recipiendas dotes, &c. quatenus tamen ista res naturalis dicit non repugnantiam ad actus supernaturales, potentia obedientialis est naturalis; tamen dicitur supernaturalis ratione effectus Dei quem recipit, & etiam quatenus dicit respectum rationis ad actum supernaturalem; siue in entitate, siue quoad modum.

§. II. *An in rebus à Deo creatis detur potentia obedientialis actiua formalis, & proxima.*

50 QVantum video, & quantum capio, non videtur magna controuersia, an detur potentia obedientialis actiua respectu illarum rerum, quæ nullam habent virtutem naturalem neque radicalem ad illam actionem supernaturalem, ad quam à Deo assumuntur, siue illa actio sumatur secundum propriam rationem, suæ speciei, siue secundum rationem genericam, & communem, exempli gratia aqua quam Deus assumit ad abluenda peccata in Sacramento baptismi, nullum ex sui natura habet virtutem neque radicalem, nec essentialem ad illum effectum supernaturalem, qui est ablatio peccati, maximè originalis, neque vim habet ad actionem, aut effectum spiritualem in anima causandum. In ijs namque rebus, vt perspicuè constare videtur, nulla datur potentia obedientialis actiua ad operationes supernaturales, cum nullam habeant agendi rationem, sed mouent vt præcisè motæ ab agente principali, nec ab eo accipiunt aliquam agendi virtutem ad modum actus primi, sed motio agentis principalis in eas deriuatur per modum transeuntis, eo modo quo motio artificis recipitur in instrumentis artis ab eo motis; licet Suarez obstare videatur.

51 Controuersia ergo potissima videtur de illis rebus, quæ licet ex sui natura nullam habeant vim ad actiones supernaturales, vt tales, habent tamen vim naturalem ad eas secundum communem, & genericam rationem consideratas, vel secundum quod continentur intra obiectum specificatiuum, aut extensiuum potentiæ; sicut noster intellectus, nullam habet ex sui natura vim ad videndum Deum, tamen est productiuus actionis intellectiuæ, quæ hac ratione conuenit cum visione beata, & Deus vt clarè visus continetur intra obiectum specificatiuum, & extensiuum eiusdem intellectus, & de his quæritur an habeant potentiam obedientia-

tialem actiuam ad actiones supernaturales.

52 Prima sententia est, de qua supra n.39. quod detur potentia obedientialis actiua proximè, & formaliter, quæ vt ad actum reducatur nihil intrinsecè recipere debet, sed solum dari debet concursus Dei simultaneus sibi vnitus, ex quibus integratur completa potentia ad eliciendos actus supernaturales. Sic Suarez vbi supra n 39. Secunda sententia admittit potentiam obedientialem actiuam tantũ radicalem, quę vt ad actum reducatur requiritur, quod aliquid superaddatur, ex quo actu primo reducatur ad actum secundum. V.g. intellectus creatus habet potentiam obedientialem actiuam radicalem ad vidẽdum Deum, quæ vt ad actum secundum reuocetur, requiritur superadditio virtutis proximæ, scilicet luminis gloriæ. Hanc tenent Nauarete supra n. 40. & alij. De hac sententia dicemus §. sequenti, nunc agendum est de prima, de qua.

53 Nostra sententia sequ. concl. explicatur. *In rebus à Deo creatis non datur potentia obedientialis actiua proxima, & formalis.* Hanc conclusionem tradunt omnes Thomistæ hoc loco, & de Sacramentis in genere, vbi nos eam fusè probauimus *disp.4.q.3.per totam*. Vnde nullo modo sunt audiendi illi qui dicunt hanc quęstionem esse de solo nomine. Putant enim sententiam Suarez procedere de potentia obedientiali actiua radicali, quæ vt reducatur in actum requirit aliquid intrinsecè superadditum, vt vult Nauarretæ, de quo §. sequenti. Suarez namque, & qui eius sententiam sequuntur, volunt, quod potentia obediẽtialis actiua sit proxima, & immediata, vnde ad hoc vt reducatur ad actum nihil intrinsecè debeat superaddi, quod eleuet, & compleat, & sit tota virtus proxima potentiæ ad operandum actum supernaturalem, sed solum indigeat concursu extrinseco Dei, quo sufficienter eleuetur, & cum quo simul concurrat ad actum supernaturalem, qua ratione vult ille, quod intellectus creatus sine lumine gloriæ, per solum concursum extrinsecum Dei, potest videre Deum.

54 Probatur 1. nulla creatura potest esse per se ipsam proximè, & simpliciter potens non solum vt causa principalis, sed neque vt causa instrumentalis ad producendum actum, aut effectum supernaturalem; ergo in nulla creatura datur ista potentia obedientialis actiua formalis, & proxima, quam admittit Suarez. Conseq. constat, nam data ista potentia obedientiali proxima, creatura per se ipsam, proximè, & simpliciter non solum posset esse causa principalis actus supernaturalis, vt in visione beatifica, sed etiam instrumentalis, effectus supernaturalis, solum enim opus esset ponere concursum Dei, siue ad causam principalem, siue ad causam instrumentalem. Antecedens probatur, quandoquidem creatura est entitas simpliciter naturalis; ergo non potest esse per se ipsam proximè, & immediatè potens producere effectus supernaturales. Vnde loquendo de Christi D. humanitate non poterit neque per modum instrumenti physici, sine alicuius virtutis superadditione, attingere miracula, aliosuè effectus supernaturales, cum solo concursu Dei extrinseco, seu cum solo Dei auxilio.

55 Occurrit Suarez *dicta disp.31.sect. 5.§.sed dicet aliquis*, quod licet potentia obedientialis actiua secundum se sit entitas naturalis, ac proinde non possit proximè, & simpliciter attingere effectus supernaturales, & sic secundum se sit solum potentia quædam remota, tamen vt applicata à primo agente per suum concursum, seu vt habet paratum proportionatum concursum, qui ei nec debitus est, nec naturalis, est potentia proxima, habens omnia necessaria ad producendos effectus supernaturales.

56 Sed contra, nam iste concursus per Suarez nihil intrinsecè ponit in re, v.g. in humanitate, ergo intrinsecè remanet vt prius, ac proinde si prius non erat potens producere effectus supernaturales, neque postea: & si prius erat solum potentia remota, & de se insufficiens, etiam postea. Conseq. probatur, nam id quod prius non erat potens intrinsecè producere

re

re aliquid, non potest fieri potens nisi sibi aliquid intrinsecè superaddatur, vt sic intrinsecè præcontineat, quod prius intrinsecè non præcontinebat.

57 Probatur 2. nam omnis causa productiua alicuius effectus debet eundem effectum præcontinere non solum in actu secundo, sed etiam in actu primo; sed nulla creatura pręcontinet effectus supernaturales in actu primo; ergo neq; in actu secundo, maximè quando ad ponendum actum secundũ nõ fit additio alicuius virtutis se tenentis ex parte causæ, sed solum fit additio cõcursus Dei extrinseci nihil in causa ponentis, sed in solo effectu recepti; id autem quod est solum quid in effectu, non in causa, non potest constituere causam potentem.

58 Probatur 2. nam si daretur ista potentia obedientialis actiua in rebus à Deo creatis ad faciendum quicquid non implicat contradictionem ex diuino imperio, gauderent creaturæ vi, & virtute infinita actiua; hoc est falsum; ergo, &c. Maior probatur, nam quantitas virtutis, seu potentiæ desumitur ex quantitate obiecti, sed obiectum huius potentiæ obedientialis esset infinitum; ergo etiam potentia esset infinita. Hæc minor ostenditur, nam obiectum potentiæ istius obedientialis actiuæ, est quidquid non implicat contradictionem, sed hoc est infinitæ extensionis, & latitudinis, vt patet; ergo etiam potentia, cum inter potentiam, & eius obiectum proportio, & adaptatio dari debeat.

59 Respondent 1. aliqui, quod licet hoc quod est non implicare contradictionem sit obiectum infinitum, tamen potentia obedientialis actiua non respicit hoc præcisè, sed solum prout recipit eleuationem à superiore agente, penes cuius influxũ, seu concursum metitur perfectio, & extẽsio dictæ potentiæ obedientialis actiuæ; ille autem influxus, seu concursus quo actu mouet potentiam, seu creaturã, semper est finitus, & limitatus, cum semper sit ad finitum, & limitatum effectum. Sed contra, nam licet dicta potentia obedientialis in actu secundo finiatur per illum concursũ finitum actualem, per illum influxũ actualem, per illam eleuationem actualem, tamen negari non potest quin considerata in actu primo non sit infinitæ extensionis, & latitudinis, ad eum modum quo Theologi dicunt, quod Sacrasanctum Missæ sacrificium est infiniti valoris in actu primo, & secundum se licet in actu secundo talis valor non exerceatur propter finitam sacerdotis applicationem.

60 Respondent 2. alij, quod dicta potentia obedientialis actiua licet respiciat obiectum infinitum vel extensiuè, vel intensiuè, ipsa tamen non est infinita nec intensiuè, nec extensiuè. Non intensiuè, quia est instrumentaria, & solum quædam participatio potentię actiuę Dei, quæ solum in Deo est simpliciter infinita, non in participante. Vnde si esset simpliciter infinita non indigeret alterius auxilio, nec ab alio in suo operari dependeret. Nec etiam est infinita extensiuè simpliciter, sed solum secundum quid, & syncategorematicè, quia non tot possibilia, seu non implicantia contradictionem respicit, quin possint alia, & alia semper assignari.

61 Sed contra, nam si daretur talis potentia obedientialis actiua, & esset infinita simpliciter intensiuè, & extensiuè, ergo non datur. Antecedens probo quoad infinitatem intensiuam, nam ex hoc, quod est instrumentaria, non tollitur quin & sit, & dici debeat infinita simpliciter, si semel illa virtus instrumentaria actiua tantum extenditur quantum virtus causæ principalis: virtus namque instrumentaria actiua extenditur ad totum id, quod non inuoluit contradictionem, & ad hoc solum se extendere potest diuina omnipotentia, ac proinde tam est infinita illa, quam ista. Hoc eodem modo probatur infinitas extensiua potentiæ obedientialis actiuæ. Sicut enim ex hoc, quod nunquam dari possint omnia non implicantia contradictionem, sequeretur, quod diuina omnipotentia non sit in omni genere infinita; ita ex hoc, quod nunquam dari possint omnia non implicantia contradictionem, sequeretur, quod potentia obe-

dientialis actiua non sit simpliciter infinita, licet non ponantur simul extra causam, nec poni possint, non ex defectu virtutis instrumentariæ, sed aliunde scilicet ex incapacitate ipsorum possibilium.

62 Probatur 3. nam si daretur in creaturis potentia obedientialis actiua in ordine ad effectus supernaturales, esset ipsis creaturis innata, vt volunt illius auctores; sed implicat dari virtutem innatam creaturis ad producendos effectus supernaturales; ergo non datur. Minor probatur, nam si daretur hæc potentia innata ad producendos effectus supernaturales, vel esset completa, vel incompleta: non primum, quia iam non esset in humanitate Christi, in Sacramentis, &c. instrumentaria, sed principalis. Non secundum, nam vel illi proprius effectus correspponderet, vel non; si proprius, iam inrespectu illius esset causa principalis incompleta: si non, non erit potentia actiua.

63 Respondent Suarez loco citato, & Meratius *de sacram. in genere disp.* 4. *sect.* 10. *n.* 3. quod potentia obedientialis actiua est virtus incompleta; & non est causa principalis respectu effectus correspondentis, quia non operatur concursu, seu auxilio sibi debito, nam vt producat effectum præter Dei concursum generalem opus habet alterius causæ consortio, à qua adiuuetur, aut speciali Dei auxilio. Sed contra, nam illa est causa principalis quę operatur intra latitudinem sui obiecti adæquati, sed illa potentia obedientialis actiua, v. g. humanitas Christi D. aut sacramenti, dum attingit gratiam, operatur intra latitudinem sui obiecti adęquati, ergo est causa principalis. Maior constat, nam in hoc distinguitur causa principalis ab instrumentali, quod causa principalis etiamsi agat vt eleuata non amittit rationem causæ principalis, quando attingit actum contentum intra latitudinem sui obiecti extensiui, vt patet de intellectu vidente Deum. Minor probatur, nam obiectum adæquatum potentiæ obediẽtialis actiuæ per suos auctores, est quid non implicat contradictionẽ, sed miracula, gratia, & omnes effectus supernaturales non implicant contradictionem; ergo continentur intra latitudinem obiecti adæquati potẽtiæ obedientialis actiuæ.

64 Præterea, illa est causa principalis alicuius effectus, quæ ex propria, innataque virtute operatur, & illa est causa instrumentalis, quæ operatur ex virtute, seu ex motione alterius; sed potentia obedientialis actiua operatur ex propria, innataque virtute; procedit namque, vt volunt eius auctores ex innatis rerum principijs, cum non distinguatur ab ipsa rei entitate; ergo, &c. Tum quia virtuti innatæ, & naturaliter congenitæ debetur concursus sibi proportionatus; ergo si semel illa potentia obedientialis actiua est innata, nõ debent dicere aduersarij, quod concursus, seu auxilium, sit speciale, & indebitum.

65 Demum si potentia obedientialis actiua non est causa principalis, sed instrumentalis, vel est causa instrumentalis Dei auctoris naturæ, aut auctoris supernaturalis; neutrum dici potest, ergo, &c. Minor probatur; nam non est virtus instumentaria Dei auctoris naturæ, quia Deus vt talis non est auctor effectuum supernaturalium. Neque est virtus instrumentaria Dei auctoris supernaturalis, cum oriatur ex naturæ principijs, & anteuertat omnem actionem Dei auctoris supernaturalis; virtus autem instrumentaria debet esse participatio virtutis principalis agentis, ac proinde debet esse supernaturalis, cũ agens est supernaturale.

66 Probatur 4. nam ex opposita sententia sequeretur, quod omnis res creata esset Sacramentum, vt probo *de Sacramentis in genere disp.* 4. *q.* 3. si semel daretur illa potentia obedientialis actiua, ergo, &c. Sequela probatur, nam omnes res creatæ importarent totum id quod requiritur ad hoc vt sint Sacramenta, seu vt sint gratiæ causatiua, scilicet potentiam obedientialem actiuam, quæ ad hoc vt exeat in actum ad gratiæ productionem non indiget aliquo intrinsecè complente, sed extrinseco dumtaxat Dei imperio, & actuali auxilio; ergo loquendo de eo, quod ex parte Sacramentorum requiritur

tur intrinsecè, & in actu primo ante positionē extrinseci imperij Dei omnis creatura habet totum id quod requiritur vt sit Sacramentum, seu vt sit causatiuum gratiæ. Soluuntur argum. in contrarium.

67 Primum argum. desumunt ex D. Aug. *lib.9.de Gen. ad litt.* vbi dicit, quod res naturales habent virtutem innatam vt faciāt quicquid Deus voluerit, vt quod lignum aridum repente floreat, & fructus producat: quod fœmina sterilis in senectute pariat: quod asina loquatur, &c. sed pertinent ista ad potentiam obedientialem actiuam, non naturalem; ergo supernaturalem. Resp. nos non negare potentiam obedientialem actiuam quamcumque, sed illam quam ponit Suarez, quæ scilicet attingit effectus supernaturales sine additione nouæ virtutis, indistincta ab entitate rei, quæ vt exeat in actum nullo indiget superaddito intrinseco, sed dumtaxat extrinseco Dei imperio, & extrinseco Dei concursu, seu seu auxilio. Cœterum admittimus potentiam obedientialem actiuam, supponentem passiuam, vt prius res aliquid à Deo intrinsecè recipiat, vt postea eo medio agat: intellectus prius recipit lumen gloriæ, postea eo medio videt Deum. Sacramenta prius intrinsecè recipiunt motionem Dei, & postea ea media gratiam attingunt, & sic deinceps. Et hanc admittit S.P. Aug. vt ostendo *de Sacram. in genere dicta disp. 4. q. 3. in solut. 1.*

68 Secundum argum. nam intellectus, & voluntas habent potentiam obedientialem actiuam ad actus supernaturales, fidei, charitatis, &c. ergo debet dari in alijs rebus creatis, & maximè in humanitate Christi D. ad patranda miracula, aliosq; effectus supernaturales producendos. Antecedens probatur, nam dictę potentię concurrunt ad dictos actus secundum suam innatam virtutem, sed iste concursus non est naturalis, nec supernaturalis, ergo obedientialis. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico, quod illa virtus est supernaturalis, est enim lumen fidei, habitus charitatis, siue per modum habitus, siue per modum dispositionis transeũtis, de quo aliàs dixi. Vide alia loco citato *de Sacramentis in genere.*

§. III. An detur potentia obedientialis actiua radicalis, & remota.

69 Nauarretè relatus supra, quem aliqui etiam ex Thomistis sequuntur, putat, quod in rebus operatiuis detur potentia obedientialis actiua radicalis, pro quo supponit, quod res à Deo creatæ sunt in duplici differentia. Quædã sunt, quæ nullam habent virtutem naturalem ad actionem supernaturalem, cum eam non contineant sub obiecto specificatiuo, seu extensiuo, vt patet in materia, & forma sacramentorum quæ neque radicaliter continent actionem gratiæ productiuam, sequitur quod non habent potentiam obedientialem radicalem actiuam, cum non agant nisi vt motæ. Quædam autem sunt, quæ habent virtutem naturalem ad actionem supernaturalem, vt intellectus ad actum visionis, & fidei; voluntas ad actum spei, & charitatis, &c. Et de istis dicit, quod habeant potentiam obedientialem actiuam radicalem, cum concurrant ad actus illos supernaturales tamquam causæ principales licet vt agant & exeant in actum indigeant aliqua virtute superaddita.

70 Probatur 1. ista sententia, nam quilibet habitus, & perfectio supernaturalis operatiua proximè, præsupponit potentiam obedientialem, seu virtutē operatiuam remotè, & radicaliter, in qua recipiatur, & cui communicetur; ergo, &c. Antecedens probatur, præsupponendo, quod habitus, & perfectiones supernaturales sunt in duplici differentia, quædam enim dantur ad operandum, vt sunt habitus supernaturales operatiui, qui subiectantur in potentijs operatiuis, & isti habitus supponunt potentias operatiuas, ac proinde potentiam obedientialem radicalem actiuam quam deducant ad actum secundum ex actu primò, aliàs non eleuarent potentiam operatiuam, nec dictæ potentię concurrerent vt causę

principales radicales ad dictas operationes. Quædam dantur perfectiones supernaturales, quæ non dantur ad operandum, sed tantum ad essendum vt gratia santificans, & istæ non supponunt potentiam actiuam obedientialem, sed tantum passiuam; ergo, &c.

71 Probatur 2. nam potentia proxima elicitiua actuum supernaturalium debet esse eiusdem ordinis cum potentia actiua remota, seu radicali; sed intellectus, & voluntas sunt potentia actiua radicalis actuum supernaturalium, cum contineantur intra latitudinem obiecti specificatiui, & extensiui, aliàs non concurrerent ad illorum productionem vt causæ principales, non sunt potentia actuum supernaturalium naturalis; ergo obedientialis.

72 Probatur 3. nam intellectus, & voluntas si informentur habitibus naturalibus, seu formis naturalibus, sunt potentia actiua ad actus illos quorum sunt illæ formæ, vel habitus; ergo si informentur formis, seu habitibus supernaturalibus in ordine ad actus supernaturales, erunt potentię actiuæ supernaturales obedientiales, cum subdantur Deo vt imprimente, seu vt conferente formas supernaturales. Has rationes meditatus sum pro sententia Nauarreti, & aliorum.

73 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Non datur potentia obedientialis actiua radicalis*. Hanc sententiam tenentur sequi, si volunt loqui consequenter, omnes qui negant potentiam obedientialem actiuam contra Suarez, nam Suarez suam potentiam obedientialem actiuam vult non solum esse rationem proximam, sed etiam radicalem, vt consideratur secundum se, & vt præscindit ab actuali imperio, & concursu Dei, quibus à radicali, trahitur ad esse actualem. Constat nostra concl. ex rationibus, quibus §. præcedenti improbauimus potentiam obedientialem actiuam formalem. Nihilominus.

74 Probatur 1. nam si quæ potentiæ haberent hanc potentiam obedientialem radicalem actiuam, maximè intellectus, & voluntas in ordine ad actus supernaturales, sed istæ non habent; ergo non datur. Maiorem concedunt aduersarij. Minorem probo, nam intellectus, & voluntas nullam, neque radicalem habent actiuitatem ad actus supernaturales, sed tantum potentiam passiuam, seu non repugnantiam ad recipiẽdam virtutem supernaturalem, ergo non datur in illis, ac subinde neque in alijs creaturis potẽtia obedientialis actiua. Potentia namque actiua proxima, & remota debent esse eiusdem ordinis, sicut dispositio proxima, & remota, intellectus autem, & voluntas non habent potentiam radicalem actiuam supernaturalem, aliàs in entitate essent supernaturales, cum non aliter concurrant radicaliter nisi per proprias earum entitates.

75 Probatur 2. nam tota virtus agendi, seu producendi actus supernaturales desumitur à virtute proxima superaddita. V.g. tota virtus proxima videndi Deum desumitur à lumine gloriæ, non à virtute potentiæ; ergo signum est, quod in potentia v.g. intellectiua non datur aliqua potentia actiua obedientialis supernaturalis. Antecedens constat ex dictis 1. *p. q.* 12. vbi ostendimus propterea, quod intellectus perfectior nil facit ad perfectiorem visionem, sed solum perfectio luminis gloriæ. Conseq. probatur, nam si in intellectu daretur dicta potentia actiua radicalis obedientialis, productiua actuũ supernaturalium, deberet per additionem virtutis proximæ simul cum ea aliquid attingere in actu supernaturali, cum enim illa potentia sit ordinis supernaturalis, poterit in actu aliquid supernaturalitatis attingere, quod est falsam ob rationem dictam.

76 Probatur 3. nam ideo intellectus v.g. est potentia radicalis actiua actuum naturalium, quia eos in hoc ordine præcontinet; sed non præcontinet actus supernaturales; ergo non est potentia radicalis actiua illorum. Nec valet, quod eos præcontineat vt subest imperio Dei, & ratione concursus illius. Nam contra est, quia ideo per Suarez, & omnes auctores

ctores

ctores potentiæ actiuæ proximæ obedientialis, potentia obedientialis actiua proxima præcontinet actus supernaturales, quia diuino subditur imperio, & sibi diuinus datur concursus, sed potentia radicalis non subditur diuino imperio, nec illi vt tali datur diuinus concursus; ergo, &c. Imperium namque, & concursus dantur ad actum, non ad potentiam radicalem, maximè quia nec imperium, nec concursus ponunt aliquid quod se teneat ex parte potentiæ. Tum quia potentia actiua rei creatæ cum sit naturalis, non eleuatur vt actiua formaliter, sed tantum vt passiua, si dictio *vt*, reduplicet radicem obediendi, & submittendi se motioni primi agentis; secus si *vt* reduplicet radicem submittendi, seu id quod submittitur, id namque quod submittitur est ratio agendi radicaliter, quæ passiuè se habet ad virtutem quam à primo agēte recipit vt proximè agat. Et hoc fortè est quod volunt Nauarrete, & alij, quod scilicet per potentiam obedientialem radicalem actiuā, non intelligant aliquam potentiam, quæ etiam radicaliter exercet actionem, seu rationem actiuitatis erga actus supernaturales, sed solum, quod id in quo recipitur tota ratio agendi, & producendi actus supernaturales, sit potentia operatiua, non formaliter, quia tunc non operatur formaliter, sed radicaliter.

77 Nec ea quæ in contrarium adducuntur, officiunt. Non primum, nam licet verum sit, quod quilibet habitus, & perfectio operatiua supernaturalis, supponat potentiam operatiuam radicalem remotè, vt potentiam eleuabilem ad operationem supernaturalem, non tamen vt potentiam actiuè operabilem radicaliter, ita quod prius intelligatur vt receptiua virtutis operatiuè, & per eam constituatur in linea operatiui supernaturaliter, quam intelligatur, vt actiua, nisi tantum naturaliter, ac proinde solum supponitur vt potentia operatiua naturaliter, cum non repugnantia tamen vt per virtutem superadditam possit fieri actiua supernaturaliter, & sic intellectus ad lumen gloriæ, v.g. solum supponitur cum potentia obedientiali passiua, non actiua.

78 Non secundum, nam licet verum sit, quod potentia radicalis, & proxima debeant esse eiusdem ordinis, quando potentia radicalis dicit vim positiuam correspondentem virtuti proximæ, secus tamen quando potentia radicalis solum dicit non repugnantiam, vt ab agente primo recipiat totam agendi virtutem, v. g. lumen gloriæ. Hoc secundo modo res contingit in nostro casu, vt ex dictis habes.

DVBIVM IV.

Quid sit illa virtus instrumentalis, quæ ponitur in Christi D. humanitate ad facienda opera supernaturalia.

79 TRes sententiæ de hac difficultate inueniuntur. Prima est, quod virtus instrumentaria qua Christi D. humanitas eleuatur ad facienda miracula, aliosque effectus supernaturales producendos sit qualitas supernaturalis permanens, & inexistens in eadem humanitate, vt per eam non solum fiat potens in actu primo ad attingendos dictos effectus supernaturales, sed etiam vt in actu secūdo eos attingat, quādo, & quomodo vult. Sic aliqui Theologi apud Aluarez *disp.* 67. Sed hæc sententia non habet verum; est enim contra naturam instrumenti, quod habeat hanc qualitatem permanētem, cum de eius ratione sit vt agat vt motum, & quod non sit instrumentum nisi quatenus actu subditur actuali motioni agentis. Tum quia vel ista qualitas permanens est sufficiens ad producendos dictos effectus supernaturales, vt solum indigeat Dei auxilio, vel motione, vel adhuc indiget alio superaddito. Si primum erit causa principalis. Si secundum ad nihil deseruiret, cum adhuc indigeat virtute alia instrumentaria, qua compleatur.

80 Secunda sententia est, quod virtus instrumentaria superaddita humanitati, & alijs diuinæ virtutis instrumentis. vt Sacramentis ad producendam gratiam, sit qualitas supernaturalis fluens, & transiens.

fiens. Hanc sententiam sequitur Capreolus *in 4. disp.* 1. *q.* 1. Ferrar. 3. *contra Gent. cap.* 87. *& lib.* 4. *cap.* 56. Zumel 1. 2. *q.* 112. *art.* 1. *disp.* 3. *concl.* 2. Et Cipullus *hic q.* 13. *art.* 2. *dub.* 4. *concl.* 2. Sed neque hæc sententia placet, & videtur conuinci falsitatis ex ratione nu. præcedenti posita; nam vel ista qualitas fluens est sufficiens ad producendos dictos actus supernaturales, vel adhuc indiget alio superaddito. Si primum, erit causa principalis, & non virtus instrumentaria: illa namque est causa principalis quæ non indiget alio superaddito ad attingendum effectum. Si secundum, ad nihil deseruiet, cum adhuc indigeat virtute superaddita, quæ non potest non esse instrumentaria. Tum quia lumen gloriæ, quod Moysi, & Paulo datum fuit per modum transeuntis, seu fluentis, fuit causa principalis visionis beatæ in Moyse, & Paulo; ergo etiam ista qualitas fluens in humanitate Christi D. ad effectus supernaturales producēdos erit causa principalis. Tum etiam quia, vel ista qualitas posita in humanitate Christi, quæ ex sui natura est fluens, & tamen ob dignitatem dictæ humanitatis ponitur permanenter, est causa completa effectuum supernaturalium, vel incompleta. Si primum, est causa principalis, maximè cum sit supernaturalis, & eiusdem ordinis cum effectibus supernaturalibus. Si secundum, non erit causa instrumentalis, sed principalis incompleta, quę cum non sit ipsa Dei motio, ea indigebit, vt compleatur, & fiat adæquata, & completa causa adæquata dictorum effectuum supernaturalium.

81 Nostra sententia seq. conclusione explicatur. *Virtus instrumentaria superaddita Christi D. humanitati, cæterisque diuinæ virtutis instrumentis est motio, qua dicta humanitas, &c. mouetur, atque eleuatur ad producendos effectus supernaturales. Seu est aliquid superadditum per modum intentionis transeuntis, seu motionis, qua Deus mouet humanitatem Christi D. & Sacramenta ad producendam gratiam, &c.* Hanc sententiam docet expressè S. D. infra q. 62. art. 1. vbi sic dicit. *Instrumentalis causa non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum quo mouetur à principali agente.* D. Thomam sequuntur Caiet. *hic art.* 2. Medina hoc loco, Aluarez *disp.* 67. Cabrera *hic disp.* 4. *concl.* 4. Soto *in 4. dist.* 1. *q.* 3. *art.* 3. & communiter D. Thomæ discipuli, quod etiam tenent communiter scholastici. Videantur D. Bona. *in 4. dist.* 1. *q.* 4. Maior. *q.* 2. & alij.

82 Probatur 1. nam virtus instrumentaria reperta in Sacramentis, & alijs instrumentis, non est qualitas, sed sola motio principalis agentis, ergo idem dicendum est de virtute instrumentaria reperta in Christi D. humanitate ad patranda miracula, aliosque effectus supernaturales producendos. Conseq. constat, est enim eadem ratio de omnibus instrumentis. Antecedens probatur, nam in aqua v. g. baptismali non imprimitur qualitas à Deo vt gratiam producat, sed ipsamet aqua vt mota, & eleuata à Deo, gratiam producit. Tum quia ista qualitas impressa aquæ non est corporea, aliàs indigeret alia eleuatione. Neque est spiritualis, & supernaturalis, aliàs esset causa principalis. Similiter in instrumentis artis, v. g. in penicillo non ponitur qualitas, sed sola motio principalis agentis, in calamo non producitur ista qualitas ad scribendum, sed sola motione manus indiget, ergo, &c. Cum enim ista instrumenta ex sola manus motione suos producant effectus, frustra illa qualitas multiplicatur.

83 Occurrit Cipullus loco citato *n.* 4. quod etiam in istis instrumentis producitur illa qualitas, per quam redduntur potentia ad producendos illos effectus altiores. Sed contra, nam in penicillo, in calamo, in serra, &c. duo possunt considerari v. g. scissio, & hæc est à serra tanquam à causa principali, & est scissio artificiosa, seu est ipsum artificium, & hoc est à manu artificis, taliter mouentis instrumentum, non à qualitate, aliàs si poneretur illa qualitas in instrumento, etiam ista simul cum instrumento subderetur manu artificis.

84 Probatur 2. nam auxilium diuinum, seu gratia qua Deus mouet hominē ad agendum non est qualitas, sed vsus, seu

seu motus, vt docet S. D. 1.2. q.110. art. 2. & constat, quia actus mouentis in moto, est motus, per Philosophum 3. *phys. text.* 1. Sed virtus factiua miraculorum existens in Christi D. humanitate est quædam gratia gratis data qua mouetur à Deo ad aliquid agendum, scilicet effectus supernaturales; ergo, &c. Vnde S. D. in hoc est perpetuus, quod virtus instrumentaria nil aliud sit quam motio principalis agentis.

85 Respondet Cipullus loco citato *n.6.* concedendo antecedens, & negando conseq. Rationem assignat discriminis, quia S. D. non loquitur de omni gratia, qua Deus mouet hominem ad operandum, sed solum de illa, quæ tantum applicat ad operationem, at virtus factiua miraculorũ non est solum applicatio humanitatis ad operationem, sed etiam habet rationem principij actiui *quo* illorum, cum per ea constituatur potens ea producere. Sed contra, nam infra *q. 62. art.* 1. *&* 4. *& in* 4. *dist.*1. *q.* 1. *art.* 4. *quæstiunc.* 2. *&* 4. *& q.* 26. *de verit. art.* 1. *ad* 8. *& q.* 27. *art.* 4. *ad* 4. & alibi est perpetuus in hoc quod virtus instrumentaria nil aliud sit nisi applicatio agentis qua mouet, & applicat instrumẽtum ad operationem, & est inauditum quod dum manus mouet calamum ad scribendum applicet illi aliquam qualitatem qua constituatur potẽs, cum nil aliud ad hoc requiratur, nisi quod calamus sit bene temperatus ad dandum attramentum, &c. an autem ista motio debeat dici qualitas, quatenus ad speciem qualitatis aliquo modo reuocatur, postea dicemus. Soluuntur argumenta in contrarium.

86 Primum arg. virtus instrumentaria est forma quædã actiua, ergo non est motio, sed qualitas. Conseq. constat, motio namque est quidam fluxus, quædam applicatio, qualitas autem est quædam forma. Antecedens probatur, nam proprium est virtutis instrumentariæ constituere instrumentum potens efficere ex motione principalis agentis, sed hoc est proprium formæ; ergo, &c. Tum quia illud habet rationem formæ ad agendum, quod habet rationẽ principij *quo* actionis, sed virtus instrumentaria habet rationem principij *quo* actionis instrumenti; ergo habet rationem formæ. Resp. negando antecedens, virtus namque instrumentaria non est propriè forma, sed quædam virtuositas principalis agentis, quæ agit, applicat, & mouet idem instrumentum ad hoc vt ponat effectum excedentem virtutẽ principalis agentis. Forma namque perficit subiectũ prout in se, at ista motio illud perficit in ordine ad aliud, scilicet ad effectum excedentem. Vnde subiectum, seu instrumentum non comparatur ad hanc virtutem, vt subiectum, sed vt mobile, & vt vehiculum virtutis agentis principalis ad ponendum effectum.

87 Secundum argum. nam virtus instrumentaria existens in Christi D. humanitate est aliquid permanens; ergo non est motus, sed qualitas. Antecedens probatur, nam Christi Dom. sacerdotium est permanens, & æternum, iuxta illud Psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum*, sed virtus instrumentaria ad patranda miracula, ad gratiam causandam, non distinguitur à sacerdotio; sicut enim in sacerdotibus nouæ legis virtus instrumentaria ad causandam gratiam est aliquid permanens, scilicet character sacerdotalis, qui eleuatur ad consecrandum, ad absoluendum à peccatis, &c. ita & in Christi D. humanitate debet similis qualitas poni ad effectus supernaturales causandos. Resp. negando antecedens. Sacerdotium namque Christi D. non affert qualitatem aliquam distinctam ab vnione hypostatica, sed est maxima quædam dignitas ex vnione hypostatica ad offerendum sacrificium. Deinde dato, & non concesso, quod esset aliqua qualitas correspondens characteri sacerdotali nostro, adhuc non sequitur, quod esset virtus instrumentaria. Nam sicut in nobis character non est virtus instrumentaria, sed est instrumentum quod eleuatur, ita & in Christo D. Tamen in Christo D. cum semper esset presto diuinũ auxilium, diuinusque concursus; propterea dicimus, quod in eo virtus instrumentaria est quodammodo permanens.

Ter-

88 Tertium argu. nam virtus instrumentalis, est virtus actiua causæ efficientis, sed motus, seu motio, non est virtus actiua; ergo, &c. Minor probatur, nam motus, etiam vt consideratur prout identificatur, cum actione, & passione, non est virtus actiua, sed effectus virtutis actiuæ, & actus secundus, ac proinde supponens actum primum, scilicet virtutem à qua procedat. Resp.negando maiorem, nisi intelligatur quod sit virtus actiua causæ efficientis in actu secundo, & tunc est idem quod motus; cum autem motus sit idem quoad entitatem cum actione, & passione, sequitur quod virtus instrumentaria erit idem realiter cum actione instrumentaria, quæ in ipso instrumento recipitur, & est passio. Dicitur tamen potius motio, quam actio, aut passio, quia est applicatio ipsius instrumenti.

89 Quartum argum. nam virtus instrumentaria non est motus quo Deus cōcurrit cum instrumento ad agendum, neque est motus quo mouet, & applicat idē instrumentum ad operandum; ergo, &c. Antecedens probatur, nam non est motus quo Deus concurrit cum instrumento ad agendum, quia iste motus supponit instrumentum potens operari, ac proinde supponit virtutem operatiuam per quam concurrere possit ad effectum. Neque est motus quo Deus applicat instrumentum, quia ista applicatio est actio transiens Dei, quæ in eodem instrumento debet aliquid efficere, & istud erit virtus instrumentaria; terminus namque motus non potest esse alius motus.

90 Pro solutione huius argumenti sciendum, quod in instrumento est duplex applicatio, siue realiter, siue virtute distincta per modum duorum munerum, vna est præueniens operationem instrumentalem qua Deus applicat ad operationem quodlibet agens siue principale, siue instrumentale, & respectu huius instrumentum se habet passiuè, & vt motum. Alia est ipsa operatio instrumentalis vt eleuata ad producendum effectum principalis agentis, quæ secundum rem est ab instrumento, & principali agente: à principali agente vt mouente, ab instrumento, vt moto; à principali agente, vt eleuante, ab instrumento, vt eleuato; à principali agente, non vt independente, sed vt à quo instrumentum dependet, & ab instrumento vt dependente, &c. Et per hæc patet ad argumentum; virtus namque instrumentaria, non est illa prima, sed hæc secunda: non est motus quo Deus mouet instrumentum ad agendum vt sic; neque est motus quo instrumentum præcisè mouetur, & passiuè se habet, sed est motus quo Deus ita mouet instrumentū, vt se moueat, seu est ipsa operatio instrumenti vt eleuata, vt virtuosa in virtute motionis Dei, &c.

91 Quintum argum. nam character sacerdotalis est virtus instrumentaria ad causandam gratiam media absolutione, ad faciendam miraculosam transmutationem panis, & vini, in corpus, & sanguinem Christi, &c. & tamen character non est motus; ergo virtus instrumentaria non est motus. Resp.negando maiorem, nam vt dicebamus character est instrumentum quod postea per motum eleuatur, non tamen est ipsa virtus instrumentaria, quæ ipsum eleuat.

92 Sed quæres 1. an influxus, seu virtus causæ primæ recepta in operatione causæ secundæ principalis, sit motus, an qualitas? Resp.quod non est qualitas formaliter, sed quidam motus, qui ad genus qualitatis reuocatur, licet enim influxus in operationem nil aliud sit quam operatio, seu operationis productio, aut sit ipsa operatio vt producta, vt sit, vt dependet à primo agente, tamen diuersa est vtriusque formalitas, nam operatio vt talis specificatur à principio, at vt motus à termino. Hinc D.Tho.in 1.2.*q.* 110. *art.*1. dicit quod auxilium quo ex gratuita Dei voluntate anima hominis mouetur ad aliquid cognoscendum, aut volendum, aut agendum, non est qualitas, sed motus quidam animæ, quia actus mouentis in motu, est motus ex Phil.*in* 3.*phys.tex.*1.

93 Quæres 2. quotuplex sit motio primæ causæ? Resp.esse duplicem. Prima est in causam, & vocatur concursus; seu influ-

influxus præuius, & iste influxus, seu motio est idem quod applicatio causæ secundæ ad operandum, quæ applicatio est vltimum complementum eiusdem causæ secundæ, & quædam actualitas illi aduenniens prius natura, quam actu operetur. Secunda, est influxus in operationem eiusdem causæ secundæ, & eius effectum, & iste si sit in operationes causarum principalium, dicitur influxus, seu concursus simultaneus cum influxu causæ secundæ, non quia non præcedat influxum causæ secundæ, sed quia simul infert concursum eiusdem causæ secundæ ad attingendum effectum, sed de hac re suo loco.

DVBIVM V.

Quo tempore Christi D. humanitas acceperit virtutem faciendi miracula, aliosque effectus supernaturales producendi, vbi alia curiosa.

94 COmmunis, & vera sententia est, quod Christi D. humanitas acceperit hanc virtutem in primo incarnationis instanti, & sic in ipsa vnione ad Verbum diuinum, humanitas Christi D. accepit potestatem faciendi miracula, causandi gratiam, & virtutes, & dona, & omnes effectus supernaturales. Ratio est, quia in eodem instanti in quo ponitur essentia, debent etiam poni eiusdem essentiæ proprietates; sed potestas producendi effectus supernaturales est quædam proprietas, prærogatiua, dignitas, & excellentia vnionis hypostaticæ; ergò hac posita, & illa poni debuit.

95 Dices, Christus D. non cæpit vti potestate faciendi miracula ab instanti suæ conceptionis, imò neque in ipsa infantia vsus ea fuit, dicitur enim, quod primum Christi miraculum fuit conuersio aquæ in vinum in Cana Galilææ. Vnde Gelasius Papa condemnauit *cap. Romana, dist. 12.* vt apocryphum librum illum *de infantia Saluatoris*, vbi nonnulla miracula referebantur. Et Sancti Patres condemnarunt Valentinianum qui multa ridicula Christo Dom. infanti tribuebat. Resp. quod licet Christus D. habuerit potestatem faciendi miracula in instanti suę conceptionis, non tamen ea vsus fuit, licet vti potuerit, cum pro eo instanti habuerit omnia paratissima pro illius vsus. Quod non contingit in alijs sanctis, qui non possunt pro libito suæ voluntatis miracula facere, sed tunc solum cum speciali quadam motione mouentur. Quocirca diximus supra, quod hæc potestas fuit in Christo D. per modum habitus, cum omnia pro illius vsu semper essent paratissima.

96 Sed quæres 1. in quo fũdetur hæc prærogatiua, seu potestas faciendi miracula in Christo D. Resp. ex dictis, fundari in ipsa vnione hypostatica; Deus namque dedit Christo vt homini singulare quoddam dominium in omnes res creatas, iuxta illud. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, ac proinde omnes res creatæ ad nutum sibi obediebant, quando, & quoties eis imperabat. In hoc etiam ea potestas fundabatur, quia quicquid Christus D. vt homo efficaciter volebat, erat conforme diuinæ voluntati, ea namque tantum faciebat, quæ placita erant Patri, ac proinde conueniens erat vt illi vt homini semper assisteret, cum miracula facere volebat.

97 Quæres 2. an Christus D. in cœlo retineat potestatem faciendi miracula? Resp. affirmatiuè, vt enim docet Apostolus: *Dona Dei sunt sine pænitentia*, ac proinde ex parte Dei sunt perpetua, tum quia ista potestas nullam inuoluit imperfectionem, nec repugnantiam cum statu perfectissimo gloriæ, tum quoad animam, tum quoad corpus, nec cum vnione hypostatica. Tum etiam quia probabile est, quod lumen gloriæ quod datur beatis, detur media hac potestate. Præterea per hanc potestatem Christus D. distribuit gratias, eleuat Sacramenta ad suos effectus producendos. Tandem quia hac potestate vtetur in die nouissimo pro resurrectione corporum, sicut modo vtitur pro resurrectione spirituali animarum.

98 Quæres 3. an anima Christi D.

per hanc potestatem immutauerit suum corpus? Resp. quod & potuit illud immuture, & de facto immutauit, vt quando transiuit per medium Iudæorum absque eo, quod eum viderent, non sinendo quod species exirent à suo corpore, & ad Iudæorum oculos peruenirent. Item suum corpus immutauit in transfiguratione; quando ambulauit super aquas, &c.

99 Quæres 4. an dœmones euidenter cognouerint potestatem istam Christi D. ad facienda miracula? Resp. quod si non euidenter, saltem aliquo modo certò eam cognouerunt; cognoscebant namque dœmones, quod à priuatione ad habitum naturaliter non datur regressus; vnde videntes animam Lazari prius à suo corpore separatam, & postea ei vnitam per Christum, cognouerunt, quod hoc erat per potestatem quandam superiorē, & non naturalem. Hanc etiam poterant, & debebant cognoscere homines, ac proinde ex miraculis, & signis debebant credere, & qui non crediderant, peccarunt grauissimè.

100 Quæres 5. an anima Christi D. habuerit omnipotentiam respectu executionis suæ voluntatis? Hanc difficultatem proponit S. D. hic *art.* 4. & præmissa distinctione, quod anima Christi D. quędam voluit per se implenda, quædam verò voluit vt implenda virtute diuina, vt est sui corporis resurrectio. Hoc posito dico primò, quod quicquid voluit per se exequēdū, potuit, aliàs voluisset aliquid imprudenter, quod scilicet non potuisset exequi. Dico 2. quod id quod voluit vt exequendū diuina virtute, potuit instrumentaliter. Vel dicas, quod quidquid Christi voluntas voluit efficaciter, totum executioni mandauit, non sic quod voluit inefficaciter. Obijcitur illud Marci 7. quod Christus *ingressus domum. neminem voluit scire, & non potuit latere*: nam resp. quod non est ibi sermo de voluntate absoluta, & efficaci, sed conditionata, & inefficaci; non quod absolutè loquendo nō potuerit latere, si absolutè voluisset, sed quod vtendo solum medijs, quæ humana industria tunc ei præstare poterat ad latendum, non potuerit latere. Vnde non placet Cipullus oppositum sentiens cum Vasq. & quibusdam alijs; repugnat namque quod humana Christi voluntas tam eximia, & singulari potestate instructa, voluerit aliquid efficaciter, nisi prius per intellectum cognouerit quod poni poterat, & quod postea ponere non potuerit.

DISPVTATIO XIV.

IN QVAEST. XIV. DIVI THOMAE.

De defectibus corporis assumptis à Filio Dei.

1 IN artic. 1. docet Sanctus Doctor, quod Filius Dei assumpsit defectus humanos. 1. vt pro nobis satisfaceret. 2. vt veritatem carnis, & humanæ naturæ comprobaret. 3. vt nobis fieret exemplum virtutis. 4. vt tãquam caput, suis membris, non tantum in natura, sed etiam in passionibus, & infirmitatibus conformatum, eisdem compateretur, ex Apost. ad Hebr. 2. In art. 2. dicit, quod corpus Christi ex necessitate fuit subiectum morti, & alijs defectibus, spectando necessitatem, pro eo quod secundum se sequitur ex principijs naturæ, quam mortalem assumpsit, iuxta illud Rom. 8. *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati*; idest habentem corpus eiusdem conditionis, cuius est caro peccatrix, seu post peccatum. In 3. art. ostendit, quod non contraxit defectus naturæ humanæ ex debito peccati sicut contrahunt qui naturali modo nascuntur ex semine viri, qui trahunt cum natura viciata peccatum originale. Vnde in nobis duplex est mortis causa, scilicet peccatum & compositio ex contrarijs. Cæterum Christus D. licet pronitatem naturæ acceperit noluit tamen de statu nostro assumere mortem, & passibilitatem vt prouenientem ex peccato, sed ex compositione ex contrarijs. In art. 4. probat, quod Christus Dom. non assumpsit omnes defectus hominum, sed eos qui totam sequuntur naturam, & non repugnant gratiæ, vel scientiæ, seu perfectioni gratiæ, & scientiæ ipsius. Vnde non assumpsit defectus personales, qui vniuersaliter non sequuntur totam naturam, sed in certis tantum personis reperiuntur, vt lepra, cæcitas, & alia morborum genera. Neque assumpsit illos defectus communes, qui pertinent ad imperfectionem gratiæ, vt peccatum, & quæ ad peccatum ducunt, vt fomes, & concupiscentia, & quæcumque retardant, & difficultatem ingerunt boni. Et qui pertinent ad imperfectionem scientiæ, vt ignorantia agendorum, mentis hebetudo, & similes. Sed sit.

DVBIVM I.

An Filius Dei assumpserit corpus passibile & mortale.

2 VArij fuerunt hæreticorum errores circa hoc dubium, nam quidam dicebant, quod Verbum diuinum assumpsit verum corpus humanum, non tamen corruptibile, & passibile, sed incorruptibile, & impassibile. Sic tenuerunt Iulianus Halicarnesseus, & Caianus, vt refert N. Damascenus *lib. de her esibus hæresi* 84. Et Nicephorus *lib. 17. histor. cap. 29.* Alij negarunt Christum D habuisse corpus graue, quod natura sua deorsum ferretur; refert Venerabilis Beda *lib. 2. in Marcum*, & alij.

3 Veritas catholica seq. concl. explicatur. *Verbum diuinum assumpsit corpus humanum mortale, corruptibile, & passibile, ac proinde graue, vt sunt alia corpora humana.* Colligitur hæc veritas ex tota historia Euangelica. Maximè ex illo. *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare*

re in gloriam suam? Et ex illo. *Iesus autem fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* Et etiam ex illo Isaiæ 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Vbi ly *verè* denotat, quod non specie tantum, sed veritate Christus Dom. habebat corpus passibile. Hanc veritatem definierunt Concilia, vt in toto ferè Concilio Ephesino, in Concilio Calcedon. *act.* 5. In 5. Synodo *actione* 8. In 6. Synodo *actione* 11. In Concilio Lateranensi sub Martino Primo, & in alijs.

4 Probatur 1. nam si Christus Dom. non habuisset verum corpus mortale, & passibile destrueretur veritas nostræ redemptionis; ergo, &c. Antecedens probatur, nam veritas nostræ redemptionis in hoc maximè consistit, quod pro nobis passus, & mortuus est, quod resurrexerit, quod in cælum ascenderit, quod si Christus non resurrexit, vana est nostra fides, vt argumentatur Apost. 1. *Cor.* 15.

5 Probatur 2. nam licet attẽta vnione ad Verbum diuinum, attenta gloria animæ non videatur conueniens, quod corpus Christi D. esset passibile, tamen ex suppositione, quod Verbum diuinum voluit propter nos homines, & propter nostram salutem incarnari, vt nos à peccatis redimeret, fuit conuenientissimum quod assumeret corpus passibile, vt sic in carne passibili, & pati, & mori posset; ergo, &c. Soluuntur argumenta hæreticorum.

6 Primum argum. est, nam indecens est, quod Verbum diuinum assumat corpus passibile, mortale, & corruptibile; ergo, &c. Antecedens probatur, nam indecens est, quod Verbum diuinum assumat id, quod ex sui ratione inuoluit imperfectionem, sed esse passibile, mortale, & corruptibile inuoluit imperfectionem; ergo, &c. Resp. quod licet fortè secundum se non sit decens, quod Verbum diuinum assumat corpus passibile, mortale, & corruptibile, non tamen in ordine ad finem redemptionis; in ordine namque ad hunc finem, fuit maximè decens, quod assumeret corpus passibile, mortale, & corruptibile.

7 Secundum argu. nam illud est indecens, quod aduersatur Sacræ Scripturæ, sed quod Verbum diuinum assumeret corpus passibile, & corruptibile aduersatur Sacræ Scripturæ; ergo est indecens. Minor probatur ex illo Psal. 15. & refertur Act. 2. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*; passio namque & mors quædam corruptio est. Resp. quod iste textus non intelligitur de passione, & morte corporis Christi D. sed de corruptione corporis iam mortui per putrefactionem, hæc enim non erat decens; dedecebat namque quod corpus à Verbo assumptũ resolueretur in elementa, per corruptionem, & putrefactionem.

8 Tertium argum. nam Christus D. ambulabat super aquas, ergo non erat corpus eius graue, ac proinde non assumpsit verum corpus humanum. Resp. quod corpus Christi D. re ipsa erat graue, tamen aliquando redundabat aliqua dos corporis ex anima gloriosa in corpus, vt in transfiguratione redundauit claritas, dum resplenduit facies eius sicut Sol, & vestimenta eius sicut nix; ita cum ambulauit super aquas redundauit quædam agilitas, & leuitas per modum transeuntis, non permanentis, & sic sicut non semper habuit illã claritatem & agilitatẽ transfigurationis; ita non semper habuit illam leuitatem, & agilitatem.

9 Quartum argu. Corpus Christi D. est vbique, ergo non est corpus humanum. Antecedens probatur, nam vbi est Verbum, ibi debet esse humanitas, & corpus assumptum; sed Verbum est vbique, ergo etiam eius corpus assumptum. Maior probatur, nam ista propositio est vera *Verbum vbique est homo*; item ista: Verbum vbique est Christus; ergo vbique est homo; vbi namque est Christus, ibi est homo, & sic Christus erit vbique. Resp. negando antecedens. Ad probationem negatur maior, licet enim verum sit, quod vbi est humanitas, & corpus Christi, ibi sit Verbum, non tamen est verum, quod vbi est Verbum, ibi sit humanitas, & corpus Christi, aliàs Verbum communicasset

set attributum immensitatis, quod implicat, de quo infra. Vnde illa propositio *Verbum vbique est homo*, est falsa, prout facit sensum quod vbique est humanitas, quam terminat.

10 Quintum argum. Christi D. corpus post resurrectionem, & ascensionem habet immensitatem; ergo non est humanum; ac proinde neque prius. Antecedens probatur, ex illo Apost. *ad Ephes.* 4. quod Christus D. ascendit in cælum, *vt impleret omnia*. Resp. quod Christus D. non ascendit in cælum vt impleret omnia loca sua humanitate, suo corpore, hoc enim impossibile est, sed vt impleret, seu vt adimpleret omnia quæ de illo scripta erant, iuxta illud. Lucæ 24. *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt de me*. Vel vt impleret omnia, ostendendo se omnium Dominum. Vel etiam vt impleret omnia successiuè, existendo in omnibus mundi partibus, nam fuit in terra, in mari, in inferis, in aere, & tandem in cælo.

DVBIVM II.

Quos defectus Verbum diuinum in humanitate assumpserit.

11 Defectus ex D. Thoma qui conueniunt humanitati ratione corporis sunt in duplici differentia, alij enim consequuntur totam naturam, vt sũt mors, fames, sitis, &c. Alij consequuntur tantum causas particulares, & solum reperiuntur in aliquibus hominibus particularibus, & sunt lepra, psora, cæcitas, morbus, &c. Quod corpus Christi Dom. fuerit mortale, passibile, & corruptibile, constat ex dictis dubio præcedenti, quod autem sumpserit eos defectus corporis, qui consequuntur totam naturam, & aliũde non repugnant sanctitati, & gratiæ, vt sunt fames, sitis, &c. quæ ad peccatum non inclinant, negarunt Hæretici Seueriani ex Nicephoro *lib.* 17. *historia cap.* 29.

12 Veritas catholica sequ. concl. explicatur. *Filius Dei assumpsit corpus cum omnibus illis defectibus, qui totam naturam consequuntur, illis exceptis qui ad peccatum inclinant, & habent repugnantiam cum gratia, & sanctitate Christi D.* Sic tenent omnes catholici, & oppositæ hæresi primò fortiter restiterunt Anastasius Episc. Antiochenus, & Monachi Maioris, & Minoris Syriæ, vt notat Euagrius *lib.* 4. *historia Ecclesiastica cap.* 19. Volentes, quod corpus Christi D. non esset subiectũ fami, siti, æstui, frigori, dolori, &c. ita quod hæc re ipsa nõ perceperit. Colligitur cõcl. ex illo Matt. 4. *Cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus postea esurijt.* Et ex illo Ioan. 4. *Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem*. Vnde Apo. ad Hebr. 2. dicit, quod Christus *debuit per omnia fratribus assimilari*. Idem præuidit Hierem. Threnorum 10. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor similis, sicut dolor meus.*

13 Probatur 1. nam ad dolorem, quẽ potissimè negabant hæretici, duo requiruntur per Phil. scilicet corporis læsio, seu continui diuisio, & sensus læsionis, seu sensitiua cognitio, & perceptio illius, sed hæc duo fuerunt in Christo D. ergo, &c. Maior nota est, vbi enim est corporis læsio, sine sensu læsionis, non datur dolor. Vnde ex dolore oritur tristitia, est enim tristitia passio animi, orta ex dolore concepto per imaginationem, mali lædentis. Interest autem inter dolorem, & tristitiã, quod ille præcedat, hæc sequatur: ille ex malo præsenti dumtaxat oritur, hæc ex omni malo præsenti, præterito, & futuro. Minor probatur, nam fuit in Christo D. læsio corporis quando fuit flagellatus, spinis coronatus, cruci affixus, manibus, ac pedibus perforatus. Fuit etiam sensitiua cognitio, & læsionis perceptio, vt patet; ergo, &c. Tum quia corpus Christi D. debuit habere conditiones conuenientes fini, & modo quo erat redempturus mundum, scilicet per passionem, & mortem; ergo, &c.

14 Probatur 2. nam Christus Dom. tale debuit habere corpus, quale congruebat vt nobis esset exemplo pro exequendis actibus virtutum, vt patientiæ, obedientiæ, humilitatis, &c. Sed ad hoc congruebat, quod haberet corpus passibile,

bile, subiectum fami, siti, dolori, &c. ergo, &c. Maior constat, cum enim Christus D. sit nobis à Deo datus vt pastor, & Doctor, non tantum verbo, sed etiam exemplo, iuxta illud Principis Apostolorum. *Christus passus est pro nobis, relinquẽs exemplum vt sequamini vestigia eius*, debuit tale corpus assumere quo nobis exemplo esse potest patientiæ, humilitatis, obedientiæ, &c. Minor etiam constat, nam si non habuisset corpus passibile, & non sustinuisset sitim, famem, frigus, æstus, &c. potuisset quidem nos hortari verbo, sed non firmasset exemplo.

15 Primum argum. desumitur ex D. Hilario *lib. 10. de Trinit.* ante medium, vbi sic fatur. *Virtutem corporis Christi sine sensu pænæ, vim pænæ in se sæuientis excepisse, & cruciatus, ac tormenta attulisse quidem impetum; non tamen intulisse illi dolorem passionis*. Idem ferè repetit *in Psalm. 68. & in Psalm.* 138. Resp. quod D. Hilarius non loquitur de corpore Christi D. secundum se, & secundum conditionem propriæ naturæ, sed prout vnitum Verbo, & animæ iam beatæ, hoc enim modo corpus Christi sustinebat impetum dolorum, & tormentorum, non tamen hoc modo cruciabatur, & pænam sustinebat, vt enim formalissimè vniebatur animæ beatæ non sustinebat pænam, sed secundum se. Aliàs D. Hier. vir eruditissimus, & in lectione S. Hilarij versatissimus in Epist. ad Lætam non diceret. *Athanasij Epistolas, & Hilarij libros in offenso decurrat pede, illorum tractatibus, illorum delectetur ingenijs, in quorum libris pietas fidei non vacillat.*

16 Secundum argum. nam indecorum videtur, quod Verbum diuinum in natura assumpta patiatur famem, sitim, lassitudinem, defatigationem, dolorem, &c. ergo. Resp. negando antecedens, nam in ordine ad finem redemptionis, ad exemplum nobis præstandum, patientiæ, &c. decorum fuit quod in natura assumpta ista sustineret, cum tamen semper in se, nihil horum passus fuerit Filius Dei, manentibus natura diuina, & humana impermixtis. Ac proinde dolor humanæ naturæ, nec Verbi personalitatem, nec naturam diuinam affecit, aut immutauit, cum tota doloris immutatio, finierit in natura humana.

17 Tertium argum. nam fames, sitis, dolor, &c. sunt pænæ peccati, vnde dicuntur pænalitates, sed Christus D. nullum habuit peccatum; ergo neque peccati pænalitates. Resp. quod dicti defectus sunt pæna peccati tantum per accidens, nam si Adam non peccasset, & ille, & nos fuissemus immunes à dictis defectibus. Si tamen natura humana spectetur secũdum se, illi defectus non sunt pænæ, quia eam naturaliter sequuntur prout corpus componitur ex contrarijs. Vnde in Christo illi defectus non sequuntur naturam humanam secũdum quod est affecta peccato, seu ratione peccati, sed sunt in Christo pro eius corpus componitur ex contrarijs.

DVBIVM III.

An Christus D. assumpserit pœnas inferni, & pœnas Porgatorij.

18 Aliqui hæretici nostri temporis sequuti Caluinum *lib. 3. instit. cap. 16. sect. 10. cum seq. & in armonia Euangelica ad cap. 27. Euangel. S. Matt.* volunt quod cum Filius Dei assumpserit defectus consequentes totam naturam humanam, assumpserit etiam pœnas damnatorum, & per consequens Purgatorij, cum etiam istæ pœnæ sint communes toti naturæ infectæ, vt sic etiam ab istis homines liberaret.

19 Veritas catholica seq. concl. explicatur. *Non assumpsit Filius Dei, nec fuit conueniens, quod assumeret pœnas inferni, & Purgatorij, vt nos ab illis liberaret.* Sic sentiunt omnes catholici; & ostendunt Controuersistæ. Videatur Bellarminus *lib. 4. de Christi anima cap. 8.* Probatur 1. nam de ratione pœnæ est, quod sit inuoluntaria, & quod non inferatur nisi propter culpam, *l. sancimus, C. de pœnis, & cap. non afferamus stateras, 24. q. 1. & cap. quæsiuit, de ijs quæ fiunt à maiori parte capituli, & cap. fœlicis, §. illud autem, de pœ-*

nis

nis in 6. sed pœna inferni non nisi inuoluntariè sustinentibus, scilicet damnatis infertur, & propter culpas eorum; ergo non debuit inferri Christo.

20 Probatur 2. quia nullus punitur, præsertim pœnis inferni, & Purgatorij pro delicto alterius, iuxta illud Ezech. 18. *Anima quæ peccauerit ipsa morietur*. Et Iob. 4. dicitur. *Quis enim vnquam innocens perijt? aut quando recti deleti sunt*; ergo, &c: Vnde si Deus prohibuit, quod nullus puniatur pæna huius vitæ pro peccato alterius, Exodi 23. ibi: *Insontem, & iustum non occides*, multò minus potuit Christus D. puniri grauissimis alterius vitæ pænis, pro nobis, seu nostris peccatis debitis.

21 Sed dices, quod hoc est verum de pæna correlatiua culpæ, vbi enim non est culpa, nec pæna esse debet, non tamen de pæna medicinali, & satisfactoria, vt etiam in humanis contingit, nam vt quis in maiori bono augeatur, minori priuatur, vt cum priuatur Episcopatu, vt sit Cardinalis. Non ergo incongruit, quod Christus pro maiori nostra satisfactione, sustinuerit pænas inferni, aut Purgatorij. Sed contra, quia licet possit vnus pro alio puniri pæna huius vitæ in aliquo casu, nō tamen pæna spirituali, & alterius vitæ, Gloss. *verb. de quarta* 1. q. 4. D. Thom. 1. 2. *q.* 87. *art.* 8. *&* 2. 2. *q.* 108. *art.* 8. Couar. *var. lib.* 2. *cap.* 8. Alphons. de Castro *de iusta haret. punit. cap.* 11. Gutier. *canon. lib.* 2. *cap.* 30. *n.* 25. Tum quia illæ pænæ non deseruiunt ad hoc vt nostra redemptio esset magis copiosa, vt volunt hæretici, cum non possint esse Christo D. inuoluntariæ, cum nonnisi ob peccata infligantur, propterea sunt propriæ vel damnatorum, vel sua peccata purgantium.

22 Probatur 3. nam pænæ inferni sunt propriæ illorum, quos Deus sibi habet aduersos, quosque Christus D. vocat maledictos, quique consortium habent cum dæmonibus; ergo nullo modo potuerunt assumi ab anima Christi Dom. quæ erat sanctissima, Deoque gratissima; ergo, &c. Tum quia pænæ inferni non sunt temporales, sed æternæ, vnde ignis inferni vocatur æternus, ad quem soli maledicti mittuntur. *Ite maledicti in ignem æternum*. Tum etiam quia pænæ inferni habent annexa multa horrenda, vt desperationem, blasphemiam, & plura alia peccata; ergo non possunt habere locum in anima purissima, & sanctissima Christi D. Tum denique quia pęnæ inferni, & Purgatorij non sunt communes toti naturæ, sed tantum personales, cum non sequantur peccatum originale; hoc enim sola pæna damni sequitur, sed actuale: ergo non fuerunt assumptæ à Filio Dei. Soluuntur argum. hereticorum.

23 Primum argu. nam Isa. 53. Christus D. vocatur *vir dolorum*, & quod *attritus est propter scelera nostra*, & quod *languores nostros ipse portauit*; sed ista non essent vera si non sustinuisset etiam pænas inferni quas nos sustinuere deberemus; ergo, &c. Resp. quod Christus D. dicitur vir dolorum, &c. non quia passus sit pænas, aut dolores infirmi, siue Purgatorij, sed quia passus est maximos dolores, cruciatus, & afflictiones huius vitæ, qua ratione dicitur, quod nostros dolores portauerit, quia ea mala sustinuit, quę nos meruimus sustinere etiam in hac vita. Vel sustituit tot mala in hac vita, vt nos liberaret etiam à malis futuræ vitæ.

24 Secundum argum. nam Christus D. dicitur ad Hebræos 4. *tentatus per omnia*, idest probatus per omnes pænas, per omnes dolores, per omnes cruciatus, per omnes afflictiones, sed hęc non essent vera, nisi etiam pænas inferni, & Purgatorij sustinuerit; ergo, &c. Dictio namque *omnia* ad omnes pænas, &c. se extendit, cum nihil excludat, *l. Iulianus, & l. testatorem, ff. de legatis* 3. *l. hic articulo, ff. de hær. instit. l. pediculis, §. Labeo, ff. de auro, & argento*, & in alijs iuribus. Tum quia qui omne dicit, nihil excludit, *l. fin. ff. de pæna legata, l. si quis, ff. de peculio legato, leg. si cui seruo, ff. de legatis* 1. *l. pænales, ff. de leg. Falcidia, l. à procuratore, C. mandati, & cap. solitæ, de maior. & obedientia*. Resp. quod dicitur Christus Dom. *tentatus per omnia*, idest per omnes dolores huius vitę, nec extendi potest ad pænas alterius vitæ, di-

ctio

ctio namque *omnia*, non comprehendit, nec extenditur ad illa ex quibus sequeretur inconueniens, seu absurdum. Decius *in l.omnia ff. si certum petatur*, Cened. *singul.* 25. & alij. Tum quia restringitur pro subiecta materia. Boer. *decis.* 158. *n.* 14. Cened. loco citato *n.* 5. & alij.

25 Tertium argum. nam Christus D. descendit ad inferos, vt profitemur in symbolo, sed Christum D. descendisse ad inferos nõ est aliud quam eum fuisse passum pœnas damnatorum; ergo, &c. Resp. aliud esse Christum descendisse ad inferos, & aliud pænas inferorum sustinuisse. Descendit ad inferos vt liberaret animas Sanctorum Patrum, non tamen pænas dãnatorum sustinuit.

DVBIVM IV.

An Christus D. assumpserit eos defectus corporales, qui consequuntur causas particulares, vbi alia.

26 Affirmarũt aliqui hæretici apud Suarez *disp.* 32. *sect.* 2. & quidam Concionator apud Medinam *hic art.* 2. qui dicebat, quod in Christo D. fuit morbus, febris, catharrus, animæ deliquium, morbus caducus, &c. Ea ratione ducti, vt posset esse exemplum omnium hominum quacunque infirmitate laborantium. Quocirca si non assumpsisset Christus D. omnes morbos, non haberent exemplum patientiæ, & mortificationis, qui eos haberent. Erat autem conueniens, quod magister communis, & vniuersalis, esset veluti speculum in quo omnes sua mala viderent, vt sic omnes in ĩpso possent consolari.

27 Veritas catholica seq. concl. explicatur. *In Christo D. non fuerunt defectus particulares, seu qui consequuntur naturas, aut personas particulares, vt lepra, psora, febris, morbus, animæ deliquium, &c.* Sic tenet S. Doctor hoc loco, & omnes eius expositores hic, & omnes Scolastici *in* 3. *dist.* 16. Vnde notat Medina, quod ille concionator coactus fuit retractare sententiam. Et Caiet. *tom.* 2. *opusc. tract.* 17. *qui est de spasmo Virginis*, oppositum inurit nota temeritatis. Et Medina, Suarez, Vasquez, & alij hoc loco dicunt, indignissimum esse affirmare de Christo D. quod aliquo morbo laborauerit; nam neque in sacra scriptura, neque in Concilijs, neque in libris Sanctorum Patrum in quibus traduntur diligentissimè pœnæ quas Christus D. in suo corpore pertulit pro nostra redemptione, & ad commendandam suam in nos charitatem, misericordiam, & patientiam, vnquam fit mentio, de susceptione morborum.

28 Probatur 1. ratione D. Thomæ hic *art.* 2. nam defectus qui consequuntur naturas particulares, seu singulares, & non totam naturam, causari solent ex culpa, & inordinato cibo, vel potu, aut causatur ex defectu virtutis formatiuæ, sed neutrum potuit esse in Christo D. ergo, &c. Minor probatur, nam in Christo D. non potuit esse defectus, aut excessus in cibo, & potu, cum esset impeccabilis; neque in virtute formatiua, cum esset conceptus de Spiritu Sancto; ergo, &c.

29 Probatur 2. nam Christus D. sanabat morbos aliorum, vt constat ex tota historia Euangelica; ergo non decebat eum ijsdem morbis laborare; Conseq. constat, quia regulariter contingere videmus, non solere homines vti Medicis pro illis morbis, quibus laborant, censentur enim in illis imperiti, & nullius æstimationis; iuxta illud prouerbium: *Medice cura te ipsum*. Tum quia non debuit Christus D. assumere illos defectus ex quibus homines suspicari possent non esse Filium Dei, sed si homines vidissent Christum infirmum, patientem animæ deliquium, &c. facile suspicari potuissent non esse Filium Dei, sic discurrendo: iste infirmatur; ergo exorbitauit in cibo, & potu, vel in aliquo alio excessit, aut fuit defectus in virtute formatiua, &c. Cum ergo in Christo D. nulla fuerit intemperantia, nulla inordinatio, nihil culpabile, sequitur, quod neque vllus morbus in eo fuit, ex illis maximè, qui ex istis capitibus trahunt originem.

30 Dices, quod potuerunt esse illi mor-

382

morbi, qui ab extrinseco veniunt, seu qui causantur à causis extrinsecis, vt ex aeris corruptione, ex serpentium veneno, ex adustione ignis, &c. Resp. quod Christus D. sua singulari prudentia illos euitauit; tamen hoc non impedit quin præcisè spectatus, & iuxta naturalem sui corporis cōditionem fuerit illis obnoxius, si eorum causæ fuissent illi sufficienter admotæ, nec per eius prudentiam, vel per aliam viam impeditæ. Vnde nihil impedit quin potuerit pati adustionem ignis, aut alicuius animalis venenosi morsum, vt dum erat in deserto; tamen sua prudentia, omnia vitauit, nisi dicas, quod omnia sibi famularentur, non minus quàm fecerint quibusdam Sanctis.

31 Sed obijcies 1. nam morbus nihil est aliud quàm quædam intemperies primarum qualitatum; sed in Christo D. fuit aliquando hæc intemperies primarũ qualitatum; ergo etiam in eo fuit morbus. Minor probatur, nam hæc intemperies fuit quando fuit infestatus vehementi calore, iuxta illud. *Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.* Item quādo in passione sustinuit vehementes flagellationes, vulnerationes, perforationes, &c. Respondetur, quod nō negamus quin in Christo Dom. fuerit aliqua qualitatum intemperies, qua fuerit aliquatenus immutatũ sui corporis temperamentum, non tamen in eo fuit morbus; morbus namque non est quęcumque qualitatũ intemperies, sed quę prouenit ex humorum putredine, corruptione, vel alia simili causa, quæ per se primò lædit vitæ operationes.

32 Obijcies 2. nam Christus D. debuit per omnia assimilari fratribus, ex Apost. *ad Hebræos* 2. sed in nobis sunt dicti defectus, morbi, ægritudines; ergo debuit in his nobis assimilari. Resp. quod Christus D. debuit per omnia fratribus, idest nobis assimilari, quoad defectus cōmunes, qui totam naturam consequuntur, non tamen quoad defectus particulares, qui causas particulares sequuntur.

33 Sed quæres 1. quare Christus D. non assumpsit sexum fæmineum? Ratio dubitandi est, quia ordo reparationis debebat opposito modo respondere lapsui; sed lapsus cæpit à muliere; ergo etiam reparatio debuit à fæmina incipere. Tum quia ideo non assumpsit Filius Dei naturam Angelicam, sed humanam, vt sua infirmitate vincendo, eius potentia magis reluceret in superando dæmones. Nec valet dicere cum quibusdam, quod non fuit conueniens, quod Filius Dei assumeret sexum fæmineum, quia prouenit ex feminis debilitate, quocirca mulier vocatur à Philosopho monstrum occasionatũ. Nam contra est, quia negari non potest, quin fęmina aliquando causetur ex singulari Dei ordinatione, ad bonum vniuersi, eiusque ornamentum.

34 Resp. conuenientius fuisse, quod Verbum diuinum assumeret sexum virilem, & non fæmineum, primò quia veniebat vt præsideret in natura humana, haberetque singulare rerum omnium dominium propter eximiam excellentiæ potestatem; dominari autem, & præsidere rebus, est viri, non fœminæ. Secundò, quia veniebat vt esset caput Angelorum, & hominum, in eosque influeret, & hoc est viri, non mulieris, iuxta illud Apostol. 1. Cor. 11. *Vir caput est mulieris.* Et licet nostra ruina à fœmina cæperit, in viro tamen consumata fuit; ita nostra reparatio in fœmina, idest in Virgine quodammodo cæpit, & in Christo D. eius filio consumata fuit. Nec fuit conueniens, quod nostra reparatio fieret per mulierem, sed per virum, quia sexus virilis aptior est ad patiendum, ad ostendendam virtutem, ad prædicandum, &c.

35 Quæres 2. an dici possit, quod Christus D. contraxit defectus toti naturæ communes, qui nec gratiæ repugnant, nec perfectioni scientiæ? Resp. negatiuè cum D. Thoma hic *art.* 3. sed dici debet, quod nostros defectus assumpsit. Rationem assignat S. Doctor, quia illi propriè dicuntur hos defectus contrahere, qui ex debito peccati illos incurrunt; sed Christus D. non incurrit illos defectus ex debito peccati; ergo illos non contraxit. In verbo namque contrahendi inuoluitur ordo effectus ad suam causam, vt illud di-

catur contrahi, quod simul cum sua causa ex necessitate trahitur, quod de Christo D. dici nequit, qui nullum peccatum habuit, nec habere potuit. Qui ergo hos defectus cum sua causa non trahit, illos non contrahit.

36 Quæres 3. an dicti defectus in Christo D. fuerint voluntarij, an inuoluntarij. Resp. quod si dicti defectus considerentur, & comparentur cum appetitu naturali Christi D. secundum se, fuerunt inuoluntarij, & quodammodo violenti, erant enim contra naturalem appetitum, & inclinationem partis sensitiuæ, vt patet ex ijs quæ in horto gesta sunt, ob timorem mortis, vbi pars sensitiua reluctabatur. Fuerunt tamen voluntarij, si comparentur cum Verbo incarnato, cum voluntariè eos assumpserit. Fuerunt etiam voluntarij respectu volũtatis vnitæ Verbo, quia eos vt sic voluit. Etiam fuerunt voluntarij respectu voluntatis Christi, vt beatæ, quia singulare habebat dominiũ in illos, vnde sitiebat quando volebat, & mortuus fuit quando voluit; vnde dixit. *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo sumendi eam*. Absolutè tamen dicuntur voluntariè assumpti, cum in illis vt in Christo D. existentibus, & ratio meriti, & ratio satisfactionis locum habuerit.

DVBIVM V.

An in Christo Dom. fuerit corporis pulchritudo.

37 PArtem negantem tenuit Michael Medio. *lib. 2. de recta in Deum fide cap. 7.* Sic etiam tenent quidam hæretici nostri temporis, interpretantes Scripturas quæ in oppositum adducuntur, vt procedant de pulchritudine animæ, non corporis, vt cum Psalmo 44. dicitur speciosus præ filijs hominum.

38 Communis, & vera sententia seq. concl. explicatur. *Christus D. habuit corpus integrum, perfectum, speciosum, seu pulcherrimum, statura iustæ, cum colorum, seu morum suauitate pariter, & grauitate coniunctum*. Sic tenent Sancti Patres, D. August. *in Psalm. 44.* D. Hieron. *Epist. ad Principiam.* D. Chrysost. *hom. 28. in Matt.* & alij communiter, intelligentes ad litteram de pulchritudine Christi Dom. illud Psal. 44. *Speciosus forma, præ filijs hominum*, & illud Cant. 1. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus*. Hinc D. Anselmus *lib. 1. Cur Deus homo. cap. 2.* dicit, quod solebat indignari contra pictores malos, & ignaros, qui Christum D. pingebant informi figura.

39 Probatur 1. nam pulchritudo definitur à S. P. August. *lib. 22. de ciuit. cap. 9.* quam omnes recipiunt, quod sit *quadam membrorum proportio cum quadam suauitate colorum*, sed in Christo D. fuit maxima, & eximia membrorum proportio, & integritas, cum quadam suauitate, imò cum maxima colorum suauitate; ergo fuit pulcherrimus. Minor probatur ex historia de figura, seu effigie, & delineamentis corporis Christi Dom. ac membrorum eius, nitidoque naturali colore, quam ponunt plures, præsertim Niceph. *lib. 1. hist. cap. 40. & lib. 2. cap. 7. & 23.* ergo, &c.

40 Probatur 2. nam illud corpus debet esse pulcherrimum, quod informatur anima omnium perfectissima; sed corpus Christi Dom. informatur anima omnium perfectissima; ergo debet esse pulcherrimum; dedecet namque quod anima perfectissima informet corpus deforme, carens membrorum integritate, & proportione, colorumque venustate, ac suauitate. Color namque naturalis ex communi Philosophorum, ac Medicorum consensu procedit à perfecto naturæ temperamento, ac proinde cum in Christo D. temperamentum fuerit perfectissimum, cum ab anima perfectissima esset informandum, debebat esse nitidissimus.

41 Probatur 3. nam visio corporis Christi pertinebit ad complementum nostræ beatitudinis, iuxta illud Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum, & quem misisti Iesum Christum*; ergo debuit habere omnem pulchritudinem naturalem. Tum quia corpus Adam quod fuit de limo productum, fuit pulcherrimum;

ergo

ergo à fortiori debuit esse pulcherrimum corpus Christi Dom. quod ex purissimis Virginis sanguinibus per Spiritum S. fuit efformatum. Soluuntur argum. in contrar.

42 Primum argum. nam pulchritudo non stat cum corpore paruo, vt enim habet Aristoteles *de arte poetica cap.6.* ad veram pulchritudinem requiritur quantitas debita. Et *lib.4. Ethic. cap.3.* dicit, quod pulchritudo est in magno corpore, non in paruo. Ad quod attendens D. Ambrosius *in Luc.* loquens de Zachæo dicit. *Zachæus natura pusillus, hoc est nulla nobilitatis ingenitæ dignitate sublimis, &c.* Sed Christus D. non fuit magnæ staturæ, sed paruæ, vt colligitur ex mensura quæ habetur apud S. Ioannem in Laterano, & ex tunica inconsutili, quæ habetur in Gallia; ergo, &c. Resp. negando minorem, concessa maiori, quia *rara virtus in corpore paruo.* Nam re vera Christus D. fuit staturæ iustæ, quæ magis tendit ad staturam magnam, vt apertè colligitur ex figura impressa in Sacra Sindone quæ seruatur Taurini, & notauit inter alios Nicephorus Calistus supra. Et ex mensura dicta, & ex tunica inconsutili colligitur, quod erat staturæ non tam magnæ, sed iustæ.

43 Secundum argum. nam Christus D. non debuit assumere, quæ ab hominibus sunt contemnenda, & flocci facienda; huiusmodi est pulchritudo corporis; ergo eam non assumpsit. Maior nota est, nam ob id noluit Christus D. habere diuitias, & huius sæculi commoditates, vnde dicebat. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Minor probari potest ex illo Prou. vlt. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo*, quocirca vitio olim dabatur Philosophis esse pulchros, & forma eximia. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dico, quod non est contemnenda pulchritudo, sed illius abusus, ne scilicet quis malè vtatur, ne ex ea sumat occasionem vanitatis, &c. Vel illa pulchritudo contemnenda est, quam homines affectant, quæ procedit ab humana curiositate, non illa quæ ortum habet ex naturali compositione, & ex perfecta humani corporis compositione, de qua dicit D. Ambrosius *lib. 2. de Virgin.* quod est simulachrum, seu argumentum bonæ mentis, & figura probitatis, de qua est illud Porphyris, seu Euripidis, *Primaria*, seu eximia *species, digna est imperio.* Et Quintus Curtius lib. 6. de rebus gestis Alexand. dicit. *Hominibus barbaris, in corporum maiestate veneratio est, magnorumque operum non alios capaces putant, quàm quos eximia specie donare natura dignata est.*

44 Tertium argum. nam pulchritudinem mentis, non corporis debent affectare viri sancti, & religiosi; sed Christus D. fuit sanctissimus; ergo, &c. Minor nota est. Maiorem docet D. Thomas in Psal. 25. ad illa verba. *Domine dilexi decorem domus tuæ*, vbi sic fatur. *Omnis homo amat pulchrum, carnales amant pulchrum carnale, spirituales amant pulchrum spirituale, & hæc est pulchritudo domus Dei.* Resp. ex dictis num. præcedenti, quod viri sancti debent magis affectare pulchritudinem mentis quam corporis, tamen non debent contemnere pulchritudinem corporis si illam à Deo habeant, solum debent contemnere abusum illius, & affectum inordinatum, & hoc est quod vult S. D. in testimonio allegato.

DVBIVM VI.

An in Christo D. fuerit necessitas moriendi.

45 Non procedit dubium de necessitate moriendi per manus inimicorum; certum namque est, quod de hac morte nullã habuit necessitatem, sed illam subiuit, quia voluit, iuxta illud *potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo sumendi eam;* hanc potestatem moriendi, seu libertatem ostendit Ioan. 14. cum dixit. *Surgite eamus hinc.* Sed procedit dubium de morte naturali, an scilicet naturaliter mortuus fuisset si à nullo fuisset occisus.

46 Prima sententia, seu potius error fuit illorum hæreticorum, qui dicebant Verbum D. non assumpsisse corpus corrupti-

ruptibile, & passibile, sed incorruptibile, & impassibile, quod etiam tenuit Imperator Iustinianus, vir aliàs pius, & catholicus, vt referunt Euagrius *lib.4. histor. cap.* 19. Nicephorus *lib.* 17.*cap.* 29, & alij addentes, quod taliter adhæsit huic errori, vt publico edicto præceperit Sacerdotibus vt publicè eum docerent, vt ab vniuerso populo teneretur. Communiter tamen excusatur, eò quod per ignorantiam in eum errorem lapsus fuerit.

47 Secunda sententia est, quod Christus D. habebat quidē corpus mortale, & passibile, tamen vixisset plusquā vixit aliquis hominum, cum enim haberet temperamentum perfectissimum & nihil vnquam inordinatum egisset in regimine suæ vitæ, sequitur, quod longissimo tempore vixisset. Maximè quia, inquiunt, huius sententiæ auctores, vel vsus fuisset quandoque ligno vitæ; vel vti potuisset lapide philosophorum, quem faciliter facere potuisset, cum haberet sciētiam infusam; vel etiam quia vti potuisset *Alcha est*, quod per Alchimistas præseruat ab omni corruptione, refouet, & confortat calorem naturalem, & sanat, & defendit ab omni morbo, ab omni contagione, &c.

48 Veritas catholica seq. conclusione explicatur. *Christus D. habebat necessitatem moriendi morte naturali; seu si mortuus non fuisset morte violenta, fuisset mortuus morte naturali.* Sic tradunt Sancti Patres D. August. *lib.* 2. *de peccat. mer. & remis. cap.* 29. D. Ambros. *lib.* 2. *de fide cap.* 4. Damasc. *lib.* 3 *cap.* 28. Tertull. *lib. de carne Christi* Nicephorus vbi supra. S. Doctor hoc loco, & *in* 3. *dist.* 16. *q.* 1. *art.* 2. Scotus, Gabriel, Durandus, & alij ibid. Ratio à priori est, quia Verbum diuinum assumpsit carnem eiusdem naturæ, & speciei cum nostra: sed nostra habet naturalem necessitatem senescendi, & moriendi, ergo hanc eandem necessitatem habuit caro Christi D.

49 Tum quia cum sit de fide quod caro Christi D. fuerit eiusdem rationis cū nostra, scilicet passibilis, & mortalis, debuit pati, & mori, vt patitur, & moritur nostra caro; ac proinde ob easdem causas ob quas nos senescimus, & morimur, debuit senescere, & mori Christus D. Plures autem assignantur causæ senectutis, & mortis in nobis, quæ etiam in Christo D. poni debent. Prima causa senectutis, & mortis desumitur ex indigentia cibi, & potus, quem sumens homo, ab eo aliquid patitur; cum enim cibus, & potus dum sumuntur, habeant qualitates ipsi sumenti contrarias, & dissimiles, oportet quod calor naturalis agens ad eorum trasmutationem aliquid patiatur, iuxta illud Philosophi in lib. de generat. & corruptione, *agens agendo repatitur*, ac proinde paulatim minuitur, debilitatur, & tandem totaliter retunditur. Exemplo vini etiam generosi, quod per infusionem aquæ etiam guttatim, debilitatur, & tandem formam vini amittit. Hanc causam assignant communiter Philosophi post D. Thomam 1. *p. q.* 7. *art.* 4.

50 Secunda causa senectutis, & mortis assignatur ab Auicenna *cap.* 5. *de temperamentis*, scilicet corporis excrementa, quæ in quacumq; corporis parte egeruntur, & superfluunt ex conuersione alimenti in substantiam aliti; hæc excrementa sunt fel in iecore, phlegma in polmone, &c. quæ cum sint alterius naturæ à partibus animalis, eas paulatim immutant, earūque naturale temperamentū peruertūt. Tertia causa senectutis, & mortis assignatur à Richardo *in* 3. *dist.* 16. *art.* 1. *q.* 2. Bonau. *ibid. art.* 1. *q.* 3. & alijs, vt sit eiusdem carnis, seu corporis compositio ex qualitatibus contrarijs, quæ semper ad inuicem agunt, & reagunt, & sic ad inuicem debilitantur, &c.

51 Quarta senectutis, & mortis causa ex Aristotele *lib.* 2. *de part. animal.* sunt ipse partes animalis diuersi temperamenti, diuersæ organizationis, diuersarum qualitatum, vt sunt caput, cor, hepar, lien, pulmo, splen, os, neruus, sanguis, &c. ex qua partium diuersitate prouenit, vt quod vni parti proficit, alteri noceat; tum quia cum istę partes sint diuersi temperamenti, ad inuicem agunt, & patiuntur, vt tandem corrumpantur.

Quin-

52 Quinta senectutis & mortis causa ex Aristotele *de longit. & breuit.* vitæ, est calor naturalis perpetuò agens in humidum radicale ipsum exiccans, & absumens. Hoc humidum in principio vitæ est in summo gradu, & paulatim consumitur. Ex alia parte calor ipse per hanc continuam actionem debilitatur, & tandem desinit. Vnde videmus, quod in senibus exsiccatur humidum, debilitatur calor, & augetur humidum extraneum, seu aduentitium. Soluuntur argumenta in contrar.

53 Primum argum. In Christo D. non potuit esse morbus, seu ægritudo; ergo neque potuit esse mors. Antecedens constat ex dictis supra. Conseq. probatur, quia vt probat Vallesius *lib. 6. controu. medicarum cap. 1.* ex communi Medicorum consensu, non contingit mors sine aliqua ægritudine, maximè quando mors non est violenta, sed naturalis. Resp. quod licet communiter non contingat mors sine ægritudine, tamen aliquando contingit per quandam resolutionem: calor namq; paulatim resoluit humidum radicale, & humidum calorem, per continuam actionem, & passionem, quibus dissolutis, dissoluitur tẽperamentum, & sequitur mors.

54 Secundum argum. nam mors per peccatum intrauit in mundo; vnde dicitur, quod Deus non fecit mortem, sed peccatum eam produxit; sed in Christo D. nullum fuit peccatum, ergo neque mors debuit esse. Maior constat ex illo Rom. 8. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum*. Resp. distinguendo maiorem. Mors per peccatum intrauit in mundum per se, negatur: per accidens, & tanquam à remouente prohibens, conceditur. Peccatum namque abstulit iustitiam originalem, qua ablata intrauit mors, ex ipsa conditione hominis qua est ex contrarijs compositus. Voluit tamen Christus D. habere corpus mortale ob finem potissimum redimendi mundum; vt supra vidimus.

55 Tertium argu. nam miraculum fuit, quod corpus Christi D. fuerit passibile, & mortale; ergo etiam miraculum fuit, quod fuerit mortuum per inimicos, ac proinde fuisset miraculum quod morte naturali moreretur; quod autem fit per miraculum, non contingit naturaliter. Antecedens probatur, nam miraculum fuit, quod gloria animæ non redundaret in corpus, quę si redundasset, corpus fuisset immortale, & impassibile. Resp. concedendo antecedens, supposito tamen eo miraculo, quod animæ gloria non redundaret in corpus, non fuit miraculum, quod pateretur, quod moreretur.

DVBIVM VII.

An Christus D. inclinaretur in mortem violentam à Iudæis inferendam ex aliqua cœli constellatione, aut influxu.

56 AFfirmatiuam partem tenuit Petrus Aliacus *in Gen. q. 30.* & aliqui Astrologi, qui dicunt, quod ex figura cœli sub qua Christus D. natus est, colligitur, quod mori debebat morte violenta. Pro quo nota, quod imagines Astrologicæ sunt in duplici differentia. Alię namque vocantur Nigromanticæ, quæ fiunt cum expressa dœmonis inuocatione, ad statuenda expressa pacta cum ijsdem, & sunt signa pactorum expressorum cum dœmonibus. Et aliæ sunt imagines Astronomicæ, continentes signa, seu statum signorum cœlestium sub quibus quis concipitur, & nascitur. Qui faciunt istas figuras, seu vulgo natiuitates vocantur Genethaliaci, qui obseruata die, & hora natiuitatis fortunam, & processum in pręcipuis actionibus temerè pronunciant, de quibus, A. Gellius *lib. 14. cap. 2.*

57 Vera, & communis catholicorum sententia sequenti conclusione explicatur *Christus D. nullo modo inclinabatur in mortem violentam à Iudæis inferendam ab aliqua cœli constellatione, ab aliquo astrorum influxu, ab aliquo fato*. Colligitur hæc concl. ex illo Isa. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit*; quod enim ex influxu astrorum procedit, non liberum, sed necessarium est. Colligitur etiam ex illo Psal. 93. *Deus vltionem Dominus, Deus vltionẽ liberè egit.* Addita interpretatione sanctissimi,

simi, & doctissimi Patris D. Aug. *ser.* 137. Videantur Sixtus Senensis *lib. 6. bibliotech. annotat.* 10. Picus Mirandulanus *in opusc. contra Astrologos.* M. Torre *tr.* 2. *de relig. q.* 5. *art.* 5. *disp.* 1. & alij.

58 Cæterum antequam agamus rationibus contra dictos Astrologos, sciendum est, quod Astrologia est doctrina de operatione Astrorum in hæc inferiora; eius duæ sunt partes, vna quæ ex Astrorum motu, aspectu, ac situ prænoscit mutationes in elementis, & corporibus animalium, hominumque iuxta primarum qualitatum proprias affectiones; cuius generis sunt futuræ Eclipses Solis, & Lunæ, imminētes pluuiæ vel durans siccitas, & corporum alterationes, quæ secundum ista vt plurimum accidunt. Alia, quæ ex Astorum motu, aspectu, ac situ prænunciat effectus supernaturales, & naturales, sed contingentes, aut liberæ hominum actiones. Prioris studium non est vetitum, dummodo intra metas humanæ scientię se cōtineat, vt de contingentibus loquatur tāquam de contingentibus, & de necessarijs tanquā de necessarijs, alioquin suam vanitatem, stultitiamque produnt, qui aliter loquuntur, aut sentiunt. At posterior Astrologia non solum vana, temeraria, & incerta, sed & superstitiosa, perniciosa, & impia est, si dictos effectus liberos, ex Astrorum motu, aspectu, situque tanquā certos pronunciet; proindeque ab Ecclesia sub grauissimis pœnis prohibita est, sub nomine Astrologiæ iudiciariæ; quam sequentibus rationibus impugnamus.

59 Prima ratio, nam effectus contingentes, & liberi, vt erat mors Christi D. nullas habēt causas certas, ac notas intra lineam naturæ; ergo ex aspectu, situ, motuque astrorum certò cognosci non possunt. Conseq. constat, quod enim non habet causas naturales certas, & determinatas, non potest in eis cognoscere effectus vt certos, & determinatos. Antecedens probatur, tum quia est contra rationem effectus contingentis, quod habeat causam certam, & determinatā, hoc enim est proprium effectus necessarij. Tum etiam quia mors Christi erat quidam effectus supernaturalis ordinatus à Deo ad finem redemptionis hominum; nullus autē effectus supernaturalis potest certo, & determinatè cognosci in aliqua causa naturali, vt in Astris, ergo, &c. Tum quia effectus spiritualis, vt sunt actus liberi voluntatis nō possit cōtineri in causis materialibus, & corporeis; nec causa corporea potest agere in incorporeū, cuiusmodi est liberum hominis arbitrium.

60 Secunda ratio; nam si aliqua esset influentia Astrorum in humanum fætum, potius obseruari deberet quando fœtus concipitur, animatur, aut vegetatur, quàm cum nascitur; ergo non ab hominis natiuitate, sed à conceptione iudicium futurorum euentuum præcipuorum sumi deberet. Sed hoc non faciunt Astrologi, nec dicunt. Antecedens probatur, nam fætus est magis susceptibilis influentiæ in cōceptione, & animatione, quam in natiuitate, ergo non magis ab ista, quam ab illa prædictionem sumere deberent.

61 Occurrunt Astrologi quod sumunt prædictionem à natiuitate tanquam a notiori. Sed contra, quia impossibile est cognoscere punctum natiuitatis, sicut est impossibile cognoscere punctum conceptionis, motus, aspectus, situsque Astrorum qui in quocumque puncto mutatur; ergo, &c. Tum quia nullus est ex Astrologis, vt experientia didici, qui nouit decimam, nec fortè centissimam fixarum stellarum partem, ac proinde non possunt scire earundem influentias; ergo frustra, & inaniter certos effectus paucarum stellarum influentijs tribuere possunt, cum ignorent quid cæteræ stellæ in mundo, & hominibus operentur. Tum etiam quia vbi concurrunt causæ diuersarum operationum, impossibile est vnum, ac certum aliquem effectum colligere; sed omnes stellæ suos habent influxus, & fortè magis quam planetæ, errantesuè stellæ ad quarum solum aspectum, situm, & motum respiciunt Astrologi; ergo nisi omnium stellarum aspectus, situs, oppositio &c. inspiciatur, non potest certum iudicium haberi de alicuius euentibus, cum nullus sit, qui omnia cognoscat.

Au-

62 Audiant Astrologi lepidam Magni Gregorij derisionem *hom. 10. in Euangel.* vbi sic habet. *Certè cum Iacob de vtero egrediens, prioris fratris plantam teneret manu, prior perfectè nequaquam egredi potuit, nisi & subsequens incboasset, & tamen cum vno tempore, eodemq; momento vtrumque mater fuderit, non vna vtriusque vitæ qualitas fuit.* Idem dici debet de alijs pluribus gemellibus, & de ijs qui ex diuersis matribus, eodem die, eademque hora nascuntur, quorum tamen valde diuersa est vitæ, ac successuum ratio, vt testatur S. P. Aug. *lib. 7. confessionum cap. 7. & 5. de ciuit. cap. 2. 3. 4. 5. & 6. & de doctrina Christiana lib. 2. cap. 1. 2.*

63 Prosequitur Magnus Gregorius. *Fateri etiam Mathematici solent, quod quisquis in signo aquarij nascitur, in hac vita Piscatoris ministerium sortitur: Piscatores verò, vt fertur, Getulia non habet: quis ergo dicat, quia nemo illis in stella aquarij nascitur, vbi piscator omnino non habetur?* Hoc exemplum accomodari potest ad plura alia similia. Multa namque passim sunt oppida, pagi, ciuitates, & prouinciæ, vbi huius, aut illius artificis, seu studij nullus inuenitur; cum tamen nullus affirmare audebit, quod nemo in illis locis sub illis Astris nascatur, sub quibus nascuntur alij in locis, vbi talis artificij, aut studij plures inueniuntur. Postea concludit Magnus Gregor. *Absit à fidelium cordibus, vt aliquid esse factum dicant. Vitam quippe hominum solus hanc conditor qui creauit, administrat. Neque enim propter stellas homo, sed stellæ propter hominem factæ sunt; & si stella fatum hominis dicitur, ipsi suis ministerijs subesse homo perhibetur.*

64 Tertia ratio; nam ista Astrologia tollit virtutum merita, & peccatorum culpas; ergo est prorsus eliminanda. Antecedens probatur, nam per istos Astrologos hominis actiones diriguntur secundum eam constellationem, sub qua natus est, ergo non agit liberè, quod agit, & vult, vbi autem non est libertas, nec laus, nec vituperium datur, ac proinde nec meritum, nec demeritum. Vnde secundum hanc doctrinam eneruantur omnia præcepta tam diuina, quàm humana; eneruaretur Euangelium, eneruarentur constitutiones, & leges tam Ecclesiæ, quàm Imperatorum, Regnum, Principum, & quorumcumque Magistratuum; semper enim subditi prætendere possent ista frustra præcipi, cum ipsorum actiones, & studia per influentiam constellationum regantur, vt opus non habeant directione per leges, & præcepta.

65 Quarta ratio, nam hæc doctrina Astrologica omnino repugnat diuinę prouidentiæ, in administratione totius vniuersi; hoc est plusquam falsum; ergo, &c. Maior probatur, nam si omnia in suis inferioribus fiunt iuxta constellationes Astrologorum, sub quibus vnusquisque nascitur, iam non licet Deo agere in rebus vt voluerit; ergo, &c. Vnde Deus per Isaiam, cap. 21. sic loquitur ad huiusmodi Astrologos. *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis vos.* Et cap. 44. dicit. *Ego sum Dominus, &c. irrita faciens signa diuinorum, & Ariolos in furorem vertens.* Et cap. 47. dicit. *Stent, & saluent te Augures cæli, qui contemplabantur sydera, & supputabant menses, vt ex eis annunciare ventura tibi.* Et per Ieremiam dicit. *Hæc dicit Dominus iuxta vias Gentium nolite discere. & à signis cæli nolite metuere, quæ timent Gentes, quia leges populorum vanæ sunt.*

66 Sed obijcies 1. nam isti diuinatores sæpè vera prænunciant; ergo ista Astrologia siue de Christo D. siue de alijs potest esse vera. Resp. quod duabus de causis isti Astrologi aliquando vera prænuntiant. Prima, quia isti diuinatores solent esse perspicaces, obseruantes hominum vulgarium inclinationes, ac mores, ex quibus facile iudicare possunt de nonnullis euentis, quæ eis cõtingere possunt. Communiter tamen errant, vt obseruauit Pius Mirandulanus *in suo Opusc. contra Astrologos*, & Sixtus ab Hemminga *lib. Astrologiæ refutatæ*, vbi per 30. exempla Natiuitatum variorum Heroum vanitatem, ac falsitatem huius artis detegit, atque refellit.

67 Obijcies 2. nam diuersitas morum,

rum, studiorumque in hominibus non ex alio capite oritur, quàm ex varia Astrorum constellatione, sub qua vnusquisque nascitur; ergo non est ista scientia, seu ars, aut doctrina omnino reicienda. Resp. negando antecedens; vt autem sciatur vnde oriatur illa diuersitas morum, ac studiorum, nota, quod cum homo constet corpore, & anima, & corporis status sit secundum temperamentum quatuor qualitatum, sequitur, quod secundum variam earumdem qualitatum temperiem, & cõbinationem, varia etiam fit inclinatio ad mores, & studia. Vnde qui bene norunt has temperies, & combinationes, possunt aliquid licitè iudicare de futuris mutationibus, aut infirmitatibus in corpore cum debita moderatione. Et eò quoque aliquid valet obseruatio naturalis influentiæ Astrorum.

108 Animæ autem hominis status in omnibus hominibus, natura liber est, & ad varia aptus. Quod autem aliqui hoc vitæ genus, alij aliud eligunt, contingere potest, partim ex Patriæ consuetudine; partim ex educatione fideli, aut negligenti; partim ex hominum societate, parentum, amicorumque suasu; partim etiam ex tacito Dei instinctu. Ex quibus, non ex Astris, sequuntur commoda, vel incommoda totius vitæ, vt non sit necesse in Astris eorum causas inquirere.

109 Quod si concedatur aliqua efficientia influentiæ generalis Astrorum ad dicta, nunquam tamen tam potens est, vt impediantur contraria hominum studia, iuxta illud. *Planetæ inclinant, non cogunt;* & iuxta illud. *Sapiens dominabitur Astris.* Vnde constat de multis, qui prauas suæ naturæ inclinationes, & bonarum actionum impedimenta assiduis studijs, atque laboribus superarunt. Sic & è contrariò, plurimi bonas suas inclinationes, & præclara virtutum adiumenta, quæ tum ex Deo: tum ex educatione, & eruditione sunt consecuti, turpibus studijs, actibusq; perdunt. Nam vt egregiè dicit Thomas à Kempis. *Consuetudo, consuetudine vincitur.*

DISPV-

DISPVTATIO XV.

IN QVAEST. XV. DIVI THOMAE.

De defectibus animæ à Christo assumptis.

1 IN 1. art. docet S. Doctor, quod in Christo D. nullum fuit peccatum, iuxta illud 1. Petri 2. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*. Et ad Hebræos 7. vocatur sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, &c. In art. 2. dicit, quod in Christo D. non fuit fomes, quo nomine licet aliquando intelligatur motio actualis appetitus sensitiui ad obiectũ sensibile rationi contrarium, ipsam præueniens, vel ei oblectans, & ad peccatum trahens, tamen magis communiter intelligitur vis insita, quæ aliud non est, quam habitualis, & inordinata concupiscentia sensibilis appetitus. In art. 3. probat, quod in Christo nullius rei fuit ignorantia, constat ex dictis supra de scientia Christi D. In art. 4. dicit, quod in Christo D. fuerunt passiones tam corporales, quibus anima patitur, ad corporis læsionem, aut perturbationem; quàm animales, quę vel propriè sunt animæ, vel saltem principalius quàm corporis. In artic. 5. ait, quod in Christo fuit dolor sensibilis. In 6. art. ostendit, quod in Christo D. fuit tristitia, quatenus apprehendit aliquod nociuum, vt passionem, & mortem. In art. 7. docet, quod in Christo D. fuit timor. In art. 8. docet, quod etiam fuit in eo admiratio. In art. 9. declarat quomodo fuerit in eo ira. In art. 10. explicat quomodo fuerit viator, & comprehensor.

DVBIVM I.

An de facto Christus Dom. commiserit aliquod peccatum.

2 QVod in antiquis hæreticis non inuenitur, reperitur in nouioribus. Nullus ex antiquis hæreticis reperitur, qui docuerit Christum D. actu peccasse, hoc docuerunt nouiores. Nam Cardinalis Hosius lib. 1. de hæret. nostri temporis refert quendam Apostatam Præmonstratensem asseruisse Christum D. desperasse in cruce cum dixit. *Deus Deus meus quare dereliquisti me*. Ad hanc blasphemiam accedit Impius Caluinus in suis commentarijs in cap. 12. S. Ioan. vbi in Christum sic blasphemat. *Eum refugiendo mortem fateri suam mollitiem*. Item. *Votum ei inconsideratè effluxisse, cui statim renunciandum fuerit*.

3 Veritas catholica seq. concl. explicatur. *Christus D. nullum vel leuissimum, commisit peccatum*. Hæc concl. est de fide, & expressè habetur in sacris litteris. 1. Petri 2. sic dicitur de Christo. *Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius*. Ad Hebræos 4. habetur. *Tentatus per omnia pro similitudine, absque peccato*. Et cap. 7. dicitur. *Talis decebat vt esset nobis Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*. Et Io. 8. dixit idem Dominus. *Quis ex vobis arguet me de peccato*. Quia probè sciebat se non fuisse inquinatum, neque inquinandum fore aliquo, vel minimo peccato. Vnde hæc veritas definita fuit in multis

Concilijs, præsertim in Ephesino 1. *can.* 10. in Lateran. sub Martino I. *can* 5. tradunt S. Patres, S. P. August. *lib.* 5. *contra Iulianum cap.* 15. Gregor. Nyssenus *orat.* 14. *in cant.* & alij, quos fusè referunt expositores S. Thomæ hic *art.* 1.

4 Probatur 1. nam in Christo Dom. si fuisset aliquod peccatum, vel fuisset originale, vel actuale; neutrum habuit; ergo nullum. Antecedens probatur, nam non habuit originale, quia non descendit ab Adamo via seminali, seu per seminalem propagationem, sed fuit ex Spiritu S. conceptus; quocirca ab Angelo antonomasticè vocatur Sanctus. *Quod enim ex te nascetur sanctum.* Neque habuit peccatum actuale, quia persona Verbi diuini est impeccabilis, & impeccabilem reddebat humanitatem. Cum enim actiones sint suppositorum, si semel humanitas peccaret, peccatum tribueretur supposito, quod implicat, sed de hoc argum. magis dicemus dub. seq.

5 Probatur 2. nam Christus Dom. ab instanti suæ conceptionis fuit beatus; ergo nullum habuit peccatum. Antecedens constat ex dictis supra, & tradunt omnes. Conseq. probatur, nam cum visione beata nullum stat peccatum; implicat namque quod anima sit conuersa in Deum per visionem beatam, & auersa à Deo per peccatum, vt fusè ostendimus 1. 2. cum nostris Salmant.

6 Probatur 3. ex officio Christi D. nam venit vt expiaret, vt deleret, vt satisfaceret pro omnibus peccatis hominum; venit vt doceret omnem iustitiam, & sanctitatem, tum verbis, tum factis; ergo nullum habuit peccatum. Antecedens constat. Conseq. probatur, nam si Christus D. habuisset aliquod peccatum, non potuisset pro eo satisfacere, iuxta illud, Ecclesi. 34. *Dona iniquorum non probat Altissimus*, neque congruenter potuisset hominibus suadere iustitiam, & sanctitatem; ergo, &c.

7 Probatur 4. nam vt infra dicemus Christus D. non assumpsit fomitem; ergo nullum habuit peccatum. Conseq. constat, nam fomes est effectus peccati originalis, ac proinde vbi non est iste effectus, neque eius causa esse potest. Deinde fomes inclinat ad peccata actualia, nec ista dantur, vbi ille non datur. Antecedens probatur, nam anima Christi Dom. erat omni gratia, & virtutibus plena, adeoq; vt non potuerit esse in ea aliquis motus inordinatus; ergo, &c.

8 Sed obijcies 1. nam in Christo D. fuerunt aliqui motus inordinati; ergo in eo fuit peccatum. Antecedens probatur; nam Christus D. debuit habere aliquos hostes contra quos pugnaret, vt sic haberet virtutis exercitium. Tum quia negari non potest, quin saltem laudabilius sit motus inordinatos in se posse cohibere, quam contra exortos pugnare, & deficere. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico, quod habuit hostes externos, scilicet mundum, & diabolum, non internum, scilicet carnem, eiusque potissimos ministros, videlicet fomitem, & concupiscentiam. Et laudabilius est non habere hos hostes intrinsecos, quam eos habere, & pugnando vincere; eos namque habere, est signum peccabilitatis, & eos non habere, est signum impeccabilitatis, quod est melius.

9 Obijcies 2. nam Apostolus 2. *Cor.* 5. apertè dicit, quod *pro nobis peccatum fecit*; ergo, &c. Resp. alium esse sensum Apostoli, quam prætendant hæretici; sensus namque est, quod ad destruenda nostra peccata obtulit se ipsum hostiam sanctam. Verba Apostoli sunt. *Qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit*; vbi *peccatum* primo loco stat pro culpa, & offensa, & sensus est quod Christus Dom. nullam commisit culpam. At *peccatum* secundo loco stat pro hostia oblata in peccati redemptionem, seu pro peccato, nam in Sacra Scriptura victimæ, quæ pro peccato offerebantur vocabantur etiam peccata, vt *Isaia* 53. *Osea* 4. & alibi.

10 Obijcies 3. potissimum hæreticorum fundamentum, illa verba Christi D. in cruce pendentis ad Patrem. *Quare me dereliquisti*, quæ videntur signum desperationis. &c. Resp. quod ista verba non sunt desperantis, sed explicantis pænæ

næ acerbitatem. Tanta namque erat humanitatis passio, tantus dolor, vt videretur quasi derelicta à Patre, quatenus tunc nullam experiebatur redundantiam consolationis virium superiorum ad inferiores.

11 Obijcies 4. illud Psalm. *Longè à salute mea verba delictorum meorum*, vbi psalmista loquens in persona Christi, dicit se habere delicta *delictorum meorum*. Resp. quod Christus D. peccata nostra, quæ ipse portauit, vocat sua, iuxta regulam sanctissimi, & doctissimi P. Aug. *lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 31.* quod *ea, quæ sunt membrorum tribuuntur capiti ob coniunctionem, quam habent cum illo, considerando caput, & membra per modum vnius personæ.*

DVBIVM II.

An Christus D. de potentia absoluta peccare potuerit.

12 Prima sententia est, quod Christus D. de potentia absoluta potuit peccare. Sic tenent Durandus *in 3. dist. 12. q. 2.* Scot. *ibidem q. 1. & dist. 2. q. 1. §. ad argum. principalia*. Gabriel in vtroque loco. Marsilius *in 3. dist. 12. q. 3. art. 2. & q. 9. art. 3.* Hanc sententiam aliqui aliqua nota inurunt; nam Medina dicit eam ad errorem appropinquare, ac proinde esse à scholis explodendam, & condemnandam. Suarez *hic disp. 53. sect. 2.* dicit esse temerariam. Vasq. dicit esse dignam aliqua censura. Ego nihil dico, non enim meum est aliorum sententias damnare, aut aliqua censura inurere.

13 Nostra sententia sequ. concl. explicatur. *Christus D. vt homo, neque de potentia absoluta peccare potuit.* Sic tenet Magister *in 3. dist. 12. cap. 2.* vbi S. Doctor *q. 2. art. 1. & 2.* D. Bonau. *art. 2. q. 1. & 2.* Palud. *q. 2.* Capreol. *q. 1.* Almayn. Carthus. Alensis, Henricus, & alij Scholastici, & omnes Theologi hoc loco. Hanc sententiam docent Sancti Patres, D. Aug. *lib. 2. de pecc. meritis, & remiss. cap. 11. & lib. 1. de prædest. Sanct. cap. 15. & in Enchirid. cap. 40.* D. Athanas. *lib. de incarnat. Christi* D. Ambros. *eod. tract. cap. 7.* D. Greg. Nazianz. *orat. 36.* D. Cyrillus Alex. *lib. aduersus Anthropomorphitas, & lib. de recta fide*, & alij communiter.

14 Pro intelligentia dicendorum notandum 1. duo ista esse distincta, scilicet habere potentiam qua peccatur, & habere potentiam peccandi, nam primum dicit hoc quod est habere voluntatem creatam quæ eo ipso quo est creata, est defectibilis, si secundum se consideretur, est enim id quo peccatum committitur, vel committi potest. At potentia peccandi superaddit aptitudinem ad committendũ peccatum, & quandam quasi propensionem ad peccatum; dicit enim voluntatem labilem in peccatum. Certum est, quod in Christo D. est potentia quã peccatur, est enim voluntas creata, quæ secundum suam essentiam est defectibilis, cum sit ex nihilo. Difficultas procedit an in Christo D. sit potentia peccandi, seu an voluntas Christi D. possit peccare.

15 Notandum 2. quod Christi D. vt hominis impeccabilitas potest attendi, vel per comparationem ad eius libertatem præcisè, vel per comparationem ad gloriam animæ quam habuit à primo instanti conceptionis, vel per comparationem ad summam eius gratiam habitualem, & alia dona supernaturalia; vel demum per comparationem ad vnionem hypostaticã præcisè, & simpliciter sumptam. Non procedit de Christi impeccabilitate per comparationem ad libertatem illius, vt enim dicemus infra, non habuit libertatem ad peccandum, seu ad agendum contrariè, seu non habuit libertatem contrarietatis, sed contradictionis, seu ad agendum, & non agendum negatiuè, seu priuatiuè. Neque procedit de Christi Dom. impeccabilitate per comparationem ad gloriam animæ, tum quia est eadem ratio, ac aliorum beatorum, de quibus diximus in 1. 2. Tum etiam quia posset per diuinam potẽtiam humanitas assumi absque eo quod anima esset beata, & sic adhuc in eo casu inquisitio procederet. Neque etiam procedit de impeccabilitate

ratione suæ gratiæ, quia hæc, nisi aliud addatur non ponit impeccabilitatem. Sed procedit de impeccabilitate ratione vnions hypostaticæ, seclusis omnibus alijs donis supernaturalibus, an scilicet ratione huius præcisè, & simpliciter humanitas Christi D. sit impeccabilis, & iam respondimus affirmatiuè.

16 Variant tamen auctores in assignanda ratione huius impeccabilitatis prouenientis ab vnione hypostatica, nam Vasq. *disp.61. cap.6.* Lugo *disp 26. sect 1.* & alij dicunt, quod tota ratio impeccabilitatis desumitur à sanctitate, quam anima Christi D. habet à diuinitate sibi mediatè vnita, mediante scilicet subsistentia Verbi, non ab ipsa Verbi personalitate, seu sanctitate personali. Cum enim sanctitas diuinæ essentiæ sit tanta, sibi omne peccatum etiam leuissimum repugnat.

17 Sed hæc ratio non satisfacit, nam licet demus quod anima Christi sanctificetur summo modo à diuina essentia, adhuc tamen non explicatur Christi impeccabilitas: tum quia adhuc aliquis Scoti discipulus posset dicere, quod sicut sanctitas creata, quæ est à gratia, non ponit præcisè impeccabilitatem, neque sanctitas diuinæ essentiæ præcisè eam ponet. Tum quia si sanctitas mediata diuinæ essentiæ reddit naturam humanam Christi D. impeccabilem, etiam eam reddet sanctitas personalitatis, est namque sancta saltem sanctitate transcendente, vt alibi diximus.

18 Alij dicunt, quod ista impeccabilitas dicatur repeti ex vnione hypostatica quatenus personalitas Verbi diuini prout virtualiter distinguitur à diuina essentia dicit, & exprimit perfectionem, & sanctitatem, ratione cuius sanctificat taliter humanitatem, vt eam reddat prorsus impeccabilem, esse namque formaliter, & intrinsecè sanctum repugnat peccato, & eius commissioni. Sed neque hæc ratio satisfacit. Primò quia non est certum imò oppositum est certius, & probabilius, quod personalitas non sanctificet formaliter, cum nec dicat, nec exprimat sanctitatem, vt constat ex dictis de Trinitate quod scilicet relationes non dicant perfectionem, & subinde nec sanctitatem. Secundò, quia cum sanctitas personalitatis Verbi diuini solum afficiat humanitatem terminatiuè, non potest dici, quod eam sãctificet formaliter. Tertiò quia dato quod eã sanctificaret formaliter vt facit gratia santificans, adhuc ex hoc non explicatur intrinseca impeccabilitas, cum dato peccato posset sanctitas personalitatis amitti sicut amittitur sanctitas gratiæ sanctificantis.

19 Isambertus *ad q.15. disp. 1. art.6. & 7. & 8.* duo dicit. Primum, quod impeccabilitas humanitatis Christi D. desumitur quidem ex vnione hypostatica, non ex eo quod vnio hypostatica habeat physicam incompossibilitatem cum peccato, sed ex eo quod habeat incompossibilitatem moralem, secundum quod humanitas hypostaticè vnita Verbo non possit peccare, vt eius impeccabilitas in hac vnione fundata executioni mãdetur, vnde aliquid aliud requiritur, quo mediante talis humanitatis præseruetur à peccato committendo; hoc autem in casu, præsentis difficultatis est singularis quædam protectio, & directio qua Deus ita gubernat humanitatem assumptam sine donis, &c. vt labi non posset in peccatum.

20 Verum neque hæc ratio placet, nam impeccabilitas humanitatis Christi non esset aliquid cõsurgens formalissimè ex vnione hypostatica, sed ex extrinseca Dei protectione, ac proinde non excederet donum cõfirmatorum in gratia, quod secundum satis communem sententiam non est aliud nisi quædam externa Dei protectio qua remouet occasiones peccãdi. Tum quia iste modus dicendi incidit in sententiã Scoti, quam dictus Isambertus conatur inpugnare art. 3. Tum etiam quia si humanitas Christi est ex vi vnionis impeccabilis vt ille docet dicto art. 3. quorsum requiritur dicta extrinseca Dei protectio; Extrinseca namque Dei protectio sufficit ad impediendum omne peccatum: & intrinseca impeccabilitas ex vnionis hipostaticæ sufficit ad impediendum

dum quodlibet peccatũ sine illa extrinseca Dei protectione.

§. I. Ponitur vera ratio pro nostra conclusione, & defenditur.

21 COmmunis ratio Thomistarum ad sequentem formam proponitur. Si Christi D. humanitas posset peccare, eius peccatum tribueretur supposito D. sed implicat, quod suppositum diuinum peccet, aut peccare possit; ergo implicat quod Christi D. humanitas pecc: aut peccare possit. Minorem non debet negare catholicus. Maior probatur, nam actiones sunt suppositorum, sed implicat, quod suppositum diuinum etiam cum operatur per humanitatem assumptàm sit principium actus peccaminosi, qui Deo displiceat, ergo, &c. Omnis namq; actio humanitatis à Verbo assumptæ, est sancta, sanctitate personali, & Deo placens, & grata, sicut & ipsa humanitas; & sicut humanitas assumpta non potest Deo displicere, sic nec actiones ab ea procedentes.

22 Occurrit 1. Durandus, quod licet peccatum non possit immediatè tribui Deo, potest tamen tribui ratione humanitatis, & per communicationem idiomatum, non enim minus repugnat Deo mors, quàm peccatum, cum non minus Deus sit ipsa vita, cui repugnat mors, quàm sit ipsa bonitas, cui repugnat peccatum, & tamen dicitur Deus mori; & mortuus in humanitate, ergo etiam dicetur peccare in humanitate, per humanitatem, seu ratione humanitatis.

23 Sed contra 1. quia non leuiter offendit pias omnium aures dicere, quod Deus peccet, aut peccare possit etiam per humanitatem assumptam, nam peccare, est agere, agere autem est suppositi principalius, at mori non est agere, sed pati, seu animam separari à corpore, quod nõ est suppositi, sed naturæ; vnde in prædicato mortis fit communicatio idiomatum, quatenus prædicata vnius naturæ tribuũtur alteri. At in peccato non fit, nec fieri potest communicatio idiomatum, cum peccatum non sit tantum naturæ, sed naturæ *vt quo*, & suppositi *vt quod*, quod cum in nostro casu suppositum sit diuinum, & non possit esse principium peccati *vt quod*, neque natura poterit esse principium peccati *vt quo*. Tum quia eo ipso, quod natura humana vnitur Verbo, non fit præcisè immortalis; sic tamen confortatur, & sanctificatur sanctitate personali, vt fiat persona cui repugnet elicere actiones Deo repugnantes.

24 Occurrit 2. Isambertus art. 4. post *nu.* 5. quod aliud est aliquid repugnare hypostasi, & aliud repugnare naturæ alienæ; nam vnum non infert aliud: mors repugnat hypostasi Verbi diuini, non tamen repugnat naturæ humanæ assumptæ à Verbo diuino, sic non repugnat naturæ humanæ assumptæ peccare ex eo, quod peccatum repugnat personalitati eiusdem Verbi diuini eam sustentanti. Tum quia natura humana ex vi assumptionis non trahitur ad esse existentiæ, & entitatis ipsius Verbi, ita nec ad modum eius operandi.

25 Sed contra, nam quod repugnat sustentanti naturam humanam, repugnat etiam eidem naturæ humanæ, sed peccatum repugnat hypostasi Verbi diuini sustentanti naturam humanam; ergo etiam repugnat eidem naturæ humanæ sustentatæ. Maior probatur, nam Verbum diuinum vt sustentas naturam humanam, agit per eandem naturam humanam, quatenus actiones quæ sunt à natura humana *vt quo*, procedunt à subsistentia Verbi diuini *vt quod*; ergo quod repugnat sustentanti naturam, repugnat etiam ipsi naturæ. Vnde cum peccare sit agere, & agere sit à supposito vt *quod*, sequitur, quod peccatum repugnabit supposito *vt quod*, ac subinde repugnabit naturæ *vt quo*. Quocirca falsum est quod dicit Isambert. quod scilicet natura humana, non trahatur ad modum operandi Verbi; nam cum trahatur ad suppositum Verbi, trahi debet ad modum operandi illius, cum actiones sint suppositorum. Deinde falsum est, quod non trahatur ad esse existentiæ Verbi, quia naturæ humanæ non cõmunicatur

catur

catur esse existentiæ diuinæ, sed solum trahitur ad modum operandi Verbi, quia sibi communicatur subsistentia illius, vt enim infra dicetur, natura humana trahitur ad esse existentiæ diuinæ.

§. *II. Ponitur alia ratio, & defenditur.*

26 Alia ratio pro nostra concl. traditur communiter à Thomistis, quæ ad sequentem formam reuocatur, nam Verbum diuinum ex vi vnionis hypostaticæ tenetur regere, & gubernare naturam sibi vnitam; ergo peccaret si permitteret peccatum humanitatis sibi vnitæ. Conseq. constat, qui enim tenetur alium regere, & gubernare, peccat, & facit contra regulam, & dictamen rationis permittendo illius peccatum, cum possit illud impedire. Antecedens probatur, nã vnio Verbi diuini ad humanitatem, obligat idem Verbum ad regendam eandem humanitatem, non minus quàm humana voluntas tenetur cohibere motus inordinatos appetitus sentientis; & non minus, quàm anima tenetur gubernare manum sibi vnitam, nec potest sine culpa permittere quod manus tẽdat in aliquod inordinatum, cum manus sit pars huius suppositi. Pariformiter Verbum diuinum tenetur dirigere motus humanitatis à se assumptæ, & non permittere aliquid inordinatum, cum humanitas sit pars huius suppositi, non minus quam manus est pars sui suppositi. Tum quia si in eodem homine essent duæ voluntates, teneretur ille homo vtramque gubernare; vt nullus sequatur motus inordinatus. Et si in eadem persona, vel supposito essent duæ naturæ, teneretur suppositum vtramque regere vt nulla tenderet in aliquid deordinatum; ergo cum de facto in supposito Verbi sint duæ naturæ, diuina, & humana, & ista sit secundum se defectibilis debet ab eodem supposito gubernari, vt nullo modo possit deficere.

27 Occurrit 1. Lugo *disp. 16. sect. 1. n. 12.* quod licet hæc ratio sit cõmunis, & satis plausibilis, non tamen videtur omnino efficax; vnde contra eam arguit 1. ad hominem, nam licet in humanis Dominus teneatur impedire culpas seruorum, Parensque habeat eandem, & maiorem obligationem erga filios, tamen Deus non tenetur in officio, & honestate continere seruos, vel etiam filios suos adoptiuos, sed potest iustas ob causas eorum lapsos permittere; ergo, &c.

28 Arguit 2. nam voluntas tenetur cohibere, si commodè potest, motus inordinatos appetitus sensitiui, etiam si non sint liberi, nec culpabiles, sed naturales, & necessarij; ergo etiam Verbum deberet cohibere motus humanitatis, etiamsi essent naturales, & necessarij, cum tamen fateantur aliqui potuisse de potentia absoluta reperiri aliquos motus inordinatos in appetitu, & voluntate humanitatis assumptæ, naturales, & necessarij, & non culpabiles.

29 Arguit 3. nam voluntas tenetur ita regere appetitum, vt ex eius operatione non sequatur damnum alterius, etiam sine culpa appetitus, & tamen Deus non tenetur ita regere naturam assumptam vt ex eius inculpabili operatione, non sequatur damnum alterius, nam si Deus assumeret naturam ignis, non deberet cohibere ignem ne combureret domum, nisi dicas cum Cabrera, teneri fortè Deum in eo casu cohibere ignem, ne combureret domum pauperis iusti, quod tamen ridiculum est, ergo, &c.

30 Arguit 4. nam non quælibet coniunctio inducit obligationem regiminis, sed illa sola ratione cuius oritur subordinatio, & dependentia vnius ab alio, sed per hoc præcisè, quod duæ naturæ in vno supposito copulentur nullam potestatem, subordinationem, aut dependentiam vna natura habet super operationes alterius; ergo, &c. Si enim homo vniretur hypostaticè cum natura Leonis, nõ magis posset cohibere Leonem, quàm si non esset vnitus. Et si vniretur cum fluuio non teneretur facere, vt non flueret.

31 Arguit 5. nam dato, quod verbum, aut natura diuina ratione vnionis acquirerent aliquam potestatem in actiones humanitatis, non tamen fundaret obli-

obligationem gubernationis; nam dependentia serui à Domino, filij à Patre, vxoris à Viro fundat in certis obligationem gubernationis in Domino, in Patre, &c. non tamen in Deo, qui absolutè dominatur vt possit pro libito licitè permittere ruinam, ac culpas suorum subditorum, & filiorum, quas facilè vitare posset, si vellet, licet hoc non possint facere Domini, parentes, &c.

32 Arguit vltimò, nam voluntas non tenetur regere alias potentias, eo quod debeat aliarum potentiarum culpas vitare, cæteræ enim potentiæ non sunt capaces culpæ; sed quia operationes inordinatæ aliarum potentiarum essent illi culpabiles, & malæ dupliciter. Primò, propter periculum consentiendi; vnde quando nullum esset periculum consentiendi, non esset talis obligatio consentiendi secundum aliquos. In verbo autem nullum est periculum consentiendi permittendo motus inordinatos humanitatis. Secundò non possent esse dicti motus voluntarij, quando deficit in regula rectæ gubernationis qua tenetur regere potentias sibi subditas. Verbum autem non habet hanc obligationem, quia leges, & regulæ rectæ gubernationis, quæ obligant hominem non obligant Deum, cum possit Deus permittere ruinam suorum subditorum.

33 Cæterum ista non ita vrgent vt debeamus relinquere illam communem rationem, vnde ad 1. instantiam, facilis est solutio, nam licet verũ sit, quod Deus non teneatur continere in officio, & honestate seruos, vel etiam filios adoptiuos, sed possit permittere illorum ruinas spirituales, tenetur tamen continere humanitatem assumptam; nam respectu illorum, se habet vt agens vniuersale, at respectu humanitatis se habet vt agens particulare; quando Deus agit vt agens vniuersale respiciens bonum totius vniuersi, permittit defectus, & peccata, at quando agit vt agens particulare non potest illa permittere, vnde ob hanc rationem Angelus non potuit peccare in primo instanti suæ creationis, aliàs peccatum tribueretur Deo. Ob hanc eandem rationem homo non peccat in primo actu v. g. post somnum, quia in eo mouetur à Deo tanquam ab agente particulari. Et sic cum Verbum d. respectu actionum humanitatis se habeat vt agens particulare, maximè cum ad illas concurrat per suum suppositum, non possunt illæ actiones esse malæ.

34 Ad 2. instantiam dico, quod verbum tenetur cohibere etiam motus inordinatos humanitatis, tametsi non sint liberi, sed necessarij, non est enim minor obligatio Verbi diuini, quam voluntatis, sed maior; cum Verbum cõcurrat vt principium *quod* ad illas operationes, non voluntas. Implicat autem, quod Verbum diuinum sit principium *quod* motuum naturalium inordinatorum.

35 Ad 3. instantiam concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem dico teneri Verbũ impedire ne ex humanitate assumpta sequatur damnum tertij etiam per actionem inculpabilem. Vnde si assumeret ignem teneretur impedire ne alterius domum combureret, nisi vellet vt omnium Dominus, eam comburere; neq; hoc debet reputari ridiculum, cum enim tunc Deus se haberet vt agens particulare non posset facere nisi quod facere potest agens particulare, &c.

36 Ad 4. instantiam dico, quod in Christo D. sunt duo quæ tenetur impedire ne natura humana labatur in peccatum. Scilicet suppositum quod ad hoc tenetur immediatè. Cum enim actiones sint suppositorum, sequitur, quod quando suppositum est rationale, tenetur regere, & gubernare actiones naturæ assumptæ, natura diuina ad hoc tenetur mediatè, scilicet mediante supposito. Cum enim natura diuina sit indefectibilis, tenetur regere, & gubernare naturam defectibilem sibi medio supposito vnitam. Sicut si homo assumere posset naturam Leonis, teneretur natura rationalis gubernare naturam rationis expertem. Exemplum habemus in quodam monstro humano vbi erant duo homines à stomacho sursum distincti, & à stomacho deorsum

vni-

vniti, vt vnus homo videretur, quorum vnus erat sui compos, non alius, ille qui erat sui compos regebat, & gubernabat alium. Vnde patet, quod si homo assumeret naturam Leonis teneretur illam cohibere ne alteri noceret. Et si assumeret naturam fluminis teneretur eum cohibere ne inundaret aliorum campos, &c. quod à fortiori de Deo dicendum esset.

37 Ad 5. instantiam patet ex dictis, quod licet Deus possit permittere ruinam suorum subditorum, & filiorum adoptiuorum, cum horum respectu se habeat vt agens vniuersale, non tamen potest permittere ruinam filij sui naturalis, nec humanitatis assumptæ, cum huius respectu se habeat vt agens particulare, ad quod pertinet specialis cura naturæ assumptæ, cuius ruinam si permitteret ipsi tribueretur.

38 Ad vltimã instantiam, etiam patet ex dictis, nã dato, quod voluntas non teneretur motus appetitus sentiẽtis cohibere cum abest periculum consensus. Verbũ tamen diuinum teneretur cohibere motus inordinatos naturæ assumptæ, non ratione periculi, sed ratione coniunctionis, & exitus operationum illius à se tanquam à principio *quod*. Ad illud quod voluntas tenetur regulare motus appetitus non verbum, quia verbum potest illos permittere, &c. patet ex dictis quod possit in alijs, non in humanitate Christi, cum respectu actionum illius se habeat vt agens particulare.

39 Occurrit 2. Vasq. cui non placet illa communis ratio, quod Verbum diuinum non teneatur aliqua peculiari obligatione gubernare humanitatem vt non committat aliquid inordinatum, quod multi probare conatur, maximè quia cum Verbum sit Deus, nulla lege teneri potest. Tum quia hæc gubernatio exerceri debet media voluntate diuina, quæ cum sit communis Patri, & Spiritui S. non magis spectabit ad Verbum, quam ad alias personas diuinas. Quocirca sicut alię personæ diuinæ possunt peccata permittere, quin illis imputentur, ita hoc poterit facere Verbum.

40 Sed contra, quia negari non potest, quin Verbo diuino titulo speciali nõ incumbat regulare, & gubernare humanitatem, cum sit suppositum illius, ex quo tota dignitas, valor, & meritum infinitum desumitur, & tanquam persona quę speciali titulo est Domina operationum humanitatis; ergo, &c. Tum quia licet Verbum diuinum non sit capax legis ab alio superiori latæ, tamen ex suppositione quod voluit assumere humanitatem; ipsum dictamen suæ infinitæ sapientiæ ipsum obligat ad regulandam, regendamque dictã humanitatem, & malè facerent, si per impossibile ipsam non gubernaret, regeretque. Vnde sicut si Verbum diuinum mentiretur, malè faceret, non quia superioris alicuius legem violaret, sed quia operaretur contra dictamen suæ infinitæ sapientiæ dictantis esse malum mentiri; ita, &c. Nec refert, quod hæc gubernatio sit exercenda per voluntatem tribus personis communem, nam illa gubernatio facienda est per dictam voluntatem vt quodammodo appropriatam Verbo, & ad explẽdam ipsius Verbi obligationem ex suppositione assumptionis dictæ humanitatis.

§. III. *Ponuntur duæ aliæ rationes, & defenduntur.*

41 PRobatur 3. nostra sententia, nam gratia vnionis est principium necessarium nullo modo subiacens voluntati creatæ animæ Christi D. respectu operationum eius, ex quo fiebat vt omne opus ab eo profectum, esset sanctum, & Deo gratum; ergo huius ratione nullum potuit esse peccatum in Christi D. humanitate. Antecedens probatur, nam in hoc distinguitur gratia vnionis à gratia habituali in nobis, quod gratia habitualis cum sit habitus, subditur nostræ voluntati; habitibus namque vtimur cum volumus. At gratia vnionis ita sanctificabat animam Christi, vt eius sanctitas non subijceretur voluntati Christi, sed potius eam sibi subijceret, vt non posset tendere in aliquod inordinatum.

Absur-

Absurdum namque esset dicere, quod vnio hypostatica liberæ Christi voluntati subijceretur, vt posset eam expellere cũ vellet, vt possumus nos expellere gratiã sanctificantem pro nostra flectibilitate.

42 Occurrit Isambert. *art. 4. vers. Quartus modus*, quod hæc ratio non probat sufficienter impeccabilitatem, & implicationem huius vnionis ad peccatum, siue committendum, siue commissum; ad summum enim probat, quod hic homo detinendo vnionem hypostaticam non potuerit peccare, non tamen probat, quod manens humanitas immutata sibi præcaueret à peccato, & ita dirigeretur, vt ne in minimum quidem peccatum incideret. Tum quia sicut iustus non potest peccare mortaliter retinendo gratiã habitualem, potest tamen eam perdendo; ita natura humana cum solis perfectionibus naturalibus assumpta peccare poterit perdendo dictam vnionem hypostaticam. Nec repugnat quod Verbum assumat naturam humanam cum hac saltem tacita conditione, quod si peccet, desinat assumptio, & sic vnio hypostatica potest subdi libertati voluntatis creatæ, &c.

43 Sed contra, nam illa ratio si rectè expendatur etiam probat, quod non possit hic homo peccare immutata manente humanitate, nam discrimen assignatum inter vnionem hypostaticam, & gratiam sanctificantem, id ipsum conuincit; gratia namque sanctificans non sibi subdit pro hoc statu nostram voluntatem, sed subditur voluntati, at gratia vnionis est tantæ excellentiæ, vt sibi subdat voluntatem, vt non permittat eam exhorbitare; non enim gratia vnionis eleuat naturam humanam solum ad ordinem gratiæ, sed ad superiorem, scilicet ad ordinem vnionis hypostaticæ, qui excedit non solum gratiam vialem, sed etiam consumatam. Vnde sicut gratia cõsumata subdit sibi voluntatem, vt peccare non possit eam amittendo, ita gratia vnionis sibi subdit eandem voluntatem, vt nullo modo peccare possit. Tum quia gratia vnionis non quomodocumque sibi subdit voluntatem, sed inuertibiliter, aliàs non esset maioris virtutis quàm gratia viæ, ac proinde implicabit, quod Deus assumat naturam humanam cum illa conditione vt si peccet, cesset assumptio.

44 Probatur 4. non repugnat, quod humanitas ita fiat sancta per subsistentiã Verbi Diuini, vt repugnet illi omne peccatum etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam; ergo, &c. Antecedens probatur, personalitas Verbi est sanctitas quædam personalis, qua maior excogitari nõ potest, ac proinde talis vt excludat potentialitatem ad peccandum in ea natura quam personaliter sanctificat; ergo, &c. Sanctitas namque simpliciter infinita, vt est sanctitas personalis Verbi diuini debet excludere quamcumque potentiam ad peccandum.

45 Occurrere possent aduersarij hoc argumento solum probari, quod non possit humanitas peccare retinendo dictã sanctitatem personalem, non eam amittendo. Nam contra est, quia licet humanitas peccare posset, si dimitteretur prius antequam peccaret, non tamen potest prius peccare, & sic dimitti, ad hoc enim esset necesse, quod cũ ipsa vnione maneret potentia proxima ad peccandũ, eo modo quo homo iustus eam habet. At si Christus D. posset peccare, vt propter suum peccatum dissolueretur vnio hypostatica, iam conseruaret potentiam proximam ad peccandum, quod constat esse falsum.

46 Ex quo sequitur, quod si verbum diuinum assumeret naturam humanam aliquo peccato infectam, statim ab illo mundaretur, cum componi non possit macula peccati cum vnione hypostatica in eadem natura. Ratio est, quia adueniente gratia vnionis, quæcumque culpa expelli debet à natura, aliàs non sanctificaretur perfectissimè sanctitate personali, quod non stat cum vnione hypostatica. Tum quia natura personaliter vnita verbo non potest non esse gratissima Deo cum omnibus suis actionibus, ergo impossibile est, quod in ea sit aliquid per quod odio Deo habeatur.

§.IV. *Soluuntur argum. in contrarium.*

47 PRimum argum. erat cuiusdam Augustini de Roma Episcopo Nazareno, nam quotidie peccant membra Christi, scilicet homines; ergo quotidie peccat Christus. Conseq. probatur, nam peccata membrorum, non possunt non esse peccata capitis; ergo, &c. Resp. distinguendo antecedens: quotidie peccant membra Christi, vt membra, negatur: vt homines fragiles, & imperfecti, conceditur. Nullus namque peccat qua membrum Christi, sed qua homo fragilis, & imperfectus, & de materiali est, quod peccans sit membrum Christi siue actu, siue potentia.

48 Secundum argum. nam peccabilitas est inseparabilis ab humanitate; sequitur enim peccabilitas naturam rationalem prout est ex nihilo; eò namque ipso quod natura rationalis, est ex nihilo; est defectibilis à regula rationis. Resp. quod cum inquirimus, an Christus D. sit peccabilis, an beati sint peccabiles, non loquimur de peccabilitate omnino remota, quæ sequitur naturam prout est ex nihilo, quæ peccabilitas remota etiam in beatis reperitur, sed loquimur de peccabilitate proxima, quatenus humanitas Christi, & beati habent potentiam expeditam secundum se ad peccandum, non quidem ad componendum peccatum cum vnione hypostatica, aut cum beatitudine, sed ad ponendum peccatum secundum se, & de facto ponerent nisi obstaret impedimentum dictæ vnionis, aut beatitudinis, & hanc potentiam proximã negamus, licet concedamus potentiam remotam, quæ nihil aliud est quam ipsa natura secundum se defectibilis, vt in 1.2. *de beatitud.* explicuimus.

49 Tertium argum. nam videtur pertinere ad maiorem laudem posse peccare, & non peccare, quam non posse peccare, vt colligitur ex illo Eccl. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino, &c.* ergo debet hoc concedi Christo D. quod scilicet potuerit peccare, & non peccauerit. Tum quia in eodem loco dicitur de eo qui potuit transgredi, & non est trangressus, quod *erit illi gloria æterna.* Vnde maximè laudandus est Christus Dom. ex eo quod nullum peccatum commiserit, non esset autem laudandus, si peccare non potuisset. Resp. distinguendo antecedens: videtur pertinere ad maiorem laudem posse peccare, & non peccare, in eo qui re ipsa habet potentiam peccandi. Supposita namque potentia peccandi, est maxima laus non peccare conceditur: videtur pertinere ad laudem maiorem posse peccare, seu habere potentiam ad peccandum, quam non habere, negatur. Impeccabilitas est maxima perfectio, & peccabilitas est imperfectio consequens rem prout est ex nihilo. Laudatur autẽ Christus D. ex eo quod non peccauit, non quia peccare posset, sed quia ita erat affectus, & dispositus, quod etiam si peccare potuisset, non peccasset.

50 Quartum argu. nam si ob aliquã rationem Christus D. peccare non potuisset maximè quia eius peccatum refunderetur in Deum; sed hoc non est verum; ergo, &c. Minor probatur, nam Verbum diuinum non tenebatur regulare humanitatem, vt non peccaret, vel in aliquid deordinatum tenderet; ergo peccatum Christi D. non refunderetur in Deum. Antecedens ostenditur, nam Verbum diuinum non tenebatur impedire peccatum, nec ratione coniunctionis, nec ratione terminationis; non ratione coniunctionis, quia ex illa coniunctione non fuit natura immutata, sed vtraque natura propria conseruat iura, & prædicata, non ratione terminationis, quia hæc solum se habet vt conditio ad agendum, non vt principium agendi. Tum quia ex dictis solum sequitur, quod dicta humanitas non peccabit, non tamen sequitur, quod non habeat potentiam peccandi.

51 Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem negatur antecedens. Ad cuius probationem dico, quod Verbum diuinum tenebatur impedire peccatum humanitatis tum ratione

tione coniunctionis, tum ratione terminationis; ratione coniunctionis, quia vt supra dicebamus quoties duæ naturæ sunt in eodem supposito, vna tenetur impedire mala alterius. Ratione terminationis, ne suppositum cōcurrat ad actionem malam naturæ, siue concurrat vt conditio ad agendum, siue vt ratio agendi vt *quod*, de quo infra. Ad illud quod dicitur, quod solum sequatur, quod non peccabit, dico quod & sequitur quod non peccabit, & quod non habeat potentiam proximam peccandi, cum hæc repugnet tum cum dicta coniunctione, tum cum dicta terminatione, vt ex dictis liquet.

52 Quintum argum. nam permittere peccatum non est intrinsecè malum; ergo à Verbo diuino potest in humanitate assumpta permitti. Antecedens probatur, tum quia aliàs non posset permitti in nobis. Tum etiam quia videtur ratio specialis ad permittendum peccatum in humanitate assumpta, vt ad ostendendam veritatem dictæ humanitatis, ad ostēdendam libertatem arbitrij illius, ad commendandam diuinæ gratiæ virtutem, ad animandum nos ne desperemus, cum in peccata incidimus, &c. Resp. distinguendo antecedens: permittere peccatum in naturis separatis, non assumptis, non est intrinsecè malum, conceditur: in natura assumpta, negatur. Ex suppositione namque assumptionis tenebatur Verbum diuinum non permittere peccatum in natura illa assumpta, vt ex dictis constat.

§. V. Soluitur 6. argum. ex libertate ad obediendum petitum, vbi alia resoluuntur.

53 Sextum argum. in ordine est, nam Christus D. poterat suo Patri non obedire, non moriendo, cum moriendi præceptum, seu obedientiam haberet; sed hoc est posse peccare; ergo poterat peccare; non obedire namque Patri, est peccare, cum vel obedientia est de re graui, vt in nostro casu, aut cum est in præcepto. Maior probatur, quia Christus D. poterat non mori, cum liberè, & non necessariò sit mortuus; at posse non mori, est posse non obedire; ergo, &c. Minor constat, qui enim ad aliquid tenetur, & liberè potest illud ponere, & non ponere, potest obedire, & non obedire. Maior etiam constat ex illo Ioan. 10. *Ego pono animam meam, & iterum sumo eam: nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.* Vbi, vt vides, & habuit mandatum ponendi animam, seu moriendi, & habuit potestatem non moriendi, seu potuit non mori, & sic potuit non obedire, ac subinde potuit peccare. Si enim stante præcepto de morte non fuisset mortuus, iam peccasset, actu transgrediendo præceptum; ergo cum potuerit non mori, seu cum potuerit transgredi præceptum potuit peccare; posse namque peccare, est posse præceptum transgredi.

54 Resp. distinguendo maiorem: Christus Dom. poterat non obedire Patri, negatiuè, conceditur, poterat enim non mori secundum se. Poterat non obedire contrariè, seu priuatiuè, negatur, non enim poterat non obedire, prout non obedire opponitur præcepto de obediēdo. Vt enim diximus in 1. 2. dupliciter potest aliquis ponere actum, vel non ponere. Primò negatiuè, seu secundum se. Secundò priuatiuè, seu contrariè. Ad peccandum contra aliquod præceptum nō sufficit ponere, vel posse ponere actum secundum se, sed requiritur quod ponatur vt est contra præceptum. Pro quo nota ex dictis eodem loco, quod libertas est duplex, alia contrarietatis, & alia contradictionis. Libertas contrarietatis est ad ponendum hoc, vel eius oppositum. At libertas contradictionis, est ad ponendum, vel non ponendum hoc secundum se, non prout opponitur legi, præcepto, prohibitioni, &c. In Christo Dom. ad non moriendum, ad obediendum, &c. fuit libertas contradictionis, non contrarietatis. Fuit libertas ad moriendum, & non moriendum secundum se, vt præscindit à præcepto, non fuit libertas ad moriendum, & non mo-

riendum, prout mori opponitur præcepto de moriendo. Vel dicas, & in idem recidit, quod Christus D. potuit non mori in sensu diuiso, non in sensu composito, componendo non mori, cum præcepto de morte. Vnde sicut si non moreretur stante præcepto de morte peccaret, quia componeret non mori, seu non mortem cum præcepto de morte, ita si posset non mori stante præcepto de morte, posset peccare, quia posset componere præceptum de morte, cum non morte. At non est iste sensus compositus necessarius ad libertatem, sed sufficit sensus diuisus, vt potuerit non mori secundum se, non coniungendo non mori cum præcepto de ipso mori.

55 Sed quæres 1. an Verbum diuinum potuerit assumere naturam, quæ antea peccasset in proprio supposito? Resp. ex dictis affirmatiuè, tamen in ipsa assumptione mundata, & sanctificata fuisset, saltem sanctitate personali si eam assumeret in puris naturalis, vel si illi nullum conferret gratiæ donum, quod fieri posse constat ex dictis supra; non enim tunc fit aliquid indecens, sed decens; decet namque quod Deus mundet, & sanctificet naturam aliquam à peccato.

56 Quæres 2. an in casu quo Deus assumeret naturam, quæ in proprio supposito prius peccasset; posset admitti ista propositio: *Deus peccauit?* Affirmat Vasq. hoc loco, dicens eam propositionem fore veram propter communicationẽ idiomatum, nam tunc assumeretur à Verbo idem numero homo qui peccauerit, & qui postea dicitur Deus; sed de illo diceretur, quod peccauit, ergo etiam hoc dicetur de illo qui est Deus. Valet enim dicere. *Hic idem numero homo peccauit; hic idem numero homo est Deus; ergo Deus peccauit.* Humanitas namque in duobus suppositis successiuè existens, non constituit duos homines, sed vnum, de quo vno possunt dici quod est Deus, & homo, ac proinde quod & homo, & Deus peccauit.

57 Sed oppositum omnino dicendũ est, nam licet sit idem numero homo ante & post assumptionem propter numericã naturæ humanæ vnitatem, non tamen fit communicatio idiomatum de ijs quæ ante, & post assumptionem illi homini conuenit. Communicatio namque idiomatum fit ratione duarum naturarum in eodem supposito existentium, non existentium in diuersis suppositis, maximè quoad operationes, quæ omnino requirunt tale suppositum creatum, vt est peccare, hæc enim nõ possunt postea tribui supposito diuino adueniente. Sit exẽplum, nam si tres personæ diuinæ assumerent eandem naturam, tunc de hoc homine dici posset quod generet, vt dicit suppositum Patris, non tamen hoc dici posset de Filio, ex eo quod dicatur de isto homine, qui etiam esset Filius, quia generare conueniret huic homini ratione suppositi Patris, & repugnat supposito Filij.

DVBIVM III.

An in Christo D. fuerit fomes peccati

58 Notandum 1. quod fomes peccati nihil est aliud, vt docet S. D. infra *q. 27. art. 3.* quam inclinatio appetitus sensitiui, in id quod est contra rationem, & dicitur fomes eo quod sit quasi fomentum, & tortis, qui peccati materiam præbet voluntati, & ad illud accendit. Dicitur inclinatio appetitus sensitiui, quia ibi potissimè fomes sedem habet; absolutè tamen in omnibus potentijs reperitur, quæ aliquid de libertate participant. Vnde fomes in tota sua latitudine est inclinatio, & motus non tantum appetitus sensitiui, sed etiam aliarũ potentiarum animæ, quæ aliquid libertatis participant, in obiecta contra, vel præter legem rectæ rationis; v. g. intellectus voluntatis, phantasiæ, &c. Hæc inclinatio in ratione fomitis immediatè prouenit ex priuatione iustitiæ originalis, at mediatè ex peccato originali. Vnde fomes supra dictas potẽtias nihil addit nisi hanc imperfectionem quod sunt causa proxima peccati, quod præueniunt rationem, quod moueant contra rationem, vel præter dictamen rationis. Hæc imperfectio vt prouenit

uenit ex nuda natura non constituit fomitem, sed est naturalis inclinatio eiusdem naturæ. Sed est fomes quatenus est in nobis ex priuatione iustitiæ originalis, qua ratione dicitur effectus peccati originalis ex Tridentino *sess. 5. cap. 5. de peccato originali.*

59 Notandum 2. quod fomes duobus modis potest considerari, scilicet in actu primo, & in actu secundo. Fomes in actu primo est ipse appetitus, seu sunt potentiæ, dictæ libertatis capaces prout habent inclinationem iam explicatam in actu primo, seu prout mobiles, & expeditę sunt proximè ad eliciendos suos actus cōtra, aut præter dictamen rationis, illam præueniēdo. At fomes peccati in actu secundo est ipsamet actualis inclinatio, seu motio dictarum potentiarum in sua obiecta contra, vel præter rectæ rationis dictamen. His positis.

60 Prima sētentia est, quod in Christo D. fuit fomes peccati, sic tenuit quidem Theologos Mopsuestēsis cuius propositiones damnatæ fuerunt in Concil. Generali *art. 8. can. 12.* Idem tenet Durandus *in 3. dist. 3. q. 3.* quatenus docet quod non possit manere in aliquo appetitus sensitiuus, & non maneat fomes: Quocirca, etiā in Christo fuit fomes licet ligatus, & impeditus ne in actum suum exiret.

61 Vera, & catholica sententia seq. concl. explicatur. *In Christo D. non fuit fomes neque quoad actum secundum, neque quoad actum primum.* Hanc conclusionem docet S.D. *hic art. 2.* quem omnes eius expositores sequuntur, & videtur definita in dicto Concilio V. Gener. loco citato, vbi inter alios errores Theodori Mopsuesteni, damnatur iste, quod Christus D. fuit molestatus animæ suæ passionibus, & cōcupiscentijs carnis. Et sic docent Sancti Patres, quod scilicet in Christo D. non fuerit fomes. Videri possunt S.P. Aug. *lib. 1. contra duas Epist. Pelag. cap. 11. lib. 2. de pecc. merit. & remiss. cap. 24.* S. Leo Papa *Epist. 21. ad Iulianum Episc. Caersem.* N. S. P. Cyrillus *lib. 3. Pentabiblij.* N. Damasc. *lib. 3. de fide cap. 20.* & alij passim.

62 Quod fomes peccati non fuerit in Christo D. quoad actum secundum, constat ex dictis duobus dubijs præcedentibus; cum enim in Christo D. non fuerit, nec esse potuerit aliquod peccatum quātumuis leuissimum, sequitur, quod in eo non fuerit fomes peccati in actu secundo, qui nihil est aliud vt diximus *n. 59.* quam motus appetitus sensitiui, aut alterius potentiæ rationalis libertatis capacis, contra, vel præter rationem. Vnde in 6. Synodo Generali *art. 11. in Epistola Sophronij* sic decernitur. *Christus erat humanarum passionum, & actionum reconditor, & arbiter, & non recipiebat illas necessitate, & inuoluntariè, sed quando, & quantum consulebat, & annuebat.* Non enim appetitus sensitiuus, & cœteræ potentiæ erant minus subditæ rationi in Christo D. quàm essent in Adam in statu innocentiæ, sed magis ob gratiam perfectiorem quam habuit.

63 Sed dices 1. nam Christus D. per Apost. *hebræ. 4* voluit tentari per omnia; sed modus potissimus tētationis, est motus concupiscentiæ, & carnis, seu fomitis; ergo in eo fuit motus fomitis. Resp. quod Christus D. voluit per omnia tentari, sed absque peccato, vt dicit idem Apostolus ibidem. Vnde Christus D. voluit tentari ab hoste, sed non à carne, quia hæc tentatio, vel non fit absque peccato, vel saltem raro, vt diximus *in 1. 2.* in Christo tamen semper fuisset cum peccato, quia semper potuisset eam præuenire, non sic nos.

64 Dices 2. quod Christus D. per appetitum sensitiuum appetebat non mori, sed hoc erat contra rationem, & præceptum Dei; ergo erat in illo fomes quo tenderet contra id quod est contra rationem, &c. Hinc S. D. *infra q. 41. art. 3. ad 2.* & alij Patres tenent, quod Christus D. præter tentationes visibiles Dæmonis, passus fuit alias inuisibiles, sed istæ sunt internæ, ergo. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem; appetitus namque sensitiuus Christi D. appetebat non mori præcisè vt erat malum naturæ, vt est quid formidabile, & terribile, iuxta illud Phil. *Mors est vltimum terribilium*

bilium; & hac ratione ille appetitus non erat malus, sed bonus, cum esset actus conformis naturæ sensitiuæ, quæ est bona. Tum quia ille actus non erat absolutus, & efficax, sed simplex quædam displicentia, cum qua stat actus efficax moriendi, & obediendi rationi superiori præcipienti, &c. Nec D. Thomas, nec alij Sancti Patres admittunt in Christo tentationes internas excitatas à dæmone in appetitu, aut in imaginatiua, sed admittunt alias tentationes dæmonis inuisibiles, quia non immittebat vt apparebat in aliqua forma visibili, licet non tentaret nisi per signa externa.

65 Quod autem fomes peccati non fuerit in Christo D. quoad actum primū, probatur 1. nam fomes peccati, vt dicit S. Doctor *ar.* 2. non datur vbi dantur virtutes morales in gradu heroico, & perfectissimo; sed in Christo D. fuerunt virtutes morales in gradu heroico, & perfectissimo; ergo in Christo D. non fuit fomes in actu primo. Minor constat. Maior probatur, nam fomes in actu primo est inclinatio in id quod est contra rationem, vt notauimus, at in eo qui habet virtutes in gradu perfectissimo, non datur inclinatio ad id, quod est contra rationem; ergo, &c. Minor probatur, nam virtus moralis minuit inclinationem contra rationem, cum subdat potentiam in qua est, rationi; ergo cum virtus crescit vsq; ad gradum heroicum, totaliter absterget illam inclinationem.

66 Probatur 2. nam Christus D. eos solum defectus assumpsit, qui ordinabantur ad finem redemptionis, ac proinde nullam inuoluunt indecentiam; sed fomes inuoluit non leuem indecentiam, & ad redemptionis finem non deseruit; ergo, &c. Minor probatur, nam ad redemptionē non deseruiunt defectus ad malum inclinantes, sed à malo detrahentes, & inclinantes ad bonum, vt patet. Inuoluit etiā fomes maximam indecentiam, cum sit quædam inclinatio ad malum, quæ in eo poni non debebat, qui erat Doctor, & Magister omnis boni. Hinc Apostolus de hoc vno fomite, seu concupiscentia non semel conqueritur; vnde dicebat: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & trahentem me, &c.* Soluuntur argum. in contr.

67 Primum argum. nam Christus Dom. debuit assumere omnes illos defectus, qui non repugnant gratiæ, & perfectioni scientiæ, vt *disp. præcedenti* notauimus cum D. Thoma; sed fomes est defectus non repugnas gratiæ, & perfectioni scientiæ; ergo fuit assumptus. Minor probatur, nam fomes in actu primo non est aliud nisi quædam tentatio, seu inclinatio ad obiectum contra, vel præter rationem, sed hæc inclinatio, seu tentatio non est mala, alias in actibus primis esset peccatum, & malum; ergo, &c. Resp. negando minorem; repugnat namque perfectioni gratiæ habere illam inclinationem ad malum, quæ est quædam tentatio in actu primo. Pro quo nota duplicem esse tentationem, internam scilicet, & externam. Interna repugnat perfectioni gratiæ, & virtutum, vt diximus, & hæc fit per fomitem peccati, seu per potentias animæ inclinantes, vel excitantes ad aliquod bonum contra, vel præter rationem. Externa fit à mundo, vel diabolo proponente peccatum, aut bonū contra, vel præter dictamen rationis per aliquod signum externum, & hæc cum sit exterior, potuit esse in Christo, & non repugnat gratiæ, nec perfectioni scientiæ.

68 Secundum argum. fomes non est peccatum, sed pæna peccati, ex Trident. *sess.* 5. *in decreto de peccato originali*; sed Christus Dom. sumpsit alias pænas peccati, vt mortalitatem, passibilitatem, &c. ergo etiam fomitem. Resp. ex dictis, quod Christus Dom. non assumpsit omnes pænas peccati, sed illas, quæ non repugnāt perfectioni gratiæ tum habitualis, tum vnionis hypostaticæ, & perfectioni scientiæ, tum beatæ, tum infusæ, cuius generis non sunt fomes, & concupiscentia. Tum quia eos solum defectus assumpsit, qui sūt ordinabiles ad finem nostræ redemptionis, & satisfactionis.

69 Tertium argum. nam fomes peccati, seu concupiscentia est naturalis inclina-

clinatio appetitus sentientis, vt est in appetitu sensitiuo, ad obiecta sensibilia cōtra rationem; sed iste appetitus mansit in Christo Dom. ergo & fomes. Minor probatur, nam appetitus sensitiuus Christi D. est eiusdem rationis cum nostro; sed noster tendit in obiectum sensibile siue conforme, siue difforme rationi; ergo, &c. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem; in nobis namq; appetitus sensitiuus inclinat ad obiecta sensibilia siue sint conformia rationi, siue non; at in Christo tendit in obiecta sensibilia vt sunt rectæ rationi conformia. Vnde licet appetitus sensitiuus in Christo, & in nobis sit eiusdem rationis, & speciei quantum ad hoc quod est tendere in obiecta sensibilia secundum se, diuersificantur tamen prout noster tendit in obiecta sensibilia tam secundum se, quam contra vel præter rationem, prout habet connotare carentiam iustitiæ originalis aliàs debitæ, & per peccatum amissæ. Vnde in nobis inclinatio appetitus dicit potentiam paratam, & expeditam ad actum circa sensibilia contra rationem. At in Christo D. inclinatio appetitus dicit potentiam paratam, & expeditam ad actum circa sensibilia conformiter ad rectam rationem.

70 Igitur nomine fomitis, seu concupiscentię, intelligimus potentias capaces libertatis, non vtcumque sed vt dicunt inclinationem ad tendendum in sua obiecta contra, vel præter dictamen rectæ rationis. At prout per fomitem communiter intelligitur appetitus sensitiuus non vtcumque sed vt prossimè dispositus, & expeditus, vt sibi relictus possit exire in actum contra rationem, & inclinare ad peccatum, nullo modo fuit in Christo D. mansit quidem in eo dictus appetitus, sed non ita dispositus, sed correctus, refrenatus, & omnino sanatus. Origo namque fomitis non fuit in Christo D. scilicet peccatum originale. Tum quia non decuit, quod in Christo D. aliquid esset, quod ad peccatum inclinaret. Tum quia, vt dicebamus in eo fuerunt perfectissimi habitus virtutum moderantes appetitum. Tum quia eius ratio erat perpetuò vigilans, vnde semper præueniebat obiecta, quæ possent mouere, & excitare appetitum. Tum denique quia Christi D. voluntas habebat plenissimum, ac perfectissimum dominium supra omnes suas potentias ratione vnionis ad Verbum.

71 Sed quæres, an fomes in Christo Dom. fuerit verè extinctus, an tantum ligatus? Resp. fuisse extinctum, & non tantum ligatum. Pro quo nota, quod ista duo multò differunt scilicet fomitem esse extinctum, ac esse ligatum; nam esse extinctum dicit non esse potentiam expeditam, & paratam, seu dicit appetitum non esse proximè dispositum, & expeditum, vt si sibi relinquatur non habeat quo possit exire in actum contra, aut præter rationem. At esse ligatum dicit appetitum esse expeditum, vt si sibi relinquatur, prorūpere possit in actum contra, vel præter rationem, licet aliunde possit detineri ne prorumpat, vel per negationem concursus, vel per subtractionem, aut remotionem obiectorum, & occasionum, quibus proponi potest aliquid trahens, & eliciens appetitum, ipsumque inclinans ad peccatum. Noto tamen, quod neque in proprietate sermonis dici potest, quod in Christo fomes fuerit extinctus, sed dici debet, quod non fuerit, nam dum dicitur quod fomes fuit extinctus, significatur, quod saltem in aliquo priori fuerit, & quod postea sit extinctus, quod omnino falsum est, tamen quia cōmuniter Theologi illo modo loquendi vti solent, ideo etiam nos eo vtemur seruato semper debito intellectu.

DVBIVM IV.

Per quid fomes sit extinctus in Christo D. seu per quid impeditus est fomes, ne esset in Christo.

72 HOc dubium excitatur potissimè in gratiam Patris Vasq. hoc loco *disp.* 61. *cap.* 8. vbi impugnat rationem D. Thomæ, dicitque eam non esse efficacem. Ratio qua D. Thom. probat, quod in Christo D. non fuit fomes est

est, quia in Christo D. fuerunt virtutes morales sicut & gratia in gradu perfectissimo, quando autem virtus est in gradu perfectissimo totaliter sibi subijcit appetitum vt non inclinet in aliquid rationi cōtrarium, quod est de ratione fomitis. Hanc rationem impugnat Vasq. nam gratis dato, quod in appetitu sensitiuo sint virtutes, adhuc non possunt reprimere omnes motus eiusdem appetitus illiusq; inclinationem ad eos omnino impedire, sed solum possunt eam minuere, non quidem intrinsecè, sic enim tandem finiretur, sed extrinsecè, vt nunquam finiatur, aut extinguatur, eo modo quo dicitur de habitibus vitiorum, quod minuant inclinationem virtutis, sed non extinguunt, quia non intrinsecè, sed extrinsecè tantum minuunt dictam inclinationem ad virtutem.

73 In primis noto, quod etiam si ratio D. Thomæ non conuinceret adhuc in Christo Dom. fomes non fuisset, eodem namque modo, ijsdem causis, & principijs peccati, fomes est in Christo D. extinctus, quo & quibus principijs, & causis eius humanitas facta est impeccabilis. Vndè sicut prima ratio impeccabilitatis est vnio hypostatica cum qua peccatum omnimodam habet repugnantiam: ita prima ratio extinctionis fomitis, est eadē vnio hypostatica, cum qua fomes peccati omnino repugnat. Implicat namque quod in persona sanctissima detur inclinatio ad malum. Quocirca aliqui non assignant pro causa dictæ extractionis, neque visionem beatam, neque virtutes in gradu perfectissimo, neque optimam corporis Christi D. complexionem, cum de potentia absoluta potuerit Verbum diuinum assumere naturam humanam in puris naturalibus sine vllo dono siue supernaturali, siue naturali.

74 Quia tamen S. D. non loquitur de casu possibili, sed de facto, an scilicet de facto fomes etiam extinctus sit per virtutes, quas in gradu perfectissimo habuit, non excludendo vnionem hypostaticam, nec visionem beatam, ideo quærimus, an hæc ratio D. Thomæ probet efficaciter, quod scilicet in Christo D. fomes etiam extinctus sit per virtutes in summo gradu receptas.

75 Rationem D. Thomæ optimè defendit Caiet. hoc loco, cæterique Thomistæ, quam vt etiam nos defendamus notandum est, quod vt diximus *de gratia disp. 5. q. 6. à n. 43.* virtutes morales acquisitæ subijciunt partem inferiorem rationi, quando sunt in statu heroico, quod etiam cognouit Aristoteles *lib. 7. Moral. Nicomachorum*, vbi duos ponit habitus contrarios, scilicet *feritatis, & virtutis heroicæ*; per habitum feritatis illum statum intelligit quem habent homines non dissimiles feris in moribus, quatenus scilicet sunt omnibus vitijs, prauisque inclinationibus infecti, per quam vitiorum infectionem ferino more operātur, & viuunt cum omnimoda libertate passionum. At per virtutem heroicam dicto feritatis vitio oppositam, illum hominis statum intelligit, in quo homo supra naturæ modum se habet, & operatur, scilicet cum totali suarum passionum dominio, destructo suo modo fomite, seu inclinatione ad malum. Teneat lector Aristotelis verba contra Vasq. in fauorem rationis D. Thomæ. *Post hac alia sumpto initio dicendum est, rerum circa mores fugiendarum tres species esse: vitium, incontinentiam, & feritatem, quæ duobus quæ sunt contraria manifestum est; alterum enim virtutem, alterum continentiam vocamus. Feritati autem maximè contraire quisque diceret virtutem, quæ supra nos est, heroicam quidem, ac diuinam, quemadmodum Homerus Priamum de Hectore dicentem inducit, quod valde erat bonus.*

Non hominis mortalis filius ille
Esse videbatur, sed magna ex stirpe
Deorum.

Quod si ex hominibus, sicut dicunt, ob virtutis excellentiam diuini efficiuntur, huiusmodi quidem esset habitus, qui feritati opponitur. Nam sicut bestia neque vitium est, neque virtus; ita neque Dei, sed hoc præstantius quid virtute, illo diuersum quoddā à vitio genus est.

76 Sed audiat lector egregiam huius

Ari-

Aristotelici testimonij explicationem D. Thomæ ibi in suo commentario. *Considerandum est*, inquit Angelicus, *quod anima humana media est inter superiores substantias quibus communicat per intellectum, & animalia bruta, quibus communicat in sensitiuis potentijs. Sicut ergo affectiones sensitiuæ partis aliquando in homine corrumpuntur vsque ad similitudinem bestiarum, ita etiam rationalis pars quandoque in homine perficitur vltra communem modum humanæ perfectionis, quasi ad similitudinem substantiarum separatarum, & hæc nominatur virtus diuina supra humanam virtutem & communem, &c.*

77 En quomodo virtus moralis acquisita ex Aristotele, & D. Thoma potest adeo crescere, vt cum ad heroicæ statum peruenerit, totaliter sibi subdat passiones, & ad statum substantiarum separatarum hominem appropinquare faciat, vbi nec fomes, & concupiscentia, nec malæ inclinationes dantur. Quod si hanc perfectionem concedunt Aristoteles, & D. Thomas virtutibus moralibus acquisitis; multò fortius hæc virtutis perfectio concedi debet, gratiæ, charitati, & virtutibus moralibus infusis, quod scilicet possint à Deo in tali gradu infundi, vt ex quadam diuinitatis participatione, carnem taliter sibi subdant, vt illius appetitum adeo coerceant, vt nũquam à ratione discordet. Hanc diuinitatis participationem vocamus fluentiam, seu redundantiam quandam, & est quidã modus, quoddam robur, quædam earumdem virtutum firmitas, quæ est quædam participatio illius firmitatis, & roboris, quod habent virtutes ex gratia consumata in cælo; hanc firmitatem habebant virtutes in anima Christi Dom. maximè cum essent actu coniunctæ cum gratia consumata, ac proinde optimè inferre potuit D. Thomas, quod extinctio fomitis in Christo procederet etiam ex maxima perfectione virtutum moralium infusarum, quæ perfectio non est earundem virtutum intensio, sed est ille modus, illa perfectio explicata, & per hæc remanet explosum fundamentum Vasq.

DVBIVM V.

An fomes potuerit esse in Christo D. de potentia absoluta.

78 PRima sententia est, quod in Christo D. potuit esse fomes peccati de potentia Dei absoluta, non quidem in actu secundo, sed in actu primo; quia licet repugnet quod in Christo D. sit actu peccatum, etiam de potentia Dei absoluta, potest tamen esse inclinatio ad peccatum, scilicet fomes. Sic Vasquez *disp. 61. cap. 8.* tenere videtur, quem aliqui ex suis sic interpretantur, & sequuntur. Secunda sententia dicit, quod Deus potuit assumere fomitem ligatum, sed non extinctum, seu in Christo potest esse fomes ligatus, sic Ragusa *disp. 115.* & alij.

79 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Neque per absolutam Dei potentiam potuit in Christo esse fomes peccati.* Hæc est sententia Thomistarum, vt testatur Cipullus *hic art. 2. dub. 3.* eam tenent Suarez *disp. 34. sect. 2.* Isambertus *adq. 15. disp. 2. art. 5.* vbi testatur de sententia communi discipulorum D. Thomæ.

80 Cardinalis de Lugo *disp. 26. sect. 5.* Orlandus *tract. 4. disp. 3. q. 2. n. 21.* & alij, duo dicunt. Primò, quod in natura assumpta potuerunt dari aliqui motus inordinati circa obiectum non dissonum rationi, quia hi motus non dicerentur, nec essent fomes, cum non incitarent ad malũ, sed ad bonum; de facto tamen hi motus non fuerunt in Christo D. quia de facto nullum habuit actum appetitus, nisi præueniente ratione; de potentia tamen absoluta habere potuit. Secundò dicunt, quod loquendo de motibus circa obiectũ dissonum, neque de potentia absoluta potuerunt esse in Christo, quia supposito incumbit obligatio regendi propriã naturam, ne peccet, ac proinde cohibendi motus inordinatos, quos cohibere potest; nam sicut voluntas tenetur eos cohibere in alijs potentijs, ita Verbum in natura assũpta.

81 Licet fomes accipi possit prout dicit solum motus inordinatos in obiectũ dissonum, nihilominus hoc loco accipitur

in ampliori significatione, vt dicit, quemcumque motum inordinatum, seu quatenus dicit etiam motum in obiectum aliàs consonum, sed præuenit rationis aduertentiam. Vnde dicimus quod in Christo D. non solum non potuit de potentia absoluta esse fomes peccati vt dicit motum, seu inclinationem ad obiectum rationi dissonum, sed etiam vt dicit motum in obiectum consonum, sed rationem præuenientem.

82 Probatur 1. concl. quod non potuerit esse in Christo Dom. fomes vt dicit motum, seu inclinationem ad motum in obiectum dissinum, quia Christi D. humanitas est perfectissimè sancta sanctitate personali, quæ excedit quamcumque sanctitatem accidentalem; sed sanctitas ista personalis non solum excludit peccatum, sed etiam omnem motum, omnemque inclinationem ad peccatum, ergo, &c.

83 Occurres ex doctrina Vasq. quod illi motus inordinati non essent peccata, cum præuenirent rationis aduertentiam, & voluntatis consensum, licet essent de obiecto aliàs malo, & prohibito, sicut non sunt peccata in nobis motus primò primi de obiecto malo. Sed contra, nam licet in nobis isti motus excusentur à peccato ob inaduertentiam rationis, & ob carentiam consensus voluntatis; tamen in Christo non potuissent esse sine culpa, cũ eos semper præuenire potuisset, & impedire. Tum quia non est leuis imperfectio indigna supposito diuino, quod permittat, aut permittere possit motus inordinatos circa obiecta mala obiectiuè, ergo, &c. Tum etiam quia omnino repugnat pati Deum in se ipso, aut in aliquo sui aliquam indecentiam; sed humanitas vnita Verbo, est aliquid Verbi; ergo implicat, quod Verbum patiatur in illa hanc indecentiã, vt prorumpat in actus obiectiuè malos, licet non formaliter malos ob carentiam aduertentiæ, & consensus. Præterea, nam vbi aliqua natura est apta nata subesse directioni alicuius, est ei non leuis imperfectio, & indecentia tendere, aut inclinari in contrarium eius, sed natura humana à Verbo assumpta, est apta nata regi à dictamine rationis, ergo, &c.

84 Probatur 2. concl. quod non potuerit esse in Christo D. fomes prout dicit motus præuenientes rationis vsum licet sint de obiecto consono, nam vt contra Vasq. argumentabamur, repugnat quod Verbum diuinum patiatur in sua natura aliquid indecens, sed est multum indecens habere actus peruertentes vsum rationis, licet aliàs non sint de obiecto malo, sed bono; ergo. Tum quia sanctitas omnibus numeris absoluta non solum non debet admittere actus malos, & prauas inclinationes, sed etiam omnes motus non regulatos, sed sanctitas personalis Christi D. est huiusmodi; ergo non debet admittere motus non regulatos per rationem, etiamsi non sint de obiecto alios malo.

85 Primum argum. in contrarium est, nam tota inordinatio fomitis consistit in actu secundo inordinato illius: ergo potest esse sine tali inordinatione in actu secundo. Antecedens probatur, nam in tantum fomes non ponitur in Christo D. in quantum repugnat, quod Verbum diuinum operetur actus inordinatos, sed hæc inordinatio solum reperitur in actu secundo, ergo, &c. Resp. negando antecedens, nam fomes, vt supra vidimus, etiam in actu primo dicit inordinationem, scilicet inclinationem ad actum contra, vel citra rationem. Hinc est, quod neque potuit in Christo D. poni fomes ligatus, sed solum extinctus, modo quo supra diximus, quia fomes ligatus dicit potentiã, seu inclinationem expeditam ad tendendum in obiectum contra, aut præter rationem, & de facto tenderet, nisi ab alio detineretur, aut impediretur.

86 Secundum argum. nam Deus de potentia absoluta assumere potest naturã alicuius bruti cum suo appetitu sensitiuo habente tales motus inordinatos; ergo potest assumere naturam humanam cum suo fomite. Antecedens probatur, nam talis appetitus est de perfectione bruti, sicut potentiæ naturales, & earum actus proprij sunt in natura de eius integritate, & perfectione; ergo, &c. Resp. concedendo antecedens, & negando conseq. nam

non

non quæuis inclinatio ad bonum sensibile constituit fomitem, & repugnat Verbo diuino, sed ea sola quæ est contra rationem; inclinatio autem appetitus bruti non est contra rationem, quia nec natura bruti, nec eius appetitus subsunt directioni rationis, vt patet. Vnde affectus vindictæ in Leone, ferocitatis in Tauro, inuidiæ in Cane, &c. non sunt mali, nec capaces malitiæ moralis, nec sunt à Deo prohibiti, sed potius voliti, ac proinde si Verbum assumeret dictas naturas posset illos habere, si tamen cederent in damnum tertij, teneretur eos motus impedire, vt supra aduertimus.

87 Sed quæres an habitus vitiosi potuerint esse in Christo? Partem affirmantem tenent Vasq. *disp.* 61. *cap.* 6. *n.* 36. & Lugo *disp.* 26. *sect.* 4. *n.* 52. præsertim, inquit, si cum sententia probabili supponatur, quod habitus acquisiti sint solæ species taliter ordinatæ; v. g. habitus gulæ sit species intensa repræsentans bonum delectabile cibi, vel potus, & memoriam etiam delectationis præteritæ, quam sæpe appetitus expertus est, quæ omnia inquit, possunt de potentia absoluta manere in natura assumpta, si enim potest manere error inculpabilis, multò magis potest manere memoria intensa delectationis. Hæc tamen species non dicitur habitus, nisi vt connotat carentiam alterius speciei intensæ repræsentantis bonum temperantiæ; quia illa prior species non facilitat in ordine ad cibum, nisi in absentia speciei æqualis de bono opposito.

88 Cæterum Lugo plura dicit, quæ longa indigerent impugnatione, sed sufficiat breuiter potiora reicere. In primis, omnino dicendum est, quod habitus vitiosus non possit de potentia absoluta manere in Christo Dom. Persona namque infinitè sancta, infinitè perfecta, non potest admittere in sua natura quam sanctificat, quam perficit, habitus vitiosos; habitus namque vitiosus est facilitas quædam operandi circa obiectum dissonum, quæ si posset manere in Christo D. posset etiam manere facilitas, seu potentia ad peccandum, cum nihil sit aliud quam facilitas ad obiectum dissonum. Tum quia habitus vitiosus denominat subiectum vitiosum: habitus intemperantiæ denominat intemperatum: habitus gulæ denominat gulosum, &c. hæ autem denominationes nullo modo possunt conuenire Christo; ergo, &c.

89 Dices pro Lugo quod illi habitus non tribuunt suas denominationes nisi subiecto capaci, quale non est Christus D. vnde illi habitus manerent sub ratione qualitatis, non habitus vitiosi denominantis. Sed contra, nam in primis hæc responsio pugnat cum supposito, quod ille auctor supponit, & docet cum Vasq. quod scilicet habitus vitiosus potest manere in Christo. Tum quia per illum auctorem potest manere error inculpabilis, ergo etiam denominatio illius, &c. Tum etiam quia illa qualitas vitiosa debet tribuere aliquam denominationem, non bonam; ergo malam. Denique nullo modo videtur probabile quod habitus appetitus siue sensitiui, siue rationalis sint species existentes in intellectu, aut phantasia. Aliàs charitas, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum esset species in intellectu existentes, quod est omnino falsum.

DVBIVM VI.

An in Christo D. potuerit esse ignorantia.

90 DE facto fuisse ignorantiam in Christo, docuerunt hæretici Gnostici, qui & Valentiniani dicti sunt, vt refert D. Irenæus *lib.* 1. *aduers. hæres.* 17. Ggnoitæ, seu Agnoitæ, apud Damasc. *de hæres. verb. Agnoitæ.* Castro *verb. Deus hæres.* 8. & Prateolum *verb. Agnoitæ.* Themistius, à quo Themistiani idem tenuit. Eundem errorem tenent aliqui hæretici nostri temporis vt Lossius, Malenthon, Lucherus, Belingerus, Brentius, Caluinus, & alij, vt refert Canisius *lib.* 3. *de B. Virg. cap.* 22.

91 Pro intelligentia veritatis notandum 1. quod ignorantia est duplex. Alia puræ negationis, quæ aliud non est, quam

nescientia earum rerum, quarum cognitio nullo modo debetur illi subiecto, in quo dicitur esse illa ignorantia. Et alia prauæ affectionis, seu dispositionis, & est carentia cognitionis earum rerum, quæ aliqua ratione debetur illi subiecto in quo est. Dicitur prauæ affectionis, quia intellectus per illam malè disponitur ad ferendum iudicium cum errore. Rursus ignorantia prauæ affectionis est duplex, vna est merè speculatiua, quo intellectus errat circa res speculatiuas, & alia est practica qua intellectus malè iudicat de agendis, & fugiendis.

92 Notandum 2. nos hic non agere de ignorantia puræ negationis, cum certum sit, quod Christi D. humanitas plura ex possibilibus nesciat. Et hæc ignorantia nullam dicit indecentiam, cum sit tantum eorum quæ ad naturæ humanæ statum, etiam vt assumptæ, non pertinent, sed prauæ affectionis. Alias plures ignorantiæ diuisiones trado in meo tractatu *de Censuris*, & de *iustit. & iure*, istæ sufficiunt pro præsenti difficultate enodanda.

93 Veritas catholica seq. concl. explicatur. *De facto in Christo D. nulla fuit ignorantia prauæ affectionis, seu dispositionis*; Constat ex dictis supra explicantes singulas scientias. Tradit S. D. *hic art.* 4. quem sequuntur omnes Theologi. Ratio D. Thomæ, est conuincens, nam in Christo Dom. sicut fuit plenitudo gratiæ, & veritatis, ita fuit plenitudo scientiæ; sed plenitudo scientiæ excludit ignorantiam, sicut plenitudo gratiæ, & veritatis excludit peccatum, & fomitem illius; ergo &c.

94 Obijciunt 1. hæretici, nam Ieremiæ 11. in persona Christi dicitur. *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, & non cognoui consilia eorum.* Et psal. 34. *Congregata sunt super me flagella, & ignoraui*. Vnde S. Athanasius *ser. 4 contra Arianos* dicit Christum D. induisse *carnē obnoxiam ignorantiæ*, & S. Damasc. *lib.* 3. *de fide cap.* 21. dicit verbum assumpsisse *carnem seruilem, & ignorantem*. Resp. quod Christus D. apud Ieremiam dicitur non cognouisse consilia Iudæorum sibi insidiantium, quia eodem modo se gessit, ac si eorum insidias ignorasset, permittendo se ab illis capi, ligari, & tradi ad mortem, non fugiendo, vt solent communiter homines fugere insidias sibi paratas. Quod autem re ipsa Christus D. cognouerit consilia Iudæorū, constat non solum ex tota historia Euangelica, sed ex eodem Ieremia, qui in eodem capite in persona Christi sic dicit. *Tu autem Domine demonstrasti mihi, & cognoui; tu ostendisti mihi studia eorum, &c.* Ad locum psal. dico communem esse expositionem, quod Christus D. ita patienter se gessit in sua passione, ac si ignorasset quid inimici facerent. Quando autem Sancti Patres dicunt Verbum diuinum assumpsisse carnem ignorantem, peccati obnoxiam, ignorantiæ obnoxiam, &c. non loquuntur de Christi D. humanitate, sed de carne spectata secundum se, antequam intelligatur assumpta à Verbo.

95 Obijciunt 2. nam Christus Dom. assumpsit defectus humanæ naturæ, excepto peccato, iuxta illud Apostoli ad Hebræos 2. *Pro similitudine absque peccato*; sed ignorantia communis naturæ humanæ non est peccatum; ergo eam assumpsit. Resp. ex dictis supra, quod Verbum diuinum non assumpsit omnes defectus naturæ humanæ, sed illos tantum qui non repugnant perfectioni gratiæ, & donorum, & perfectioni scientiæ, & ex alio capite conducere possunt ad finem redemptionis.

96 Obijciunt 3. nā ignorantia non est aliud quam carentia scientiæ; sed hæc fuit in Christo D. ergo, &c. Minor probatur ex illo Luc. 2. *Iesus autem crescebat ætate, et sapientia coram Deo, et hominibus.* Nec valet dicere, quod iste locus intelligatur de sapientia experimentali. Nam sequitur, quod de hac habuerit ignorantiam. Resp. negando minorem. Ad probationem dici potest 1. quod crescebat quoad manifestationem, quatenus per ipsa ætatis incrementa se ostendebat sapientiorē. Et dato quod intelligatur de scientia experimentali, adhuc non sequitur quod de hac

hac habuerit ignorantiam, quia in singulis ætatis incrementis semper sciuit quæ pro illa ætate sciri debebant.

DVBIVM VII.

An in Christo D. potuerit de potentia absoluta esse ignorantia, error, aut deceptio.

97 Conueniunt omnes Theologi, quod Verbum diuinum non potuit assumere naturam humanam cum ignorantia practica prauæ dispositionis, nam ignorantia practica prauæ dispositionis, vel est peccatum, vel causa peccati, vt docent Theologi 1. 2. *q.* 72. *ar.* 2. Vnde cum implicet Verbum diuinum assumere naturam infectam peccato, implicabit etiam assumere naturam cum dicta ignorantia. Ex quo sequitur, quod neque potuerit assumere naturam cum ignorantia inuincibili faciendorum, quia licet ista excuset à peccato, & peccatum non sit, quia tamen importat carentiam prudentiæ sufficientis in sui directione, & gubernatione, non potest in illa humanitate poni, cum eius indecentia redundaret in Verbum. Tum quia illa ignorantia inuincibilis conseruat malitiam obiectiuã, ac proinde etiam ex hoc capite dicet repugnantem cum humanitate assumpta.

98 Difficultas præsens est, an de potentia absoluta potuerit esse in Christo ignorantia speculatiua prauæ dispositionis, seu affectionis, de qua prima sententia affirmat, hanc defendit Vasq. *hic disp.* 61. *cap.* 9. quem aliqui recentiores sequuntur, putantes quod potuerit Verbum diuinum assumere humanitatem cum aliquo errore speculatiuo, & post assumptionem illum permittere.

99 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *In Christo D. nullo modo potuit esse ignorantia speculatiua praua dispositionis, seu affectionis sicut neq. error, aut deceptio.* Sic tenent Medina, Cipollus, Cabrera, Isambertus, Suarez, & recentiores communiter, notantes oppositam sententiam esse aliqua censura dignam, licet procedat de ignorantia purè speculatiua prauæ dispositionis actuali, seu quæ consistit in iudicio falso, & erroneo purè speculatiuo, nullatenus ad mores attinẽte. Nam quod attinet ad habitus erroneos, constat ex dictis de habitibus vitiosis supra ex *n.* 82. & constabit dicendis pro nostra conclusione.

100 Probatur 1. egregio testimonio D. Anselmi *lib.* 2. *cur Deus homo cap.* 13. vbi sic scribit. *Illa hominis assumptio in vnitate persona, non nisi sapienter à summa sapientia fiet, & ideo non asumet in homine, quod nullo modo vtile, sed valde noxium est ad opus, quod idem homo factus est: ignorantia autem ad nihilum illi vtilis est, sed ad multa noxia.* Et post aliqua subdit. *Sapienter asumit Deus mortalitatem, qua sapienter (quia valde vtiliter) vtetur; ignorantiam vero non poterit assumere sapienter, quia nunquam est vtilis, sed semper noxia.*

101 Occurrunt 1. aduersarij, quod D. Anselmus non loquatur de potentia absoluta, sed de facto, prout re ipsa hoc mysterium peractum est; sed contra, nam in primis vltima illa verba: *Ignorantiam vero non poterit assumere sapienter, quia nunquam est vtilis, sed semper noxia,* procedunt de quacumque potentia; Deus namque secundum nullam potentiam potest facere, quod sapienter fieri non potest; sed per D. Anselmum, assumptio ignorantiæ nunquam potest fieri sapienter, quia nunquam est vtilis, scilicet ad mysterium redemptionis, sed semper noxia; ergo, &c. Tum quia implicat per diuinam potentiam, quod Deus faciat, quod nunquam est vtile, sed semper est noxium; sed ignorantia per D. Anselmum nunquam est vtilis, sed semper est noxia; ergo, &c. Tum etiam, quia quælibet voluntas Dei debet esse rationabilis; vnde neque de potentia absoluta potest esse in Deo voluntas irrationabilis, cum sit contra eius sapientiam, aliàs attributum sapientiæ per absolutam Dei potentiam posset non esse in Deo; sed facere quod nunquam est vtile, & semper est noxium, vt est ignorantia, denotat voluntatem irratio-

rationabilem; ergo, &c.

102 Occurrit 2. Vasq. quod D. Anselmus non agit de ignorantia, seu errore prauæ dispositionis, quia iste potest esse vtilis, sed puræ negationis. Sed contra, nam est minus vtilis, & magis noxius error prauæ dispositionis, quàm puræ negationis; error namque puræ negationis licet inutilis sit, aliàs esset debita notitia, & non esset error puræ negationis, sed prauæ dispositionis, tamen iste non est noxius, vt est error prauæ dispositionis, ac proinde D. Anselmus de isto, non de illo loquitur.

103 Probatur 2. nam non minus implicat, quod Deus patiatur in aliquo sui indecentiam contra attributum veritatis, quàm contra attributum bonitatis; sed humanitas est aliquid Verbi diuini, est enim natura à se assumpta, sibi vnita, &c. ergo implicat, quod in ea patiatur aliquã indecentiam contra attributum veritatis, vt est ignorantia prauæ dispositionis speculatiua, sicut non potest in ea pati peccatum, quod est indecentia contra attributum bonitatis. Non est enim Deus magis bonus, quàm verus. Imò veritas appropriatur Verbo, & sic magis dedecet ignorantia Verbũ, quàm peccatum, cum illa indecentia sibi magis directè, vt sapientiæ Patris opponitur.

104 Probatur 3. in nobis pars superior potest, nec debet permittere in parte inferiori aliquid eius perfectioni cõtrarium, nec contrarium fini ad quem ordinatur, aliàs censeretur negligere curam illius; ergo neque Verbum diuinum, poterit permittere in natura assumpta aliquid eius perfectioni contrarium, aliàs curam illius negligere censeretur. Non enim minorem curam debet habere Verbum diuinum suæ humanitatis, quàm habeat, vel habere debeat pars superior suæ partis inferioris; patet autem quod ignorantia speculatiua prauæ dispositionis contrariatur perfectioni humanitatis qua intellectualis, seu rationalis est. Hinc S. P. Aug *lib.* 83. *q.* 9. 53. ita negat Deum posse vel per se, vel per alium decipere vt dicat Deum id tantũ permittere. *Deum* inquit *per se ipsum neminem decipit, est enim Pater veritatis, & veritas, & spiritus veritatis, vt si quisquam dignus est decipi, non solum per se ipsum eum non decipiat sed neque per talem hominem, qui iam congruenter diligit, & custodire persistit.*

Soluuntur argum. in contrarium.

105 Primum argum. nam ignorantia, seu error speculatiuus non habet maiorem repugnãtiam cum vnione hipostatica, quàm habeat mors; sed mors de facto fuit in Christo D. ergo etiam dicta ignorantia in eodem esse potest. Maior probatur, nam ignorantia opponitur diuinæ veritati, & mors opponitur vitæ Dei; ergo non magis opponitur Deo ignorantia quàm mors. Tum quia totum malum repertum in ignorantia speculatiua, est malum pænæ, non culpæ; sed malum pænæ non repugnat Christo D. ergo neque ignorantia. Resp. negando maiorem, nam mors non contrariatur Deo vt est in se; mors namque Petri non contrariatur vitæ Dei, sed vitæ eiusdem Petri, sic & mors Christi non contrariatur vitæ Dei, sed vitæ humanitatis eiusdem Christi. At error qui est in intellectu Petri opponitur Deo vt est in se, cum opponatur iudicio vero non solum quod debebat esse in Petro, sed etiam quod est in Deo, & Angelis: vnde quantum est de se ille error est destructiuus Dei, non mors Petri; quocirca de errore idem dici solet, quod de peccato, quod scilicet ex affectu peccantis destrueret Deum, si esset capax destructionis. Per quod patet ad probationem, nam error vt est modo dicto destructiuus Dei non est tantũ malum pęnæ, sed etiam malum culpæ. Vel dicas, quod error etiam speculatiuus, etiamsi nullum malum culpæ afferat, adhuc tamen magis repugnat vnioni hypostaticæ quam mors, nam mors solum potest conuenire supposito in concreto, vt patienti, seu vt sustentanti naturam in qua mors exercetur, at error conueniret Verbo vt supposito agenti, & concurrenti vt *quod*, quod esse nequit.

106 Secundum argum. nam vnusquisque errare potest circa ea quæ euidenter

denter non cognoscit; sed anima Christi D. plura euidenter non cognoscit; ergo circa ea errare potest, quod maximè verum esset si Verbum diuinum assumeret naturam in puris naturalibus, sine vllo dono siue supernaturali, siue naturali, sine gratia, sine visione beata, sine scientia indita, & sine scientijs naturalibus Resp. distinguendo maiorem quando nõ habet à quo reguletur, conceditur; quãdo habet, negatur. Licet ergo anima Christi D. etiam de facto plura nesciat ex possibilibus, habet tamen suppositum diuinũ à quo reguletur, & numquam permittet vt in errorem labatur.

107 Tertium argum. nam in Christo D. fuit error, & deceptio sensus v. g. visu; ergo etiam intellectus. Conseq. constat, nam vbi nõ repugnat error sensus, neque repugnat error intellectus non enim magis dedecet vnus, quàm alter. Tum quia intellectus pro hoc statu sequitur sensus, quos licet aliquando corrigat, non tamen semper. Antecedens probatur, nam oculus Christi Solem, & Stellas distantes iudicabat, seu videbat vt minores quam in se sint: videbat colores in iride vbi non sunt, vibebat calores in colo columbę vbi non sunt: videbat baculum: seu remum fractum in aqua, cum fractum non esset; ergo &c. Resp. negando antecedẽs Ad probationem dico, quod ex eo quod oculus Christi D. & noster viderent Solẽ & Stellas minores quam sint, ex eo quod in nube fracta videret colores, cũ nõ sint, &c. non sequitur quod deciperetur; cum iste sit modus naturalis cognoscẽdi istius potentię, cognoscendo scilicet res prout repræsentantur per species; hoc enim eodem modo nos cognoscimus, & videmus, & tamen non dicimur decipi; diceremur decipi, si per intellectum iudicaremus solem esse tantum eiusdem quantitatis quantæ per oculum videtur, &c.

108 Quartum argum. nam in Christo D. fuit opinio; & fides humana; sed in his solet contingere deceptio; ergo, &c. Minor constat, quoties enim in aliquo potest esse assensus incertus, & obscurus ibi potest contingere deceptio, vt patet. Maior probatur, nam si Verbum assumpsisset naturã humanam sine visione beata, cui opinio, & fides repugnant, potuissent in ea esse opinio, & fides, nihil enim esset à quo repugnantia desumeretur; ergo, &c. Resp. concedendo maiorem in casu quo humanitas assumeretur sine scientia beata. Deinde negatur minor teneretur namque suppositum taliter gubernare naturam, vt assensus fidei, & opinionis semper essent veri, & numquã falsi, licet tam opinio, quam fides ex parte medij, & ab intrinseco habeant assensum expositum falsitati, errori, & deceptioni.

DVBIVM VIII.

An in Christo D. fuerint passiones.

109 Nomen passio bifariam accipitur; tum pro quacumque immutatione, tum pro ea immutatione qua aliquid pellitur, alio succedente, vel conuenienti, ac læto, vel aduerso, ac tristi. Prior acceptio impropria est, cum istiusmodi passio sit potius potentiæ perfectio, vt pati intelligendo, volendo, sentiendo. Posterior acceptio etiam impropria est, cum accipitur pro receptione læti, & conuenientis, contrario expulso. Propriè passio est acceptio aduersi, ac contristantis. Est enim passio immutatio in hominis corporis viribus cum amissione eius quod conueniebat, & receptione eius quod aduersatur, & tristitiam generat. Passio hoc modo non potest esse in anima rationali, eiusque potentijs, sed solum in appetitu sentienti, qui in viribus corporis sedem habet. Dicuntur tamen esse in anima, quatenus accidunt homini anima, & corpore constante. Passio non est in potentia appræhensiua, quia hæc potentia cognoscit dumtaxat quæ bona, & quæ mala sint, non ab istis propriè immutatur.

110 Definitur passio quod sit *motus appetitiuæ virtutis sensibilis ex imaginatione boni, vel mali*. Aliter, est motus appetitus sensitiui, per susceptionem boni, aut mali. In appetitu rationali, licet non dentur

tur passiones propriè dictæ, cum immutatione, dantur tamen passiones similitudinariæ, & sunt maximè illi motus, qui primi vocantur, & anteuertunt rationis iudicium, quo succedente protinus disijciuntur. Tribuuntur etiam passiones Deo, & Angelis in sacra Scriptura propter similitudinem effectuum quos producunt, sine tamen vlla passione. Nam Deus dicitur irasci quando punit, quia tunc ita se gerit, ac si re ipsa esset iratus.

111 Passiones sunt in vniuersum vndecim. Sex in concupiscibili, & quinque in irascibili. Passiones concupiscibilis sunt *Amor, & odium: desiderium, & fuga: gaudium, & tristitia*. Passiones irascibilis sunt, *Spes, & desperatio: timor, & audacia*, denique *ira* cui nulla alia passio opponitur. Omnes istæ passiones ex bono, & malo oriuntur. *Amor* est passio qua homo inclinatur ad appetitionem boni sibi conuenientis, vtilis, & delectabilis. *Odium* est passio contraria, qua homo horret malum, tanquam sibi aduersum, triste, ac noxium. *Desiderium* est passio qua homo mouetur ad acquisitionem boni amabilis absentis. *Fuga* est passio qua homo malum absens abominatur, ac detestatur. *Gaudium* est passio quieta qua homo lætatur de bono desiderato iam adepto. *Tristitia* est passio quiescens, qua homo dolet de malo præsenti, ac illato, quod abhorruit. Hæ passiones concupiscibilis versantur circa bonum, & malum simpliciter, & cum quadam facilitate.

112 Passiones irascibilis versantur circa bonum, & malum cum quadam difficultate coniuncta. Nam *spes* est passio, qua homo expectat bonum absens desideratum, quia cito habere non potest. *Desperatio* est passio qua homo abijcit expectationem boni desiderati, tanquam acquisitu impossibilis. *Timor* est passio qua homo metuit malum grande adhuc absens. *Audacia* est passio qua homo excusso timore animatur contra malum adhuc absens. *Ira* est passio qua homo à se repellit malum imminens. Huic nulla opponitur passio, nam bonum imminens, seu adæptum non generat passionem in irascibili, cum nihil habeat ardui; sed in concupiscibili tantum, vt est gaudium, ac lætitia.

113 Differunt passiones irascibilis, & concupiscibilis, nam licet habeant idē obiectum commune, sunt tamen motus potentiarum distinctarum; & in hoc distinguuntur, quod passiones concupiscibilis tendunt in bonum simpliciter, ac faciliter. At passiones irascibilis tendunt in bonum arduum, & cum difficultate: differunt etiam quod passiones concupiscibilis habent tantum vnam contrarietatem secundum obiecta, quæ est bonum, & malum. At passiones irascibilis habent duas contrarietates, vnam secundum obiecta, vt inter spem, & timorem. Alteram secundum accessum, & recessum respectu eiusdem obiecti, vt inter spem, & desperationem; timorem, & audaciam. Iræ nulla passio opponitur, vt dictum est, nam cum versetur circa præsens malum repellendum, tantum ei accidit, vt aut succumbat, & tunc oritur tristitia in concupiscibili. Aut remittit iram, & tunc sequitur mititas, quę non est passio, sed iræ cessatio, quæ ei non opponitur contrariè, sed tantum priuatiuè, aut negatiuè.

114 In passionibus secundum se consideratis, nulla est bonitas, aut malitia, moralis, sed accidunt eis ex voluntatis imperio, quæ eas aut retrahit à bono, & mouet ad malum; aut retrahit à malo, & mouet ad bonum. Passiones non numquam mentem hominis pertubant, quandiu tamen abst consensus non est in eis peccatum, sed naturæ infirmitas.

115 His positis. Prima sententia, seu error est, quod in Christo D. non fuerint passiones, sic tenuerunt Cedon, Marcion, Lucanus, Valentinus, Manicchæi, & illi omnes qui dicebant, quod Christus D. nō habuit verum corpus humanum, de quibus Castro *verbo Christus*, Epiphanius *hæres.* 41. D. August. *hæresi* 11. 21. *&* alij.

116 Veritas catholica seq. concl. explicatur. *In Christo D. fuerunt passiones.* Hæc conclusio est de fide, definita in 6. Synodo *act.* 4. à Leone 1. *Epist.* 11. vbi sic ait

ait. *Sensus corporei vigebant sine lege peccati, & veritas affectionum sub moderatione Deitatis, & mentis*. Tradunt Sancti Patres. D. Ambrosius *lib.* 1. *de fide cap.* 3. D. Aug. *de ciuit. Dei cap.* 7. & 15. D. Damasc. *lib.* 3. *de fide cap.* 20. & D. Thomas hic *ar.*4. quē omnes Theologi sequuntur.

117 Probatur 1. nam in Christo D. fuerunt omnia, quæ ad perfectionem vitæ humanæ, & ad integritatem nostræ naturæ pertinent, aliàs non fuisset homo perfectus, sed ad integritatem humanæ naturæ pertinet vterque appetitus cum suis actibus, seu passionibus; ergo, &c. Nullus namque negare potest quin ad integritatem humanæ naturæ pertineat amor boni, & odium mali, & idem dicendum de alijs, ergo, &c.

118 Probatur 2. nam in Christo D. ea omnia poni debent, quæ conferunt ad merendum, ad satisfaciendum, & ad patiendum pro nobis; sed dictæ passiones sunt huiusmodi; ergo fuerunt in Christo D. Maior nota est, cum enim Verbum diuinum assumpserit nostram naturam ad finem satisfaciendi, moriendi, & patiendi pro nobis, debuit omnia assumere, quæ ad hūc finem conducere possunt & aliunde non repugnant nec statui gratiæ, nec scientiæ perfectæ. Minor probatur, nam ad satisfaciendum, merendum, & patiendum multum conducit dolor, & tristitia; amor boni, & odium, seu detestatio, & abominatio mali, vt peccati, ergo, &c.

119 Notandum tamen, quod licet passiones secundum naturam spectatæ fuerint eiusdem rationis in Christo Dom. ac in nobis, tamen quantum ad tria aliter fuerunt in Christo, ac sunt in nobis, vt docet, & aduertit S. D. *hic art.* 3. Primò quantum ad obiectum, quia in nobis plerumque feruntur ad illicita, non tamen in Christo Dom. cum fuerit impeccabilis, & non habuerit fomitem, vt supra vidimus. Secundò quantum ad principium, quia in nobis frequenter præueniūt vsum rationis; non in Christo Dom. vbi non fuerunt nisi ex eius voluntate deliberata, quando scilicet voluit, quamdiu voluit, & quomodo voluit, quod significatur Ioa. 11. cum dicitur de Christo Dom. quod *turbauit semetipsum* vbi S. P. Augustinus sic fatur. *In illius potestate erat sic, vel non sic affici, Verbum enim animam suscepit, & carnem totius hominis sibi coaptans in personæ vnitate naturam. Vbi summa potestas est, secundum voluntatis nutum tractatur infirmitas, hoc est turbauit semetipsum*. Tertiò quantum ad effectum, quia in nobis quandoque trahunt rationem, non in Christo Dom. vbi anima habet plenum dominium suarum passionum; qua ratione à D. Hierony. *in cap.* 16. *Matt.* vocantur pro passiones quatenus fuerunt in Christo Dom. sine aliqua commotione. Quænam autem fuerint in particulari dicetur in sequentibus §§.

§. I. An in Christo D. fuerint omnes passiones concupiscibilis.

120 Communis sententia affirmat, quod constabit discurrendo per sigulas. Nam primò fuit amor, tum quia hic actus est maximè naturalis appetitui sensitiuo, cum versetur circa bonū propriè naturæ. Tum etiam quia est radix, & fundamentum omnium aliorum actuum, seu passionum tum appetitus cōcupiscibilis, tum irascibilis, nullus enim odio habet nisi malum oppositum bono, quod amat; nullus desiderat nisi bonum, quod amat, &c. Vnde nullus negabit, quod Christus Dom. non amauerit amore sensibili aliqua sensibilia, vt B. Virginem, S. Ioseph, Apostolos, &c. iste namque actus nullam inuoluit imperfectionem, ergo, &c.

121 Fuit odium, quod nil est aliud quàm quædam alienatio, & mersio appetitus sensitiui ab aliquo, qua malum est, & hæc mersio cum nullam includat imperfectionem, aut indecentiam potuit esse in Christo; vnde potuit odisse omnia mala sensibilia, vt mortem sui Præcursoris quatenus male sensibile erat, &c. De desiderio non videtur difficultas, cum constat desiderasse bibere cum dixit in Cruce *sitio*, potest enim etiam intelligi ad litteram de siti corporali. Item alijs

potuit desiderare aliqua bona sensibilia, vt cibum v. g. tot hominibus in desertum comitantibus, idem dicendum de fuga mali nondum præsentis, vt cum in horto dixit. *Pater si possibile est transeat à me calix iste.* Delectatio fuit dum delectabatur de actibus bonis, & studiosis tam à se, quàm ab alijs exercitis. Poterat namque dicere illud psal. 83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* De tristitia constat ex illo. *Tristis est anima mea vsq; ad mortem.*

§. 2. *An in Christo D. fuerint passiones irascibilis.*

122 COmmunis, & vera sententia id affirmat, quod etiam patebit discurrendo per singulas. Nam in primis fuit actus *spei*; est enim *spes* actus, quo appetitus sensitiuus erigitur erga bonum sensibile, & arduum, prout potest obtineri viribus humanæ naturæ, Christus autem D. fecit multa opera sensibilia, quæ comparatione virium naturalium erant ardua quoad consecutionem, vt abstinentia à cibo, & potu per longum tempus.

123 Deinde fuit *desperatio* sensibilis, ad hanc enim sufficit apprehensio mali sensibilis, euitatu impossibile secundum vires naturæ humanæ; hoc autem in Christo Dom. esse potuit; elicere namq; potuit actum appetitus sensitiui, quo euadere desperaret medijs tantum humanis, mortem sibi à Iudæis intentatam. Fuit *audacia*, hæc enim est actus appetitus sensitiui, quo multa aggredimur difficilia secundum vires naturales, & hoc potuit esse in Christo D. Multa namque difficilia aggressus fuit, vt quando ieiunauit, quando multum iter fecit, vt esset ex itinere fatigatus, & id genus alia quàm plurima. Fuit etiam *timor*, vt constat ex illo Marci 14. *Cæpit pauere, & tadere*; & ex illo Luc. 22. *Positus in agonia orauit.* Vnde quando aliqui Patres dicunt, quod in Christo Dom. non fuit timor, loquuntur de timore inordinato ex pusillanimitate procedente, quem Ariani tribuebant Christo D. etiam quatenus est Verbum Patris, & ex eo contendebant probare Christum Dom. non esse Deum, & non esse æqualem Patri. Demum fuit *ira*, vt colligitur ex illo psal. 68. *Zelus domus tuæ comedit me.* Est autem zelus species iræ. Hunc actum ostendit quando de templo eicit ementes, & vendentes, & mensas nummulariorum euertit. Tum quia ita est passio honesta, & laudabilis cum sit debitis circumstantijs, seruato ordine iustitiæ, & charitatis, iuxta illud psal. 4. *Irascimini, & nolite peccare.*

124 Sed objicies 1. nam illud admitti non debet in Christo Dom. quod in eo impedit contemplationem, & operationem aliarum potentiarum, at ira, & zelus sunt huiusmodi; ergo, &c. Minorem docet S. Gragor. Magnus *lib. 5. moral. c. 3.* Potentiæ namque nostræ secundum ordinem naturalem se mutuò impediunt in operando, operatio enim vnius impedit operationem alterius, maximè quando est intensa, iuxta illud: *pluribus intentus, minor est ad singula sensus.* Resp. negando minorem. Hoc enim currit in nobis, non in Christo D. qui ob excellens dominium in suas potentias, & earum operationes, sic eas moderabatur, vt solum permitteret vnicuique id agere, quod erat ei proprium, vt vna potentia, non impediret aliam.

125 Obijcies 2. nam timor non potest stare cum fortitudine in gradu heroico; ergo non potest esse in Christo, vbi non solum fortitudo, sed omnis virtus est in gradu heroico. Conseq. constat. Antecedens probatur, nam si vera Charitas foras emittit timorem, à fortiori id faciet fortitudo in gradu heroico. Resp. negando antecedens, fortitudo namque solum expellit timorem procedentem ex pusillanimitate, non timorem sanum, & prudentialem. Vel dicas, quod fortitudo in gradu heroico expellit timorem efficacē, non tamen inefficacem, vt patet in Sanctis Martyribus qui potuerunt habere actus inefficaces euitandæ mortis, cum actu fortitudinis efficaci subeundi mortem pro Christo D.

Obij-

126 Obicies 3. nã de ratione timoris ex Arist. 2. *Rethor.* 5. & D. Tho. *hic art.* 7. est includere incertitudinem mali apprehẽsi venturi; sed ista incertitudo non fuit in Christo D. ergo &c. Resp. distinguendo maiorem: includit incertitudinem mali apprehensi quãdo timor est absolutus, & efficax, conceditur; quãdo est inefficax, & simplex fuga mali futuri imminentis, negatur. In Christo autem D. non fuit timor efficax qui induceret consultationem mediorum de eo vitando. Vbi namque non est incertitudo, sed certitudo, frustra datur consultatio. Vel dicas, quod non est de ratione timoris in quocumque subiecto, quod includat incertitudinem mali apprehensi, sed hoc est proprium timoris in nobis existentis, qui non habemus certitudinem malorum futurorum.

DVBIVM IX.

An in Christo D. fuerit admiratio.

127 Qvatuor modi admirationis communiter solent assignari. Primus est ex ignorantia causæ, quam viso effectu insolito, scire desideramus. Secundus est ex apprehẽsione rei magnæ, singularis, & insolitæ, licet antea cognosceretur: quæ si bona est, causat in affectu complacentiam, & desiderium eam laudandi. Magnanimus tamen ex philosopho apud D. Tho. *hic art.* 8. *argum.* 2. non facile iudicat aliquid esse magnũ, & laude dignum. Quod si bona non est, sed incommoda, causat in affectu quoddam genus timoris, à quibusdã vocatur stupor. Tertius quando viso effectu insolito, incitamur ad eum, eiusque causam nouo modo cognoscendam. Quartus, quando licet effectus, & causa cognoscantur, non tamen comprehenduntur. Hanc modum admirationis indicat S. D. 1. 2. *q.* 32. *art.* 8. dicens admirationẽ oriri ex hoc, quod causa effectus excedit cognitionem, aut facultatem admirantis, quo modo admiratio reperitur in contemplatione summę, & infinitæ maiestatis Dei.

128 Pro quibus notandum primò quod admiratio non est propriè passio appetitus sensitiui, cum sit actus intellectus, quia tamen incendere solet aliquam illarum, vt desiderium, ideo S. D. hic agit de illa. Dici etiam potest, quod ideo S. D. hic agit de admiratione post timorẽ, quia est quædam timoris species ex 1. 2. *q.* 41 *art.* 4. *& in* 3. *dist.* 26. *q.* 1. *art.* 2. quatenus est quidam affectus quo quasi protestamur obiectum excedere nostram expectationem, & præscientiam, vnde reuocari potest ad timorem reuerentialem, vt quando admiratio sequitur contemplationem.

129 Notandum 2. quod loquendo propriè admiratio est actus intellectus quo quis apprehendit aliquid tanquam insolitum, & maius sua opinione, vnde nascitur desiderium inquirendi causam illius, si æstimetur scrutabilis; vnde hæc duo videntur idem significare: admiror hanc rem, & hæc res est meæ cognitioni, & experientiæ valde insolita. Quocirca ad actum admirationis requiritur in admirante vt res sit rara, & insolens, secundum aliquam eius cognitionem; est enim admiratio vehemens quædam rei apprehensio, vt raræ, & insolẽtis, excitans ad inquirendam eius causam, si non sit plenè cognita. Ab assuetis enim non fit passio, ac proinde neque admiratio. His positis.

130 Prima sententia est, quod in Christo D. non fuerit affectus admirationis, seu admiratio, sed solum fuerunt aliqua signa admirationis, quatenus ita se gerebat, ac si esset admirans, seu se gerebat ad modum admirantis, eo modo quo dicimus quod in Deo est ira, quia ita punit, ac si esset iratus. Sic tenet Maldonatus *in cap.* 8. *Matt.*

131 Secunda sententia distinguit duas species admirationis, vna est quæ oritur ex ignorantia causæ viso effectu, & consistit in desiderio sciendi causam. Alia est absque ignorantia, & oritur ex cognitione rei magnæ; insolitæ, & singularis, licet aliàs causa cognita sit, & requirit in intellectu iudicium de rei magnitudine vel simpliciter, vel in ordine ad aliquem, vt cum admiramus scientiam pueri, quæ

licet in se magna non sit, est tamen magna, & insolita respectu illius ætatis; quæ si sit bona, & commoda, causat complacentiam,& desiderium eam laudandi. Si incommoda,oritur terror, vel stupor. Hãc ponunt in Christo D. non illam primam. Sic Suarez *in commentario huius art.*8. & Vasq.*disp.62.cap.4.*

132 Nostra sententia duabus concl. explicatur. Prima concl. *In Christo D.fuit vera admiratio, seu admirationis affectus, non quantum ad scientiam beatam, neque quantum ad scientiam inditam, sed quantum ad scientiam experimentalem.* Hęc concl.est omnino certa, & colligitur ex illo Matt.8. *Audiens Iesus miratus est.* Et ex illo ad Cananeam. *O Mulier magna est fides tua.* Quod autem admiratio non fuerit in Christo D. ratione scientiæ beatæ, & inditæ, patet, nam admiratio est de aliquo nouo, singulari, & insolito; sed Christo D. quantum ad scientiam beatam,& inditam, nihil nouum,& insolitum occurrere poterat, bene tamen quantum ad scientiam experimentalem; ergo, &c. Tum quia verba citata Euãgelij sunt propriè intelligenda, non fictè, sed nisi admiratio procedat quoad scientiã experimentalem, non possent propriè intelligi, g.&c.

133 Sed obijcies 1. nam in Christo D. non fuit ignorantia neque quantum ad scientiam experimentalem; ergo non potuit in eo esse admiratio. Respondet ad hoc argumentum S.Doctor art.8.ad 1. sic. *Quod licet Christus nihil ignoraret, poterat tamen aliquid de nouo occurrere experimentali eius scientiæ, in quo admiratio causaretur.* Vnde admiratio non erat in Christo D. ex eo quod simpliciter ignoraret aliquid, sed ex eo quod per scientiam experimentalem nouo modo cognouit.

134 Obijcies 2. nam aliqui Sancti Patres videntur dicere, quod Christus D. non potuit admirari,quia omnia nouerat; ergo, &c. Resp. quod loquuntur de Christo D. vt prædito scientia beata, & scientia infusa, ex quibus non poterat oriri admiratio; at nos loquimur de Christo Do. quoad scientiam experimentalem secundum quam nõ omnia simul nouit, sed pro ratione ætatis, loci, temporis, personarum, &c.

135 Secunda concl. *In Christo Dom. non solum fuit admiratio ex sola cognitione rei magnæ,& insolitæ. Sed etiã fuit admiratio orta ex non cognitione causæ viso effectu insolito, & hoc quoad scientiam experimentalem tantum.* Sic S. Doctor art. 8. vbi sic ait. *Admiratio propriè, est de aliquo nouo,& insolito*, & infra, *potuit tamen aliquid esse sibi nouum, & insolitum secundum scientiam experimentalem,&c.*siue sit magnum, siue paruum, quia etiam de paruis, dummodo sint noua,& insolita,solemus admirari, frequentius tamen admiramur de rebus magis, nouis, & insolitis, & oritur ex obiecto superante expectationem, & sciẽtiam eius qui miratur, qua ratione consequitur contemplationem, vt diximus, & notat S.Doctor 2.2.*q.*180. *art.*3. *ad* 3. vbi dicit. *Admiratio est actus consequens contemplationem sublimis veritatis.* Tamen satis communiter consurgit admiratio ex visione effectus noui, & insoliti,non prius cognita eius causa, quod in Christo Dom. contingebat, vt cum vidit fidem Centurionis, admiratus est, quia vidit effectum nouum, & insolitum in milite, & adhuc per scientiam experimentalem non cognoscebat eius causam, licet eam cognosceret per scientiam beatam,& inditam.

136 Sed obijcies 1. nam admiratio oritur ex ignorantia; sed hæc non fuit in Christo D. ergo, &c. Minor nota est.Maiorem docet S.Doctor 1.2.*q.*32. *art.*8. vbi dicit, quod admiratio est *desiderium quoddam sciendi, quod in homine contingit ex hoc quod videt effectum,& ignorat causam.* Resp. negando maiorem,licet enim etiam ex ignorantia contingat admiratio; non tamen semper, sed sufficit, quod id quod est causa admirationis, occurrat supra naturalem scientiam, & expectationem, siue causa cognoscatur, siue non, vt contingit in scientia experimentali, quando causa non cognoscebatur, non tamen ignorantia, quando illa causæ cognitio, pro illa ætate, loco, &c. non erat debita.

137 Obijcies 2. nam admiratio est desiderium videndi,seu cognoscendi causam

sam occultam effectus visi, sed in Christo D. non fuit hoc desiderium; ergo neque admiratio. Minor probatur, nam vbi non est ignorantia, neque est desiderium cognoscendi causam occultam: ergo, &c. Tum quia si in Christo D. fuisset desiderium cognoscendi causam occultam, maximè per comparationem ad sciētiam experimentalem, sed hoc non; ergo &c. Minor probatur, nam causæ effectuum quos Christus D. cognoscebat per scientiam experimentalem si erant per hanc scientiam cognoscibiles, cognoscebantur statim ac cognoscebantur effectus, per eandem scientiam, aliàs non fuisset scientia experimentalis, cum de ratione scientiæ est, quod effectus per causam cognoscatur. Dixi si erant per hanc scientiam cognoscibiles, nam quando non erant cognoscibiles, non poterant causare desiderium cognoscendi causam. Vt contingit in Christo D. quando mirabatur de externa fide Centurionis, cuius causa scilicet fides interna, non erat cognoscibilis per scientiam experimentalem.

138 Resp. distinguendo maiorem: Admiratio est desiderium cognoscendi causam, causaliter, & quando cognoscibilis est, conceditur. Formaliter, negatur. Diximus enim supra, quod contingere potest admiratio, quando obiectum occurrit supra naturalem admirantis sciētiam, & expectationem, vel supra captum, vt contingit in contemplatione primæ veritatis, & attributorum illius. Aliàs si admiratio esset formaliter desiderium sciendi, non esset de effectu insolito, & nouo, sed esset de scientia, seu cognitione. Imò neque admiratio est semper desiderium sciendi causaliter, sed tunc solum cum procedit ex propria ignorantia, quæ in Christo D. non fuit, neque ratione scientiæ experimentalis, quia vt dicebamus, neque quantū ad hanc fuit in Christo D. ignorantia, cum res per hanc scientiam cognouerit pro ratione ætatis, loci, temporis, personarum, &c.

139 Sed quæres 1. an admiratio debeat dici intellectus, an voluntatis? Resp. ex dictis n. 32. quod admiratio in recto, & formaliter est actus intellectus, in obliquo, est actus voluntatis, vt desiderium cognoscendi causam, laudandi effectum; vel causam, &c.

140 Quæres 2. an admiratio, & affectus illius sit solum in parte rationali, an etiam in parte sensitiua? Lorca *disp.* 61. *n.* 32. dicit, quod solum in parte rationali; cum enim obiectum admirationis sit obiectum excellens, quatenus excellens, & hoc non possit cognosci, & æstimari per sensum, sed solum per intellectum, sequitur, quod in sola parte rationali, non sensitiua possit esse admiratio; aliàs admiratio posset etiam esse in brutis. Nihilominus videtur verius, quod etiam in parte sensitiua possit esse admiratio, nam etiam imaginatiuæ potest occurrere aliquid nouum, singulare, & insolitum, excedens commune experimentum, quod propositum appetitui causet affectum admirationis. Neque ex hoc sequitur quod admiratio possit esse in brutis; nam imaginatiua hominis propter coniunctionem ad intellectum potest percipere aliquod excellens, & comparare diuersa sensibilia, & cognoscere excellens illorum, etiam cum discursu circa singularia; non in brutis.

141 Quæres 3. an in Deo dari possit admiratio? Ratio dubitandi est, nam ideo in Christo D. admittitur admiratio, v.g. circa fidem Centurionis, quia fides illius superabat sciētiam experimētalem Christi D. sed etiam eadem fides Centurionis potuit superare aliquam scientiam Dei, v.g. iudicium coniecturale; si namque Deus voluisset elicere iudicium coniecturale de fide Centurionis iuxta id quod de alijs fidelibus cognoscebat, non iudicasset fidem Centurionis tantam, & sic videndo postea ex signis esse tantam, superauit cognitionem communem illius. Nihilominus nullo modo admiratio est admittenda in Deo. Tum quia in eo non datur scientia experimentalis, seu coniecturalis, vt 1. *p. disp.* 14. vidimus. Tum etiam quia ea data, & non concessa, adhuc admiratio concedi non posset. Et ratio est, quia admiratio est quædam interna, seu

in

intellectus submissio, qua admirans profitetur humiliter suam imbecillitatem, & cognitionis debilitatem ad cognoscendũ effectum, eius captum superantem, quod in Deo esse nequit; maximè quia Deus perspectos habet omnes effectus eorumque causas, cum perfectissimè cognoscat futura omnia, eorumque causas in æternitate, & in sua essentia, per suum decretum determinata, non per proprias species, easque acquisitas, vt faciebat Christus Dom. per scientiam experimentalem. Vnde fides Centurionis erat supra totam scientiam experimentalem animæ Christi, non supra totam scientiam Dei, etiam dato quod experimentalis esset.

DISPVTATIO XVI.

IN QVAEST. XVI. DIVI THOMAE.

De communicatione idiomatum inter Deum, & hominem, &c.

1 Vic quæstioni non ponit S. Doctor titulum *de communicatione idiomatum*, sed *de consequentibus vnionẽ, quantum ad ea quæ conueniunt Christo secundum se*; in idem tamen ea recidunt, nam idem est, an prædicata vnius naturæ, communicentur alteri, seu de alia prædicentur; & agere de prædicatis vnionem consequentibus, vt postea videbimus. In 1. articulo ostendit S. D. quod hæc propositio *Deus est homo* est vera non solum ob veritatem terminorum, sed etiam ob veritatem prædicationis, quia verè, & propriè vnum de alio enunciatur. In art. 2. docet, quod hæc propositio sit vera: *Homo est Deus*; quia subiectum supponit pro supposito Verbi, quod est essentialiter Deus. In art. 3. probat, quod Christus Dom. non possit dici *homo dominicus*, quia Dominicum dicitur denominatiuè, seu accidentaliter à Domino, & significat distinctionem rei, quæ denominatur Dominica, à Domino, ac proinde, quod res quæ vocatur Dominica non sit Dominus. In art. 4. dicit, quod ea quæ dicuntur de filio hominis, dici possunt de Filio Dei, & hæc est propria communicatio idiomatum. In 5. art. docet, quod ea quæ sunt vnius naturæ propria, non possint dici de alia in abstracto. In art. 6. dicit, quod verè, & propriè dici potest, quod Deus factus est homo. In 7. art. probat, quod hæc propositio sit falsa in proprio sensu: *Homo factus est Deus*; quia subiectum supponit pro persona quæ ab æterno est Deus. In art. 8. negat hanc propositionem. *Christus est creatura*. In art. 9. dicit quod hæc propositio vitanda sit. *Iste homo*, demonstrato Christo, *incæpit esse*. In art. 10. ostendit, quod hæc propositio *Christus secundum quod homo est creatura, vel incæpit esse*, est magis concedenda, quàm neganda. In art. 11. docet, quod hæc propositio *Christus secundum quod homo, est Deus*, est magis neganda quàm concedenda. In ar. 12. explicat quo in sensu dici possit; quod Christus secundum quod homo sit persona. Pro quibus sit.

DVBIVM I.

Quid, & quotuplex sit communicatio idiomatum, & an detur in Christo D.

2 HAec locutio: *communicatio idiomatum*, ex Græcis Patribus desumpta est, quæ latinè mutuam signi-

significat prædicationem attributorum, proprietatum, &c. inter Deum, & hominem in persona Christi. Cum enim in Christo D. detur vera, & realis vnio naturæ diuinæ, & humanæ in eodem supposito Verbi diuini, mutua earum prædicatio attributorum fieri potest. Communicatio namque idiomatum, nil est aliud, quantum ad præsens, quam quædam attributio, siue naturarum, siue proprietatum, siue eorum, quæ distinctis naturis, vt inter se cunctis conueniunt.

3 Cum ergo in dictis naturis vnitis tria possint considerari, scilicet naturæ ipsæ, earum attributa, seu proprietates, & operationes, ita considerari possunt tres communicationes. Prima est naturarum inter se, vt ad inuicem prædicentur, quæ communicatio, & prædicatio vera quidem est, modo explicando, non tamen dicitur communicatio idiomatum, quia per hanc intelligimus mutuam prædicatorum, seu proprietatum attributionem. Secunda est communicatio proprietatum, & est mutua earum attributio, & hęc communicatio propriè est idiomatum. Tertia est communicatio operationum, quatenus operatio vnius naturæ attribuitur alteri. Hoc loco non agemus solum de communicatione idiomatum propriè, sed in ampla significatione vt amplectitur has tres communicationes, & maximè primã, & secundam, nam de tertia specialius dicetur infra *ad q* 19.

4 Ista communicatio idiomatum in hac ampla significatione, potest fieri dupliciter. Scilicet in concreto, & in abstracto; in concreto fit ratione suppositi, quod vtramque naturam facit subsistere, vt cum dico. *Christus est homo: Christus est Deus.* In abstracto, vt quando de vna natura dicuntur attributa alterius, vel vtriusque naturæ attributa dicuntur ad inuicem, quę an & quando fieri possit, ex infra dicendis constabit.

5 His positis. Prima sententia negat hanc idiomatum communicationem. Hãc sequuti sunt omnes illi hæretici, qui negarunt vnionem hypostaticam esse factam in hypostasi. Item qui negarunt Christi diuinitatem, vt Arius. Item qui posuerunt naturarum confusionem, & alij.

6 Veritas catholica seq. concl. explicatur. *In Christo D. datur vera, & realis communicatio idiomatum.* Hanc concl. docent omnes non solum catholici, sed etiã illi hæretici qui cognoscunt in Christo D. veram, & realem vnionem naturæ humanæ ad Verbi personalitatem. Colligitur hæc concl. ex illo Ioan. 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo Filius hominis.* Vbi descensus de cælo tribuitur per communicationem filio hominis, cum tamen secundum rem Filius hominis non descenderit de cælo ad sumendam carnem. Colligitur etiam ex illo Ioan. 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Vbi attributum ęternitatis per communicationem idiomatis, tribuitur Christo vt homini. Et etiam ex illo Apostoli. 1. Cor. 2. *Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*, vbi crucifixio per eandem communicationem tribuitur Deo; scilicet Domino gloriæ. Vnde N.S.P. Ioan. Damasc. *lib.* 3. *de fide cap.* 3. sic fatur. *Verbum & quæ humanitati conueniunt, sibi vendicat, ac viciſſim carni, quæ sunt impertit, communicationis videlicet ratione, ob mutuam partium inter se communicationem, ac personalem vnionem*, quod fusius prosequitur, & explicat *cap.* 4 eiusdem libri. D. Bernard. de consideratione; sic dicit. *Tantam, tamque expressam vnionis vim in se præferat ea persona, in qua Deus, & homo vnus est Christus, vt si duo illa de se inuicem prædices, non erraueris: Deum enim hominem, & hominem Deum, verè, catholicèque pronuncians.*

7 Ratio fundamentalis desumitur ex communi sensu dialecticorum, qui dicunt quod quoties duæ, aut plures formæ sunt in eodem supposito, possunt ad inuicem in eodem supposito, & in concreto enunciari; vnde valet dicere, non solum saccarum est album, & saccarum est dulce, sed etiam ostenso saccaro verum est dicere hoc album est dulce, & hoc dulce est album, sed in Christo D. sunt duæ naturæ in eodem supposito: ergo de eodem Christo verum erit dicere Deus est homo, & ho-

homo est Deus. *Modus enim prædicandi sequitur modum essendi*. Cæterum vt res ista magis maneat explicata, pono sequentes §.§.

§. I. *Quomodo communicatio idiomatum explicetur ab hæreticis.*

8 HAeretici qui nobiscum admittũt communicationem idiomatum, à nobis differũt in eius explicatione, nam Brentius, Kemnitius, & Vbiquetarij, vt referunt Sanderus *lib. 7. de visibili monarchia cap. hæres.* 205. Bellarminus *lib. 3. de Christo cap.* 8. & 9. & alij, dicunt hanc idiomatum communicationem esse in Christo D. eo quod per incarnationem attributa naturæ diuinæ fuerint formaliter communicata naturæ humanæ, vt eadem natura humana verè, & realiter fuerit æterna, omnipotens, infinita, omnisciens, vbique, &c. non tamen dicunt hanc communicationem esse mutuam, an scilicet proprietates humanitatis, fuerint communicatæ diuinitati, vt de ea dici possit, quod est mortalis, passibilis, risibilis, &c.

9 Explicant tribus exemplis. Primum est ferri igniti, cui ignis communicat virtutem propriam lucendi, & comburendi. Secundò, exemplo animæ, quæ oculo communicat virtutem videndi; auri, virtutem audiendi; intellectui, virtutem intelligendi; voluntati, virtutem appetendi, &c. Tertiò exemplo personalitatis Verbi diuini, quæ de facto se se communicat humanitati assumptæ, & tamen manet ab ipsa humanitate distincta.

10 Veritas catholica sequenti concl. explicatur. *In Christo D. attributa naturæ diuinæ, non fuerunt formaliter communicata naturæ humanæ*. Sic tenent omnes Theologi hoc loco, vnde Suarez, & alij, censent hanc conclusionem esse de fide. Ratio est, quia impossibile est, quod diuina attributa, diuinæuè perfectiones prout in se sunt, informent naturam creatam, non enim cum ea vniuntur per modum termini, quia hoc modo sola Verbi personalitas vnitur; non per modum formæ quia hoc est impossibile. Vnde non potest dici quod humanitas sit actus purus, quod sit suum esse, quod sit æterna, sine principio, &c.

11 Nec valet respõdere cum quibusdam hæreticorum quod hæc communicatio fiat per aliqua dona accidentalia, quibus medijs intelligantur communicata attributa substantialia, sicut in nobis diuina essentia nobis communicatur media gratia sanctificante. Sed contra, nam communicatio idiomatum, quam fides docet, & Theologi explicant, non consistit in donis accidentalibus, neque in prædicationibus accidẽtalibus, ab ijsdem donis desumptis, aliàs cõmunicatio idiomatum esset solum accidentalis, & denominatiua. Vnde ex hoc, quod essentia diuina dicatur nobis communicari media gratia sanctificante, non ob id fit communicatio idiomatum cum nobis, vt omnes tradunt; ergo, &c.

12 Respondent alij, quod communicatio idiomatum, seu attributorum naturæ diuinæ factæ humanitati assumptæ, sequitur ad vnionem hypostaticam humanitatis cum Verbo diuino. Sed contra, nam ex vi vnionis ea solum prædicata, & illorum communicatio sequi potest, quæ ex vi eiusdem vnionis sequuntur, sed ex vi vnionis solum sequuntur prædicata personalia, non naturæ diuinæ, & ipsius attributorum; ergo, &c. Tum quia hæc communicatio diuinarum proprietatum fieret formaliter, maximè quatenus eodem modo vniuntur humanitati, ac vnitur hypostasis diuini Verbi, scilicet per modum termini, & hoc non quia non sunt termini, sed perfectiones diuinæ, vel quatenus vniuntur per modum formæ, & hoc implicat; vel quatenus vniuntur mediatè, seu media essentia diuina, at neque hoc, quia si ipsa essentia diuina, quæ vnitur humanitati media personalitate non prædicatur, neque prædicari potest de humanitate, ita neque eius attributa, ac proinde sicut non possumus dicere, quod humanitas, vel Christus vt homo est diuinitas, vel est Deus; ita non possumus dicere quod sit vbique.

§. II.

§. II. *Quomodo communicatio idiomatum explicetur à Catholicis.*

13 HVius difficultatis resolutio ferè constat ex dictis *n.* 7. claritatis tamen gratia magis expresse explicandum est, quomodo diuina, humanaque natura, earumque proprietates in Christo D. prædicentur. Catholici sic rem totam explicant, vt communicatio idiomatum in hoc consistat, quod ratione vnionis hypostaticæ, attributa diuina, & humana dicantur de eadem persona diuina, seu Verbi diuini vt vtramque naturam sustentat; quoties namque duæ, aut plures formę sunt in eodem supposito, ad inuicem in eodem prædicãtur, cum in eodem supposito vniantur, & cum eodem communicent. Omnis namque plurium communicatio, penes id attẽdi debet, penes quod conueniunt, & sunt aliquid vnũ, vt patet in Sanctissimo Trinitatis Mysterio, vbi omnes personæ eandem habent naturam, & essentiam, ratione cuius in concreto attributa dicuntur, & prædicantur de singulis personis, dicimus enim Pater est æternus, sapiens, immensus, &c. Filius est æternus, sapiens, &c.

14 Ratio desumitur ex illo communi dialecticorum proloquio, quod *modus prædicandi sequitur modum essendi*, vnde cum natura diuina, & humana sint in Christo D. quid vnum in concreto, seu in supposito, & ratione illius, vt in nullo alio sint vnum, sequitur, quod solum ratione suppositi, & in supposito possint ad inuicem prædicari, ac proinde communicatio idiomatum solum penes suppositum attendi debeat. Vnde vnio hypostatica non consistit in communicatione idiomatum, sed ad illam præsupponitur tanquam fundamentum; prius namque est, quod ponatur hæc vnio, quam quod fiat dicta idiomatum prædicatio, & communicatio. Sic prius est, quod in lacte vniãtur albedo, & dulcedo, quam ad inuicem in eodem supposito, & ratione vnionis cum ea, prædicentur.

DVBIVM II.

An Christi D. humanitas per communicationem idiomatum, possit dici vbique, seu an humanitati sit communicatum attributum immensitatis.

15 EX dictis dub. præcedenti, constat, quod communicatio idiomatum non est facta quoad attributa propria diuinitatis, ex eo quod humanitati non sunt diuina attributa formaliter, & propriè in se ipsis communicata, ac proinde de natura humana non possunt enunciari, seu prædicari, tamen qui Hæretici Lutherani contendunt hanc communicationem esse factam, præsertim quoad attributum immensitatis, volentes, quod Christi D. humanitas ratione huius attributi sit vbique, qua ratione dicti hæretici appellantur *Vbiquetarii*, & *Vbiquistæ*, ideo sigillatim hoc dubiũ excitamus.

16 Veritas Catholica seq. concl. explicatur. *Attributum diuinæ immensitatis, nullo modo fuit communicatum humanitati assumptæ ex vi vnioni hypostaticæ.* Hæc concl. est de fide, colligitur ex illo Ioan. 11. vbi Christus D. loquens de morte Lazari, quæ eo absente acciderat dixit suis Apostolis. *Gaudeo propter vos, vt credatis, quia non eram ibi.* Et Angelus apparens mulieribus dixit de Christo D. qui iam resurrexerat. *Non est hic, venite, & videte locum vbi positus erat Dominus*, Et Ioan. 6. dicitur. *Cum audisset turba, quod Iesus non esset ibi*, &c. Et cap. 16. *Relinquo Mundũ, & vado ad Patrem, &c.*

17 Occurrunt hæretici, quod in his, & alijs similibus sacrę Scripturę locis non est sermo de existentia inuisibili sui corporis, sed de visibili tantum, nam in tantum negatur esse in hoc, aut in illo loco, quia in eo non erat visibiliter. Inuisibiliter erat corpus Christi vbique, at visibiliter solum ibi erat, vbi dignabatur se visibiliter ostendere. Quod si, inquiunt, quæratur modus huius immensitatis corporis Christi, dicendum, esse ineffabilem, diuinum, & soli Deo cognitum, & quàm longissimè dissitum à modo præsentiæ no-

strorum corporum, nam ibi nulla agnoscitur consideratio dimensionum, distantiarum, longitudinis, latitudinis, profunditatis, & propinquitatis. Sic Lucas Osiander *in suo enchiridio controuersiarum Augustanæ confessionis cum Caluinianis cap. 6. sect. 4.* & alij.

18 Sed contra, nam ista hæreticorum interpretatio est contra communem expositionem, & intellectum Sanctorum Patrum. Nam Sophronius Patriarca Hierosol. *Epistola sua lecta in Synodo 6. act. 11 & approbata art. 13. to. 3. Concil.* Sic ait. *Christus ex loco secundū nos ad locum commigrabat.* D. Ambros. *lib. 2. de fide cap. 4.* De Christo D. vt Deo sic dicit. *Neque Deus de loco ad locum transit, qui vbique semper est.* Deinde de eodem vt homine sic dicit. *Vt homo est qui vadit, ipse qui venit* S. P. August. *Epist. 57. ad Dardanum,* De Christi D. humanitate sic scribit. *Secundum hanc formam non est putandus vbique diffusus, cauendum est enim ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus; non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus.* Et tract. 78. in Ioan. sic loquitur. *Ibat per id quod homo erat, manebat per id quod Deus erat, ibat per id quod vno loco erat, manebat per id quod vbique erat.* Idem tradit S. Viglius Tridentinus *lib. 4. contra Eutychetem.* Et alij communiter. Vnde hæc veritas fuit definita in Concil. Lateran. *sub Martino I. can. 4.* Vbi dicitur. *Si quis non confiteatur Christum circumscriptum corpore & in circumscriptum Deitate, condemnatus sit.*

19 Probatur 1. nam hæc hæresis vbiquistarum destruit omnia ferè mysteria humanitatis Christi D. ergo est plusquam falsa. Antecedens probatur, nam si humanitas Christi esset vbique, frustra diceretur quod Christus D. fuisset conceptus, & clausus spatio 9. mensiū in vtero purissimo Virginis. Item frustra diceretur, Quod esset natus in Bethlem, & non alibi. Frustra diceretur quod fuisset in Aegipto. Frustra diceretur quod esset inuisibili modo in Eucharistia, quod ibi inuisibiliter manducetur, cum posset esse inuisibiliter sub alijs accidentibus, vt tibi vulgaris; si enim est vbique inuisibiliter, erit etiam in pane, & in vino, in aqua, & sub omnibus, seu in omnibus rebus. Imò non posset dici comedi in pane, & bibi in vino aut aqua, vt volunt hæretici, nam eo ipso quod est vbique non potest traici ab ore in stomacum, quod enim est vbique habet esse absolutè, & simpliciter immobile, vt est Deus quod est absurdum.

20 Probatur 2. nam si humanitati fuisset communicatum attributum immēsitatis vel fuisset communicatum ante assumptionem, vel post assumptionem; neutrum dici potest; ergo, &c. Minor probatur, nam in illo priori in quo humanitas intelligitur esse antequā assumatur, non intelligitur habere dictum attributū, cum per aduersarios communicetur ex vi vnionis hypostaticæ, & ex vi huius pullulet. Neque postquam assumpta est, quia natura humana fuit assūpta vti erat, prius erat circumscripta; ergo etiam postea. Tum quia si humanitas Christi esset immensa, non esset creata, creatio namque terminatur ad ens particulare, sed quod est immensum non est huiusmodi; ergo, &c. Quod enim est immensum, sicut nullum determinat locum, ita nullum determinat sibi tempus; ergo, &c.

21 Probatur 3. nam ex eo quod humanitas Christi D. coniungatur Verbo, quod est immensum, non sequitur quod ipsa sit immēsa, ergo neque sequitur quod sit vbique. Antecedens probatur, nam ex eo quod caput v. g. vniatur animæ, quæ est tota in toto, & tota in qualibet parte, non sequitur, quod caput sit totum in toto, & totum in qualibet parte; ergo etiam ex eo, quod humanitas sit vnita Verbo quod est totum in toto, & totum in qualibet parte mundi, seu vbique, non sequitur, quod hoc idem habeat humanitas sibi vnita.

22 Probatur 4. nam implicat quod natura humana recipiat ex coniunctione ad Verbum, aliquid quod sibi repugnat; ergo implicat, quod fiat immēsa. Conseq. probatur, nam nō minus repugnat immēsitas humanitati, quam repugnet Verbo diui-

diuino esse in loco; sed prorsus repugnat Verbo esse in loco, modo circumscriptiuo etiam ratione vnionis ad humanitatem; ergo etiam repugnabit humanitati, ratione coniunctionis ad Verbum, esse vbique, seu non esse circumscriptiuè, eo ipso quod est assumpta vt extẽsa, & vt circumscripta. Hoc argumentum est Vigilij loco citato, vbi sic fatur. *Aut verbum cum carne sua loco continetur, aut caro cum Verbo vbique est; quomodo vna natura contrarium quid, & diuersum non recipit in se ipsa: diuersum est autem, & longe dissimile, circumscribi loco, & vbique esse; & quia Verbum vbique est, caro autem eius vbique non est apparet vnum, eundemque Christum vtriusq; esse natura, & esse quidem vbique secundum naturam diuininitatis suæ, & loco contineri, secundum naturam humanitatis suæ.*

23 Probatur 5. nam humanitas Christi D. per vnionem ad Verbum diuinum non fit formaliter æterna, increata, omnipotens, &c. ergo neque fit formaliter immensa. Conseq. constat ex paritate rationis. Antecedens non negant hæretici. Admittunt enim, quod Christi D. humanitas, nec sit æterna, nec increata, sed temporalis, & creata. Tum quia Christus D. mouebatur localiter, vt expressè definitum est in 6. Synodo *act.* 11. ergo non erat vbique. Moueri namque localiter, est vnum locum deserere, & alium acquirere, quod rei immensæ, & vbique existentis conuenire non potest. Soluuntur argum. in contrarium.

24 Primum argum. desumũt Lutherani ex illo Matt. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, & cap. 28. *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra*. Et Marci vltimo, *Sedet à dextris Dei*; quæ loca, & similia intelligunt de exaltatione humanitatis ad gloriam comparem Diuinæ Maiestati, quod verum non esset, si vbique non esset. Quomodo namque Christi humanitas ita exaltata est, & eleuata, vt acceperit efficaciam viuificandi quoscumque homines vbicumque existentes, si ipsa vbique non existeret? Quomodo recepit potestatem remittendi peccata omnibus hominibus si non esset vbicumque sunt illi? Quomodo recepit potestatem in res omnes, vt illis omnibus vti possit, si non adesset illis? Resp. quod illa loca sacræ Scripturæ intelliguntur de potestate excellentiæ quæ Christi Dom. humanitati fuit communicata, tum ad sanctificandos homines, tum ad eorum peccata remittenda, tum ad miracula patranda, &c. Ad cuius potestatis exercitiũ, & vsum nõ requiritur, quod humanitas sit vbique, sed sufficit quod ipsum Verbum sit vbique. Cum enim humanitas non concurrat ad dicta opera nisi vt instrumentum coniunctum, non est necesse, quod ibi sit vbi ponitur effectus, sed sufficit, quod ibi pertingat virtus causæ principalis. Vnde potest Deus eleuare Petrũ Romæ existentem, ad sanctificandum Paulum existentem Mediolani, vt tradunt communiter Philosophi, & Theologi.

25 Secundum argum. nam non implicat, quod Deus ponat Christi D. humanitatem modo indiuisibili vbique, idest in omnibus rebus creatis, quæ intra spatium finitum terminantur; ergo quantum ad hoc Christi humanitas est vbique. Antecedens probatur, nam de facto ponitur sub omnibus speciebus panis consecratis, modo indiuisibili, ergo non implicat, quod ponatur sub omnibus speciebus rerum creatarum. Ad hoc argum. respondet P. M. Orlandus ad suæ Religionis generalatus apicem euectus dum hæc scribo, concedendo antecedens, nõ enim sibi impossibile videtur, quod humanitas Christi ex speciali Dei dono sit vbique, idest in omnibus rebus creatis; de facto tamen est hæreticum hoc asserere. Vnde per P. M. Orlandum *tract.* 4. *disp.* 2. *q.* 3. *post n.* 12. posset Deus conuertere omnem substantiam Cælorum, & elementorum, omniumque rerum, in humanitatem, & sic esset vbique modo indiuisibili. Cæterum dato quod Deus posset conuertere totam substantiam creatam in Corpus Christi, sicut de facto conuertit substantiam panis ex vi verborum consecrationis, adhuc tamen non sequeretur, quod sibi communicaretur attributum immensitatis, ad hoc enim requireretur quod posset esse in in-

finitis locis, quod esse nequit. Deinde non sequeretur quod esset vbique, quia corpus Christi D. in Eucharistia non est propriè in loco, neque circumscriptiuè, vt patet; neq; definitiuè, de cuius ratione est quod ita sit ibi vt nō sit alibi, quod non cōpetit corpori Christi; neq; est in loco per immensitatem vt Deus, quia hoc modo ita deberet esse in loco, vt cōprehenderet non vt à loco comprehenderetur, quod solius Dei est proprium, nam corpus Christi ita est suo modo in loco, vt tamen suo modo comprehendatur à loco.

26 Tertium argum. desumunt Vbiquistæ ex illo Matt. 18. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Et ex illo eiusdem Euangelistæ cap. 28. *Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consumationem sæculi.* Et ex illo ad Ephes. 4. *Ascendit super omnes Cælos, vt impleret omnia.* Resp. quod Vbiquistæ nil probant ex istis testimonijs, non ex primo, nam intelligitur de præsentia Christi quoad auctoritatem, quoad perfectionem, quoad affectum, & dilectionem. Neque secundum, nam vel intelligitur de præsentia Christi auxiliantis, quia semper præsto erit seruis suis, vt eis præstet auxilium; vel intelligitur de præsentia in Eucharistia, vbi nobiscum manebit vsq; ad consumationem sæculi. Neque tertium quia intelligitur, non de repletione corporali, vt scilicet suo corpore repleret omnia, sed vt successiuè esset in omni loco, scilicet in terra, in limbo, & tandem in Cælo.

27 Quartum argum. quod etiam fæminæ Vbiquistarum formare solent contra nos, nam Verbum diuinum est vbiq; Christus vt homo, est Verbum diuinum, ergo Christus vt homo est vbique. Vel sic etiam formant. Deus est vbique, Christus est Deus, etiam quatenus homo, ergo etiam quatenus homo est vbique. Etiam sic formant. Verbum, vel Christus vbique est homo; ergo humanitas est vbique. Resp. distinguendo maiorem. Verbum diuinum est vbique secundum se, conceditur; vt sustentans naturam humanam, quatenus eam vbique sustentet negatur. Vel concedatur maior, & negatur minor, Christus namque vt homo, seu vt reduplicat humanitatem non est Verbum, sed homo. Ad secundum, Christus est Deus quatenus homo, negatur antecedens, nam quatenus homo reduplicat humanitatem, quæ non est formaliter Deus. Ad 3. Deus vel Christus vbique est homo: negatur, sit enim sensus quod humanitas sit vbique, quod est falsum.

28 Quintum argum. nam si persona Verbi diuini esset in aliquo loco vbi non esset humanitas ab eo assumpta, sequeretur, quod Verbum diuinum in aliquo loco non esset homo, & in alio esset homo, & sic esset, & non esset homo; hoc est falsum, ergo & illud vnde sequitur. Resp. concedendo sequelam maioris. Certum namque est, quod Verbum diuinum alicubi est homo, hoc est terminat humanitatem; & alicubi non est homo, hoc est non terminat humanitatem. Vnde hæc propositio Vbiquistarum *Vbicumque est Verbum diuinum, ibi est homo*, est falsa. Hæc tamen est vera. *Vbicumque est Christus, ibi est homo*, quia Christus dicit constitutum ex humanitate, & personalitate, vbi autem est hoc constitutum, ibi est homo, vt patet.

29 Sextum argum. nam si humanitas Christi D. non esset vbique, posset moueri localiter; sed hoc esse nequit, ergo, &c. Minor probatur, nam si humanitas vnita Verbo moueretur localiter, vel secum traheret, seu deferret personam Verbi, vel non. Si primum ergo persona Verbi mouetur localiter cum eadem humanitate, quod est falsum. Si secundum, ergo desinit esse vnita Verbo, quod etiam est falsum; Verbum enim quod semel assumpsit, nunquam dimisit. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dicendum, quod quando Christi D. humanitas mouebatur, manebat semper Verbo vnita, non tamen dicitur quod Verbum traheret, seu defferret, hoc enim modo denotatur, quod Verbum diuinum sit mobile, cum non sit; sicut & natura diuina; dat enim cuncta moueri, sed non mouetur cum vbique sit.

Con-

Concedo tamen, quod dum Christi D. humanitas mouetur deferat modum substantialem vnionis, qui cum vbique reperiat personalitatem Verbi diuini, semper, & eodem modo conseruat humanitatem illi vnitam; Deinde cum illa vnio non mutet extrema, cum semper eodem modo maneant, sequitur quod etiam semper maneat illa vnio, &c.

30 Septimum argum. nam quoties aliqua duo sunt inseparabiliter vnita, tunc vbicumque est vnum illorum debet esse & alterum, aliàs non essent inseparabiliter vnita, sed persona Verbi diuini, & humanitas sunt inseparabiliter vnita, ergo vbi erit Verbum, ibi erit humanitas, & è contra; sed Verbum est vbique, ergo etiã humanitas. Resp. distinguendo maiorem. Quoties aliqua duo sunt inseparabiliter vnita adæquatè, tunc vbi est vnum, ibi debet esse & aliud, conceditur: inadæquatè, negatur. Sit exemplum in anima rationali quæ est vnita capiti tantum inadæquatè, ac proinde non vbicumque est anima, ibi est caput, secus est respectu totius corporis, cui est adæquatè vnita, tunc enim valet, quod vbicumque est anima informans, ibi sit corpus, & è contra. Cum autem humanitas non vniatur Verbo adæquatè, sed solum prout est in hoc determinato loco, sequitur, quod non vbicumque est Verbum, ibi sit humanitas, bene tamen vbicumque est humanitas assumpta, ibi est Verbum.

DVBIVM III.

An natura humana, & diuina, & earum proprietates prædicentur in abstracto, an in concreto, in Christo D.

31 PRædicatio alia est in concreto, vt cum dicitur: homo est animal; alia in abstracto, vt cum dicitur: humanitas est animalitatis; quærimus ergo quomodo natura diuina, & humana, earumuè proprietates prædicentur in Christo D. Vbiquetarij, & alij hæretici volunt quod per communicationem idiomatum fiat prædicatio non solum in concreto, sed etiam in abstracto, vnde admittunt hanc propositionem: *humanitas est immensitas*. Natura humana est diuinitas: natura humana est omnipotens, &c.

32 Veritas catholica duabus concl. explicatur. Prima concl. *Nec natura diuina, & humana in Christo D. Nec earum proprietates prædicari possunt, seu enunciari in abstracto ad inuicem*. Est de fide, & constat ex Concilijs, & Patribus in superioribus dubijs citatis. Vnde non possumus dicere. Natura humana est diuinitas; nec diuinitas est humanitas; nec natura humana est immensitas, vel immensa; nec est omnipotentia, vel omnipotens; nec diuinitas est passibilitas, seu passibilis, nec natura diuina est mortalis, aut mortua, &c. Vnde si quando apud Patres reperias abstractum prædicari in hoc mysterio, vt cum S. Fulgentius *lib. ad Transimundum* dicit, quod diuinitas est mortua, nomẽ *diuinitas* abstractum accipitur pro concreto *Deus*, vel Verbum diuinum; verum namque est, quod Deus mortuus est in ligno. Hinc etiam quando Ecclesia canit. *Mors mortua tunc est in ligno, quando mortua vita fuit*, ly abstractum *vita*, accipitur pro hoc concreto *Deus*, vt sit sensus, Deum esse mortuum, quod est verum de Deo, seu Verbo diuino incarnato.

33 Ratio conclusionis desumitur ex illo communi dicto dialecticorum quod *modus prædicandi sequitur modum essendi*, nãin omni prædicatione extrema debent esse aliquid vnum, vbi enim non est aliqua vel identitas extremorum inter se se, aut saltem identitas subiecti, vel suppositi, non potest fieri vera prædicatio; sed inter naturam diuinam, & humanam, earumuè proprietates in abstracto, non datur, seu non significatur identitas neque ratione suppositi; ergo nõ potest fieri vera, & realis prædicatio in abstracto. Modus namque prædicandi sequitur modum essendi; natura diuina, & humana, earumuè proprietates in abstracto non habent modum essendi vnum, seu non dicunt esse quid vnum, cum tota earum vnitas sit ratione subie-

subiecti, quod in abstracto non dicunt, sed solum in concreto, ac proinde in abstracto non potuit fieri prędicatio ad inuicẽ inter illa. Tum quia licet re ipsa, (& sic soluitur quędam obiectio, quæ hic fieri poterat) natura diuina, & humana, earumuè proprietates sint in vno, eademque Verbi diuini supposito, tamen ex modo significandi non dicunt illud, ac proinde non poterunt ad inuicem prædicari, res namque non prædicantur vt re ipsa sunt à parte rei, sed vt subsunt nostris conceptibus; naturæ autem in abstracto vt subsunt nostris conceptibus in abstracto, non dicunt vnionẽ ad inuicem; ergo, &c.

34 Præterea tota eas syllogistica, & tota prædicatio extremi de subiecto, fundatur in aliqua identitate, seu vnione; in propositionibus fũdatur in vnione prædicati cum subiecto per copulam *est*, & in sylogismo fundatur in vnitate extremorũ cũ alio tertio extremo, scilicet, quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se; sed inter dictas naturas, earumuè proprietates in abstracto, neutrum horum datur; ergo, &c.

35 Sed obijcies, nam licet ex dictis rationibus sequatur, quod natura diuina, & humana, earumuè proprietates non possint formaliter prædicari ad inuicem in abstracto, non tamen sequitur quin possint prædicari identicè; nam loquendo de Christo D. hæc prædicatio est legitima. *Homo est Deitas*, in sensu identico; nam prædicatum Deitas, est identicè idẽ cum Verbo diuino, pro cuius supposito supponit subiectum illius propositionis, *homo*. Propter hanc rationem Suarez *disp.* 35. *sect.* 2. putat hanc propositionem esse concedendam, *quia subiectum*, inquit, *solet stare materialiter pro supposito*; suppositum autem importatum per hoc subiectũ *homo*, in Christo, est suppositum diuinum, quod identicè est diuinitas. Vnde in sensu identico valet iste syllogismus. *Verbum est diuinitas: Verbum est homo; ergo homo est diuinitas.* Non tamen, inquit Suarez, dici potest *diuinitas*, seu *Deitas est homo*, quia prædicatum *homo*, sumitur formaliter, & fit sensus, quod humanitas sit Deitas, quod est falsum.

36 Nihilominus respondetur, quod illa propositio neque identicè sit vera, ac proinde, quod natura diuina, & humana, earumuè proprietates neque identicè in abstracto prædicari possunt: nam si illa propositio *homo est deitas*, esset vera in sensu identico, oporteret, quod humanitas identificaretur, seu esset idem identicè cũ diuinitate. Nam sicut cum dico *Deus est Paternitas*, significatur quod Deus est idem, seu identificatur cũ Paternitate, & cum dico *Pater est Deitas*, significatur, quod Pater identificatur cum deitate; ita cũ dico *Homo est Deitas*, significatur quod homo non Verbũ identificatur cum deitate; & cum dico *deitas est homo*, significatur quod deitas identificatur cum homine, non cum supposito hominis, scilicet Christi. Vnde est eadem vtriusque propositionis ratio, & sic Suarez, vel vtrãque tenetur concedere, vel vtramque negare: secundam negat, ergo etiam primam negare debet. Nec ex illo syllogismo expositorio aliquid probat, nam in eo variatur suppositio; nam maior est vera tantum in sensu identico, scilicet *Verbum est deitas*, At minor scilicet, scilicet *Verbum est homo*; est tantum vera in sensu formali, ratione scilicet humanitatis, quæ est verbo vnita, & conseq. scilicet *Homo est deitas*, est falsa.

37 Secunda concl. *Natura diuina, & humana earumque proprietates prædicãtur ad inuicem in concreto.* Hæc concl. de fide est. Vnde valet dicere *Deus est homo*, & *homo est Deus*. Risibile est immortale, immortale est risibile; passibile est immortale, immortale est passibile; æternum est temporale, temporale est æternum, &c. Ratio à priori constat ex dictis; nam loquendo de naturis, ita res se habet, quod quoties duę naturę sunt in eodem supposito, vna de alia prædicatur in concreto; sed in eodem supposito Christi D. res ita se habet, vt contra Nestorium pluries definitum est; ergo ad inuicem in concreto prædicantur, & sic secundum fidem verum est, loquendo de Christo: *Deus est homo*, & *homo est Deus*. Loquendo de proprietatibus vtriusque naturæ etiam con-

constat ex receptissima regula Aristotelis in categorijs, quotius vnum prædicatur vniuersaliter de alio, quicquid dicitur de prædicato, dicitur etiam de subiecto; sed natura diuina, & humana in concrero ad inuicem prædicantur, ergo quicquid dicitur de vna, debet etiam dici de alia, ac proinde prædicata vnius, seu vnius proprietates, de alijs, ac subinde de proprietatibus alterius dicentur. Constat ex sequẽtibus syllogismis expositorijs, valet enim *Verbum diuinum est immortale*; *sed Verbum diuinum est homo, ergo homo est immortalis*, & è contra. *Hic homo*, demonstrato Christo D. *est mortalis*; *hic homo est mortalis, ergo Deus est mortalis*. Item valet. *Hoc corporeum* ostenso Christo, *est mortale*, *sed hoc corporeum est immortale, ergo hoc mortale est immortale*. Licet enim mortale, & immortale videantur, & sint contraria quando dicuntur de eodem secundum eandem rationem, non tamen in Christo D. cum dicuntur secundum diuersam rationem.

38 Sciendum tamen, quod debent dictæ proprietates accipi positiuè, nam si accipiantur priuatiuè, aut negatiuè, propositiones de illis formatæ essent falsæ, quia negatio est malignantis naturæ, vt dicunt Dialectici, & sic negat totum; vnde significaret incorporeum de Christo D. dictum, quod in eo nihil sit corporeum, & sic corporeum, & incorporeum, non possent ad inuicem prædicari, quia incorporeum negaret omne corporeum, & sic haberet sensum falsum. Hinc est, quod cum assumere connotet negationem, seu connotet assumentem fuisse prius sine natura assumpta, propterea non valet. *Hic homo est verbum*: *sed Verbum assumpsit naturã humanam*; *ergo hic homo assumpsit naturam humanam*. Variatur enim tunc suppositio; nam Verbum in maiori consideratur vt terminat naturam humanam, & in minori consideratur, vt supposita eandem naturam humanam, qua ratione non assumpsit eam; & sic conseq. est falsa.

39 Sed quæres 1. an natura diuina, & humana, earumque attributa, seu proprietates possint ad inuicem prædicari denominatiuè, seu adiectiuè, vt dicendo: Christus est homo Deificus: est homo deificatus, Christus est Deus humanatus, &c. Resp. negatiuè; ratio est quia prædicatio denominatiua, seu per nomina adiectiua, est prædicatio accidẽtalis, ac proinde inter prædicatum, & subiectum datur tantum vnio accidentalis, vt cum dicitur *homo vestitus*, nam tam homo, quam vestis sunt supposita, seu indiuidua distincta, & solum accidentaliter vnita, & sic inter illa solum est prædicatio adiectiua, seu denominatiua. Idem dic quando de aliquo dicitur *iste homo est brutalis*, tunc enim sensus est, quod habeat aliquam conditionem bruti. Cum autem in Christo D. vnio non sit accidentalis, sed substantialis, vt patet, sequitur quod non possit fieri prædicatio adiectiua, seu denominatiua.

40 Ex quibus infertur 1. non posse Christum D. dici. *Hominem Deiferum*, nec *Deum hominiferum*, quia tunc significantur diuersa supposita, & esse inter illa solum vnionem accidentalem. D. tamen Athanasius *serm. de Deipara* dicit Christum posse dici *Deum carniferum*, quia verè assumpsit carnem, eamque sustentat; tum quia per carnem vel accipitur humanitas, vel eius pars, & vtramque assumpsit Deus, seu Verbum diuinum. Vnde quando Sãcti Patres aliquando vocant Christum D. *Deum hominiferum*, intelligendi sunt, vt accipiant concretũ pro abstracto; hominem pro humanitate.

41 Infertur 2. resolutio illius difficultatis an Christus D. rectè dici posset *homo diuinus*. Negat Vasq. *disp. 63. cap. 2.* quia nomen diuinum, est nomen adiectiuum à substantia, scilicet à diuina Essentia desumptum. Tum quia nomen diuinus, dicit relationem ad Deum, quasi diuinus non sit Deus, sed ab illa distinctus. S. D. *art. 3. ad 3.* dicit quod Christus D. possit dici diuinus, *quia* inquit, *hoc nomen diuinum consueuit prædicari de ijs, de quibus hoc nomen Deus prædicatur essentialiter*; *rectè enim dicimus diuina Essentia, Verbum diuinum, & diuina Essentia est*

est Deus, &c. Igitur licet stante in præcisa significatione dicti nominis *diuini*, non posset dici Christus D. diuinus, tamen quia secundum communem vsum denominatio, seu prædicatio *diuini* de essentia, & de personalitatibus habetur, vt substantialis, & non vt accidentalis, ideò loquendo de Christo D. vbi personalitas est diuina, potest Christus D. dici *homo diuinus*. idest habens personalitatem diuinam.

42 Quæres 2. an prædicata diuinæ, & humanæ naturæ possint dici de Christo D. cum aliqua reduplicationis nota, vt est *in quantum, quatenus, vt, prout, qua, &c.* Pro intelligentia difficultatis sciendum ex Logica, quod dictæ reduplicationis notæ, non semper sumuntur reduplicatiuè, sed aliquando sumuntur specificatiuè. Tunc sumuntur specificatiuè, quando significant, & determinant subiectum vt est susceptiuum prædicati, vt si dicatur *Homo quatenus homo, est species*, tunc non est sensus, quod ratio qua est species sit ratio hominis, aliàs omnes homines essent species, sed sensus est, quod in homine est aliquid ratione cuius est species, seu aliquid per quod potest recipere prædicatum speciei. Tunc autem sumuntur reduplicatiuè, quando reduplicant causam, vel rationem, aut principium propter quod prædicatum conuenit subiecto, vt cũ dicitur *Homo quatenus homo, est rationalis*, tunc enim ly *quatenus* reduplicat rationem formalem, seu denotat rationem formalem qua homo est rationalis, seu disciplinæ capax, & est ipsa rationalitas. Hoc loco loquimur de dictis notis quando reduplicatiuè sumuntur, & sensus est, an prædicatum v. g. naturæ humanæ possit dici de Christo D. reduplicatiuè.

43 Resp. negatiuè, vnde non possumus dicere. *Christus D. quatenus Deus est homo, quatenus Deus est mortuus:* neq; dicere possumus. *Christus D. quatenus homo est omnipotens, est vbique, est omniscius &c.* Potest tamen aliquod prædicatum humanæ naturæ in concreto tribui Christo D. cum reduplicatione humanitatis, vnde dicere rectè possumus *Christus D. quatenus homo exurijt, sitiuit, &c.* Item potest prædicatum naturæ diuinæ in concreto tribui Christo D. cum reduplicatione deitatis in concreto, dicendo *Christus D. quatenus Deus est æternus, est omnipotens, est vbique, & omniscius, &c.*

44 Ex quibus infertur 1. hanc propositionem esse falsam. *Christus D. in quantum Deus est homo; & Christus D. in quantum Deus, seu in quantum Filius Dei est natus de Beatissima Virgine*, siue accipiantur reduplicatiuè, siue specificatiuè, vt ex se patet. Item est falsa ista *Christus D. in quantum est homo, est Deus.* Infertur 2. hanc propositionem esse veram, specificatiuè *Christus vt homo*, est hypostasis, seu persona. Reduplicatiuè tamen est falsa, quia denotat humanitatem habere propriam personalitatem. Ex quibus facile iudicium ferri potest de alijs, ea magis constabit ex dicendis. Infertur 3. quod prædicata quæ non sunt propria, nec naturæ diuinæ, nec humanæ, sed dicuntur de Christo vt dicit vtrumque naturam, seu vt est verus Deus, & homo, non dicuntur de Christo reduplicatiuè ratione alterutrius naturæ; vnde non possumus dicere *Christus vt Deus meruit infinitè, est mediator, est Redemptor, &c.* Nec possumus dicere, *Christus vt homo meruit infinitè est mediator, Redemptor, &c.*

DVBIVM IV.

An hæc propositio, Deus est homo sit vera, & propria.

45 DVrandus *in dist. 4. q. 2.* dicit, quod licet hæc propositio sit vera, non tamen ita propria in rigore sermonis, sicut est ita: *Petrus est homo.*

46 Communis, & vera sententia seq. concl. explicatur. *Ista propositio Deus est homo, est vera, & propria secundum proprietatem sermonis.* Sic tenet S. D. hic *art. 1.* & omnes eius expositores. Apertè colligitur ex Concil. V. Constantinop

sess.

sess. 8. *can.* 6. Et ex alijs apud Cipullum *art.* 1. *dub.* 1.

47 Probatur 1. nam si ista propositio *Deus est homo*, non esset vera in sensu proprio; & in rigore sermonis, sequeretur, quod B. Virgo non esset verè, & propriè Mater Dei, seu Deipara; hoc est damnatum in multis Concilijs; ergo,&c. Sequela probatur, nam vt obseruat N.S.P. Cyrillus *Epist.* 1. *ad Presbyteros, Diaconos, &c.* in tantum B. Virgo dicitur propriè Mater Dei, in quantum Deus propriè est homo, & est verum dicere *Deus est homo*, ergo si ista propositio est solum abusiua, etiam solum abusiuè erit B. Virgo Mater Dei, cum totum fundamentum Maternitatis Marianæ, sit, quia Deus factus est homo, seu quia verè, & propriè Deus est homo.

48 Probatur 2. nam ista propositio *Verbum caro factum est*, est vera, & propria; ergo etiam ista *Deus*, aut *Verbum est homo*. Antecedens est de fide, eaque propositione vtuntur Sancti Patres contra Nestorium, contra Euthychetem, & alios hæreticos, ad probandum quod diuinitas non est conuersa in humanitatem, nec è contra; & quod in Christo D. non est facta naturarum confusio. Conseq. probatur, nam vnumquodque est illud quod fit verè, & propriè; sed Deus, seu Verbum factum est caro, seu homo, ly namque *caro*, accipitur pro tota natura humana, vt sensus sit Verbum factum est homo, vt obseruat S.P. Aug. *lib.* 83. *q.q.* 80. ergo verè,& propriè Deus, seu Verbũ est homo.

49 Probatur 3. nam illa propositio est vera,& propria, in qua prædicatum, & subiectum sumuntur in propria significatione, & non abusiuè, aut metaphoricè, vt cum dicitur Christus est lapis, est Agnus, &c. Sed in ista propositione *Deus est homo*, subiectum, & prædicatum accipiuntur in propria significatione; ergo, &c. Minor probatur, nam subiectum *Deus* accipitur propriè non abusiuè, non metaphoricè, vt pluries definitum est contra Arium negantem Christi D. diuinitatem. Similiter prædicatum *homo*, accipitur propriè pro vero homine. Tum quia vt aliqua propositio sit vera, & propria, sufficit, quod prædicatum insit subiecto, non quod extrema sint ad inuicem identificata, seu sint realiter idem, aliàs omnes propositiones in quibus accidens prædicatur de suo subiecto essent falsæ, vt cum dicitur Homo est albus, sed natura humana, & diuina sunt in eodem supposito, seu quasi subiecto; ergo, &c. Vnitas namque subiecti, & prædicati, est tantum in esse prædicati,& subiecti, vt sint aliquid vnum vel in identitate, vel in subiecto, vel in supposito; sed in hac propositione *Deus est homo*, subiectum, & prædicatum sunt vnum in subsistentia, seu in supposito, sunt enim maximè vnum in hoc ordine, cum sint vnum subsistens; ergo verè & propriè fit hæc enunciatio *Deus est homo*.

50 Occurret aliquis pro Durando, quod ex his rationibus rectè colligatur, quod ista propositio sit vera, & propria *Verbum est homo*, quia re ipsa ista duo constituunt vnum subsistens, non tamen ista. *Deus est homo*, nam *Deus* stat pro Deitate, seu diuinitate, aut natura diuina, quæ non est suppositum naturæ humanæ, & quasi subiectum illius in dicta enunciatione. Sed contra, nam quæ verè, & proprie possunt prædicari de persona Verbi, seu de Verbo, possunt etiã prædicari de Deo, non secundum se absolutè, sed prout supponit pro eadem persona Verbi, sed *Deus* in hac propositione *Deus est homo*, supponit pro ipsa persona Verbi; ergo, &c. Maior nota est, nam persona Verbi est verè. & propriè Deus, ac proinde quoties *Deus* supponit pro persona Verbi, quod de persona Verbi possunt prædicari, etiam de Deo pro eodem supponente poterunt prædicari. Minor etiam nota est, nam licet nomen *Deus* secundum se magis latè pateat, quã Verbum, tamen à prædicato *homo* restingitur ad supponendum pro Verbo. Terminus namque communis, ex Doctrina Dialecticorum, restingitur per prædicatum, vt non amplius communiter supponat, vt cum dicitur *Deus generat*, ly Deus restingitur vt non amplius supponat communiter, sed pro Patre. Soluuntur argum. in contrarium.

51 Primum argumentum, nam vbi est maior identitas prædicati cum subiecto; ibi est maior proprietas propositionis; sed in hac propositione *Petrus est homo*, est maior identitas prædicati cum subiecto, quam in ista *Deus est homo*; ergo in illa est maior proprietas propositionis, quam in ista. Maior nota est, proprietas namque propositionis desumitur ex identitate prædicati cum subiecto, ac proinde vbi erit maior identitas, ibi erit maior proprietas. Minor probatur, nam Petrus, & homo ita identificantur, vt implicet esse Petrum,& non esse hominem; at Deus & homo non sic identificātur, nec sic vniuntur, vt non possit esse Deus sine homine, vt patet; ergo, &c. Resp. distinguendo maiorem vbi est maior identitas prædicati cum subiecto in ratione prædicati, & subiecti, ibi est maior proprietas propositionis, conceditur: vbi est maior identitas quoad alia vt in ratione generis, & speciei, in ratione gradus specifici, & indiuidualis; &c. negatur. Deinde distinguitur minor: in hac propositione *Petrus est homo*, est maior identitas in ratione prædicati, & subiecti quam in ista *Deus est homo*, negatur: in ratione gradus specifici, & indiuidualis, conceditur. Proprietas autem propositionis attenditur ex identitate prædicati, & subiecti, non ex alijs rationibus. Quocirca dato de quo nu. 54. quod ad hoc vt prædicatio sit in *quid* requiratur identitas realis prædicati & subiecti, non tamen hæc requiritur ad hoc vt prædicatio sit vera, & propria, ad hoc enim sufficit identitas subiecti, vel suppositi, vt in nostro casu contingit. Quare licet Deus possit esse sine homine, & Petrus non possit, tamen hoc nil facit ad veritatem propositionis, nam in propositionibus in *quale*, subiectum potest esse sine prædicato, & tamen sunt veræ propositiones.

52 Secundum argum. quia prædicatum non potest vnum, & idem, & respectu eiusdem subiecti dici substantiuè, & adiectiuè; sed *homo* potest dici de Deo substantiuè, & adiectiuè; ergo non potest propriè dici de Deo. Maior nota est, nam dici substātiuè est dici per se, & dici adiectiuè, est dici denominatiuè, & per accidens, idem autem respectu eiusdem non potest dici vtroque modo; non enim de Petro dicere possumus, est vestis, substantiuè; sed est vestitus, adiectiuè. Minor probatur, nam de Christo D. dicitur quod est *homo*, & quod est humanatus; ergo, &c. Resp. concedendo maiorem,& negando minorem; nam quando reperitur apud Patres, quod Deus est humanus, vel humanatus, tunc adiectiuum accipitur pro substantiuo. Vnde quando dicitur de persona Verbi post incarnationem: *Est persona humana*, ly *humana* non accipitur adiectiuè, seu denominatiuè, sed substantiuè, & sit sensus quod est subsistens in natura humana, seu quod Verbum sit factum homo.

53 Tertium argum. nam duæ naturæ in eodem supposito non prædicantur propriè de se inuicem, sed tantum denominatiuè, seu adiectiuè; ergo natura diuina, & humana non prædicabuntur nisi hoc modo, ac proinde ista prædicatio *Deus est homo*, erit denominatiua, secundum rem, licet secundum apparentiam videatur substantiua. Antecedens probatur, nam partes non prædicantur de se inuicem substantiuè, sed tantum adiectiuè, sicut etiam de toto; sed natura diuina, & humana sunt partes vnius suppositi subsistentis in vtraque natura; ergo,&c. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico procedere de proprijs partibus, non de naturis integris quę induunt quandam rationem partis respectu suppositi vtramque naturam terminantis. In nostro autem casu natura diuina, & humana sunt naturæ integræ, & perfectæ existentes in vno, eodemque supposito, & sic in concreto prædicantur per modum totius.

54 Quartum argum. Homo non prædicatur de Deo *in quid*, ergo non propriè de eo prædicatur. Consequ. constat, de quocumque enim homo propriè prædicatur, *in quid* prædicatur. Antecedens probatur, nam illud de alio prædicatur *in quid*, per quod respondimus ad interrogatio-

gatio-

gationem factam per *quid*, scilicet quid est; sed ad interrogationem factam de Deo quid sit, non respondemus, quod est homo, ergo, &c. Resp. negando antecedens, natura namque humana in concreto sumpta, prædicatur *in quid* de quolibet in ea subsistente, & sic cum Deus in ea subsistat, de eo *in quid* prædicabitur. Ad probationem dico, quod etiam ad interrogationem factam de Deo subsistente in natura humana *quid sit*, rectè respondetur, *quod est homo*; non tamen ad interrogationem quid sit Deus in se.

55 Sed quæres 1. quem sensum faciat ista propositio *Deus est homo*? Varij sunt modi dicendi: nam aliqui dicunt, quod faciat istum sensum. *Deus habet hominem*, sed iste modus dicendi fallus est, cum faciat sensum, quod Deus assumpserit hominem velut vestimentum, vt aliqui hæretici dicebant, volentes quod sicut non potest dici *homo est vestis*, sed *est vestitus*, ita Deus non possit dici homo, sed quod est vestitus homine. Alij dicunt, quod sensus illius propositionis est, quod natura *humana est vnita Deo*, seu *Verbo*. Sed neque iste modus placet, quia eadem ratione dici posset, quod Deus esset manus, pes, &c. quia etiam ista in Christo sunt vnita Deo. Alij etiam dicunt, sensum dictæ propositionis esse: *Deus est ille qui est homo*, aut *Deus est suppositum quod est homo*, sed iste modus dicendi communiter reicitur, quia non explicatur quid importet hoc prædicatum *homo*, & quid prædicet de Deo.

66 D. Thomas hic *art.* 10. *ad* 1. *& q. seq. art.* 1. *&* 1. *p. q.* 39. *art.* 4. quem eius discipuli, & alij communiter sequuntur, dicit, quod sensus dictæ propositionis *Deus est homo*, sit iste: *subsistens in natura diuina, est subsistens in natura humana*, seu quod in idem recidit, subsistens in Deitate, est etiam subsistens in humanitate. Ratio est, quia extrema dictæ propositionis, scilicet *Deus*, & *homo*, supponunt in recto pro supposito Verbi diuini in vtraque natura, diuina scilicet, & humana subsistentis.

67 Hanc D. Thomæ doctrinam impugnat Vasq. *hic disp.* 63. *cap.* 4. nam concreta, vt sunt ista *Deus*, & *homo*, non significant suppositum in recto, sed in obliquo, seu de connotato, nam Deus non est habens Deitatem, sed est Deitas connotans suppositũ, & homo non est habens humanitatem, sed est humanitas connotans suppositum, seu est humanitas existens in supposito. Probat, nam si esset idem Deus, & habens Deitatem, homo, & habens humanitatem, multa sequerentur absurda. Primum, nam posset licitè dici. *Deus generat alium Deum*; hoc est falsum; ergo, &c. Sequela probatur, nam secundum istum modum dicendi liceret dicere: *habens Deitatem, generat alium habentem Deitatem*, ergo etiam liceret dicere. *Deus generat alium Deum*, si Deus nil aliud significat quam habens Deitatem. Secundum est, nam sequeretur, quod hæc propositio *Deus non generat*, esset vera, quam tamen Theologi communiter negant contra Nominales. Sequela probatur, nam hæc propositio *habens deitatem non generat*, est indefinita, & æquiualet huic, *aliquod habens deitatem non generat*, sed hæc est vera; ergo & illa. Tertium, quia si tres personæ diuinæ assumerent eandem humanitatem, tunc esset vera ista propositio *tres personæ diuinæ sunt vnus homo*, & è contra *vnus homo sunt tres personæ diuinæ*; sed si in istis propositionibus concretum *homo* supponeret pro habente humanitatem, essent falsæ; ergo, &c. Vnde *n.* 26. concludit Vasq. quod ideo ista propositio *Deus est homo*, est vera, quia Deitas, & humanitas sunt in eadem persona, quælibet namque natura prædicatur de supposito in quo est, quia significatur vt natura illius, non abstractè, sed cum connotatione sui suppositi.

68 Sed non est recedendum à modo dicendi D. Thomæ, rectè enim rem totam explicat; nec ex eo aliquod sequitur absurdum, sed potius plura sequuntur ex modo dicendi P. Vasq. Primum est, quod si prædicationes vt vult Vasqu. non fiunt de significato directo subiecti, sed de indirecto, & connotato; nulla prædicatio esset vera, nam dum dico *Petrus est homo*,

ly homo prædicatur de significato directo, non de indirecto Petri; prædicata namque indirecta Petri sunt eius singularitas, subsistentia, & existentia, de quibus tamen non prædicatur homo; cum enim ista prædicatio, & aliæ similes, sint *in quid*, prædicatũ debet esse de eo quod sibi identificatur, quod de illis connotatis non est verum. Secundum, nam nulla daretur prædicatio, quæ esset in *quid*, sed omnis esse in *quale*, cum omne *quid* alicuius importetur in recto, non in obliquo, & de connotato. Tertium, nam per illum auctorem suppositum Verbi diuini solum per nomen *Deus* importaretur de connotato, quod est falsum; nam suppositum in ratione suppositi, & respectu naturæ quam subsistere facit, non importatur in obliquo, sed in recto, quod enim facit aliud subsistere, est rectũ illius quod subsistit. Quartum, quia per Vasq. subiectum, & prædicatum non significarent idem, sed diuersa, vnde propositio esset falsa; nam cum dico *Petrus est homo*, fit sensus quod vtriusque extremi significatum sit idem; item cum dico *Deus est homo* significatur, quod vtriusque extremi significatum sit idem; aliàs vnum non posset dici aliud. Hoc saluatur in modo dicendi D.Thomæ, quod scilicet idem quod subsistit in natura diuina, est etiam sistens in natura humana, non saluaretur autem in modo dicendi Vasq. si suppositum diuinum solum importatur in obliquo, & de connotato, cum nullum esset prædicatum, & nihil esset, quod vtrumque extremum dictæ propositionis *Deus est homo*, immediatè significaret.

69 Nec ea quæ pro se adducit Vasq. illi prosunt, nam licet dici possit, quod *habens Deitatem generat alium habentem Deitatem*, non tamen dici potest, quod *Deus generat Deum*; nam licet Deus significet habentem Deitatem, tamen alius est modus significandi nominis *Dei*, & alius *habentis deitatem*; nam *Deus* significat substantiuè, & *habens deitatem* adiectiuè. Vnde si habens Deitatem acciperetur substantiuè non posset dici, quod habens Deitatem generet aliud habens Deitatem. Vel dicas vtramque propositionem concedi posse, designato Patre, nam tunc fit sensus quod Pater Deus, generet filium qui etiam est Deus, & de eodem Patre dici potest, quod habens Deitatem generet alium, scilicet filium habentem Deitatem: non tamen dici potest quod Pater generet aliud, vel alium Deum, nec alium habentem aliam Deitatem.

70 Neque secundum absurdũ, quod infert Vasq. valet, nam neque dicere possumus *Deus non generat*, neque *habens deitatem non generat*, quia vtraque est indefinita, & æquiualet negatiuè quod in diuinis nullus generat. Si tamen vtraque propositio applicaretur Filio, aut Spiritui Sancto, seu si subiectum supponeret pro istis personis, tunc vtraque propositio concedi posset. Neque sequitur tertium absurdum ex modo dicendi D.Thomæ, nam tunc vtraque propositio esset vera. Scilicet si tres personæ diuinæ assumerent eãdem naturam esset verum dicere tres personæ diuinæ sunt vnus homo, quia sensus est, quod tres personæ diuinæ haberent vnam humanitatem; quod est verissimum. Et etiam esset verum, quod vnus homo esset tres personæ diuinæ, tunc enim sensus esset, quod habens vnam humanitatem, sunt tres personæ diuinæ, quod etiam verissimum esset.

71 Quæres 2. an homo dicatur vniuocè de Deo, designato Christo, & de Petro, alijsque hominibus? Negant aliqui, eo fundamento ducti, quod homo dicatur de Deo accidentaliter, & de Petro, alijsque hominibus dicitur essentialiter. Huius quæsiti resolutio dependet ex illa difficultate, an hæc propositio *Deus est homo* sit in materia contingenti, & accidentali, an in materia naturali, quæ difficultas in seq. dubio resoluetur.

D V-

DVBIVM V.

In qua materia sit hac propositio Deus est homo, necessaria ne, an contingenti.

72 TRiplicem propositionum materiã tradunt Dialectici. Scilicet *necessariam, contingentem, & impossibilem*. Materia necessaria, seu naturalis tunc est, quando prædicatum non potest non conuenire subiecto. Contingens est, quando prædicatum potest, & non potest conuenire. Materia impossibilis, seu remota tunc est, quando prædicatum non potest conuenire subiecto. Conueniunt omnes Catholici, quod hæc propositio *Deus est homo*, non sit in materia impossibili, seu remota; quod enim de facto iam est executioni mandatum non potest esse impossibile, nec esse de materia remota, seu repugnante. Difficultas est, an sit in materia necessaria, seu naturali, an in materia accidentali, seu contingenti.

73 Prima sententia est, quod ista propositio *Deus est homo* sit in materia contingenti. Hanc tenent D. Bonau. *in 3. dist. 7. ar. 1. q. 1.* Scotus *ibid. q. 1.* Gabriel *dub. 1.* Durandus *q. 1. & dist. 4. q. 2.* Marsilius *q. 6. ad 5.* Vasq. *disp. 68. cap. 2.* Suarez *in comment. huius art. dub. 4.* & alij.

74 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Hæc propositio Deus est homo, est in materia naturali, seu necessaria.* Sic S. D. *art. 1. ad 1.* Ferariensis *4. contra Gentes cap. 45.* & omnes eius discipuli hoc loco. Pro quo sciendũ, quod ad hoc vt propositio aliqua sit in materia necessaria, seu naturali, nõ debet attẽdi modus quo prędicatũ aduenit subiecto, potest enim esse quod actualis coniunctio prædicati cum subiecto fiat cõtingenter, quatenus potuit impediri, vel nõ impediri, v. g. Deus potuit impedire, quod risibilitas coniungeretur Petro, impediendo eius resultantiam. Tamen cum hoc stat, quod hæc propositio Petrus est risibilis sit per se, & in materia necessaria. Sic licet potuit humanitas non coniungi supposito Verbi diuini, tamen ad hoc potest ista propositio *Deus est homo*, esse per se, & in materia necessaria.

75 Hoc magis manebit explicatum si attendamus elegantem Caietani doctrinam *hic ar. 1.* quod subiectum huius propositionis *Deus est homo*, potest considerari dupliciter. Primò absolutè, & secundum se. Secundò vt determinatum, & contractum per prædicatum *homo*. Si accipiatur absolutè, certum est, quod prædicatum *homo*, non nectitur per se, & necessario cum Deo, aliàs cum absolutè possit supponere pro Patre, pro Filio, vt habente deitatem, & pro Spiritu S. prædicatum *homo* necessariò, & per se prædicaretur de Patre, de Filio vt habente deitatem, seu vt subsistente in natura diuina, & de Spiritu S. quod est falsum. Quod si accipiatur vt determinatum, & contractũ per prædicatum *homo*, vt pro hypostasi, seu pro persona Verbi, stet, prout subsistit in natura humana, tunc propositio est per se, & in materia necessaria.

76 Probatur 1. nam propositio in qua natura prędicatur de sua hypostasi, est per se, & in materia naturali, seu necessaria; sed huiusmodi est ista propositio *Deus est homo*, ergo est in materia necessaria. Maior nota est, est enim prædicatio secundi prædicabilis, vt constat ex Logica. Minor probatur, nam licet *Deus* secundum se possit supponere tum pro hypostasi Patris, Filii, &c. & pro ipsa diuinitate, & pro habente diuinitatem in hac propositione *Deus est homo*, ly *Deus* vt subiectum restringitur per prædicatum homo, vt supponat pro personalitate Verbi subsistente in natura humana, vt enim diximus dubio pręcedenti cum D. Thoma, sensus huius propositionis *Deus est homo*, est Deus, seu Verbum diuinum vt subsistit in humanitate, seu est habens humanitatem.

77 Probatur 2. nam ista propositio *Deus est homo*, est eadem cum ista *Christus est homo*, sed in omnium sententia, ista *Christus est homo*, est in materia naturali; ergo etiam ista *Deus est homo*. Maior constat, quia tam subiectum *Deus*, quam subiectum Christus supponunt pro

eodem,

eodem, scilicet pro hypostasi diuini Verbi subsistente in natura humana. Minor probatur, nam *Christus* formaliter significat indiuiduum naturæ humanæ, est enim idem *Christus*, quod vnctus, seu quod cōpositum ex persona Verbi vngente, seu sanctificante humanitatem assumptam. Propositio autem in qua natura humana in concreto significata dicitur de suo indiuiduo, est in materia naturali, & essentiali, cum sit secundi prædicabilis sicut est ista *Petrus est homo*, est enim speciei de suo indiuiduo.

78 Probatur 3. & confirmatur præcedens argumentum, nam prædicatio in qua species prædicatur de indiuiduo, est in *quid*, per se, & in materia necessaria, vt tradunt Dialectici cum Arist. *in libris Posteriorum*, & Porphyrio *in secundo prædicabili*, sed in hac propositione *Deus est homo*, species prædicatur de suo indiuiduo; Christus namque D. cum sit verus homo, est verum indiuiduum naturæ humanæ; ergo hæc prædicatio est per se, & in materia necessaria, seu naturali. Maior nota est; vnde ista est prædicatio in *quid* per se, & in materia naturali *Petrus est homo*, species namque, scilicet *homo*, prædicatur in *quid* de suis inferioribus. Minor etiam nota est, nam prædicatum *homo* sumitur in hac propositione *Deus est homo*, pro vero, & proprio homine, qui est gradus vniuocus respectu Christi, & nostri, aliàs Christus D. non esset consubstantialis nobis, non esset noster frater, non esset Deus de genere nostro, &c. Et subiectū *Deus*, supponit pro Deo, seu Verbo vt subsistente in natura humana, & constituente verum indiuiduum illius; ergo, &c. Tum quia prædicatum *homo*, dicitur per se de quolibet subsistēte in natura humana, sed Deus, seu Verbum in hac propositione *Deus est homo*, est aliquod subsistens in natura humana; ergo, &c.

79 Occurres cum Vasquez, quod in hac propositione prædicatum *homo*, non determinat subiectum *Deus*, vt stet pro subsistente in humanitate; aliàs nulla esset propositio contingens, si semel prædicatum ita determinaret subiectum, vt illud extraheret à propria significatione, ad standum pro forma per prædicatum significata. Et sic cum subiectum *Deus* significet deitatem, ab illa non significanda, ad significandam humanitatem non extrahetur, nisi aliquid aliud addatur, vt si addatur *humanatus*, dicendo *Deus humanatus est homo*, nam cum *humanatus* se teneat ex parte eiusdem subiecti *Deus*, illud restringit ad standum pro forma per prædicatum significata.

80 Sed contra, nam falsum est, quod prædicatum non determinet subiectum ad significandum determinatè, quod prius indefinitè significabat, cum enim voces, vt Grammatici docent, habeant quandoque plures significationes, vel saltem eas habere possint, prout stant sub illo, aut isto modo significandi, sequitur, quod ex diuerso modo importandi, seu significandi, vox, aut nomen diuersam sortiatur denominationem; ergo cum hoc nomen *Deus* possit supponere pro pluribus, seu possit significare plura, pro ratione diuersorum prædicatorum poterit diuersa significare, & pro diuersis stare. Vnde quando dicitur. *Deus est homo*, ly *Deus* non significat deitatem, non stat pro Deo Patre, non stat pro Filio vt subsistente in natura diuina, non stat pro Spiritu S. Sed stat pro Verbo, seu pro Filio, vt subsistente in natura humana, & sit sensus Deus Verbum vt terminans naturam humanam, vt sustentans naturam humanam, &c. est homo.

81 Probatur 4. nam vt diximus *n*. 84. ad hoc vt aliqua propositio iudicetur necessaria, seu naturalis, non debet attendi modus quo prędicatum aduenit subiecto, sed quo illud afficit; sed hoc prædicatum *homo*, in hac propositione *Deus est homo* afficit subiectum *Deus* intrinsecè, & essentialiter; ergo ista propositio est per se, & essentialis, seu in materia necessaria, aut naturali. Minor probatur, nam vt pluries diximus, nomen *Deus* in ista propositione supponit pro Deo Verbo vt subsistente in natura humana, cui vt sic, humanitas est aliquid intrinsecum, ingrediens suppo-

posi-

positum, non suppositalitatem, tanquam pars eiusdem suppositi, seu tanquam pars cuiusdam totius, & cuiusdam compositi; pars autem est de essentia sui totius, qua ratione est quoddam totum. Vnde licet fuerit contingens, quod humanitas vniretur Verbo diuino, cum hoc mysterium non ex necessitate, sed ex libertate fuerit peractum, non tamen fuit contingẽs Deo, vt subsistente in humanitate, vt eam sustentante, esse hominem, sed necessarium, intrinsecum, & essentiale. Sicut est nobis contingens quod simus in rerum natura, quia poteramus creari, & non creari, tamen est nobis essentiale, quod constemus corpore, & anima, est necessarium quod simus risibiles. Quò sensu ista propositio *iugulatus interijt*, est propositio per se, licet iugulatio non fuerit necessaria, sed libera, & contingens. Soluuntur argum. in contrarium.

82 Primum argum. nam in omni propositione per se, seu necessaria, aut naturali, prædicatum est de intrinseca ratione subiecti, conuenit ei necessariò, omni contento sub eo, & est æternæ veritatis; sed esse hominem, non est prędicatum, de essentia Dei, nec ei conuenit necessariò, sed liberè, cum Deus liberè sit incarnatus, nec conuenit omni sub eo contento, cum non conueniat suis personis diuinis; nec est sempiternæ, seu æternæ veritatis; ergo non est illa propositio per se, necessaria, & naturalis, sed contingens, cum ante incarnationem esset falsa, & modo posset esse falsa, si Verbum diuinum dimitteret humanitatem. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem, nam vt constat ex dictis, subiectum dictæ propositionis, scilicet *Deus*, determinatur per prædicatum vt supponat pro Verbo diuino non vt subsistente in natura diuina, sed vt subsistente in natura humana, & quatenus constituit vnum suppositum, quod continet naturam humanam, de quo ipsa natura in concreto prædicatum. Quod autem hæc vnio liberè facta sit in tempore non tollit quin propositio sit æternæ veritatis; ad propositionem namque æternæ veritatis non requiritur vnio actualis subiecti cum prædicato, sed quod copula *est*, absoluatur à tempore, & solummodo significet dato tali subiecto, quod in nostro casu contingit, nam dato Deo Verbo sustentante naturam humanam, seu subsistente in vtraque natura, statim dat.r Deus homo.

83 Secundum argum. nam omnis propositio per se, est vera cum reduplicatione; sed hæc propositio *Deus est homo*, non est vera cum reduplicatione; ergo non est per se, seu in materia necessaria. Maior est Aristotelis *lib. 1. poster.* vbi dicit esse idem *per se, & secundum quod ipsum*, propositionem esse secundum quod ipsum, est esse ad conuertentiam cum propositione per se. Minor probatur, nam est falsum quod Deus in quantum Deus sit homo, si in quantum accipiatur reduplicatiuè; ergo ista propositio *Deus est homo* non est per se. Resp. 1. cum Aluarez *hic art. 1.* quod maior solum est vera in propositionibus, quæ sunt per se ratione formæ importatæ per subiectum, vt si dicatur Deus in quantum Deus est æternus, aut homo in quantum homo est rationalis, non de propositionibus, quæ sunt per se, & in materia naturali ratione suppositi, vt est ista *Deus est homo*, *Christus est homo*, &c. Resp. 2. negando maiorem, plures namque dantur propositiones per se, quę veræ non sunt posita reduplicatione; nam ista propositio *homo est animal*. est per se, & tamen est falsa reduplicatiuè, nam homo in quantum homo non est animal, sed rationalis. Similiter ista propositio *homo est risibilis*, est per se, & tamen cũ reduplicatione in quantum homo est risibilis, est falsa. Pariformiter ista est per se. *Homo est sensitiuus*, & tamen ista est falsa, homo in quantum homo est sensitiuus. Aristoteles autem eo loco solum vult, vt explicant eius interpretes, quod quicquid dicitur de subiecto secundum quod ipsum, dicatur per se, non cum reduplicatione subiecti. vt ibi explicant D. Thomas, Albertus, Philopponus, & alij.

84 Sed quæres 1. an homo vniuocè prædicetur de Deo, & hominibus? Respon-

pondet Lugo *disp.* 23. *sect.* 1. *n.*24. quod si per prædicatum vniuocum intelligatur id, quod, ex parte prædicati retinet eandem significationem, tunc homo vniuocè prædicatur de Deo, & hominibus, nam prædicatum homo in his propositionibus *Deus est homo*, & *Petrus est homo*, retinet eandem significationẽ. Quod si per prędicatum vniuocum intelligatur id quod essentialiter conuenit subiectis de quibus dicitur, vt exigitur ab Aristotele *cap. de vniuocis*, cum dicit *vniuoca sunt quorum nomen est commune, & ratio substantiæ eadem*, tunc homo non est vniuocum de Deo, & hominibus, cum non habeat rationem substantiæ, seu essentiæ eandem; non enim Deo conuenit essentialiter sed tantum accidentaliter, & denominatiuè; vnde *homo* de Deo, & hominibus erit quidem prædicatum cõmune denominatiuè, non vniuocè. Nihilominus iam constat ex dictis in toto isto dubio, quod *homo* vniuocè prædicetur de Deo, & hominibus, ita namque est essentialiter homo Deus vt sustentans naturam humanam, ac Petrus. Licet enim *homo* dicatur denominatiuè de Deo, vt dicit deitatem, & de Verbo vt subsistente in natura diuina, non tamen dicitur denominatiuè de Deo, seu Verbo vt subsistente in natura humana. Verbum namque vt subsistens in natura humana est essentialiter homo, vt iam vidimus.

85 Quæres 2. an *Deus* in hac propositione *Deus est homo*, supponat indefinitè, pro supposito indeterminato Dei, an determinatè pro sola persona Verbi? Resp. ex dictis supponere determinatè pro persona Verbi vt subsistente in natura humana. Sed contra obijcit Lugo loco citato *num.* 27. quod ex hoc sequeretur quod etiam esset vera ista propositio *Deus non generat*, quæ tamen communiter negatur, nam si est vera ista *Deus est homo*, quia *Deus* supponit pro Verbi persona, ita etiam erit vera illa, quia *Deus* determinatur per prædicatum ad supponendum pro Filio, aut Spiritu S. qui non generant.

86 Sed debebat aduertere Lugo differentiam inter propositionem affirmatiuam, & negatiuam, quod negatiua plus negat, quàm affirmatiua affirmet: negatio plus tollit, quàm ponat affirmatio, quod non solum docent Dialectici cum dicunt negationem esse malignantis naturæ, cum totum neget, sed etiam docent humanæ leges, *l. filius fam.* §. 1. C. *de donationibus*, & alibi, glos. 1. *in l. iuris gentium*, *ff. de pactis*, & glos. *in cap. cum dilectus de consuetudine*. Hinc Surd. *decis.* 243. *n.* 6. & 7. dicit, quod negatiua dispositio nullum casum excipit. Videatur Couar *var. lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 7. Cardinal. Tusch. *litt. N. concl.* 27. Mari. Antonin. *var. resolut. lib.* 1. *resol.* 20. *n.* 7. Tiraquel. *de iure primogen. q.* 24. *a. n.* 12. & alij communiter.

87 Quæres 3. an etiam istæ propositiones sint per se, & in materia necessaria. *Christus est Deus*, *Christus est homo*, sicut diximus esse istas *Deus est homo*, & & *homo est Deus*. Resp. affirmatiuè, Christus namque significat personam Verbi diuini in duplici natura subsistentem, humana scilicet, & diuina, ac proinde illi per se se conuenit Deum esse, & hominẽ; quoties autem duæ naturæ sunt in eodem supposito, possunt ad inuicem in concreto prædicari. Idem dicendum est de hac propositione *Emanuel est Deus*, & *Emanuel est homo*, Emanuel namque significat Deum nobiscum, seu Deum nobiscum inhabitantem.

88 Quæres 4. an istæ propositiones *Iesus est Deus*, *Iesus est homo*, & *homo est Iesus*, & *Deus est Iesus*, sint per se, & in materia necessaria, seu naturali? Resp. affirmatiuè, nam *Iesus* significat duas naturas diuinam, & humanam in eodem supposito; est enim Iesus idem ac Saluator, non potest autem homo esse Saluator, nisi sit etiam Deus.

89 Lugo *disp.* 23. *sect.* 2. *n.* 55. impugnat hanc resolutionem, dicit enim quod alia est ratio imponendi nomen, & aliud est id ad quod significandum nomen imponitur. Vnde licet nomen *Iesus* impositum fuerit Saluatori propter officium Saluandi, non tamen significat Saluatorem, sed significat determinatum hominem; fuit enim impositum eo modo,

quo

quo homines imponere solent nomina filijs suis, quæ imponuntur ad denotandum & significandum hunc hominem determinatum; quocirca idem est dicere Petrus, Ioannes, &c. ac hic, vel ille homo & sicut per has voces *hic homo*, non significamus determinatè suppositum, cum idem homo esset, licet haberet aliud suppositum, sic nec per has voces Petrus, & Ioannes significatur determinatè suppositum, sed vagè tantũ. Nomen ergo *Iesus*, est impositum ad significandum hunc hominem, non suppositum determinatè, sed vagè tantum. Vnde si verbum dimitteret humanitatem, cum propria subsistentia maneret idem homo, & non esset idem suppositum.

90 Sed contra, nam in primis falsum est, quod nomen *Iesus* non significet Saluatorem, vt colligitur ex illo Angeli. *Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum, &c.* Vbi Angelus ex nomine deducit officium. Vnde D. Bernardus ser. 1. de circumcis. Sic fatur. *Magnum, & mirabile Sacramentum. Circumciditur puer, & vocatur Iesus. Circumcisio nempe magis saluandi, quam Saluatoris esse videtur, & Saluatorem circumcidere potius decet, quam circumcidi*, & post aliqua dicit. *Circumciditur tanquam verus Abrahæ filius, Iesus vocatur tanquam filius Dei.* Vbi vt vides, nomen *Iesus* non significat determinatè hominem, sed filium Dei, in natura diuina, & humana subsistentem, ac proinde Saluatorem. Deinde falsum est, quod dicit Lugo, quod scilicet si Verbum diuinum dimitteret humanitatem, & pullularet propria subsistentia, esset idem numero homo; hoc enim falsum est, esset quidem eadem numero humanitas, sed non esset idem numero suppositum; non enim posset tunc dici de illa humanitate, seu homine, quod esset Filius Dei, quod esset suppositum diuinum, persona diuina. Vnde esset idem homo, prout ly *homo* dicit tantum humanitatem, non prout dicit suppositum. Nomen autem *Iesus* non dicit tantum humanitatẽ, sed suppositum humanitatis, quod est suppositum Verbi diuini.

DVBIVM VI.

An hæc propositio sit vera in proprietate sermonis: Deus factus est homo.

91 Prima sententia est, quod hæc propositio sit vera, non tamen omnino propria in rigore sermonis, quia id propriè dicitur fieri tale, quod mutatur in id quod fit, sed Deus non fuit mutatus in hominem, ergo non potest propriè dici fieri homo. Sic tenet D. Bonau. *in 3. dist. 7. art. 1. q. 2.*

92 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Hæc propositio: Deus factus est homo, non solum est vera, sed etiam propria.* Sic docent omnes, tam Scholastici, quam Theologi. Colligitur ex illo Ioan. 1. *Verbum caro factum est*, idest, iuxta communem expositionem. *Verbum*, seu *Dei Filius, factus est homo.* Et in Concilio Nicæno dicitur. *Et homo factus est.* Ratio à priori est, quia vnumquodque fit illud, quod de nouo incipit prædicari de illo; sed esse hominem incipit de nouo prædicari de Deo ratione incarnationis, cum prius non prędicaretur; ergo Deus factus est homo, ac proinde erit vera ista propositio in proprietate sermonis *Deus factus est homo.*

93 Confirmatur 1. nam id quod antea erat, & aliquid siue effectiuè, siue formaliter non efficiebat, & postea incipit efficere, dicitur fieri illud quod facit, sed Verbum diuinum ante incarnationis mysterium verè, & propriè erat, & in ipso incarnationis instanti per actionem vnitiuam, & per propriam subsistentiam, medio modo substantiali vnitiuo in humanitate producto, cæpit esse formaliter homo cum prius non esset, & facere actiones humanas; ergo verè homo factus est.

94 Confirmatur 2. nam si Deus propriè non esset factus homo, maximè ob fundamentum D. Bonauenturæ, quia scilicet non possit vnum dici fieri aliud nisi id quod fit in aliud mutetur, sed hoc fundamentum nihil est; ergo verè, & propriè dici potest, quod Deus factus sit homo. Minor probatur; nam præterquam

quod, ad hoc quod Deus in tempore dicatur fieri homo, non est necesse, quod mutatio fiat in Deo, sed sufficit quod fiat in humanitate; sicut ad hoc vt Deus in tempore fiat creator, non est necesse quod mutatio fiat in ipso Deo, sed sufficit mutatio facta in creatura. Ad hæc, nam hic non loquimur de subiecto mutationis, sed de subiecto propositionis; vt autem Deus sit subiectum propositionis non est necesse quod aliquid in re recipiat; nam etiam Deus est subiectum huius propositionis. *Deus est creator*, non tamen est subiectum mutationis; ad illud namque primum sufficit quod in propositione quam nos formamus vt substat nostris conceptibus, prædicatum dicatur de subiecto, etiamsi aliàs vnum non adueniat alteri, cum possit cum eo identificari, vt cum dicitur *homo est animal*.

95 Confirmatur 3. nam ista propositio *Deus factus est suppositum humanum*, est vera, & propriè dicta, quod enim fit per veram, & propriam efficientiam dicitur verè, & propriè fieri, sicut cum paries dealbatur, dicitur fieri albus, vnde ista propositio est vera *Paries factus est albus*; sed Deus per veram actionem vnitiuam qua vnitus fuit humanitati cæpit esse suppositum humanum sustentando humanitatem, ergo verè, & propriè factus est suppositum humanum, ac proinde erit verum verè, & propriè, quod *factus est homo*. Licet enim falsum sit, quod suppositum Verbi sit factum, cum sit ab æterno, est tamen verum quod suppositum Verbi factum est humanum sustentando humanitatem. Soluuntur argumenta in contrarium.

96 Primum argum. nam Deus non potuit fieri homo sine mutatione saltem in humanitate facta; ergo hæc Deo tribui posset per communicationem idiomatum. Consequ. probatur, nam ex generatione terminata ad humanitatem, Deus dicitur genitus, ergo etiam ex mutatione facta in humanitate, Deus dicetur mutatus. Resp. negando conseq. Ratio est, quia non omnia prædicata, neque omnes denominationes, quæ naturæ humanæ conueniũt tribui possunt supposito. Prædicata namque illa quæ explicant munus naturæ in ordine ad suppositum, non tribuuntur supposito. Vnde licet humanitas terminetur à supposito, non tamen suppositum dicitur terminari à supposito. Et licet de natura humana dicatur quod fuit assumpta à Verbo, non tamen de Verbo dici potest quod fuerit assumptum. Et licet de natura humana dicatur quod sit composita, non tamen esse compositum dicitur de Verbo. Ita licet de natura humana dicatur quod fuerit mutata in assumptione, non tamen de Verbo dici potest quod fuerit mutatum. Tum quia prædicata partiũ non tribuuntur toti quando dicta prædicata dicũtur de partibus vt exercent munus partium, secus quando non exercent; vnde dum caput dolet, vel sentit dicitur homo dolere, vel sentire, non tamen homo dicitur componere corpus, sicut de capite dicitur.

97 Secundum argum. nam ex nostra doctrina, & sententia sequeretur posse dici, *Verbum factum esse Deum*, sicut dicitur factum esse hominem, hoc est falsum; ergo, &c. Sequela probatur, nam iste syllogismus expositorius est legitimus. *Hic homo est Deus; Verbum factum est hic homo, ergo Verbum factum est Deus.* Vel sic. *Deus factus est hic homo, sed hic homo est Deus; ergo Deus factus est Deus.* Resp. hos syllogismos esse falsos, cum laborent fallacia accidentis, nam in hoc vltimo syllogismo nomen *Deus* aliter sumitur in præmissis, & aliter in consequentia. In præmissis sumitur pro subsistente in natura humana, at in consequentia sumitur pro Deitate, aut subsistente in natura diuina; eodem modo sumitur in primo syllogismo expositorio. Vnde formaliter sunt quatuor termini, cum Deus aliter sumatur in præmissis, ac in consequentia. Vnde ob istum defectum iste syllogismus est falsus. *Hoc dulce est calidum, Sol fecit hoc calidum, ergo Sol fecit hoc dulce.* Iste etiam est falsus ob eandem rationem. *Hoc lignum est calidum, ignis fecit hoc calidum; ergo ignis fecit hoc lignum.*

98 Sed dices, quod ex hoc quod fiat

ali-

aliqua variatio terminorum non ob id sequitur, quod syllogismus sit falsus, vt constat in hoc syllogismo expositorio: *Album est disgregatiuum visus: homo factus est albus; ergo homo factus est disgregatiuus visus*, ponitur enim terminus *factus* in minori, qui non ponitur in maiori. Resp. quod iste syllogismus est falsus ratione formæ, licet sit bonus ratione materiæ. Vnde non valet in eadem forma iste syllogismus. *Omne calidum est essentialiter corpus: sed hoc est factum calidum ab igne; ergo hoc est factum corpus ab igne.*

DVBIVM VII.

An ista propositio sit vera in proprietate sermonis. Homo factus est Deus.

99 PRima sententia partem tenet affirmatiuam; quod scilicet hæc propositio sit vera, & concedi possit. Hanc tenent Scotus *in 3. dist. 7. q. 2.* Gabriel *ibid. q. vnica art. 2.* & aliqui recentiores, volentes has duas propositiones dici ad conuertentiam, & vtramque esse veram, scilicet *Deus factus est homo, & homo factus est Deus*. Dubium procedit de veritate huius propositionis. *Homo factus est Deus*, in proprio, & rigoroso sensu. Pro quo nota ex D. Thoma *hic art. 7.* quod ista propositio potest intelligi in varijs sensibus. Primò quatenus illud participium *factus* determinata absolutè subiectum, & prædicatum, vt vtrumque sit factum, & hoc modo omnino falsa est, cum Deus nullo modo sit factus. Quo etiã in sensu ista falsa est *Deus factus est homo*, si semel *factus* determinet subiectũ, quod tamen impropriè fit ea subiecti determinatio. Secundò quatenus ly *factus* determinat totũ complexũ, vt sit sensus: factum est, *quod homo sit Deus*, scilicet per mysterium incarnationis, & hic sensus verissimus est, sed valdè improprius; nam proprius sensus huius propositionis *Homo factus est Deus*, non est iste, factum est in mysterio incarnationis, quod homo sit Deus. De proprio ergo sensu dictæ propositionis dubiũ procedit, de quo.

100 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Hæc propositio. Homo factus est Deus, non est vera in proprio sensu*. Hanc tenent D. Thomas hic *art. 7.* eius discipuli, & expositores. Pro hac concl. Cipullus citat Sanctum N. Cyrillum Alexandrinũ, Petrum Diaconum, Damasc. Nicætam, Eliam Cretensem, Nazianzenum, & Ioannem Maxentium.

101 Probatur 1. ratione D. Thomæ efficacissima, nam *homo* in dicta propositione supponit pro supposito Verbi diuini sustentante, seu subsistente in humanitate; sed de supposito Verbi diuini nullo modo verificari, vel dici potest quod sit factum; ergo non potest dici *Homo factus est Deus*; Maior nota est, non enim de homine verificari potest esse Deum qua ratione dicit humanitatem, seu ratione humanæ naturæ, sed ratione sui suppositi. In Christo namque homine duo sunt, suppositum, & natura humana; ratione naturæ humanæ non est Deus, nec potest fieri Deus, sed est Deus ratione suppositi. Minor etiam nota est, nam implicat quod suppositum diuinum fiat Deus, cum ab æterno sit Deus.

102 Probatur 2. nam cum dicitur quod *homo factus est Deus*, vel subiectum *homo* accipitur pro persona, seu supposito, vel pro natura; sed vtrouis modo accipiatur, propositio est falsa, quod scilicet *homo factus sit Deus*; ergo, &c. Maior constat, nam in illo subiecto *homo*, nil est aliud pro quo stare, aut supponere possit, nisi vel persona, seu suppositum, vel natura. Minor probatur, nam si stet pro persona, vel supposito, facit sensum, quod suppositum habens humanitatem, factum est Deus, quod omnino falsum est, cum dictum suppositum semper, & ab æterno sit Deus. Quod si stet pro natura humana est etiam falsa, nam facit sensum, quod natura humana facta est Deus, quod est falsum.

103 Probatur 3. & explicatur, nam secundum proprietatem, significatum huius termini *factus est*, tribuitur supposito, siue personæ quam subiectum *homo* significat, cum sit sermo de Christo D. sed

personæ diuinæ nullo modo conuenit, potest factum fuisse Deum, cum semper fuerit Deus; ergo, &c. Quocirca si Christi D. humanitas prius fuisset in proprio supposito, deinde per Verbi diuini assumptionem fuisset destituta illo, adhuc non possemus dicere. *Homo factus est Deus*, ob rationem allatam. Vnde istæ propositiones. *Hic homo factus est Deus*, & *Christus factus est Deus*, sunt falsæ, quia in illis magis distinctè importatur suppositũ. Soluuntur arg. in contr.

104 Primum argum. nam ista propositio est absolutè vera. *Deus factus est homo*, ergo etiam ista. *Homo factus est Deus*. Antecedens constat ex dictis *dub. præcedenti*, conseq. probatur, nam vt docent Dialectici, quoties vna propositio est vera, etiã eius conuersa est vera, sed secunda est conuersa prioris; ergo cum illa prior sit vera, etiam hæc posterior erit vera. Resp. concedendo antecedens, & negando conseq. Ad probationem dico, quod illæ duæ propositiones non dicuntur ad cõuertentiam, nec posterior est conuersa prioris. Ad hoc enim vt vna propositio sit conuersa alterius, requiritur, quod seruetur eadem terminorum suppositio, quod in nostro casu non contingit, nam nomen *Deus* in priori supponit pro supposito relato ad naturam diuinam, & in posteriori supponit pro supposito in ordine ad naturam humanam. Vnde conuersa illius prioris est ista. *Is qui factus est homo, est Deus*; quo modo verissima est.

105 Secundum argum. quod virtute alicuius actionis factum est, vt homo esset Deus, cum prius non esset est verum, & verè dictum; sed ista propositio. *Homo factus est Deus*, solum significat id quod virtute actionis vnitiuæ factum est verè, & propriè; ergo ista propositio est vera, & propria. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem; proprium namque significatum huius propositionis non est significare id quod factum est, scilicet vnionem Verbi cum natura humana, sed quod re ipsa suppositum huius propositionis sit factum, quod est falsum. Vt enim dicebamus cum D. Thoma ly *factum*, vel se tenet ex parte subiecti, & tunc denotat falsum, quia non est factum: vel ex parte prædicati, & etiam tunc denotat falsum, quia prædicatum *Deus* non est factum. Vel ly factum accipitur vt determinat totum compositum, idest vnionem prædicati cum subiecto, & hanc acceptionem vocat D. Thomas impropriam.

106 Tertium argum. nam est vera ista propositio. *Homo genitus est Deus*, ergo etiam ista *Homo factus est Deus*. Resp. negando consequ. nam in prima propositione nil continetur quod repugnet supposito Verbi, neque generatio æterna, vt patet, neque temporalis ex Virgine. At esse factum, omnino repugnat supposito Verbi diuini siue vt subsistit in natura diuina, siue in natura humana: sibi repugnat tum factio æterna, tum factio temporalis.

107 Quartum argum. nam licet repugnet quod subiectum *homo*, vt supponit pro supposito Verbi diuini fiat Deus, non tamen repugnat quod *homo*, vt supponit pro homine vt sic, seu pro gradu specifico: sed in hac propositione. *Homo factus est Deus*, ly homo supponit pro homine vt sic, seu pro gradu specifico, cui non repugnat quod fiat Deus, ergo, &c. Resp. quod propositio dicta procedit de Christo, non de homine vt sic, nam homo vt sic, non fit, nec gradus genericus, nec specificus, sed suppositum, sicut enim agere est suppositi, ita fieri est suppositi. Implicat autem quod suppositum Christi D. fiat.

108 Quintum, nam Sancti Patres absolutè concedunt Deum factum esse hominem, & è contra. S.P. August. *lib. 1. de Trinit. cap. 13.* sic dicit. *Talis erat illa susceptio, vt Deum hominem faceret, & hominem Deum.* S. Damasc. *lib. 3. de fide cap. 11.* dicit. *Verbum caro factum est, & caro Verbum, Deus homo, & homo Deus.* Resp. quod isti Patres, & si qui sunt alij eodem modo loquentes, debent intelligi in sensu minus proprio, ad sensum iam dictum vt illa verba enuncient totum compositum, vt sit sensus *factum est vt homo sit Deus*.

DVBIVM VIII.

An Christus D. possit dici creatura.

109 NOmen creatura bifariam accipi potest, primò latè, quatenus creari idem est ac produci, seu fieri quomodocumque, quod satis frequens est in sacris litteris, vt cum dicitur *Cor mundum crea in me Deus*, idest cor mundum fac in me Deus. Secundò strictè, & propriè, vt dicit productionem ex nihilo. Certum est, quod Christus D. potest dici creatura priori modo; omne namque compositum ex aliqua actione productũ, potest dici creatum priori illo modo creationis. Cum autem Christus D. sit quoddam compositum ex personalitate Verbi diuini, & humanitate, & hoc compositum sit factum media actione vnitiua, sequitur quod latè possit dici creatum. Dubium præsens est, an possit dici creatura posteriori modo, vt creari est fieri, seu produci ex nihilo, seu ex nullo præsupposito subiecto.

110 Prima sententia est, quod Christus D. possit secundum rigorem sermonis dici creatura, per communicationem idiomatum, cessante periculo conueniendi cum hæreticis in modo loquendi, seu ne videamur consentire cum Arianis contendentibus Christum D. non esse propriè Deum, sed rigorosè creaturam absolutè, & simpliciter, quod etiam docuit Nestorius. Sic tenet Vasq. *hic disp.* 65. *c.* 2. & aliqui recentiores.

111 Nostra sententia seq. concl. explicatur: *Nullo modo dici potest, quod Christus D. sit creatura, non solum ad vitandum errorem Arij, & aliorum hæreticorum sed etiam ad vitandam falsitatem propositionis.* Sic S. D. *hic art.* 8. *& in* 3. *dist.* 11. *q.* 1. *art.* 2. vbi sic dicit. *Christus non potest dici creatura, non tantum ad vitandum errorem Arij, vt quidam dicunt, sed etiam ad vitandam falsitatem*. Idem tradit Ricard. *eadem dist. ar.* 1. *q.* 2. Argentina *ibid. art.* 2. *&* 3. Durand. *q.* 1. Palacios *qu. vnica*. Chartusianus *q.* 1. D. Bonau. *art.* 2 *q.* 1. Gab. *q. vnica*, Scotus *q.* 1. & expositores D. Thomæ hoc loco. Colligitur ex Sanctis Patribus qui absolutè negant Christum esse creaturam, vel si quando dicunt esse creaturam, non hoc dicunt absolutè, sed addendo, secundum naturam humanam.

112 Probatur 1. nam illa non est, nec dici potest creatura, cui non conuenit definitio creaturæ, & creationis; sed Christo D. ista non conueniunt; ergo, &c. Minor probatur, nam creatura propriè est res producta ex nihilo, & creatio est productio rei ex nihilo, seu ex nullo præsupposito subiecto; sed Christus D. non est huiusmodi; ergo non est creatura. Hæc minor probatur, nam compositio, seu vnio ex personalitate, & natura humana, non est creatio, productio namque Christi, seu fieri Christi est vnio Verbi diuini cum humanitate, quæ non est creatio, sed vnio: non enim est creatio suppositi diuini, vt patet; neque humanitatis, quia humanitas prius intelligitur creari, quam vniri; & assumptio humanitatis ad Verbum in qua consistit fieri Christi, supponit animam Christi D. creatam, & corpori vnitam, & deinde tota natura ex corpore, & anima composita, à Verbo assumitur. Tum quia creatio est productio totius entis subsistentis ex nihilo, sed subsistens in humanitate non est ex nihilo, ergo Christus D. qui dicit suppositum diuinum vt subsistens in humanitate, non potest dici creatus, seu creatura.

113 Probatur 2. nam in hac propositione *Christus est creatus*, *aut creatura* nomen *Christus*, quod est subiectum prædicationis de quo creatura prædicatur, supponit pro supposito, sed suppositum Christi D. cum sit diuinum, non potest esse creatum; nec creatura, ergo neq; Christus.

114 Decurrit Orlandus cui magis sentẽtia Vasq. & Lugo placet, quam sententia D. Thomæ, quod scilicet idem argumentum possit fieri contra idiomata conuenientia Christo ab humanitate, nam *Christus supponit pro supposito, sed suppositum diuinum mori non potest; ergo nec Christus*.

stus. Vnde, inquit, quemadmodum dicitur Christus mori, sic potest accipi illa propositio *Christus est creatura*, quia reddit hunc sensum: *Suppositum diuinum quod est vnitum humanitati, ratione illius dicitur creatura, & mori.*

115 Sed contra, nam debebat aduertere P. Reuerendissimus differentiam dictorum prædicatorum scilicet creari, & mori, nam creari per se primo conuenit supposito, at mori (& idem est de alijs similibus prædicatis) per se primo conuenit humanitati, mori namque est animam separari à corpore. Est autem differentia inter ista prædicata, quod prædicatum quod per se primo conuenit supposito, & ratione illius naturæ, si in sua præcisa, & formali ratione importat aliquid repugnas diuino supposito, tunc non potest etiam in concreto de Christo enũciari, sed solum cum aliqua particula explicante, quod de eo dicitur ratione naturæ; Ratio est, quia tunc illud prædicatum absolutè enunciatum, sine nota limitationis afficit totum subiectum propositionis, & secundum omne quod continet, nisi per notam limitationis ad solam naturam cui non repugnat, restringatur. Cum autem esse *creatum*, aut *creaturam*, propriè, & formaliter sumptum non conueniat per se primo naturę, & deinde supposito, vt est *mori*: sed per se primo supposito, & deinde naturæ, sequitur, quod hoc prædicatum *creatura* non possit dici de Christo, bene tamen mori.

116 Confirmatur 1. nam proprium, & formale significatum creaturæ est esse ex nihilo, siue mediatè, siue immediatè, sed esse ex nihilo conuenit per se supposito; ergo &c. eius enim est fieri, cuius est esse; & sicut in generatione suppositum est termino *qui* immediatus, & natura est solum terminus *quo*, quatenus suppositũ generatur vt *quod*, & natura vt *quo*. Sic in creatione suppositum erit terminus *qui* & creabitur vt *quod*, & natura erit terminus vt *quo*, & solum vt *quo* creabitur. Tum quia suppositum est aliquod ens extra Deum, ac proinde nisi sit diuinum est capax actionis creatiuæ, ac proinde non poterit de supposito diuino dici quod est proprium suppositi creati, vt est esse creatum. Tum etiam quia esse creatum importat conditionem repugnantem personalitati Verbi, & propriam personalitatis creatæ quatenus est ex nihilo, ergo, &c.

117 Confirmatur 2. nam diuinæ subsistẽtiæ secundum suam entitatem relatiuam virtualiter ab essentia distinctam, sunt formaliter increatæ; ergo cum subsistentia creata habeat entitatem distinctam à natura, seu substantia, ex propria ratione erit quid creatum, cum esse creatum sit transcendens, ad omne ens extra Deum; ac proinde de solo ente ex nihilo dici poterit. Patet autem quod Christus secundum totum quod dicit non est ex nihilo, ac proinde non potest absolutè dici creatus, aut creatura.

118 Probatur 3. nostra concl. Omnis creatura aliquando non fuit, seu aliquando absolutè, & simpliciter incępit esse; sed Christus D. non incępit esse absolutè, & simpliciter; ergo non est absolutè, & simpliciter creatura. Occurrit M. Orlandus quod ad rationem creaturæ sufficit, quod aliquando non fuerit, vel aliquando incęperit esse secundum illam naturam, secundum quam dicitur creatura, licet quoad aliqua nunquam incæperit esse, sed semper fuerit.

119 Sed contra, nam si Christus D. per se, est creatura solum secundum humanitatem, & solum secundum humanitatem incępit esse; ergo non potest absolutè dici de Christo, quod sit creatura, sed secundum quid, cũ addito, scilicet secundũ humanitatem. Tum quia Christus vt est subiectum dictæ propositionis non dicit solam humanitatem, sed dicit suppositum diuinum subsistens in humanitate, seu dicit compositum ex supposito diuino, & humanitate, sed de hoc composito non potest dici quod sit creatura; ergo, &c. Tum quia cum Ariani dicebant Christum esse creaturam, non alia propositione vtebantur nisi ista *Christus est creatura*, nec putabant habere alium sensum, quàm quod totum compositum, quod dicit Christus, est creatura. Si namque illa pro-

propositio habuisset sensum verum, vt differret à Catholicis, non protulissent illam propositionem absolutè, sed dixissent: Christus est creatura etiam secundum suppositum.

120 Probatur 4. nam id omne quod potest creari, & dici creatura, potest etiam annihilari; sed Christus D. absolutè loquendo non potest annihilari; ergo neque potest absolutè loquendo dici creari, & creatura. Ac proinde cum solum de Christo D. dici possit cum hac nota limitationis quod possit annihilari secundum humanitatem, ita solum dici poterit creari cum hac nota limitationis, scilicet secundum humanitatem, & non absolutè. Maior constat; creatio namque, & annihilatio opponuntur, nam sicut creatio est productio totius entis ex nihilo, ita annihilatio est desitio totius entis in nihilum. Minor probatur, nam ad hoc vt Christus D. diceretur absolutè, & simpliciter annihilari, oporteret quod posset desinere etiam secundum suppositum. Cum enim Christus sit quoddam compositum ex persona Verbi, & humanitate, vtrumque desinere deberet, non enim aliquod cõpositum dicitur annihilari, nisi desinat secundum omnes partes.

121 Probatur 5. nam Christus D. est absolutè, & simpliciter Filius naturalis, & non adoptiuus; ergo non est absolutè, & simpliciter creatura. Antecedens est certum, de quo infra. Conseq. probatur, nam si Christus D. posset absolutè, & simpliciter dici creatura, posset etiam absolutè, & simpliciter dici Filius adoptiuus; ergo, &c. Antecedens probatur, nam ideo non potest dici Filius adoptiuus, sed naturalis, quia filiatio sequitur suppositum, quod in Christo est suppositum Filii naturalis Dei, sed etiam esse creaturam in eodem Christo D. sequitur suppositum Filij naturalis Dei, vt subsistentis in natura humana, ergo, &c. Soluuntur argum. in contrarium.

122 Primum argum. desumunt ex testimonijs Sanctorum Patrum, noster Nazian. *orat.* 38. Damasc. *lib.* 3. *de fide cap.* 4. *& lib.* 4. *cap.* 5. *&* 19. Nyssenus *hom.* 13. *in Cant.* Cyrillus *lib.* 10. *de thesauri cap.* 4. Sophronius *in Epist. Synodica*, Hilarius *lib.* 12. *de Trinit.* Ambros. *serm.* 5. *in Psal.* 118. Hierony. *ad Ephes. cap.* 2. August. *in Enchirid. cap.* 38. *& in Symbolo cap.* 4. *& ser.* 38. *de verbis D* & alij plures quos congerit Vasq. *disp.* 65. *cap.* 2. dicunt C. D. esse creaturam Resp. quod Patres non admittunt absolutè dictam propositionem, sed cum addito, vel formali; vt cum dicunt Christum esse creaturam secundum humanitatem, vel virtuali, vt cum dicunt Christum D. esse creatum, & increatum, hæc namque coniunctio æquiualet notæ limitationis.

123 Secundum argum. nam est eadem ratio de ista propositione Christus est creatura, & de ista Christus est minor Patre; sed hæc est absolutè vera, & concedenda; ergo & illa. Maior constat, nam S. D. in hoc *art.* 8. eodem modo discurrit de vna, ac de alia. Minor probatur ex illo Ioan. 14. *Pater maior me est*. Resp. concedendo maiorem pro nunc, & negando minorem. Ad probationem respondetur cum Caiet. & alijs hoc loco, quod Christus D. non dixit absolutè se esse minorem Patre, sed cum sua limitatione, & restrictione, vt constat ex verbis præcedentibus, dixerat enim. *Gauderetis vtique, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est*; certum est autem, quod non iuit ad Patrem secundum naturam diuinam, sed secũdum naturam humanã.

124 Tertium argum. quia omnia, quæ sunt de essentia hominis, absolutè prædicantur de Christo D. sed esse creaturam est de essentia hominis; ergo prædicatur absolutè de Christo. Minor probatur, nam ita se habet esse creaturam ad hominem, sicut esse increatum ad Deum: sed esse increatum est de essentia Dei, ergo esse creatum, & creaturam est de essẽtia hominis. Resp. distinguendo maiorem; omnia, quæ sunt de essentia hominis ratione naturæ, absolutè prædicantur de Christo D. conceditur: omnia quæ sunt de essentia hominis ratione suppositi creati, prædicantur de Christo D. negatur. Esse autem creaturam est prædicatum, quod potissimè dicitur de supposito creato, ac proin-

proinde non potest dici de supposito diuino.

125 Quartum argum. nam etiam esse materiale, & corruptibile sunt prædicata communia tam naturæ, quam supposito creato, sicut esse creaturam, sed illa, hoc non obstante, dicuntur de Christo D. ergo etiam hoc prædicatum esse creaturam. Resp. negando maiorem nam secundum communem modum loquendi esse materiale, & esse corruptibile, sunt prædicata solius naturæ, nam esse materiale dicit esse compositum ex materia, & forma, & esse corruptibile dicit formam informare dissolubiliter, quæ soli naturæ conueniunt, suppositum autem dicitur in alio sensu materiale, & corruptibile, quatenus à materia depēdet.

126 Quintum argum. nam Christus D. non tantum dicitur Deus, sed etiam homo, sed cum dicitur homo, non prædicatur esse increatum, sed esse creatum, ergo, &c. Tum quia de quocumque prędicatur inferius, prædicatur etiam superius, sed esse creatum est prædicatum superius ad hominem, ergo de quocumque prædicatur homo, debet etiam prædicari creatura. Resp. quod creatura est prædicatum superius tum ad hominem, tum etiam ad suppositum creatum, quæ autem dicuntur de supposito creato non possunt dici de supposito diuino. Ad illud de homine, quod scilicet Christus dicatur homo, iam constat ex dictis nu. præcedenti non enim omne prędicatum, quod dicitur de homine, dicitur de Christo, sed illud tantum, quod dicitur de homine ratione humanitatis, non ratione suppositi.

127 Sextum argum. nam quod de aliquo reduplicatiuè prædicatur, potest etiam prædicari specificatiuè, & absolutè, sed creatura prædicatur de Christo D. reduplicatiuè, hęc enim propositio *Christus in quantum homo est creatura, est vero*, ergo etiā poterit absolutè prædicari quod sit creatura. Maior probatur, nam reduplicatio *in quantum* addita subiecto solum designat id per quod prædicatum illi conueniat, cum sit nota perseitatis, sed quod est nota perseitatis, absolutè prædicatur; ergo, &c. Resp. distinguendo maiorem; quod de aliquo reduplicatiuè prædicatur potest etiam prædicari specificatiuè, quādo prædicatum est natum conuenire solum toti, conceditur; quando est natum conuenire etiam parti, & maximè illi, seu ratione illius, negatur. Cum autem in nostro casu prædicatum creatum sit natum conuenire non solum parti, sed etiam toti supposito, licet cū reduplicatione partis, possit de subiecto prædicari, quia tunc significatum ad solam partem restringitur, tamen non potest prędicari absolutè, quia tunc diceretur de supposito absolutè, quod esset creatura, quod in Christo D. est omnino falsum.

128 Septimum argum. nam idem est esse creaturam, & esse temporaliter productum; sed Christus D. est verè, & propriè temporaliter productus; ergo etiam est verè, & propriè creatura. Maior constat. Minor probatur, nam Christus D. est temporaliter genitus; ergo est etiam temporaliter productus, omnis enim generatio est productio, generatio namque est species productionis, & productio est genus generationis. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem, ad probationem dico, quod Christus D. dicitur temporaliter genitus, non tamen potest dici temporaliter productus, aut creatura. Ratio est quia esse genitum non conuenit subsistētię ratione sui, sed ratione naturæ; at esse productum, seu esse creaturam, est prædicatum commune tum naturę, tum subsistentiæ, quæ cum in Christo D. sit ęterna, & diuina non potest dici producta, creata, aut creatura. Potest autem Christus D. dici genitus, quia subsistentiæ Verbi per generationē communicatur natura humana.

DVBIVM IX.

An absolutè sit verum dicere, quod Christus D. incæpit esse.

129 PRima sententia est, quod absolutè dici possit, quod Christus D. incæpit esset. Sic tenent Vasq. *hic disp. 76. cap. 4.* & aliqui recentiores post Scotum *in 3. dist. 11. q. 3.* Lichetum insignem Scoti Discipolum *ibid. q. 3.* aliosq; qui idem dicunt de hanc propositione. *Hic homo* demõstratio Christo *incæpit esse.*

130 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Christus incæpit esse, aut hic homo demonstrato Christo incæpit esse, est falsum; sicut est falsum quod sit creatura.* Sic docet S. D. hic *art.* 8. quem omnes eius interpetres sequuntur, Caietanus, Medina, Suarez, Cipullus, Granadus, Isambert, Lugo, & alij quos refert, & sequitur M. Orlandus *tract. 4. disp. 4. q. 5. n. 41.* Colligitur ex illo Ioan. 8. *Amen. amen dico vobis, antequam Abraham fieret ego sum* & cap. 17. dicitur. *Clarifica me tu Pater claritate quàm habui apud te priusquam mundus fieret.* Si autem de Christo D. absolutè dici posset, quod incæpit esse, non posset dici, quod habuerit esse priusquam mundus fieret. Hoc magis explicans Apostolus ad Hebræos 13. dicit. *Christus heri, hodie, ipse, & in secula.* Quæ verba explicans os aureum Chrysostomi ibid hom. 33. dicit. *Hic illud heri dicit omne tempus præteritum, hodie præsens sæculum, in secula autem futurum, & infinitum.* Et S. Ambrosius lib. 5. de fide cap. 1. dicit *Christus autem semper est, de quo dicit Moyses: qui est, misit me,* & pasum infra subdit. *In Christo autem non fuit est, & non, sed est in illo fuit.*

131 Probatur 1. nam Christus D. est verè filius Dei naturalis, ergo non incæpit esse. Antecedens est certum, de quo infra. Conseq. probatur, nam in hoc distinguitur filiatio naturalis, & adoptiua, quod illa est æterna, hæc temporalis; ista est gratuita, illa necessaria. Si enim non stat filiatio naturalis cum hoc quod est esse creaturam, ita non stabit filiatio naturalis cum hoc quod est incipere esse. Nam sicut filiatio est suppositi, ita incipere esse est suppositi, & personæ, ac proinde vbi filiatio est æterna, non potest esse incæptio esse illius.

132 Probatur 2. nam illud incipit esse, quod ita accipit esse, vt ante hoc instans in quo accipit esse non fuerit absolutè, quod enim absolutè incipit, absolutè non fuit; Sed Christus D. semper fuit, vt constat ex testimonijs *n.* 130. adductis, ergo non incæpit esse. Tum quia istæ duæ pnopositiones. *Hic homo fuit ab æterno, & hic homo non fuit ab æterno*, opponuntur contradictoriè; sed demonstrato Christo D. ista est vera: *Hic homo fuit ab æterno*, ergo ita erit falsa: *Hic homo non fuit ab æterno*, seu incępit esse.

133 Probatur 3. nam in hac propositione *Christus incæpit esse* ly *esse* denotat suppositum, sed suppositum Christi D. non incæpit esse; ergo &c. Minor est de fide. Minor probatur, nam *esse* absolutè prolatum, significat proprium esse rei, sed proprium esse Christi D. est *esse* diuinum, increatum, & ab æterno; ergo si semel verum esset absolutè dicere de Christo, quod incæpit esse, verum esset quod incępisset esse, quoad primariũ eius esse. Vnde ideo ista propositio est vera *Filius Dei incæpit esse homo*, quia denotatur quod suppositum diuinum terminauerit humanitatem, seu incæperit esse in homine, seu in humanitate, & ly esse, stat pro proprio esse, ergo etiam *esse*, stabit pro proprio esse in istis alijs propositionibus. *Filius Dei incæpit esse, Verbum incæpit esse, & Christus incæpit esse*, cum in Christo non sit aliud esse, quam sit esse Filij Dei, & Verbi diuini.

134 Non grauabor apponere hoc loco censuram vniuersitatis Sorbonicæ, quam refert Isambertus Doctor Sorbonicus *hic ad q. 16. disp. 4. art. 5. ante finem.* Vbi sic habet. *Anno Domini 1593. secunda mensis Augusti; Facultas per deputatos qualificauit duas sequentes propositiones, quas verus affirmabat in Sorbonica disputatione Frater Henrieus Bancqueuille Minorita.*

rita. Primò itaque definit, atque determinat, quod hæc propositio Homo factus est Deus de proprietate sermonis est falsa, & erronea, probibetque eam de cætero dogmatizari, aut asseri per Magistros, Baccbalauros & scbolares, tam in schola Theologiæ, quam alibi, nisi cum expressione sensus quem prætendunt Sancti Doctores, videlicet, factum est quod bomo sit Deus. Secundam vero propositionem, scilicet Cbristus incæpit esse, de rigore sermonis, & sic absolutè dictam definiuit esse falsam, scandalosam, & hæreticam. Probibet etiam præfata facultas ne amplius dogmatizaretur, aut asseratur præcedens propostio, nisi cũ addita, & expressa determinatione limitante ipsum, esse ad esse humanũ; & has propositiones censuit prædicta facultas reuocandas, & reparandas in Sorbonico Gymnasio per Fratrem Henricum Bancqueuilla sub pœna priuationis, quas postmodum reuocauit prædictus Frater.

135 Notat Caiet. *hic ar. 9. §. ad docendum*, quod hanc Sorbonicam condemnationem confirmauit Alexander VI. tene verba Caietani. *Sed si accusatur falsitatis negans istam propositionem, iste bomo, seu Cbristus incæpit esse, vtinam non videatur calumniæ, quoniam vt iam ex dictis persuaderi potest, locutio ista simpliciter, & absolutè, est falsa. Vnde damnata nuper est Parisiis, & cum appellatum esset ad Apostolicam sedem, reprobata dicitur sub Alexandro VI.* Hæc Caietanus soluuntur argum. in contrarium.

136 Primum argum. nam licet Petrus quando incipit esse albus, non dicatur absolutè, & simpliciter produci, nec incipere esse, tamen verè dicitur *nunc producitur albus*; ergo pariformiter licet non possit dici *Filius Dei incipit: Verbum incipit*, potest tamen dici. *Hic bomo incipit, Cbristus incipit*, quia per has propositiones solum significatur incæptio illius cõcreti quod antea non habebat esse. Respõdent Lugo, Orlandus, & alij, quod istæ propositiones admitti possunt. *Cbristus incæpit: hic bomo incæpit*, non tamen istæ. *Cbristus incæpit esse; hic bomo incæpit esse*. Rationem differentiæ assignant, quia istæ negant omne aliud esse antea in subiecto, non tamen illæ; diuersitatem colligunt ex communi modo loquendi, nam quando Petrus fit Gubernator, dicimus: *Hic Gubernator incæpit tali anno*, per quod solum significamus ingressum in officium, non tamen dicimus, *Hic Gubernator incæpit esse*, per hoc enim significamus existentiam absolutam, & non tantum officij. Similiter dicimus *incipit album*, vel Petrus incipit esse albus, non tamen dicimus Petrus albus nunc incipit existere.

137 Cæterum hæc responsio non placet, aliud namque est loqui de concretis accidentalibus, & aliud est loqui de concretis substantialibus, nam concreta accidentalia cum non habeant nisi esse accidentale, cum dicuntur incipere, intelliguntur de incæptione accidentali, nec trahi possunt ad inceptionem substantialẽ, & simpliciter, & sic cum dico Petrus incæpit esse albus, Gubernator, &c. intelligitur de esse accidentali constituente concretum accidentale, & sic non valet, Petrus incæpit esse albus, Gubernator, &c. ergo incæpit esse, quia fit transitus à concreto accidentali ad substantiale, cæterum concretum substantiale dicit esse simpliciter, ac proinde, cum res dicitur hoc modo incipere, intelligitur de incæptione simpliciter. Cum autem in nostro casu ly *Cbristus*, & *bic bomo*, ostenso Christo sint concreta substantialia, non poterit de illis absolutè dici, *incæpit esse*, vel *incæpit* cum incæptio concreti substantialis, non sit nisi ratione esse simpliciter, & per hæc patet responsio ad argumentum propositum.

138 Secundum argum. nam licet Christus D. non incæperit esse quoad esse diuinum, incæpit tamen esse quoad esse humanum, quod est esse substantiale, & simpliciter; ergo absolutè dici poterit; quod incæpit esse. Resp. quod licet Deus in tempore incæperit esse homo, non tamen absolutè incæpit esse, vel incæpit, sicut nec de Christo, nec de hoc homine designato Christo dici potest quod incæpit esse, quia istæ propositiones dicuntur, & procedunt de esse simpliciter, non de

esse

esse hominem, vt ex dictis patet.

139 Tertium argum. nam eadem videtur esse ratio de hac propositione *Hic homo incæpit esse*, ac de ista. *Hic homo desijt esse*, scilicet per mortem, sed ista est vera. *Hic homo desijt esse*, designato Christo; ergo etiam ista *Hic homo incæpit esse*. Tum quia non est minus de ratione eius, qui moriturus est, nec manere, nec viuere, quam sit de ratione illius, qui incipit non fuisse antequam inciperet, quia negatio vtrobique importatur, at non obstante immortalitate conueniente Christo D. ratione diuinæ naturæ, Christus D. dicitur absolutè mortuus, ergo etiam dicetur absolutè cæpisse. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem, non enim possumus dicere *Christus desijt*, *hic homo desijt*. Potest quidem dici absolutè Christus mortuus est, hic homo mortuus est, quia mori non est omnino desinere esse, sed solum est amittere aliquod esse substantiale; ratione cuius Christus dicitur mortuus. Ad aliam probationem dico id esse verum quando seruatur sua proportio, quæ in præsenti non seruatur. Nā ista prædicata *viuere*, & *mori*, conueniunt per se primò naturæ, & ratione illius supposito. Vnde tantum important negationem formæ sibi oppositæ, comparatione eius naturæ, cui primò per se conueniūt. Cęterum *esse*, & *incipere esse* ęquè primò per se conueniunt nostris subsistentijs, ac naturis, sicut esse creatum, & esse ex nihilo. Vnde quando absolutè pronunciātur de aliquo subsistente, seu de aliqua natura vt subsistente, tunc significant subiectum huius propositionis incipere esse, ac proinde aliquando, seu prius non fuisse tam quoad subsistentiam, quam quoad naturam illam in qua subsistit, quod in nostro casu est falsum.

140 Quartum argum. illud re ipsa cæpit esse de quo propositio formata de eius existentia pro aliquo tēpore fuit falsa, & pro alio fuit vera; sed ista propositio *Christus est* ante incarnationem fuit falsa, & post illam vera; ergo Christus D. re ipsa incæpit esse. Resp. 1. negando conseq. argumentum namque procedit ex propositione de secundo adiacente, ad propositionem de tertio adiacente, quarum diuersa est significatio. Significatio namque huius propositionis de secundo adiacente *Christus est*, est totius compositi, supponit enim pro toto composito, scilicet pro Christo, vt dicit compositum ex subsistentia, & natura humana, quod ante incarnationem non fuit. At significatum, seu id pro quo supponit propositio de tertio adiacente *scilicet Christus incæpit esse* est ipsum suppositum, quod etiam erat ante incarnationem, licet non sub munero terminandi; vnde ista propositio *Christus incæpit esse*, est absolutè falsa, secus si proferatur cum addito, scilicet incæpit esse quoad terminationem naturæ assumptæ, seu cæpit terminare naturam assumptam. Resp. 2. negando minorem, loquendo namque absolutè hæc propositio *Christus est*, semper fuit vera, iuxta illud Apost. *Christus heri, hodie, & in sæcula*, & iuxta illud. *Antequam Abraham fieret ego sum*, vide supra n. 130. vbi Diuus Ambrosius dicit Christum semper fuisse; si tamen per Christum intelligatur totum compositum, tunc non semper fuit, vt patet.

DVBIVM X.

Quænam de Christo D. admitti debeant cum hac reduplicatione secundum quod homo.

141 HOc dubium plures difficultates continebit, quas proponit S. Doctor *art.* 10. 11. & 12. quasque oportet breuiter resoluere. Prima difficultas est, an hæc propositio *Christus secundum quod homo est creatura*, sit absolutè concedenda. Prima sententia est, quod ista propositio sit absolutè neganda, eo quod sit falsa in sensu proprio. Sic Scotus *in* 3. *dist.* 11. *q.* 2. §. *respondeo*. Gabriel *ibid. q. vnica art.* 3. & *dist.* 7. *qu. vnic. art.* 3. & alij. Secunda sententia est, quod dicta propositio, nec sit concedenda, nec neganda, sed distinguenda, & concedenda quoad reduplicationem

 natu-

naturæ, seu si reduplicetur natura, & neganda si reduplicetur suppositum. Sic tenent aliqui recentiores.

142 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Hæc propositio est absolutè concedenda*. Sic S. D. *art.* 10. quem eius discipuli, & cæteri expositores communiter sequuntur. Ratio clara est, quia ly *secundum quod homo* licet posset reduplicare suppositum, tamen secundum communiorem sensuum, & intellectum, reduplicat naturam humanam, sed hęc est creatura; ergo, &c.

143 Secunda difficultas, an hæc propositio sit vera. *Christus secundum quod homo est Deus.* Respondet S.D. *art.* 1. quod si ly *secundum* reduplicet naturam, tunc ista propositio est falsa, & neganda; falsum namque est, quod ratio ob quã Christus D. est Deus sit natura humana. Quod si ly *secundum quod homo* reduplicet suppositum, tunc ista propositio est vera, & tenenda, quia suppositum naturæ humanæ in Christo D. est Deus. Absolutè tamen ista propositio est neganda, quia ly *secundum quod homo*, reduplicat propriè naturam, non suppositum; terminus namque in reduplicatione positus propriè tenetur pro natura. Magis tamen esset concedenda ista. *Christus in quantum quod hic homo est Deus*, quia vt aduertit S. D. ad 3. illud pronomen demonstratiuum *hic*, trahit nomen homo ad suppositum.

144 Tertia difficultas, an hæc propositio sit vera. *Christus secundum quod homo est hypostasis, vel persona* S. D. art. 12. dicit quod ly *secundum quod homo* potest reduplicare suppositum, vel naturam humanam, ita quod sit sensus quod natura humana habeat propriam personam; vel ita potest reduplicare naturam humanam vt sit sensus quod naturæ humanæ Christi D. competat esse in aliqua persona. Si reduplicet suppositum, certum est quod tunc dicta propositio est vera, quia verum est, quod Christus secundum quod homo prout ly *secundum* cadit supra suppositũ; est persona, vel hypostasis. Quod si reduplicet naturam humanam, vt sit sensus, quod habeat propriam personam, tunc est falsa, cum natura humana Christi D. non habet propriam personam. Si autem reduplicat naturam humanam quoad istum sensum, quod natura humana in Christo D. habeat personam, seu illi competat aliqua, scilicet diuina, tunc est vera, & concedenda. Absolutè tamen ista propositio neganda est, quia absolutè facit sẽsum, quod ratio ob quam Christus D. est persona, sit ratio naturæ humanæ, quod est falsum.

145 Quarta difficultas, an Christus D. possit propriè dici persona humana. Negat Vasq. *disp.* 63. *cap.* 2. dicens quod Christus D. dici non possit persona humana, nec Deus humanus, vel humanatus, licet possit dici Deus humanus, id est benignus, vel etiam humanatus, si sit participium à Verbo humano, sicut dicitur incarnatus. Nihilominus admitti debet quod Christus D. dici possit persona humana. Vnde in Concil. Calcedon. *art.* 2. Verbum diuinum, vocatur Deus humanatus. Tum quia Verbum vocatur caro, *Verbum caro factum est*, ergo etiam vocari potest persona humana, quatenus terminat naturam humanam. Tum etiam quia Christus D. est verus homo, ergo etiam vera persona humana, non quod personalitas sit humana; sed quia simul cum natura humana constituit personam humanam; sicut enim vt terminat naturam diuinam constituit personam diuinam, ita vt terminat naturam humanam constituit personam humanam. Tum denique quia natura humana in concreto prędicatur de supposito, ergo sicut suppositum vt sustentat naturam diuinam dicitur persona diuina, ita vt sustentat naturam humanam potest dici persona humana; aliàs istę duæ naturæ non predicarentur in concreto de eodem supposito.

DISPV.

DISPVTATIO XVII.

IN QVAEST. XVII. DIVI THOMAE.

De pertinentibus ad vnitatem in Christo.

1 IN art. 1. declarat S. D. quod Christus D. sit dicendus vnus nõ duo, siue masculinè, siue neutraliter; hinc D. Athanasius dicit in symbolo. *Non duo tamen, sed vnus est Christus*. & in symbolo Nyceno canimus, *Et in vnum Dominum Iesum Christum*. In 2. art. dicit quod in Christo D. sit tantum vnum esse quia est vna tantum persona. Pro quibus sit.

DVBIVM I.

An Christus D. sit vnus, an duo.

2 RElicta Durandi sententia *in 3. dist. 6. q. 1. n. 13.* quod nullius relinquatur locus præsenti quæstioni an Christus D. sit vnus, an vnum; stante in rigore Grammaticæ, cum enim, inquit, Christus sit masculini generis, in genere neutro dici non potest vnum, vel plura, est enim discordantia Grammaticalis dicere *Christus est vnum*. Nam decipitur Durandus, etiam apud Grammaticos nomen adiectiuum vsurpari solet per modũ substantiui, & hoc modo enunciatur de subiecto generis masculini. Hinc dixit Mantuanus. *Triste lupus stabulis*, idest *res tristis*. Et Ioan. 10. dicitur. *Ego, & Pater vnum sumus*. Et Theologi frequenter dicere solent, quod tres personæ diuinæ sunt vnum in essentia, & Deus dicitur summum bonum, &c.

3 Conueniunt Theologi hoc loco, quod Christus D. sit vnus, & non plures in genere masculino. Ita habetur in symbolo D. Athanasij, ibi *Non duo tamen, sed vnus est Christus*, & infra, *Vnus omnino non confusione substantiæ, sed vnitate personæ*. Colligitur ex Concil. Alexandrino in Epist. ad Nestorium; & ex alijs multis, quæ hic citari solent. Ratio est euidens, nam in personis nomen masculinum non multiplicatur nisi ad multiplicationem naturæ, vnde quia in diuinis multiplicantur subsistentiæ, multiplicantur personæ, ergo cum in Christo D. sit tantum vnica subsistentia, erit tantum vnica persona; ac proinde erit tantum vnus, & non plures.

4 Difficultas præsens solum procedit de nomine neutro, an scilicet dici debeat de Christo quod sit vnum, vel plura. Prima sententia est, quod licet Christus D. masculinè dici debeat vnus, & non plures propter vnitatem suppositi, tamen in genere neutro debet dici plura; propter pluralitatem naturarum, sic aliqui apud Durandum loco citato.

5 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Christus D. non solum est vnus masculinè, sed etiam neutraliter, vt non possit dici plura neutraliter substantiuè*. Sic S. Doctor hic *ar. 1.* vbi omnes eius expositores. Colligitur ex testimonio D. Athanasij, nam si Christus D. esset plura neutraliter, non rectè dixisset D. Athanasius per particulam negatiuam. *Non duo tamen, sed vnus est Christus*. Negatio namque cum sit malignantis naturæ, omnia negat.

6 Probatur 1. nam plura neutraliter substantiuè idem sunt ac plura entia, plura supposita, aut plura indiuidua; sed Christus Dominus non est plura entia, sed tantum vnum ens substantiuè, non est plura supposita, neque plura indiuidua, sed vnum suppositum, & vnum indiuiduum; ergo Christus D. non est plura, sed vnum

tan-

tantum substantiuè. Maior constat, in creaturis rationalibus vbi pluralitas neutraliter substantiuè non potest dici nisi de pluralitate entium, aut suppositorum, aut indiuiduorum. Minor probatur, nam quantum ad duo posteriora certum est, quod in Christo D. non sunt plura supposita, nec plura indiuidua. Quantum ad pluralitatem entium de quo est maior difficultas, probatur, destruendo fundamentum oppositæ sententiæ. Nam si ob aliquam rationem Christus D. diceretur plura entia, maximè ob pluralitatem naturarũ, scilicet diuinæ, & humanæ, sed ob hanc pluralitatem nõ potest dici plura entia neutraliter substantiuè; ergo, &c Maior est fundamentum aduersariorum. Minorẽ probo, nam de Christo dici non potest, quod sit humanitas, sed solum habens humanitatem: nec potest dici quod sit diuinitas, sed habens diuinitatem: nec potest dici, quod sit plura habentia diuinitatem, & humanitatem, sed vnum habens diuinitatem: & humanitatem, ergo, &c.

7 Probatur 2. nam in Christo D. licet sint duæ naturæ, non tamen disparatè, sed ita connexæ vt sint vnum ens, non duo; non est vnum per simplicitatem, sed per compositionem, eo modo quo homo dicitur vnum substantiuè, & neutraliter, licet componatur ex materia, & forma. Præterea omne verum compositum est simpliciter vnum neutraliter; sed Christus D. siue consideretur vt constans personalitate Verbi diuini, & humanitate vnitis, siue vt constat duabus naturis media subsistentia vnitis, est verum compositum; ergo est vnum, non plura neutraliter substantiuè. Soluuntur argum. in contrarium.

8 Primum argum. nam Pater, & Filius in diuinis sunt duæ personæ, & tamen propter vnam numero naturam, dicuntur vnum. *Ego, & Pater vnum sumus*; ergo è contra, in Christo D. cum sint duæ naturæ, earum ratione poterit dici duo neutraliter, ratione duarũ naturarum: si enim ob vnam naturam Pater, & Filius dicuntur vnum; Christus D. ob duas naturas dicetur duo. Resp. concedendo antecedens, & negando conseq. Ratio discriminis est, quod in hac propositione Pater, & Filius in diuinis sunt vnum, ly *vnum* stat pro natura, & Pater, & Filius pro duobus suppositis, & est sensus, quod Pater, & Filius in diuini sunt duo supposita habentia eandem naturam. Cœterum ly *Christus* in hac propositione *Christus est plura*, stat pro supposito, ac proinde sit sensus, quod Christus sit plura supposita, quod est falsum.

9 Secundum argum. nam esse duo neutraliter, est idem ac esse duo entia; sed Christus D. est duo entia; ergo est duo neutraliter. Minor probatur, nam ista propositio est vera. Christus D. est natura diuina, & humana, est enim persona ex vtraque natura composita; sed compositum non est aliud nisi ipsa componentia; ergo, &c. Resp. negando minorem. Ad probationem dico, quod Christus D. est natura diuina, & humana vnita, non secundum se, & separata; natura autem diuina, & humana vnita, non sunt duo entia, sed vnum. Compositum namque est sua componentia vnita, non diuisa, ac proinde vt faciunt vnum ens, non vt sunt plura entia.

10 Sed quæres 1. an hæc propositio sit vera. *Christus est diuinitas, & humanitas simul*? Resp. quod ista propositio in sensu diuiso est falsa, non enim Christus D. est natura diuina, & humana, secundum se, & diuisè. Si tamen inttelligatur in sensu composito, vt sit sensus, quod Christus D. est humanitas, & diuinitas in vno, eodemque supposito, tunc propositio est vera. Absolutè tamen illa propositio videtur facere sensum diuisum, ac proinde neganda, qua ratione condemnatur in Concilio Constantiensi *sess.* 12. & 15. Pro quo videri potest N. Valdens. *lib. doctrinalis fidei cap.* 42.

11 Quæres 2. an istæ propositiones sint veræ. *Totus Christus est homo*, & *Totus Christus est Deus*? Resp. quod istæ propositiones sunt ambiguæ, & proinde sunt distinguendæ. Vel enim sensus est, quod tota persona Christi D. est Deus, & homo, & tunc dictæ propositiones sunt veræ.

Vel

Vel sensus est, quod Christus D. est totaliter Deus, aut totaliter homo, & tunc dictæ propositionas sunt falsæ, & negandæ. Absolutè autem videtur dictæ propositiones habere hunc posteriorem sensum, ac proinde si quis nollet eas distinguere, sed vellet eas absolutè negare, sine vllo periculo errandi, id posset.

12 Quæres 3. an Christus D. possit dici alius, & alius, aut etiam aliud, & aliud? P. Vasq. hoc loco, & alij moderni dicunt concedi posse quod Christus D. possit dici aliud, & aliud. Probant 1. ex Anselmo *lib. de Incarnatione cap.* 5. vbi dicit. *Non est alius Deus, & alius homo in Christo, quamuis aliud sit Deus, & aliud homo*. Idem dicere videtur S. P. August. *contra Felicianum cap.* 11. *& in Enchirid, cap.* 35. Leo I. *Epist.* 10. *cap.* 4. N. Nazian. *epist.* 1. *ad Cledon.* N. Cyrillus Alexand *in schol. de incarnat. cap.* 26. Videtur etiam tenere S. D. supra *q.* 2. *art.* 3. Probant 2. nam sicut forma accidentalis facit alterum, sic forma substantialis facit aliud, vt docet Porphirius *cap. de differentia;* sed in Christo D. sunt duæ formæ substantiales, ergo aliud, & aliud. Probant 3. nam Christus D. est Deus, & homo, sed aliud est Deus, & aliud homo; ergo Christus D. est aliud, & aliud.

13 Nihilominus nullo modo est recedendum à sententia D. Thomæ hoc loco *art.* 1. quod Christus D. neque possit dici alius, & alius, de quo nulla est difficultas inter scribentes; sed neque aliud, & aliud. Ratio communis, quod Christus D. non possit dici alius, & alius, est, quia per hunc terminum *alius*, in masculino genere significatur suppositorum, non naturarum distinctio, vt constat in diuinis, vbi ob solam suppositorum distinctionem tres personæ diuinæ sunt alius, & alius, &c. Sed in C. D. nulla est suppositorum distinctio; ergo non est alius, & alius.

14 Quod autem in Christo D. non sit aliud, & aliud, probatur, nam idem est esse aliud, & aliud, ac esse duo; sed Christus D. non est absolutè, & propriè duo; ergo non est aliud, & aliud. Maior probatur, nam esse aliud, & aliud idem significat, ac esse hoc, & illud, sed esse hoc, & illud est esse duo; ergo &c. Tum quia ad hoc vt Christus D. esset aliud, & aliud, oporteret quod homo, & Deus, seu quod natura diuina, & humana prædicarentur ad inuicem in abstracto, sed hoc est falsum; ergo, &c. Minor nota est. Maior probatur, nam tota alietas in Christo debet desumi ex naturis, non ex supposito, sed naturæ Christi D. non possunt sic prædicari; ergo, &c.

15 Nec ea quæ pro contraria sententia adducta sunt, illi prosunt. Non primum ex S. Patribus, quia vt notat S. D. *hic art.* 1. *ad* 2. quando Sancti Patres dicunt quod Christus D. est aliud, & aliud, propositio est exponenda, vt sit sensus, quod habeat aliam, & aliam naturam, seu exponenda est, vt sit sensus quod habeat aliam, & aliam naturam, quæ secundum se sunt aliud, & aliud. Non secundum, nam tunc forma substantialis facit aliud, cum habet diuersam subsistentiam, constituentem diuersum suppositum. Vnde licet in Christo D. sint duæ naturæ, non tamen duæ subsistentiæ, sed vna tantum. Neque 3. nam licet Deus, & homo secundum se, sint aliud, & aliud, non tamen vt sunt in eodem supposito, vt in nostro casu contingit.

16 Quæres 4. an Christus D. possit dici duo; alius, & alius, & aliud, & aliud cum aliquo addito? Resp. affirmatiuè, nam potest dici duo entia simul sumpta, duo, seu duæ naturæ vnitæ. Vel dicas quod possit dici duo cum hoc addito, ex parte naturarum, vel secundum naturas, &c.

DVBIVM II.

An Christi D. humanitas existat propria existentia creata, an diuina.

17 Prima sententia reputat omnino impossibile, quod humanitas Christi D. existat in rerum natura per existentiam increatam Dei, ac proinde necesse est, quod existat per existentiam propriam creatam. Hanc sententiam sequitur

quitur Orlandus *hic disp.* 5. *q.* 1. *n.* 1. vbi dicit esse cõmuniorem Theologorũ sententiam, & citat pro ea Altisitiod. Albertum, Scotum, Durandum, Gabrielem, Almaynum, Bonau. Palud. & Suarez, quibus addo Isambertus, Vasq. Lorcam, & alios modernos, extra Scholam D. Thomæ.

18 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Humanitas Christi D. de facto existit existentia increata, seu eadem existentia diuina, qua ipsum Verbum diuinum existit*. Hanc sententiam sequitur S. D. *hic art.* 2. vt postea videbimus, quem sequuntur Ferrar. 4. *contra Gent. cap.* 35. *&* 41. Capreolus *in* 3. *dist.* 6. *q.* 1. Asturicensis *de gratia Christi q.* 7. Henricus *quodlibet* 3. *q.* 2. Caietanus, Medina, Cabrera, Aluarez. Cipullus, qui dicit hanc esse communem Thomistarum sententiã, & quod eam sequantur plures recentiores extra scholam D. Thomæ.

19 Cæterum quia huius difficultatis resolutio ex alijs metaphysicalibus depẽdet, propterea oportet prius aliqua breuiter prænotare, & postea per diuersos §§. rem totam explicabimus. Notandum 1. quod in substantijs triplex *esse* distingui solet, siue distinctione reali, siue modali, siue formali, siue ex natura rei, de qua in §§ sequentibus, scilicet *esse essentiæ*. *esse subsistentiæ*, *& esse existentiæ*. Esse essentiæ est illud quod rei communicatur per formam substantialem, vt in homine esse essentiæ, est esse animal rationale; seu esse essentiæ, est id quod primum, & per se dicitur de re. Esse existentiæ est id per quod res habet formaliter, quod sit actu in se ipsa, seu est id quo res formaliter actu existit, seu est completè extra causã. At esse subsistentię est id per quod substantia, constituitur subsistens, seu existens in se, seu incommunicabiliter.

20 Notandum 2. quod ista tria esse quouis modo distinguantur, hunc seruant ordinem, vt primò res habeat esse essentiæ, deinde quod habeat esse subsistentiæ; postea quod habeat esse existentiæ; substantia namque redditur capax existentiæ, per ipsam subsistentiam, quatenus subsistentia primo afficit essentiam, & eam disponit ad recipiendam existentiam, eo modo quo prima passio disponit ad recipiendam secundam. His positis.

§. I. An existentia realiter distinguatur ab essentia in rebus creatis.

21 PRocedit difficultas de essentia, non prout continetur intra causas, seu de essentia in potentia, sed procedit de essentia, vt est extra potentialitatem suæ causæ, seu vt est in actu, & in se ipsa.

22 Prima sententia est, quod existẽtia in rebus creatis non distinguatur ab essentia, seu natura, ac proinde est ab ea inseparabilis, & sic natura humana Christi D. non poterit non existere propria existentia; vnde volunt huius sententiæ sectatores, quod essentiam existere nihil sit aliud quam esse actu talem: & sic naturam humanam existere nil sit aliud, quã eam esse actu naturam humanam. Sic Durand. *in* 1. *dist.* 8. *q.* 2. Gregor. *q.* 3. *ar.* 1. Gabr. *in* 3. *dist.* 6. *q.* 2. *art.* 1. *annot.* 2. *&* 3. Almayn. *q.* 2. *notat.* 2. *&* 3. Heruæius *quodlib.* 7. *q.* 8. Vasq. *hic disp.* 72. *cap.* 2. Suarez *in metaphys. disp.* 1. *sect.* 1. & alij.

23 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Existentia realiter distinguitur ab essentia in creatis*. Hanc sententiam multis in locis docuit S. D. præsertim *de ente, & essentia cap.* 5. *Quodlibeto* 2. *ar.* 3. 2. *contra gent. cap.* 52. *in* 2. *dist.* 3. *q.* 1. *art.* 1. Aegidius *in* 2. *dist.* 3. 1. *p. q.* 1. *ar.* 2. *& quodlibet.* 1. *q.* 7. Argentina *in* 2. *dist.* 3. *q.* 1. *art.* 2. D. Bonau. *in* 2. *dist.* 1. *art.* 1. *q.* 1. Riccard. *art.* 1. Henricus *in summ. art.* 27. *q.* 1. *ad* 5. Molina 1. *p. q.* 3. *ar.* 4. *disp.* 2. Albertin. *to.* 2. *disp.* 2. *q.* 1. Fonseca *lib.* 4. *Metaphys. cap.* 2. *q.* 14. *sect.* 5. Caiet. *de ente & essentia cap.* 5. *qu.* 11. Cipullus *hic art.* 2. *dub.* 1. *n.* 4. dicens hãc esse sententiam omnium Thomistarum, propterea abstinemus ab illis referendis.

24 Probatur 1. ex Aristotele. 2. *Poster. cap.* 7. vbi dicit, *Quid autem est homo, & esse hominem, diuersa sunt, non eadem:*

esse

esse verò rei nullius est, vt patet substantia. Vbi Philosophus, vt ibi explicat S. D. *lect. 6.* apertè docet, quod essentia hominis realiter distinguatur ab eius existētia, & quod existentia, seu esse non possit esse de essentia nullius rei, vt est substantia, idest essentia. Videatur Caiet. loco citato, vbi refert Alpharabium, Auuicenam, Algazelem, Hilarium, Albertum, aliosque.

25 Probatur 2. nā esse, seu existentia & essētia solum in Deo identificātur, seu solū in Deo non distinguuntur realiter; solus namque Deus est suum esse, non creatura; ergo essentia, & existentia non possunt in creaturis esse realiter idem, seu identificari. Antecedens cōstat ex illo Exodi 3. *Ego sum qui sum, & qui est, misit me ad vos.* Ex quo loco N. S. P. Gregor. Nazianz. *lib. 3. Theologiæ*, S. P. Aug. *in Psal. 134.* D. Hierony. *epist. ad Damasum.* D. Gregor. Magnus *lib. 16. moral. cap. 18. & lib. 18. cap. 33.* D. Bernardus *serm. de triplici coherentia vinculorum, clauorum, & glutinorum*, & alij communiter, inferunt esse proprium Dei *esse*. Conseq. probatur, nam quod est proprium, non potest esse commune creaturis, ergo si semel solius Dei est esse suum esse, non potest creaturis conuenire. Hanc consequentiam docuit Magnus Boetius de Trinitate dicens. *In ijs quæ sunt, aliud est id quod est, aliud verò ipsum esse.*

26 Probatur 3. nam quod conuenit rei essentialiter, debet realiter distingui ab eo quod conuenit contingenter, sed essentia conuenit rei essentialiter, & existentia conuenit contingenter; ergo distinguuntur realiter. Vna namque, & eadem res non potest esse prædicatum essentiale, & contingens: non potest conuenire essentialiter, & contingenter. Minor probatur, nam essentia est prædicatum essentiale rei, & existentia, est prædicatum contingens. Vnde hæc prædicatio est essentialis. *Petrus est homo*, at ista est contingens. *Petrus est existens*. In Deo tamen hæc prædicatio est essentialis. *Deus est*, seu *Deus est existens*, quia Deus est suum esse, non aliqua creatura.

27 Probatur 4. nam solus Deus est sua essentia; ergo solus Deus est suum esse, ab essentia indistinctum, non creatura, ac proinde in creaturis esse, & essentia debent realiter distingui. Antecedens constat, nam in ijs quæ ex materia, & forma non componuntur, suppositum non differt à natura. Conseq. probatur, nam id cuius esse est aliud ab essentia, debet esse causatum; sed Deus non habet esse causatum, ergo in Deo essentia, & esse non distinguuntur; at in creatis cum esse sit causatum, debet esse aliud ab essentia. Hanc rationem tradit S. D. 1. *p. q. 3. ar. 4.*

28 Probatur 5. nam ea distinguuntur realiter quæ ad inuicem comparantur per modum actus, & potentiæ; sed in Deo essentia, & existentia non comparantur per modum actus, & potentiæ, bene tamen in creaturis; ergo in Deo essentia, & existentia non distinguuntur realiter, bene tamen in creaturis. Maior constat, nam vna, & eadem res non potest esse realiter actus, & potentia respectu sui. Minor probatur, nam existentia est vltima actualitas formæ, vel naturæ in creatis, ergo cōparatur ad illam vt actus ad potentiam, ac proinde distinguuntur ad inuicem.

29 Probatur 6. & confirmatur præcedens argum. nam existentia quæ non comparatur ad essentiam tanquam actus ad potentiam, in eaque non recipitur, est infinita, & illimitata; sed nulla existentia creata est infinita, & illimitata, ergo omnis recipitur, & comparatur ad essentiā vt actus ad potentiam. Minor nota est. Maiorem ostendo, nam ideo existentia diuina est infinita, & illimitata, quia est irrecepta, quia non comparatur ad essentiam, vt actus ad potentiam; actus namq; irreceptus est infinitus, & illimitatus. Et omnis actus in tantum est finitus, in quantum est receptus, cum actus, & forma per materiam, seu subiectum limitetur. Tum quia existentia, quæ est idem cum sua essentia, est actus purus, omnis namque actus qui excludit omnem potentialitatē, est actus purus; sed existentia quæ identificatur cum sua essentia excludit omnem potentialitatem; ergo, &c. Minor probabatur,

batur, quia si quàm potentialitatem dicit existentia, est in ordine ad essentiam, sed vbi est identificatio essentiæ, & existentiæ, nulla est potentialitas existentiæ ad essentiam, nec è contra; ergo, &c.

30 Occurrit 1. Suarez loco citato post Durandum, quod licet existentia creata ratione identificationis cum sua essentia ab ea non finiatur, & limitetur, non tamen adhuc sequitur quod sit actus purus, quia ex alio capite finitur, & limitatur, scilicet à causa efficiente, quod enim ab alio est, dependens est, ac proinde finitum, & limitatum, cum dependentia secum afferat potentialitatem, ac proinde finitionem, & potentialitatem.

31 Sed contra, nam causa efficiens attingit rem secundum quod petunt eius prædicata essentialia, sed existentia eo ipso quod est actus irreceptus, & non dicit potentialitatem respectu suæ essentiæ, petit sic attingi ab efficiente; ergo, &c. Maior constat, nam causa efficiens producit rem secundum illud esse quod eius prædicata reposcunt, & non aliter. Minor probatur, nam existentia, quæ secundum suam essentiam non dicit potentialitatem, non dicit limitationem, & finitionem, ergo neque eam dicere debet respectu causæ efficientis, cum causa efficiens non immutet prędicata essentialia illius. Tum quia ex ista solutione P. Suarez sequeretur, quod subsistentia creata & esset dependens, & non esset: esset ex suppositione, quod est creata; non esset, quia cum ratione suorum prædicatorum essentialium nullam dicat potentialitatem, neque dicet dependentiam.

32 Occurrit 2. Suarez, quod licet existentia creata ratione identificationis cum essentia, seu substantia non limitetur per ordinem ad illam, limitatur tamen ex alio capite; nam existentia accidentis limitatur per ordinem ad subiectum in quo recipitur. Existentia formæ substantialis limitatur per ordinem ad materiam in qua recipitur. Existentia materiæ limitatur per ordinem ad formam quam recipit. Et existentia Angelorum limitatur per ordinem ad subsistentiam cum qua componit suppositum.

33 Sed contra, nam id quod secundum primum, & essentialem conceptum non limitatur, & finitur, neque finiri, & limitari potest per secundum conceptum, & accidentalem, sed primus conceptus existentiæ accidentis, non est respicere subiectum, sed est, quod sit vltima actualitas eiusdem accidentis; ergo si semel secundum istum conceptum primarium, & essentialem existentia accidentis non limitatur, neque erit limitata secundum alium conceptum secundarium. Vel ad summum sequetur, quod dicta existentia erit limitata, & finita secundum istum cōceptum secundarium, non secundum conceptum primarium, & essentialem; nam secundum istum conceptum primarium cum non limitetur, erit illimitata, infinita, & actus purus; idem dic de alijs subsistentijs materiæ, formæ, & Angelorum, quod scilicet saltem secundum suum conceptum primarium sint infinitæ, illimitatæ, &c. cum hoc modo excludant omnem potentialitatem, quicquid sit de alio conceptu secundario, & accidentali.

34 Occurrunt alij, quod existentia creata finitur, & limitatur ex eo, quod componatur ex genere, & differentia; vbi enim est compositio, ibi est limitatio, nam differentia limitat, & contrahit genus, & genus finitur, & limitatur ratione potentialitatis, qua in potentia respicit differentias. Sed contra, nam compositio ex genere, & differentia, est compositio metaphysica, supponens aliquam compositionem physicam, ac proinde physicam limitationem, & finitionem, sed si semel existentia nullam dicit physicam potentialitatem, sed physicè est actus illimitatus, & infinitus secundum suum conceptum primarium, nullam dicit physicam potentialitatem, nullam physicam compositionem; ergo, &c.

35 Probatur vltimo, nam essentia rei creatæ non est per se ipsam vltima perfecta, atque completa in genere entis, sed compleri, & perfici debet per aliquid à se realiter distinctum, quod sit terminus illius; sed iste terminus non potest esse alius nisi existentia; ergo existentia erit ter-

terminus essentiæ ab ea realiter distinctus. Maior constat, nam essentia creata non est ex se completa, & perfecta in genere entis; nulla substantia est ex se completa in genere substantiæ: nullum accidens est ex se completum in suo genere, sed omnia ista debent compleri per aliquid superadditum. Quandiu namque non intelligimus essentiam actu existentem, non intelligimus eam completam: quandiu non intelligimus substantiam terminatam per suos terminos, non intelligimus eam completam, & quandiu non intelligimus accidens inhærere, non intelligimus illud in sua linea completum. Minor probatur, nam nomine existentiæ nil aliud intelligimus nisi terminum, & complementum entis qua ens est; sicut nomine subsistentiæ nil aliud intelligimus nisi complementum suppositi, qua suppositum est; ergo sicut subsistentia est cōplementum suppositi ab eo realiter distinctum; ita existentia erit complementum entis creati, seu essentię, qua ens est. Qua ratione tradunt communiter Philosophi, & Theologi, quod existentia est proprius effectus Dei, cum Deus sibi reseruet attingendam vltimam rerum actualitatem.

Soluuntur argumenta in contrarium.

36 Primum argum. Existentia est id quo res est extra causas; ergo non distinguitur ab essentia. Antecedens constat. Conseq. probatur, nam essentia se ipsa ponitur extra causas; ergo non distinguitur ab existentia. Antecedens probatur, nam rem existere nihil est aliud, quàm esse extra causas, ergo, &c. Resp. distinguendo antecedens. Existentia est id quo res est extra causas perfectè, & completè, tanquam vltimus terminus illius, conceditur; incompletè, & initiatiuè, negatur. Ad probationem distinguitur eodem modo antecedens. Rem existere nihil est aliud quàm esse extra causas perfectè, & completè, conceditur, initiatiuè, negatur. Res ergo per suam essentiam ponitur extra causas initiatiuè, at per existentiam ponitur completè. Cum enim essentia non sit vltima actualitas, sed primum, quod reperitur in re, indiget existentia tanquam vltima actualitate, qua vltimo sit extra causas.

37 Secundum argum. nam si essentia, & existentia distinguerentur realiter, sequeretur, quod daretur effectus formalis existentiæ ante ipsam existentiam: sed hoc implicat; ergo non distiguuntur. Minor constat, implicat namque, quod detur effectus formalis formæ sine forma, & antecedenter ad formam. Maior probatur, nam si essentia distingueretur ab existentia deberet esse subiectum illius; existentia namque cum sit actus essentiæ debet ad illam comparari tamquam actus ad potentiam; sed subiectum receptiuum formæ debet præsupponi existens ante receptionem formæ; ergo si semel existentia distinguitur ab essentia, effectus formalis existentię, qui est existere, intelligetur ante ipsam existentiam.

38 Resp. negando sequelam maioris. Ad probationem dico, quod pro illo priori in quo intelligitur esentia, vt potentia, & vt proximum subiectum, seu susceptiuū existentiæ, non intelligitur existens, in actu, sed tantum in potentia, ac proinde intelligitur secundum suam actualitatem realem esentię initiatiuè, & vialis. Exemplo materiæ primæ, quæ pro illo priori quo exercet genus subiecti receptiui, formati, non intelligitur existere, sed tantum ea exercere, quæ sunt generis causæ materialis. Cum enim omnia ista fiant in eodem instanti reali, datur mutua causalitas, & prioritas potentiæ, & actus, quatenus potentia in suo genere præcedat, & actus præcedat in suo; Idem namque instans reale diuiditur in plura instantia naturę in quibus sua datur prioritas, & posterioritas in diuerso generę causæ.

39 Tertium argum. nam si essentia, & existentia distinguerentur realiter, sequeretur quod quælibet generatio haberet duos terminos formales; hoc est falsum; ergo, & id vnde sequitur. Minor nota est; nam aliàs vna eademque generatio, esset vna, & non esset vna. Esset vna vt supponitur. Non esset vna, quia haberet duos terminos formales; à terminis namque formalibus generatio, cum sit quidam mo-

tus, multiplicationem sumit. Sequela probatur, nam quælibet generatio habet pro termino formali tum formam, tum existentiam; quod forma sit terminus formalis generationis, tradunt omnes. Quod autem existentia sit etiam terminus formalis, colligitur ex definitione generationis, quæ est quod sit *transitus*, seu *mutatio de non esse ad esse*. Resp. negando sequelam, sola namque forma est terminus formalis *quo* partialis, & natura, est terminus formalis *quo* totalis, & existentia est solum terminus secundarius, & complementum primarij. Ad probationem ex definitione generationis dico, quod sensus illius definitionis est, quod generatio, est transitus subiecti à non esse formæ, ad esse eiusdem; non de non esse existentię ad esse existentiæ.

40 Quartum argum. nam si existentia distingueretur ab essentia, posset ab ea separari, sed non potest; ergo, &c. Resp. concedendo maiorem, vt enim postea videbimus, humanitas Christi existit sine propria existentia. An autem possit essentia conseruari sine omni existentia, est opinionum diuersitas. Aliqui namque affirmant apud Ledesmam *de diuina perfectione q.* 4. *art.* 2. quod probabile putat idem Ledesma; tunc enim essentia conseruaretur sine suo vltimo complemento, secundum suam entitatem initialem, seu vialem, sed de hoc suo loco.

§. II. *Quomodo, seu qua distinctione existentia distinguatur ab essentia.*

41 PRima sententia est, quod existentia distinguatur ab essentia ex natura rei, seu distinctione reali formali, quæ neque est rei à re, neque rei, & modi, sed formalitatum, quatenus vna, eademque entitas est essentia, & existentia, licet sint duæ formalitates. Sic tenent communiter Scotistæ, quos sequitur Molina 1. *p. q.* 3. *art.* 4. *disp.* 2. & Albertinus *to.* 2. *disp.* 2. *q.* 1. Seconda sententia est, quod distinguantur tanquam res, & res, sic tenent Caiet. *de ente, & essentia cap.* 5. *dub.* 2. Bannes 1. *p. q.* 3. *art.* 4. *dub.* 2. Ledesma *de diuina perfectione q.* 4. *art.* 2. *concl.* 2. N. Blasius *in sua Metaphy. disp.* 6. *q.* 1. *concl.* 2.

42 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Essentia, & existentia distinguuntur tanquam res, & modus*. Sic tenent Fonseca *lib.* 4. *metaphy. cap.* 2. *q.* 14. *lect.* 5. Soto 2. *physicorum q.* 2. *& in* 4. *dist.* 10. *q.* 2. Aquarius 12. *metaphys. q. vlt.* Gonzal. 1. *p. q.* 29. *disp.* 8. *sect.* 1. Cipullus hoc loco *dub.* 2. qui testatur de communi Thomistarum.

43 Probatur 1. nam illa distinguuntur modaliter quorum vnum est res, & alterum modus; & illa distinguuntur realiter quorum vtrumque est res; sed existentia non est res, seu non comparatur ad essentiam vt res, sed vt modus, ergo existētia distinguitur ab essentia modaliter. Maior nota est. Minor probatur, supponendo quod essentia sit res, & probãdo quod existentia sit modus illius, nam ille est modus rei qui ita comparatur ad rem, vt neque de potentia absoluta possit esse sine illa; sed neque de potentia diuina existentia potest esse sine essentia, bene tamen essentia sine propria existentia; ergo existentia est modus essentiæ, ac proinde ab ea realiter modaliter distinguetur. Minorem hanc ostendo, nam existentia nihil est aliud quam actualitas vltima essentiæ, quam vltimum illius exercitium in actu secundo, per sui dationem, & communicationem eidem essentiæ; sed implicat per quamcumque potentiam, quod detur ipsum actuale rei exercitium sine re; ergo implicabit, quod detur existentia sine sua essentia, ac proinde erit modus illius.

44 Confirmatur, & explicatur hæc ratio, nam tota ratio, & quidditas modi in eo sita est, vt sit exercitium rei, ergo non est res, sed modus; exercitium namque non est res; res enim dicitur à ratus, rata, ratum, quod est esse firmum, stabile, permanens, immobile, non motus, non ordo, &c. Antecedens probatur, recensendo omnes quidditates magis communes, quæ communiter censentur modi,

di, ex eo, quod sunt quædam rerum exercitia, nam motus censetur communiter modus, quia neque est ipsum agens, nec actio illius, sed exercitium actuale actionis, & agentis. Vnio censetur modus, quia est nexus, & exercitium extremorum, quo ad inuicem nectuntur, & copulantur. Subsistentia est modus, quia est actuale exercitium quo substantia, seu essentia est per se, & in se, & quo completur vltimò in genere substantiæ; ergo etiam existentia erit modus cum sit ipsum actuale exercitium essentiæ, quo completur in genere entis, & quo in genere entis completè est extra causas.

45 Probatur 2. nam si existentia non esset modus, sed res, & compararetur ad essentiam tanquam res ad rem, non faceret cum ea vnum per se, sed tantum vnum per accidens; hoc est falsum; ergo & illud. Minor constat, nam Petrus existens est ens per se. Tum quia sicut subsistentia, & natura faciunt vnum per se, scilicet vnum suppositum, ita existentia, & essentia, seu natura debent facere vnum per se, scilicet vnum existens. Licet enim existentia non sit prædicatum essentiale, sed contingens, est tamen prædicatum substantiale, & non accidentale. Deinde dato quod esset prædicatum accidentale prædicabile, seu quod esset accidens prędicabile, non tamen est accidens prædicamentale, cum faciat vnum per se cum sua essentia, vel natura. Maior probatur, nam quod ex pluribus componitur, tunc est vnum per se quando partes componẽtes comparantur per modum materiæ, & formæ; vel per modum rei, & modi; sed essentia, & existentia non comparantur per modum materiæ, & formæ physicæ, vt patet; neque per modum gradus metaphysicalis; ergo nisi comparentur per modum rei, & modi non poterunt facere vnũ per se. Quantum ad primam sententiam nihil dicimus, suppositis ijs quæ diximus contra hanc distinctionem formalem ex natura rei, seu mediam 1. *p. disp.* 11. *n.* 32. *cum pluribus sequentibus*. Soluuntur argu. in contrarium.

46 Primum argum. desumit P. Blasius ex testimonio D. Thomæ *opusc.* 48. *quod est de decem prædic. tract.* 2. *cap.* 2. vbi sic dicitur. *Esse existentiæ, & esse actualis essentiæ differunt realiter, vt duæ res diuersæ.* Resp. cum Cipullo, quod illud Opusculum non est S. Thomæ, vnde breuioribus characteribus est Romæ impressum. Deinde dato quod illud opusculum esset S. D. adhuc non est contra nos, quia per illum modum loquẽdi nil aliud intelligit S. Doctor quam quod existentia realiter distinguatur ab essentia, quo etiam modo intelligi debent Caietanus, & alij pro secũda sententia adducti. Pro quo nota, quod nomen *res*, solet dupliciter vsurpari. Primò transcendentaliter, vt est idem ac ens. Secundò, vt est idem ac ens ratum, firmum, &c. Primo modo includit ens modale, secundò, illud excludit. D. Thomas accipit rem in primo sensu, non in secundo.

47 Secundum argum. Existentia humanitatis non distinguitur solum modaliter ab ista; ergo idem dicendum est de quacumque alia. Antecedens probatur, nam si existentia humanitatis non distingueretur plusquam modaliter, Verbum diuinum non potuisset eam supplere, sed de facto eam suppleuit, vt postea videbimus; ergo non distinguitur solum modaliter. Maiorem probat Blasius, quia modus includit in suo conceptu intrinseco entitatem rei cuius est modus; ergo cum entitas cuius existentia est modus sit essentia, non potest suppleri existentia alicuius essentiæ, nisi suppleatur essentia, & sic non potuisset existentia humanitatis Christi suppleri à Verbo diuino, nisi etiam suppleuisset essentiam eiusdem humanitatis, quod implicat. Tum quia aliàs Deus posset per se ipsum supplere sessionem, figuram, &c. quod implicat.

48 Resp. negando antecedens. Ad probationem dicendum, quod licet modus nõ possit esse sine re cuius est modus, potest tamen res esse sine modo, quando distinguuntur realiter. Et sic cum existentia, & subsistentia creata, realiter distinguantur ab essentia, à Deo suppleri possunt; non exercendo rationem modi, sed

ra-

rationem termini. Pro quo nota ex dictis supra, quod modi sunt in duplici differentia, nam alij ex sua ratione formali non dicunt esse modos, sed puros terminos, vt sunt existentia, & subsistentia, qui sunt modi, quatenus creati sunt, at quatenus dicunt suam rationem formalem non sunt modi, & formæ, sed puri termini, ac proinde cum secundum suam rationem formalem non dicant imperfectionem, possunt à Deo suppleri. Alij sunt modi, qui in sua ratione formali inuoluunt imperfectionem formæ, seu modi informantis, vt sunt sessio, figura, &c. & isti non possunt à Deo suppleri, & per hæc patet ad illud quod de sessione, & figura additur.

49 Tertium argum. existentia substantiæ distinguitur realiter entitatiuè ab essentia substantiæ; ergo existentia creata distinguitur realiter entitatiuè ab eius essentia. Conseq. constat, quia est eadem ratio de omnibus existentijs. Antecedens probat Blasius, quia illud quod dat esse simpliciter non potest esse solum modus aliquis, sed existentia dat esse simpliciter; ergo nō potest esse modus, ac proinde non poterit solum ab essētia distingui modaliter. Maior patet, nam esse simpliciter debet dari ab ente simpliciter, non ab ente secundum quid, & imperfectum, vt est modus. Essentiæ autem debetur esse simpliciter. Minor probatur, nam illud esse debet dare existentia, quod est ab essentia exigitum; sed essentia substantiæ exigit esse simpliciter; ergo hoc dari debet ab eius existentia, modus autem cum sit minimæ, & imperfectæ entitatis, non potest dare esse simpliciter, sed tantum secundum quid.

50 Resp. negando antecedens. Ad probationem negatur maior. Licet enim existentia sit entitatiuè modus, non est tamen modus accidentalis, sed substantialis. Tum quia existentia non est modus secundum suam rationem formalem, sed est vltima actualitas, & terminus, qua ratione nullam inuoluit imperfectionem. Tum quia quod aliqua res existat simpliciter, vel secundum quid, non desumitur ex hoc, quod existentia sit res, vel modus, sed ex hoc, quod sit substantialis, vel accidentalis.

51 Quartum argum. nam existentia est actualitas omnium perfectissima; ergo non potest esse modus, sed debet esse entitas perfectissima, realiter entitatiuè ab essentia distincta. Antecedens probatur, nam existentia est perfectior essentia, cum ad eam comparetur tanquam actus ad potentiam, vt docet S.Doctor 1.*p.q.*3. *art.*5. *q.*54. *art.* 3. & alibi frequenter; essentia namque non habet quod sit actualis nisi per existentiam, cum sit vltima illius actualitas, qua ratione dicit idem S.Doctor 1.*p.q.*8. esse habet se vt forma omnium. Resp. concedendo antecedens secundum suam rationem formalem; vt enim dicebamus existentia secundum suā rationem formalem nullam dicit imperfectionem, sed solum dicit rationem actus non formæ, qua ratione est à Deo supplebilis. Et hoc modo est perfectior essentia, est actus illius, terminus, & complementum. Entitatiuè tamen est imperfectior essentia, & ab ea dependet in genere causæ quasi efficientis, nisi mauis dicere, quod à solo Deo attingatur, de quo suo loco.

§.III. An in creatis existentia, & subsistentia realiter inter sese distinguantur.

52 Prima sententia tenet, quod in creatis existentia, & subsistentia inter se non distinguantur. Sic tenet N.Blasius in sua Metaphysica *disp.* 8. *q.* 3. *&* 4. qui citat Bezam *in* 1.*dist.*4. *q.*2. Zumellum 1.*p.q* 4.*art.*3.*concl.*4.*&* *q.*50. *art.* 2.*disp.*3. & Capreolum *in* 3.*dist.*5.*q.*3.*art.* 3.*ad argum. contra* 3. *concl.* Sed immerito vt aduertit M.Cipullus *hic q.*17.*art.*3.*dub.* 3. *n.* 2.

53 Nostra sententia seq.concl.explicatur. *Existentia, & subsistentia in creatis, distinguuntur realiter.* Sic Caietanus *supra q.*4. *art.*2. Ferrariens.4. *contra Gent. cap.*43. M. Bannes 1 *p. q.* 3. *art.*3. *dub.*1. Nazarius 1 *p.q.*50.*art.*2.*controu.*3. Nauarrete *to.*1.*in* 1.*p. controu.*19. Ledesma *de* diui-

diuina perfectione q. 4. art. 3. Cabrera *hic q. 4. art. 2. disp. 3.* Cipullus loco proximè citato, & alij plures Thomistæ, teste eodem Cipullo. Colligitur hæc concl. ex D.Thoma 1. *p. q. 4. art. 3. & 4. 2.contra Gent.cap.52.53.& 55.quodlibet.2.ar.3.& 4.in 2.dist.3. q.1. art.1. & 2. & hic art.2.* vbi sic dicit. *Esse autem pertinet & ad naturam, & ad hypostasim; ad hypostasim quidem sicut ad id quod habet esse: ad naturam autem, sicut ad id quo aliquid habet esse.* Vbi vt vides S.Doctor apertè agnoscit distinctionem realem inter *esse*, seu existentiam, & *hypostasim*, seu subsistens: nam existentia pertinet ad naturam, & ad hypostasim; ad hypostasim tanquam ad id, quod habet existentiam, existentia namque intelligitur aduenire hypostasi; seu supposito, quia suppositum existit vt *quod*; & intelligitur aduenire naturæ vt *quo*, quia natura existit vt *quo*. Existere namque non est naturæ nisi vt *quo*, & suppositi vt *quod*. Est enim existentia vltima actualitas adueniens naturæ completæ. Et in solutione ad 1. dicit. *Quod esse consequitur naturam, non sicut habentem esse, sed sicut quo aliquid est. Personam autem, siue hypostasim consequitur sicut habentem esse.* Si autem existentia non distingueretur à suppositalitate, seu à subsistentia, non constitueret suppositum, non consequeretur à supposito, vt ab habente esse subsistentiæ. Videatur idem S.Doctor *quodlibeto 2.q.2.art.4.ad 2.*

54 Probatur 1. nam existentia non potest esse de intrinseca ratione alicuius creaturæ, sed si identificaretur cum subsistentia esset de intrinseca ratione creaturæ; ergo, &c. Maior constat, proprium namque est solius Dei ob suam summam puritatem, quod sit suum esse, seu sua subsistentia vt habetur Exod. 3. *Ego sum, qui sum. Et qui est, misit me ad vos.* Minor probatur, nam subsistentia est de intrinseca ratione suppositi creati, tanquam formale constitutiuum illius, ac proinde si semel existentia est idem cum subsistentia, erit de intrinseca ratione suppositi creati, quod apertè negat Sanctus Doctor *quodlibeto 2. art.4. ad 2.* dicens quod esse non est de ratione suppositi creati.

55 Occurrit 1.Blasius dicta *disp.8.q.3.§.4.& q.4.§.item 4.* tam ad rationē quam ad testimonium D. Thomæ, quod esse non est de ratione suppositi verbaliter, seu in actu exercito, & vt significatur cum tempore; bene tamen nominaliter, seu in actu signato, & vt absoluitur à tempore:

56 Sed contra, nam si semel existentia est idem cum suppositalitate, seu subsistentia, non solum est de intrinseca ratione suppositi in actu signato, sed etiam in actu exercito; nam subsistentia est de intrinseca ratione suppositi exercitè, vt exercitè componit illud, vt est constitutiuum illius, & vt actu illud constituit, ac proinde sicut valet dicere *Petrus est subsistens*, vt propositio sit per se; ita eodem modo valebit dicere *Petrus est existens*, vt sit propositio per se, & æternæ veritatis, si semel existentia, & subsistentia sunt idē realiter. Tum quia facere subsistere, & existere sunt effectus formales subsistentiæ, & existentiæ exercitè, non signatè; Vnde aliud est quod sit de essentia existētiæ facere existere vt sic, & aliud est, quod actu facere existere pertineat ad intrinsecam rationem creaturæ, seu quod actu existere sit de intrinseca ratione creaturę, seu suppositi creati, tanquam constitutiuū illius, vt est subsistentia, aliàs nulla esset differentiæ ratio inter suppositum creatum, & diuinum, quatenus ita Deus esset quod est, ac homo, seu Petrus, v.g.

57 Occurrit 2. Blasius, quod *esse*, seu existentia non est de ratione specifica, seu non est de esentia suppositi, est tamen de ratione suppositi formaliter, & reduplicatiuè sumpti. Sed contra, nam nec S.Doctor dicto quodlibeto 2. cui conatur respondere Blasius, nec ratio eiusdem S.Doctoris nu. 53. adducta procedunt de *esse*, seu existentia, in ordine ad naturam specificam, cum natura specifica vt talis non existat. Neque procedunt de supposito reduplicatiuè, cum hoc modo quodlibet accidens sit de intrinseca ratione sui subiecti; hæc enim propositio est per se *paries vt est subiectum albedinis, est per se, & essentialiter albus*, sed testimonium D.Tho:

D. Thomæ procedit de supposito specificatiuè, quod scilicet *esse* non est de ratione suppositi, quia non est constitutiuum illius, ac proinde distinguitur à subsistentia.

58 Occurrit 3. idem Blasius, & ferè coincidit cum solutione præcedenti, quod *esse*, seu existentia est de ratione suppositi per modum prædicati accidentaliter, non per modum prædicati per se. Sed contra, nam si semel existentia non est de ratione prædicati per se, sed tantum accidentaliter, sequitur quod realiter distinguatur à subsistentia; nam subsistentia est de ratione prædicati per se suppositi, cum sit constitutiuum illius; constitutiuum namque rei de suo constituto per se prædicatur; sed prædicatum per se, & per accidens distinguuntur realiter, ergo, &c.

59 Occurrit 4. idem auctor, quod *esse* non est de ratione suppositi per modum alicuius intrinsecè determinantis principia essentialia, seu specifica; bene tamen per modum alicuius determinantis eadem extrinsecè, & accidentaliter. Sed contra, nam subsistentia determinat intrinsecè naturam, & facit eam existere suppositaliter; subsistentia namque aduenit naturæ, & eam intrinsecè complet, & determinat, ergo si semel identificatur, & est idem cum subsistentia, debet idē præstare, quod si non præstet, signum est, quod realiter distinguatur à subsistentia. Deinde falsum est, quod in eadem solutione subiungit idem P. quod scilicet existentia determinet solum extrinsecè naturam specificam, quia non determinat eam ad hunc potius particularem modum essendi, sed relinquit eam in tota sua amplitudine. Hoc inquam falsum est, nam in omni sententia existentia aduenient naturæ non relinquit eam in sua vniuersalitate, sed ponit eam in particulari modo essendi, quod maximè verum est in sententia illius, si semel existentia identificatur cum subsistentia, hæc enim determinat naturam ad esse suppositi.

60 Probatur 2. nostra concl. In creatis ratio constitutiua suppositi distinguitur realiter ab existentia eiusdem suppositi, sed existentia non est constitutiua suppositi, sed subsistentia; ergo subsistentia distinguitur realiter ab existentia in creatis. Argumentum desumitur ex D. Thoma *art.* 2. vbi apertè dicit, quod existentia non est constitutiua suppositi, sed consequitur ad suppositum, seu hypostasim. Verba S.D. retulimus supra num. 52.

61 Occurrit 1. P. Blasius, quod cum S. D. dicit, quod existentia consequitur ad suppositum, seu hypostasim, non loquitur de sequela physica, sed de logica, quæ non arguit distinctionē realem, quod probatur, inquit, euidentissimè, quia D. Thomas loquitur de esse Christi D. quod certum est non distingui realiter in sententia eiusdem, ab hypostasi Christi cum esse per quod existit, sit esse ipsiusmet Verbi diuini, & non esse creatum.

62 Sed hęc solutio non est vera, nam antequam S. Doctor concludat quod in Christo D. non sit esse creatum, sed esse Verbi diuini, prius probat, quod cū esse sequatur ad hypostasim, sit quod vbi est tantū vnica hypostasis, ibi sit tantum vnicum esse substantiale, licet possit sequi aliud esse accidentale, vt esse albi. Postea sic concludit. *Sic igitur cum humana natura coniungatur Filio Dei hypostaticè, vel personaliter, & non accidentaliter, consequens est, quod secundum humanam naturam non adueniat sibi nouum esse personale.* Neç verum est, quod S. Doctor loquatur de sequela logica, sed de physica, vt patenter colligitur ex solutione ad 1. Erat namque tale argumentum ex D. Damasceno. *Ea quæ consequuntur naturam duplicantur. Sed esse consequitur naturam, esse enim est à forma; ergo in Christo sunt duo esse.* Respondet sic. *Esse consequitur naturam, non sicut habentem esse, sed sicut qua aliquid est: personam autem, siue hypostasim consequitur sicut habentem esse. Et ideo magis retinet vnitatem secundum vnitatem hypostasis, quam habeat dualitatem, secundum dualitatem naturæ.*

63 Occurrit 2. quod dato, quod S. D. loquatur de sequela physica, adhuc non sequitur, quod *esse* distinguatur realiter ab hypostasi distinctione excludentis,

tis, & exclusi, sed distinctione reali includentis, & inclusi, quia *esse* includitur in hypostasi, sicut pars in toto, & ad eam consequitur sicut pars ad totum, in genere causæ formalis, vel saltem in genere causæ finalis, cum partes sint propter totum. Cœterum si quis attentè legat verba D. Thomæ ad finem *nu.* præcedentis relata, videbit, quod prorsus excludunt hanc solutionem. Illa namque verba *Esse consequitur naturam non sicut habentem esse, sed sicut qua aliquid est, &c.* planè excludunt distinctionem includentis, & inclusi, & idem est de hypostasi, & sic excludunt *esse*. Si enim quis dicat. Anima est qua ponitur organicum. Seu Anima non est organicum, sed qui ponitur organicum. Tunc in organico non includitur anima. Et dato, quod includeretur, adhuc esset diuersa ratio, nam anima est forma constituens organicum. At *esse* non est forma constituens hypostasim, sed consequens ad hypostasim; vt dicit Diuus Thomas.

64 Probatur 3. nam suppositum est subiectum existentiæ; ergo distinguitur realiter ab illa. Conseq. constat, receptiuum namque alicuius, distinguitur realiter ab eo, quod recipit. Tum quia subiectum, seu receptiuum alicuius præsupponitur ad illud, ac proinde ab eo distinguitur. Tum etiam quia potentia receptiua alicuius actus debet præintelligi ad actum. Antecedens probatur, nam existentia est vltima actualitas, ergo supponit substantiam in qua recipiatur completam in linea substantiæ, sed sola subsistentia complet substantiam in linea substantiæ, ergo sola subsistentia complet receptiuum existentiæ. Existentia namque complet rem in ratione entis, cum sit actus proprius quem in omni re attingit Deus, & sub quo omnia attingit; ergo, &c. Vt enim concedit etiam P. Blasius dicta *q. 3. §. 4.* natura indiuidua, ac proinde subsistens, est subiectum immediatum existentiæ, ac proinde non solum erit id quo hypostasis habet esse, sed id quod habet esse. Sicut quia Petrus est subiectum immediatum albedinis, ideo est id, quod habet albedinem.

65 Occurrit Blasius, quod licet existentia recipiatur in natura indiuidua, non tamē recipitur tanquam in subiecto *quod*, sed *quo*, quia inquit, materia est id *quo* tāquam in subiecto informi recipitur anima, & tamen non dicitur esse id quod habet animam, sed id *quo* homo habet vt *quod* animam. Et in sententia Caietani natura est id in quo tanquam in subiecto immediato recipitur subsistentia, & tamen natura non habet vt *quod* subsistentiam, sed suppositum, & propterea suppositum subsistens denominatur, non natura, &c.

66 Sed contra, nam negari non potest quin natura indiuidua, & singularis non sit subiectum *quod* existentiæ, si per naturam indiuiduam, & singularem intelligamus naturam subsistentem; existētia namque recipitur immediatè in supposito, seu in natura subsistente. Et parum refert ad veritatem nostri argumenti, quod scilicet subsistentia, & existentia distinguantur, quod existentia non recipiatur immediatè in natura, sed sufficit, quod recipiatur immediatè in supposito, & in natura solum mediatè, & tanquam in subiecto *quo*. Vnde ex solutione Blasij sic fortius argumentum vrgeri potest. Existentia recipitur in natura tanquam in subiecto *quo*, ergo recipitur in supposito tanquam in subiecto *quod*; ergo realiter distinguetur à subsistentia. Antecedens admittit Blasius. Prima conseq. nota est; nam si natura est solum subiectum *quo*, debet assignari aliquid, quod sit subiectum *quod*, hoc aliud esse non potest nisi suppositum. Secunda conseq. benè sequitur, nam subiectum *quod* formæ non potest non realiter distingui à forma; ergo, &c.

67 Probatur 4. nam si existentia, & subsistentia essent realiter idem, vt vult P. Blasius, sequeretur, quod id quod primò, & per se Verbum diuinum supplet in humanitate, esset existentia; sed hoc est falsum; ergo, &c. Maior constat. Si enim semel existentia, & subsistentia sunt realiter, & formaliter idem, perinde erit Verbum supplere existentiam, ac subsisten-

scientiam. Minor probatur, nam vnio Verbi diuini, per se primò, & immediatè non est facta in aliquo absoluto, sed in relatiuo, scilicet in propria Verbi subsistentia, ergo id quod primò, & immediatè suppletur, est subsistentia, non existentia; hæc enim suppletur per aliquid absolutū, scilicet per existentiam absolutam, tribus personis communem, & subsistentia suppletur per aliquid relatiuum, scilicet per subsistentiam Verbi diuini.

68 Probatus 5. nam vbi sunt diuersi effectus formales primarij, ibi sunt diuersæ formæ; sed existentia, & subsistentia tribuunt diuersos effectus formales; ergo realiter distinguuntur. Maior constat. Minor ostenditur, nam effectus formalis subsistentiæ, est complere naturam in genere substantiæ, est enim terminus substantialis, terminans substantiam in linea substantiæ. At effectus formalis existentiæ, est perficere naturam, eamque complere in genere entis. Est enim existentia vltima actualitas entis, est id sub quo Deus omnia attingit, &c. Sed isti effectus formales plenè distinguuntur; ergo, &c.

69 Probatur 6. nam eodem modo proportionali distingui debent existentia, & subsistentia in substantia, quo distinguuntur in accidentibus, sed in accidentibus distinguuntur realiter; ergo etiam in substantia. Maior nota est. Minor probatur, nam subsistētia in accidentibus non distinguitur ab inhærentia; sicut enim substantia subsistit in se, ita accidentia subsistunt in alio, quod est inhærere; sed inhærentia accidentis distinguitur realiter ab eius existentia, cum illa separetur ab accidenti, non ista; ergo, &c.

§. IV. *Soluuntur argumenta in contrarium petita ex varijs D. Thomæ testimonijs.*

69 P. Blasius dicta *disp.* 8. *q.* 3. §. 1. probat diuersis testimonijs D. Thomæ suam sententiam, quod existentia, & subsistentia sint realiter idem, quas auctoritates, seu testimonia reuocat ad tres classes, seu ad tria argumenta. Primum ergo argum. est tale. Existentia, per D. Thomam, pertinet per se ad rationem suppositi; ergo non distinguitur à subsistentia. Conseq. constat, nam si existentia pertinet ad rationem suppositi tamquam constitutiuum illius, non potest non esse idem cum subsistentia, cuius munus est esse constitutiuum suppositi.

70 Antecedens probatur 1. ex *Opusc.* 48. *tract.* 3. *de* 10. *prædicam. cap.* 2. vbi sic habet *In quacumque substantia creata est compositio ex esse, & essentia, quæ non est compositio materiæ, & formæ, sed est compositio duorum principiorum suppositi, quorum essentia est potentia, & esse est actus: vnde esse respectu essentiæ est accidēs, quia est extra essentiam rei, & dicitur substantia, quia est in genere substantiæ, sicut principium suppositi est actus simpliciter, quia est in genere substantiæ.* Sed non video quomodo P. Blasius ex isto testimonio colligat identitatem existentiæ, & subsistentiæ, cum potius oppositum manifestè colligatur; nam apertè docet S.D. quod *esse* est extra essentiam rei, & dicitur substantia, quia est in genere substantiæ; at principium suppositi, scilicet subsistentia est actus simpliciter, & in genere substantiæ. Vbi vt vides, vult S. D. quod subsistentia comparetur ad essentiā tamquam actus simpliciter ad suam potentiam. At *esse*, seu existentia comparatur ad essentiam tamquam actus accidentalis, licet sit in genere substantiæ. Vnde sunt duo suppositi principia, per modum actus, scilicet subsistentia, per modum actus simpliciter; & existentia per modum actus accidentalis, quia existentia est de essentia solius Dei, & est prædicatum accidentale respectu creaturæ.

71 Probat 2. ex 3. *p. q.* 16. *art.* 1. *ad* 4. vbi dicitur. *esse, & operari est personæ à natura, aliter tamen, & aliter, nam esse pertinet ad ipsam constitutionem personæ.* Neque ex hoc testimonio aliquid habetur pro sententia Blasij, solum enim vult dicere S. D. quod esse pertinet ad constitutionem personæ, seu hypostasis tamquam vltimus terminus illius. Audiat ille argum.

argum. D. Thomæ, quod est huiusmodi. *Sicut esse est hypostasis subsistentis, ita etiam operari; sed propter vnitatem hypostasis est in Christo vnum esse ergo etiā propter eandem vnitatem, est in Christo vna operatio.* Respondet *quod esse, & operari est persona à natura, aliter tamen, & aliter, nam esse pertinet ad ipsam constitutionem personæ, & sic quantum ad hoc se habet in ratione termini.* Vbi vt vides, esse pertinet ad constitutionem personæ tamquam vltimus terminus illius.

72 Probat 3. ex 3. *dist.* 5. *q.* 1. *art.* 3. vbi habetur. *Esse per se est de ratione personæ.* Neque ex hoc testimonio aliquid euincitur contra nostram sententiam, nam per *esse* quod est de ratione personæ, & constitutiuum hypostasis, seu suppositi, non intelligit S. D. esse existentiæ, sed esse subsistentiæ. Est namque valde frequens apud S. D. & Thomistas vocare subsistentiam esse personæ, seu hypostasis, & illius constitutiuum. Deinde dato, quod S. D. loquatur de esse existentiæ, adhuc bene dicit, quia pertinet ad rationem personę tamquam vltimus terminus illius, ex persona namque & esse constituitur existens.

73 Probat 4. ex *quodlibet* 9. *art.* 3. *ad* 2. vbi sic scribit *Operatio suppositi non est de integritate vnitatis eius, sed consequitur eius vnitatem; vnde suppositi vnius inuenimus multas operationes, secundum diuersa operationum principia quæ supposito insunt; sicut homo aliud operatur lingua, aliud manu, sed esse est illud in quo fundatur vnitas suppositi.* Resp. quod S. D. loquitur de esse subsistitię vt patenter colligitur ex ijs quæ dicit in corpore eiusdem articuli, vbi dicit, *quod in supposito est duplex esse, vnum scilicet ex ijs ex quibus eius vnitas integratur, quod proprium est esse suppositi substantiale, aliud autem est esse supposito attributum præter ea quæ ipsum integrant.* Vbi vt vides S. D. admittit duplex *esse* vnum quod proprium est esse substātiale, seu de substantia. & cōstitutiuo suppositi vt tale, & hoc est esse subsistentię. Aliud quod est extra esse substantiale, seu essentiale, & est esse existentiæ, quod est extra essentiam rei. Idem prorsus docet idem S. D. in alijs testimonijs à P. Blasio relatis pro prima classe, ac proinde non est immorandum.

74 Secundum argum. illius auctoris est tale; nam S. D. sæpè docet, quod subsistentia, & existentia sint vnum, & idem; ergo, &c. Antecedens probat 1. *ex q.* 2. *de verit. art.* 1. *in corpore*, vbi sic habet. *In quolibet autem ente, est duo considerare, scilicet ipsam rationem speciei, & esse ipsum quo aliquid subsistit, in specie illa:* Sed non video quomodo in hoc testimonio doceat quod existentia, & subsistentia sint vnum, & idem, sed solum colligitur, quod in quolibet ente duo considerentur, scilicet ratio speciei, seu natura specifica, & esse subsistentiæ, quo dicta natura specifica in sua specie subsistit. Existentiæ autem non meminit S. D. quia ista est extra rationem speciei, cum non pertineat ad essentiam rei, sed illi accidit tanquam prædicatum accidentale, cum solius Dei sit propria.

75 Probat 2. illud antecedens ex *cap.* 5. *de ente, & essentia*, vbi sic dicit. *Quia intelligentis quidditas, est ipsamet intelligentia, ideo quidditas, vel essentia eius, est ipsum quod est ipsa, & esse suum receptum à Deo est id quo subsistit in rerum natura, & propter hoc à quibusdam huiusmodi substantiæ dicuntur componi ex quo est, & quod est, vel ex esse, & essentia.* Resp. D. Thomam loqui de esse subsistentiæ, quod complet essentiam, seu naturam in linea essentiæ, seu substantiæ, & ex illis fit compositio substantialis ex esse subsistentiæ, & ex essentia.

76 Probat 3. ex *quodlib.* 9. *q.* 4. *art.* 6. vbi dicitur. *Sed quia substantia Angeli non est suum esse, hoc enim soli Deo competit, cui esse debetur à se ipso, & non ab alio, inuenimus in Angelo & substantiam, siue quidditatem eius quæ subsistit, & esse eius quo subsistit, quo scilicet actu essendi dicitur esse; sicut actu currendi dicitur aliquis currere, & sic dicimus Angelum compositum esse ex quo est, & quod est; & quia ipsa substantia Angeli est in potentia ad esse, ideo est in eo compositio actus, & potentiæ.* Resp. D. Thomam nihil docere contra

nos. Pro quo nota, quod cum existentia sit vltima actualitas, non recipitur in essentia nudè, & immediatè, sed in essentia subsistente, ita quod essentia iam subsistens, vt potentia respicit esse tanquam vltimus illius actus,& terminus, ac proinde rectè dicit S. D. quod essentia Angeli non est suum esse, sed in eo est compositio actus, & potentiæ. Quocirca in substantia creata est duplex compositio. Vna ex essentia, & esse subsistentiæ, & hæc cõpositio est in potentia ad secundam compositionem ex supposito, & esse existentiæ. Et cum subsistentia pertineat ad lineam substantiæ tanquam illius constitutiuum, non meminit de ea expressè S. D. cum importetur sub nomine essentiæ, aut substantiæ, tanquam constitutiuum illius.

77 Probat 4. ex *1. p. q. 29. art. 2.* vbi dicit. *Illa enim subsistere dicimus, quæ non in alio, sed in se existunt*. Et probat ex q. 9. de potent. art. 3. ad 6. ibi. *Vel dicendum, quod licet sub esse à quo imponitur vocabulum subsistendi, Deo non conueniat, tamen per se esse ad quod significandum imponitur, competit ei*. Resp. neutrum testimonium esse contra nos. Non primum, quia idem est subsistere, ac in se existere, & per in se existere explicatur subsistere; cum subsistentia nil aliud sit, quam in se existentia. Cæterum esse existentiæ non est in se existere, seu subsistere, sed est esse vltimum terminum gradus entis, seu rationis entis, qua substantia in se subsistens, seu in se existens, prout ly *in se* distinguit substantiam ab accidente, vltimo terminatur, & est extra causas. Neque secundum, nam verum est, quod esse per se, & in se quod significat subsistens, competit Deo.

78 Probat 5. ex *dist. 23. ad Anibald. q. vnica art. 4.* vbi sic habet. *Esse significat id quod est in omnibus generibus commune, subsistere verò specialem modum essendi, qui competit subsistentijs, scilicet esse per se*. Resp. hoc testimonium apertè stare pro nostra sententia; implicat namque ea non distingui quorum vnum pertinet ad rationem communem cuiuscumque rei, vt est *esse*, & ad rationem specialem essendi in se substantiæ, vt est subsistere. Probat etiam ex *1. dist. 23. q. 1. art. 2. ad 4.* vbi dicitur. *Persona significat quid completum subsistens, vel existens in natura intellectuali*; vbi sub distinctione ponitur subsistens, vel existens: quo significari videtur, quod subsistentia,& existentia reincidant, & sint idem. Resp. enim ex dictis, quod cum existentia applicatur personæ, accipitur pro subsistentia, seu pro existere in se, quod propriè personæ est, cum quo tamen stat, quod secundum proprias rationes realiter distinguantur.

79 Tertium argum. nam suppositum, seu persona dicit illud, quod est completissimum, & perfectissimum in toto genere substantiæ; ergo suppositum constituitur per existentiam, ac proinde existentia,& subsistentia nõ distinguẽtur. Conseq. constat; cum enim existentia sit vltimum substantiæ complementum, si semel suppositum dicit esse completissimum, non poterit non constitui per existentiam.

80 Antecedens probat ex D. Thoma *1. p. q. 29. art. 3.* vbi sic asserit. *Persona significat id, quod est perfectissimum in tota natura*. Et ad Anibaldum *in 1. dist. 23. q. vnica art. 1. in 2. argum. sed contra* sic loquitur. *Persona dicit quid completum existens in natura intellectuali*. Et in 3. dist. 5. q. 3. art. 3. dicit *Persona habet rationem completi, & totius*. Et art. 3. in corpore habet. *Esse contra rationem personæ quod trahatur ad aliud se completius: quia persona importat maximam completionem*. Et q. 1. eiusdem dist. art. 3. dicit. *Esse per se est de ratione personæ, & est similiter totalitas & comprehentio omnium quæ sunt in re*. Et 4. contra Gent. cap. 38. ait. *Persona nihil potest addere ad hypostasim, nisi proprietatem aliquam, nihil enim potest addere ad genus substantiæ pertinens, cum hypostasis sit completissimum in genere substantiæ*.

81 Resp. concedendo antecedens, vt enim non semel obseruauimus, subsistentia complet substantiam in linea substantiæ, & est vltimum complementum substantiæ in hac linea. At existentia est vltima actualitas,& vltimum complementum rationis entis, Vnde bene dicit S.D. quod per-

persona significat id quod est completissimum in tota natura, scilicet substantiæ, quod sit quid completum in natura intellectuali, &c.

82 Quartum argu. habet P. Blasius *eodem qu.* 3. §. 2. *nu.* 28. nam ex D.Thoma locis *n.* 27. relatis, in Angelis datur solum vna compositio realis scilicet essentiæ, & existentiæ, & in rebus materialibus vltra compositionem essentiæ, & existentiæ datur etiam compositio materiæ, & formæ; sed si subsistentia realiter distingueretur ab existentia daretur alia compositio, ex supposito scilicet, & esse, seu existentia; ergo, &c. *Resp.* negando maiorem, in Angelis namque datur compositio ex essentia, & subsistentia, ex quibus fit suppositum. Et datur compositio ex supposito, & esse, & vocatur compositum. Quod si S. D., & alij videantur admittere solum vnam compositionem, intelligendi sunt de compositione per quam constituitur compositum, scilicet ex supposito, & esse. Compositio namque ex essentia, & subsistentia ex qua fit suppositum non solet vocari compositio, cum non sit completa, sed expectans compositionem per quam fit compositum.

§. V. *Soluuntur argum. ex ratione petita.*

83 PRimum argum. nam non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed nulla necessitas vrget vt existentia in creatis distinguatur realiter à subsistentia; ergo, &c. Minor probatur, nam nihil præstari potest à subsistentia creata respectu essentiæ, vel substantiæ, quod præstari non possit nobiliori, & præstantiori modo ab existentia; ergo, &c. Antecedens ostenditur, quia si subsistentia esset ab existentia distincta præstaret substantiæ incommunicabilitatem; sed hanc præstat existentia, ergo, &c. Existentia namque creata per sui dationem reddit substantiam alteri incommunicabilem, cum existere sit esse in se. Tum quia existentia substantiæ cum ea facit vnum ens per se, ac proinde incommunicabile; ergo &c. *Resp.* concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem negatur antecedens. Ad cuius probationem dico, quod existentia non tribuit substantiæ incommunicabilitatem, sed eam supponit tributam per subsistētiam. Vt enim pluries notauimus, subsistentia complet naturam in linea substantiæ; at existentia eam complet in genere entis. Vnde existentia si non supponit substantiam, vel essentiam incommunicabilem per subsistentiam substantialem, non eam reddit incommunicabilem, sed vt vt est relinquit, vt patet in existentia accidentium, quæ non reddit ea incommunicabilia, sed relinquit vt communicentur subiectis.

84 Secundum argum. quoniam si subsistentia creata distingueretur realiter ab existentia, maximè vt constitueret suppositum, sed adhoc non est necessaria; ergo, &c. Minor probatur, nam si de ratione subsistentiæ esset constituere suppositum deberet tribuere incommunicabilitatem, non solum supposito, sed etiam naturæ cui primò aduenit; sed non tribuit incommunicabilitatem naturæ cui primò aduenit, vt patet in anima rationali, quæ in primo instanti suæ creationis est subsistēs, & tamen non est incommunicabilis, sed communicabilis materiæ, ergo, &c. Tum quia adhuc natura subsistens est capax, imò recipit existentiam, & illi communicatur ad faciendum vnum completum existens; ergo, &c. *Resp.* concedendo maiorem, & negando minorem. Ad 1. probationem conceditur quod subsistentia tribuat incōmunicabilitatē etiā naturæ cui aduenit nō alteri vt parti, sed alteri vt supposito, & sic anima pro illo priori in quo intelligitur subsistens intelligitur incommunicabilis alteri vt supposito, non alteri vt parti, cum communicetur materiæ. Ad 2. probationem dicendum, quod licet natura subsistens sit communicabilis existentiæ, non tamen alteri supposito. Natura subsistens est completa in linea substantiæ non in linea, & genere entis; hoc enim complementum habet per existentiam.

85 Tertium argum. nam si subsistentia, & exsistentia distinguerentur realiter, etiam

etiam potentiæ eas respicientes deberent distingui realiter; sed non distinguuntur; ergo &c. Maior nota est, nam secundum diuersitatem, actuum oportet esse diuersitatem potentiarum. Minor probatur, vna, eademque substantia est receptiua subsistentiæ, & existentiæ; ergo,&c. Tum, quia in natura substantiali non distinguũtur ratio substantiæ, & ratio entis, ratio autem subsistentiæ complet rationem substantiæ, & ratio existentiæ complet rationem entis. Resp. negando maiorem. Tunc autem secundum diuersitatem actuum ponitur diuersitas potentiarum, quando actus per se primò respiciuntur, non quando respiciuntur, per se primò, & per se secundò vt in nostro casu contingit, nam natura per se primo respicit subsistentiam tamquam complementum intrinsecum, & intra eandem lineam; & existentiam respicit secundariò, & tanquam complementum quasi extraneum, & contingens. Tum quia subsistentia recipitur immediatè in natura, at existentia recipitur immediatè in supposito, vt sequenti §. dicetur.

§. VI. Quodnam sit immediatum susceptiuum subsistentiæ, & existentiæ.

86 PRima sententia est, quod prius in natura substantiali recipiatur existentia, & postea subsistentia, ita quod immediatum susceptiuum existentiæ, sit substantia nuda, at immediatum susceptiuũ subsistentiæ sit ipsum existens, seu substantia existens; & sic vltima rei actualitas non sit existentia, sed subsistentia. Sic tenent aliqui recentiores.

87 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Subiectum immediatum subsistentiæ, est ipsa natura, seu substantia, at subiectum immediatum existentiæ, est ipsum suppositum. Et sic primò recipitur in natura subsistentia, & in natura per subsistentiam completa, recipitur existentia.* Hanc sententiam tenent Caietanus *hic art.2.* Ferrara *2.contra Gent.cap.52.* Ledesma *de Diuina perfect. quæst.4.art.3.* Cabrera, supra *qu.2. art. 11. disp.2. art. 14.* M. Cipullus *hic dub.4.* & communiter Thomistæ, vt testatur idem Cipullus. Sic expresè docet S.Doctor *hic art.2.* quatenus docet, quod proprium, & immediatum susceptiuum existẽtiæ est suppositum. Idem docet *1.p. quæst.45. art.2.& q.50. art.2. ad 3. de ente & essentia cap.5. Quodlibeto 9. art.3.* & alibi frequenter.

88 Probatur 1. nam in natura substantiali prius recipitur modus, & terminus substantialis, intrinsecus, & propriæ lineæ, quam modus accidentalis, extrinsecus, & alterius lineæ; sed subsistentia substantiæ est modus, & terminus substantialis intrinsecus, & propriæ lineæ, & existentia est modus, & terminus accidentalis; licet enim sit entitatiuè substantia, tamen non est prædicatum substantiale, sed accidentale, & contingens, ac proinde quid extrinsecum substantiæ, & extra propriam lineam; ergo,&c.

89 M. Cipullus loco citato reicit hanc rationem, quia licet existentia exercitè sumpta nõ sit proprius terminus substantialis naturæ creatę secundum se, & metaphysicè sumptæ, sed quid accidentale, & contingens; tamen signatè, qua ratione solum dicit vltimam actualitatem in genere entis, est terminus proprius, connaturalis, & completiuus illius in eodem genere entis.

90 Cæterum illa ratio optima est, & conuincit intentum si rectè intelligatur, nam licet existere signatè sit prædicatum proprium, connaturale, & etiam essentiale existentis, cum sit de essentia existentis, existere, sicut est de essentia hominis quod sit animal rationale, existentia namque vt sic, est prædicatum essentiale cuiuslibet existentis; tamen nec existentia exercitè, nec signatè, est prædicatum essentiale ipsius substantiæ, nec modus lineæ illius, sed extra illius lineam, ac proinde quid extrinsecum, & contingens. Sicut prædicatum visibilitatis tum exercitè, tum signatè, est extra lineam essentiæ hominis; ita & prædicatum existentiæ.

91 Probatur 2. nam existentia est vltima rei actualitas, & vltimus terminus, ergo non recipitur in substantia ante subsisten-

ſiſtentiam. Antecedens docent communiter Metaphyſici; cum enim ſit proprius effectus Dei ſub quo attingit cuncta quæ ſunt in re, debet eſſe vltimò attactus, aliàs ſi primò attingeretur, eſſet aliquid poſteat attactum, & non ſub ratione illius. Tum quia *eſſe* eſt complementum ſubſtãtiæ in ratione entis, ratio autem entis reperitur in vltima actualitate, ac proinde debet vltimò terminare. Cõſeq. probatur, nã vltima actualitas debet vltimò aduenire, ſeu vltimò complere, ergo vltimò recipi, non vltimò autem reciperetur, ſi reciperetur ante ſubſiſtentiam.

92 Probatur 3. quoniam id quod complet ſubſtantiam in linea ſubſtantiæ, debet eſſe prius eo quod eam complet in ratione communi, & vniuerſali, & quaſi extrinſeca, ſed ſubſiſtantia complet ſubſtantiam in linea ſubſtantiæ, & exiſtentia in linea quaſi extranea, & accidentali; ergo, &c. Maior nota eſt. Minor probatur, nam ſubſiſtantia eſt terminus naturæ ſubſtantialis per quem ſubſtantia eſt completè in ſe; ergo eam complet in ratione propria ſubſtantiæ. Tum quia intra ſuam lineam debet habere terminum per quem compleatur, hic aliud eſſe neqait niſi ſubſiſtantia; ergo, &c. Quod autem exiſtentia ſit terminus quaſi communis, & ſupponens naturam completam intra ſuam lineam, patet, nam exiſtentia complet ſubſtantiam in genere entis, & omnem eius modum, cum omnia iſta ſint ens, ac proinde exiſtere debeant.

93 Probatur 4. nam illud est adæquatum receptiuum, & immediatum existentiæ, quod fit vt *quod*, ſed ſolum ſuppoſitum fit vt *quod*, ergo hoc ſolum est ſuſceptiuum existentiæ, ac proinde exiſtentia recipietur in natura ſuppoſitata, ſeu ſubſistente. Maior nota est, nam fieri ordinatur ad eſſe, & in tantum aliquid fit, in quantum est. Minor probatur, nam in generatione ſubſtantiali, natura est terminus *quo* generationis, & ſuppoſitum est terminus *qui*, terminus autem *qui* fit vt *quod*, & terminus *quo* fit vt *quo*, ergo, &c. Tum qui terminus *quo*, & terminus *qui*, ſeu id quod fit vt *quo*, & vt *quod*, debent eſſe intra lineam ſubſtantiæ, in generatione ſubſtantiali; ſed ſola ſubſistentia pertinet ad lineam ſubſtantię, vt terminus, & complementum illius, non existentia, cum iſta non compleat ſubſtantiam in linea ſubstantiæ, ſed in linea entis; ergo, &c. Soluuntur argum. in contrarium.

94 Primum argum. nam ante exiſtẽtiam non intelligitur ſuppoſitum constitutum; ergo ante existentiam non recipitur ſubſistentia. Conſequ. constat. Si enim ſubſistentia reciperetur in natura ante existentiam, iam per illam constitueretur ſuppoſitum. Antecedens probatur, nam de ratione ſuppoſiti est, quod ſit quid completum in genere ſubstantiæ; Sed natura non est quid completum in genere ſubstantiæ ante existentiam; ergo, &c. Cõpletum namque est illud cui nihil deest, ſed naturę ſubſtantiali ante exiſtentia, aliquid deeſt; ergo, &c. Reſp. negando antecedens. Ad probationem conceditur maior & negatur minor. Natura namque ſubſiſtens eſt omnino completa in genere ſubſtantiæ, nec in hoc genere aliquid expectat per quod compleatur. Exiſtentia enim vt pluries obſeruauimus, non complet ſubſtantiam in genere ſubſtantiæ, ſed in genere entis, aliàs non eſſet vltima actualitas tribuens exiſtere tum ſubſtantiæ, tum ſubſiſtentiæ, tum omnibus modis eius.

95 Secundum argum. per quod impugnatur præcedens ſolutio, eſt, quia natura ſubſtantialis prius completur in genere entis quam in genere ſubſtantiæ; ergo prius recipit exiſtentiam, quam ſubſiſtentiam? Conſeq. conſtat. Illud enim prius recipit natura, vel ſubſtantia, per quod prius completur; ergo ſi prius completur in genere entis, prius recipiet exiſtẽtiam per quam in hoc genere completur, quam ſubſiſtantiam per quam completur in genere ſubſtantiæ. Antecedens probatur; nam id primò completur in natura, quod eſt prius, ſed genus entis eſt prius; ergo prius completur; ratio nãq; entis cum ſit communior, & vniuerſalior, eſt etiam prior quam ratio ſubſtantiæ. Reſp. negando antecedens. Ad probationem

nem dico, quod licet genus entis sit vniuersalius, quam genus substantiæ, tum quia est analogum, tum quia pluribus conuenit, scilicet tam substantiæ, quam accidenti, non tamen prius completur. Cum enim eius complementum sit existentia quæ est vltima actualitas, debet expectare quod compleatur substantia, quod omnes modi illius producantur, cũ sint ens, aliàs deberent multiplicari existentiæ, & sic essent plura entia per accidẽs in quocumque composito substantiali, quod esse nequit.

96 Tertium argu. nam in Deo prius intelligitur existentia, quam subsistentia; ergo etiam in creatis. Antecedens probatur, nam in Deo existentia est absoluta, & subsistentia est relatiua, absoluta autem sunt priora relatiuis; ergo. Conseq. constat, nam eodem modo debemus philosophari de nobis quoad existere, & subsistere, ac de Deo; ergo si semel in Deo existẽtia pręcedit subsistentiam, ita in nobis pręcedere debet. Resp. 1. negando conseq. ratio discriminis est, quia in Deo existentia est ipsa eius essentia absque distinctione virtuali, essentia autem est primum quod reperitur in rebus. At in creatis existentia non est de essentia, sed prædicatũ contingens, ac proinde supponit essentiã iam completam per subsistentiam. Resp. 2. distinguendo antecedens. In Deo prius intelligitur existentia, quàm subsistentia absoluta, negatur. Quam subsistentiæ relatiuè conceditur. Qui enim in diuinis vltra tres subsistentias relatiuas admittunt vnam absolutam, volunt quod hæc præintelligatur existentiæ.

97 Sed quæres, an existentia creata recipiatur immediatè in natura, an in ipsa subsistentia, aut in supposito, seu composito ex natura, & subsistentia, ita vt subsistentia sit ratio recipiendi existentiam? Resp. quod existentia immediatè recipitur in natura, non nuda, sed completa per subsistentiam, ita tamen quod subsistentia non sit ratio recipiendi existentiã, sed tantum conditio sine qua non reciperetur. Existentia ergo recipitur in natura subsistente, & facit eam existere, & media natura tribuit existere ipsi subsistentiæ, & omnibus modis qui in eadem natura recipiuntur, vt sunt relatio fundata in identitate, &c.

§. Vltimus. Resoluitur difficultas n. 16. proposita, an scilicet humanitas Christi D. existat propria existentia.

98 Præcedentibus §§. explicuimus ea; quæ necessaria videbantur pro intelligentia propositæ difficultatis. De qua prima sententia est, quod Christi D. humanitas existat propria existentia. Sic Scotus *in 3. dist. 5. q. 1.* Vbi D. Bonau. Gabriel, Almayn. & alij, quos sequuntur Suarez *hic disp. 36.* Vasq. *disp. 71.* Lorca *disp. 68.* & plures recentiores extra Scholam D. Thomæ.

99 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Humanitas Christi D. non existit propria existentia, sed existentia increata Dei.* Sic tenet S. Doctor *hic art. 2.* quem sequũtur Caiet. Medina, Cabrera, & communiter Thomistæ, vt testatur Cipullus *hic dub. 5.* Vnde non bene dicit M. Orlandus *hic disp. 5. q. 1. n. 1.* quod impossibile est humanitatem Christi existere in rerum natura per existentiam increatam Dei, seu Verbi diuini, quod ex nostris rationibus, & argumentorum solutionibus constabit.

100 Prima ratio desumitur ex auctoritate Sophronij Hierosolimitani in Epist. quæ habetur in 6. Synodo Generali, & fuit approbata ab omnibus PP. illius Concilij, vbi sic habet. *In illo itaque*, scilicet in Verbo, *& non in se, habuit existentiam vnã cum Verbo*, sed si Christi humanitas haberet propriam subsistentiam, non solum in Verbo, sed etiam in semetipsa existeret, & non tantum vnam, sed duas haberet existentias, scilicet propriam, & Verbi diuini. Eo namque ipso quod humanitas assumpta est ad subsistentiam Verbi, est etiam assumpta ad existentiam illius, vt ex dicendis constabit.

101 Occurrit post alios M. Orlandus loco citato, quod intentio Sophronij fuit docere contra hæreticos, quod humanitas

in

in eodem instanti temporis in quo incepit esse in rerum natura, fuit Verbo vnita, & hoc modo dicit semper habuisse vnam existentiam inuariatam, & eiusdem modi, quia non prius per se existit, postea in Verbo, sed semper in Verbo.

102 Sed contra, nam si rectè expendantur citata Sophronij verba, videbitur, quod Orlandi expositio nimis est extorta. Non enim Sophronius dicit, quod humanitas Christi D. non fuerit prius existens propria subsistentia, sed quod in ipso Verbo, non in se habuit existentiam. Si autem haberet propriam existentiam, iam in se haberet propriam existentiam. Quod expressè declarat idem Sophronius in sequentibus verbis, scilicet. *Est vnum, & duo*, loquitur de Christo D. *vnum secundum subsistentiam, atque personam; duo verò secundum ipsas naturas, atque earum proprietates, ex quibus* (attendat Orlandus) *esse vnum sortitur, natura duplex.*

103 Nec valet dicere cum eodem Orlando, sensum esse, quod duæ naturæ in Christo dicãtur habere vnum esse, quia semper fuerunt vnitæ, semper permanserunt indiuisæ, & indissolutæ componendo semper vnam personam Christi. Sed contra, quia non dicit Sophronius, quod duæ naturæ in Christo sint vnitæ, & indiuisæ, hoc enim supponit ille, sed quod ex hac vnione *esse vnum sortiantur*, idest vnicam existentiam, sicut vnam sortiuntur subsistentiam.

104 Secunda ratio, nam existere est proprium suppositi, est proprietas consequens suppositum, cui per se conuenit fieri, & terminare actionem agentis, sed suppositum Christi non fit, cum sit increatum, ergo non potest existere per existentiam creatam; implicat namque quod suppositum increatum existat per existentiam creatam; existentia enim, & subsistentia debet proportionari, & esse eiusdem ordinis.

105 Respondet Orlandus, esse proprium suppositi existere per existentiam omnino completam in ratione existentiæ substantialis, & fieri vt *quod* tanquam terminum vltimatum, & primariò intentum, existere verò per existentiam incompletam, idest ordinatam ad vlteriorem existentię compositionem, & fieri vt *quo*, tanquam terminum immediatum esse proprium naturæ. Vult dicere quod in Christo D. datur duplex existentia, vna incompleta qua existit humanitas, & alia completa, qua vt *quod* existit suppositum. Illa est creata, ista increata. Per illam existit humanitas vt *quo*, & per eam ordinatur ad vlteriorem existentiam. Per hanc existit suppositum Christi vt *quod*.

106 Sed contra, nam de supposito Christi D. nullo modo dici potest, quod fiat, quod sit terminus actionis agentis, sed hoc solum dici potest de humanitate, & vt *quo*; quocirca si cum rigore loquamur in Christo D. nihil est quod propriè fiat vt *quod*, cum suppositum cuius est fieri vt *quod*, non fiat, cum sit increatum. Tum quia si humanitas Christi D. haberet propriam subsistentiam creatam, non posset de ea dici quod ordinaretur ad vlteriorem existentiæ compositionem, cum existentia creata, & increata non possint vnum existens componere, vel quia ex duobus entibus in actu non potest fieri vnum per se; vel quia existentia suppositi est etiam existentia naturæ, sicut suppositi subsistentia; est etiam subsistentia naturæ; quare sicut in Christo D. ob hanc rationem non datur duplex subsistentia, vna incompleta humanitatis, quæ ad vlteriorem subsistentiam completam suppositi ordinetur. Ita nec dabitur duplex existentia, vna humanitatis incompleta, & alia suppositi completa, ad quam illa ordinatur.

107 Tertia ratio; nam ideo non implicat humanitatem subsistere subsistentia Verbi diuini, sine propria subsistentia, quia cum distinguantur realiter modaliter, potest humanitas esse sine illa; sed etiam eodem modo existentia distinguitur ab humanitate, ergo nõ implicat quod eadem humanitas existat sine illa, & per existentiam Verbi, ac proinde sicut de facto illud factum est, ita & hoc.

108 Respondet idem Orlandus loco citato n.10. esse diuersam rationem, quia

personalitas creata non constituit naturam extra causas, sed supponit in illa entitatem extra causas positam, & terminat illam tamquã modus illius, & ideo separata personalitate intelligitur natura manere assumptibilis, & terminabilis personalitate aliena. At verò ablata existentia non manet aliquid in natura, quod assumi possit, quia quod assumitur, est subiectum vnionis, & mutationis, quod ordine naturæ præsupponi debet vt actu ens, & existens ad ipsam assumptionem.

109 Sed contra, quia etiam personalitas creata constituit naturam extra causas, non quidem completè, & vltimatè, sed incompletè, & vialiter. Completè namque natura ponitur extra causas per existentiam. Ergo si natura incompletè, & vialiter extra causas potest assumi absque propria subsistentia, à fortiori assumi poterit vt complete extra causas sine propria existentia, & per existentiam diuinam per quam fiat id, quod faceret propria existentia.

110 Quarta ratio, si humanitas haberet propriam existentiam antequam assumeretur à Verbo, sequeretur, quod B. Virgo non propriè genuisset Deum, sed solummodo hominem; hoc est falsum, ergo & id vnde sequitur. Sequela probatur, nam generatio tendit ad esse, eò enim tendit, vt res existat in rerum natura; ergo vt actio generatiua B. Virginis terminaretur ad Deum, oporteret quod terminaretur ad diuinam existentiam, sed iuxta oppositam sententiam actio generatiua Christi D. terminaretur ad propriam existentiam humanitatis, & non ad existentiam Verbi, ergo B. Virgo in ea sententia non esset propriè Mater Dei.

111 Occurrit Orlandus post alios, quod re ipsa Christi humanitas habuit existentiam à matre per generationem, non tamen inde sequitur, quod B. Virgo non sit Mater Dei, quia licet terminus formalis illius generationis sit humanitas existens propria existentia, tamen vltimus terminus qui generatur, non est humanitas existens, sed hic homo, quia illa humanitas, & existentia non in se est, sed in Verbo, & ideò Verbum verè dicitur generari, & nasci ex Virgine.

112 Sed contra, nam si verum est, quod dicit Orlandus quod terminus formalis generationis est humanitas existens propria existentia, iam sequitur, quod etiam terminus *qui* eiusdem generationis sit humanitas existens propria existentia; humanitas namque existens non est terminus *quo* generationis, sed terminus *qui*, completus, & vltimus; vt enim supra vidimus, existentia est vltima rei actualitas, vltimum complementum, vltimus terminus, adueniens post subsistentiam, aliàs non esset complementum substantiæ secundum gradum entis, qui etiam ad modos substantiæ terminatur; & existentia tribuit existere non solùm substantiæ, sed etiam modis illius, vnde debet vltimò aduenire, tanquam vltimus terminus intra lineam substantiæ. Tum quia natura humana existens, cum sit cõpletè extra causas, non potest non esse hic homo, ac proinde terminus *qui* generationis. Soluuntur argum. in contrarium.

113 Primum arg. desumit Orlandus ex D. Damasc. *lib.3. cap.*11. *&* 12. vbi sic dicit. *Humanitatem habuisse existentiam in Verbo, non per Verbum*; & distinguit existentiam humanitatis ab assumptione. Resp. Sanctum Patrem stare pro nobis, nam in tantum vult quod humanitas habuit existentiam in verbo, quia non habuit propriam; & in tantum vult, quod non habuit existentiam per Verbum, quia Verbum, vt Verbum non tribuit existere humanitati, sed subsistere; existentiam namque non tribuit qua Verbum, sed qua cum diuinitate identificatur.

114 Secundum argum. quoniam humanitas Christi vt condistincta à Verbo, est quædam actualis entitas; ergo est existens per propriam existentiam. Antecedens constat. Conseq. probatur, quia idem est esse entitatem existentem, ac esse entitatem actualem, sed humanitas vt condistincta à Verbo, imò antequam assumeretur erat entitas actualis; ergo erat existens. Resp. distinguendo antecedens. Humanitas Christi D. vt condistincta ita à Ver-

Verbo est quædam actualis entitas actualitate essentiæ, substantiæ, seu naturæ realis, conceditur, actualitate subsistentiæ, & existentiæ negatur.

115 Tertium argum. Angelus siue bonus, siue malus virtute naturali videt humanitatem Christi D. & totam eius entitatem actualem; ergo debet videre existentiam per quam fit entitas actualis; sed non videt existentiam increatam; ergo creatam. Resp. quod ad hoc vt Angelus videat humanitatem nō est necesse quod videat in particulari existentiam, nec subsistentiam, sed sufficit quod videat humanitatem existentem, & subsistentem.

116 Quartum argum. nam Verbum diuinum assumpsit naturam humanam integram, & perfectam cum omnibus suis partibus, & proprietatibus connaturalibus; ergo assumpsit naturam humanam existentem propria existentia. Antecedens est de fide ex 6. Synodo generali *actione* 4. & 11. & ex Concilio Calcedonensi *act.* 5. Conseq. probatur, nam propria existentia pertinet ad integritatem naturæ humanæ. Resp. hoc argumentum nimis probare, nam probat etiam, quod Verbum Diuinum assumpserit naturam humanam cum propria subsistentia, cum & hæc pertineat ad integritatem naturæ humanæ non minus quam existentia. Solum ergo Verbum diuinum assumpsit naturam humanam cum illis partibus, & perfectionibus quæ sunt compossibiles cum vnione hypostatica, quales non sunt subsistentia, & existentia.

117 Quintum argum. nam in viuentibus vita, & existentia sunt idem; sed Christi D. humanitas habet propriam vitam; ergo etiam habet propriam existentiam. Minor nota est. Maior probatur ex Arist. 2. *de anima cap.* 4. *tex.* 37. vbi sic loquitur. *Cunctis viuentibus causam vt sint, formam ipsam, atque substantiam esse patet: at viuere viuentibus est esse, cuius sanè causa est, vt constat, atque principium anima.* Resp. negando maiorem. Ad probationem dico cum S. D. ibidem Aristotelem non loqui de esse existentiæ, sed de esse essentiæ, & sensus est, quod habere vitam est de essentia viuentis. Vel dicas quod Aristoteles loquitur in sensu causali, quatenus *esse* est causa vitæ, seu operationis vitalis, quæ est ipsum vitæ exercitium seu vita in actu secundo.

118 Sextum argum. nam Christi D. humanitas habet, quod habuit ex vi suæ productionis; sed ex vi suę productionis habet propriam existentiam; ergo eam habet in Verbo. Minor probatur, nam productio est ad rem existentem, productio namque trahit rem de potentia ad actum existendi; ergo, &c. Resp. quod productio terminatur ad rem existentem aliqua existentia; non enim potest dari in rerum natura res producta, & non existens. In nostro tamen casu existentia non producitur per actionem qua producitur substantia, sed tunc diuina subrogatur. Exemplo subsistentię, quæ cum deberet poni naturalis, diuina subrogata est.

119 *Septimum argum.* adeo efficax reputatur ab Orlando, vt putet eo probari quod neque de potentia absoluta possit natura humana existere existentia diuina; nam si Verbum diuinum supplet existentiam humanitatis assumptæ, vel id facit per existentiam personalem, & relatiuam sibi propriam prout distinguitur à Patre, & Spiritu Sancto. Vel id facit per existentiam diuinæ essentiæ, communem tribus personis diuinis; primum non dicunt Thomistæ cum non admittant tres existentias relatiuas, sed vnam tantum absolutam, & communem. Neque secundum dicere possunt, cum vnio hypostatica non sit facta in aliquo essentiali, absoluto, & communi; ergo, &c.

120 Resp. notando, quod existentia communis diuinæ naturæ, qua etiam tres Personæ diuinæ existunt, duobus modis potest considerari. Primo vt est communis; secundo vt est in Filio, & quasi illi appropriata, facitque illum existere, ac si esset propria illius, & solus ipse ea existeret. Hoc posito dico, quod humanitas Christi D. existit per existentiam communem non qua cōmunis est, sed qua appropria-

priata Filio; & ipsum facit existere ac si sola, & propria ipsius esset.

121 Sed contra hanc solutionem obijcies in fauorem Orlandi, nam aliàs posset quis dicere, quod vnio hypostatica facta est in natura, non vt communi, sed vt appropriata Verbo, quod nemo dicit. Tum quia vel existentia illa diuinæ essentię vt appropriata Verbo est absoluta, vel relatiua; si absoluta, iam vnio hypostatica est facta in aliquo absoluto. Si relatiua, iam in diuinis darentur tres existentiæ relatiuæ. Resp. negando antecedens; aliud namque est, quod vnio hypostatica sit facta in natura, etiam appropriata Verbo, & aliud, quod sit facta in hypostasi immediatè, & ea media existentiæ, & etiam naturæ. Ad aliam probationem dico, quod est absoluta, & vnio hypostatica mediatè facta est in aliquo absoluto, vt etiam hoc modo facta est mediatè in essentia, vnde dicimus quod in Christo sunt duæ naturæ, duæ voluntates, & vnica hypostasis, vnumque esse.

DISPVTATIO XVIII.

IN QVAEST. XVIII. DIVI THOMAE.

De pertinentibus ad vnitatem in Christo, quantum ad voluntatem.

1 IN primo artic. docet S.D. contra Monothelitas, id est vnam tantum voluntatem ponentes, & fuerunt Macharius Antiochenus, Sergius Constantinopolitanus, & alij, quod in Christo D. sunt duæ voluntates, diuina scilicet, & humana. In art.2. probat quod in Christo D. fuit etiam voluntas sensualitatis, quo nomine non intelligitur potentia appetitiua vt vitiosa, & repugnans rationi, sed ipsa facultas naturalis, hæc enim cum ad perfectionem naturæ humanæ pertineat, in Christo D. esse debuit. Et licet solus appetitus rationalis propriè dicatur voluntas, tamen interdum etiam hoc nomen appetitui sensitiuo tribuitur. Vnde Ioan.1. & Ephes.2. voluntas carnis nominatur, vt apud D. Prosperum *lib.1. de vocat. Gen. cap.2.* In 3.art. docet, quod in Christo D. vnica fuit voluntas humana rationalis secundum rationem potentiæ, & duæ secundum rationem actus. Quatenus enim fertur in obiectum simpliciter, & absolutè vocatur voluntas vt natura, quia non per modum rationis, sed per modum naturæ mouetur, vt dum naturaliter refugit ea, quæ sunt naturæ contraria, & secundom se mala, vt mortem, cruciatus, & similia. Cæterum quatenus fertur in obiectum ex ordine ad aliud, dicitur voluntas vt ratio, seu vt libertas. In art.4. ostendit quod in Christo fuit liberum arbitrium. In artic.5. tradit voluntatem Christi humanam vt ratio est, fuisse per omnia diuinę conformem, scilicet in obiecto tam materiali, quam formali. Vt natura tamen non semper fuit conformis in obiecto materiali. Sicut enim appetitus sensitiuus, ita voluntas vt natura poterat aliud velle quàm Deus, & consequenter quam voluntas vt ratio. In art. *6.* dicit nullam fuisse contrarietatem voluntatum in Christo. Licet enim sensualitas, & voluntas vt natura, quandoque vellent aliud quam diuina, & quam humana rationalis, quia nec vna alteram impediebat, nec secundum eandem rationem mouebatur, ac proinde contraria non erant, cum non essent secundum idem. Volebat

bat Christus voluntate diuina, & humana rationali, quod sensualitas, & voluntas vt natura mouerentur secundum ordinem naturæ, eis namque ita perfectè dominabatur, vt rationis motum non turbarent, nec ipsæ mouerentur, nisi quantum ratio permitteret. Sed sit

DVBIVM I.

An in Christo D. fuerint duæ voluntates humana scilicet, & diuina.

2 PRima sententia fuit Monothelitarum, quod scilicet in Christo D. non fuerint duæ voluntates, sed vna tantum, videlicet diuina. Sic Macharius Patriarcha Antiochenus, Cyrus Patriarcha Alexandrinus, Sergius Patriarcha Constantinopolitanus, Pyrrhus, & Paulus eius successores, & alij. Nonnulla difficultas inter scribentes est, an isti hæretici negauerint duas voluntates in ratione facultatis, an solum operationem voluntatis humanæ, seu an negauerint in Christo D. voluntatem humanam quoad rationem potentiæ, an solum actum, seu operationem. Aliqui namque dicunt quod solum negauerint operationem humanæ voluntatis, vt Vasq. hoc loco, alij verò dicunt quod vtrumque negauerunt, & potentiam & actum, quod probabilius reputatur. Sed hoc vtcumque sit.

3 Nostra sententia seq. conclusione explicatur. *In Christo D. fuerunt duæ voluntates non solũ quoad actus, sed etiam quoad potentias, seu facultates.* Hæc concl. est de fide, habetur in Concil. Lateran. sub Martino I. *can.* 10. vbi dicitur. *Si quis non confitetur propriè, & verè duas eiusdẽ, & vnius Christi Dei voluntates, similiter, & operationes coherenter vnitas diuinam, & humanam, &c. sit condemnatus.* Idem definitum est in 6. Synodo *art.* 4. 8. & 11. in octaua sic habetur. *Omnes qui docuerunt & dicunt vnam voluntatem, & vnam operationem in duabus naturis vnius Domini nostri Iesu Christi, veri Dei nostri, anathematizamus.* Colligitur ex illo Matt. 26. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Et Luc. 22. *Non sicut ego volo, sed sicut tu* Marci. 7. *Ingressus domum neminem voluit scire, & non potuit latere.* Ioan. 5. dicitur. *Non quæro voluntatem meam, sed eius qui misit me.* Idem habetur alibi frequenter, ex quibus probatur alia voluntas scilicet creata vltra diuinam. Vnde hoc tradunt S. Patres D. Ambros. *lib* 2. *de fide cap.* 3. & *in cap.* 22. Lucæ, S. P. August. *in psalm.* 2. & *lib.* 3. *contra Maximi cap.* 19. N. S. P. Ioan. Damasc. *lib.* 3. *cap.* 14. & *lib. de hæres.* & *fusè in tract. de duabus Christi voluntatibus.* S. Maximus *in disput. contra Pyrrhum. Monothelitam,* quę est in fine tomi 8. Cardin. Baronij. Mouebantur autem Monothelitæ, quia videntes Christum D. moueri ad nutum diuinæ voluntatis, existimabant non moueri motu propriæ voluntatis humanæ, ac proinde non habuisse nisi voluntatem diuinam, quod nullo modo consequens est; nam & Sancti cum Christo regnãtes mouentur ad nutum diuinæ voluntatis, de quibus tamen liquido constat, quod & propriam habeant voluntatem, & proprio motu moueantur.

4 Probatur 1. concl. nam voluntas sequitur naturam non personam, ergo tot in Christo D. sunt voluntates, quot sunt naturæ; sed sunt duæ naturæ, diuina scilicet, & humana; ergo etiam duæ voluntates, diuina, & humana. Prima conseq. constat. Si enim semel voluntates multiplicantur ad multiplicationem naturæ, sequitur, quod si in Christo D. sunt duæ naturæ, etiam erunt duæ voluntates. Antecedens probatur, nam si voluntates sequerentur hypostasim, seu personam, & non naturam, in diuinis vbi datur vnica natura, & tres personæ, non vna, sed tres darentur voluntates, quod est omnino falsum.

5 Probatur 2. quia natura humana à Verbo assumpta, est integra, & perfecta vt definiuit Concilium Calcedonense cõtra Eutychetem sed pertinent ad integritatem, & perfectionem naturæ intellectualis, tum voluntas cum hæc sit principium proximum volendi, tum natura rationalis, seu intellectualis cũ sit principium radicale; ergo cum in Christo D. etiam natu-

natura diuina sit integra, & perfecta, dabitur vtriusque naturæ volūtas, scilicet diuina, & humana; aliàs ex assumptione naturæ humanæ ad personam Verbi vel natura diuina, vel humana aliquam iacturam, vel diminutionem, vel mutationem passæ fuissent.

6 Probatur 3. quoniam homo secundum intellectum, & voluntatem ad imaginem Dei factus est; sed Verbum æternum assumpsit humanam naturam, quatenus est imago Dei, ergo quatenus habet intellectum, & voluntatem. Maior nota est ex illo Gen. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, ratione scilicet intellectus, & voluntatis. Vnde cum irrationalia careant intellectu, & voluntate, non dicuntur imago Dei, sed vestigium. Minor probatur, nam aliàs natura humana non fuisset per assumptionem eleuata, sed dimissa, diminuta, & facta imperfecta sicut equus, & mulus quibus non est intellectus.

7 Probatur 4. nam Adam peccando infecit voluntatem tam in se, quam in posteris, ergo vt eam Verbum diuinum sanaret, debuit eam assumere; quod enim est inassumptibile, & pertinet ad naturam est etiam incurrabile. Tum quia Christus D. meruit tum sibi, tum nobis, sed meritum non est nisi secundum voluntatem creatam. Vnde scribit Baronius ad *annum Christi 640. 641. & 657.* quod Heraclius Imperator statim vt in Monothelitarum hæresim incidit, infelices habuit successus, ac tandem miserè perijt. E contra verò S. Maximus eam acriter impugnans sic à Deo clarificatus est, vt post abscissionem linguæ, sermones articulatos magis quam antea emitteret.

8 Sed obicies 1. nam Honorius Pontifex Romanus fuit Monothelita vt colligitur ex 6. Synodo, & ex 7. ergo non est hæreticum ponere in Christo D. vnam tantum voluntatem. Cum enim Pontifex non possit esse hæreticus, non potuit esse hæresis quod tenuit. Resp. cum S. Maximo *disput. contra Pyrrhum Monothelitam*, quod Honorius asserit vnam voluntatem humanitatis, non vnam diuinitatis, & humanitatis. Vel dicas fuisse conficta ab hæreticis, quæ in dicta Synodo contra Honorium inserta sunt, quod probatur ex Epistola Agatonis, quæ recipitur actione 8. dictæ Synodi, vbi dicit, quod Apostolica Christi Ecclesia nunquam à tramite Apostolicæ traditionis errauit, & quod hæreticorum nouitatibus deprauata nunquam succubuerit, quia sui prædecessores semper fratres in fide confirmarunt. Quod non dixisset Agatho si Honorius prædecessor fuisset hæreticus, cumque vt hæreticum anathematizasset. Hinc facit, quod Græcis in more erat vitiare Canones. Qua ratione Nicolaus I. *Epist. ad Michaelem Imperatorem* remittens eum ad Epistolam Adriani Papæ dicit, *Si tamen non falsata more Græcorum, sed sicut à sede missa est Apostolica, penes Ecclesiam Constantinop. hactenus perseuerat.* In ipsa etiã 6. Synodo deprehensum est falsatum esse librum Synodi 5. *art. 3. & 14.* Et Synodũ Calcedonensem fuisse à Græcis falsatam testatur D. Gregorius *lib. 5. Epistola 14.* Vnde Patres septimæ Synodi secuti fuerunt sextam.

9 Obijcies 2. nam voluntas est primum mouens saltem quoad exercitium in vnoquoque volente; sed in Christo D. primum mouens, & imperans est diuina voluntas; ergo, &c. Resp. cum D. Thoma hic art. 1. ad 1. quod quicquid fuit in humana Christi natura mouebatur motu voluntatis diuinæ, non tamen per hoc excluditur motus voluntatis propriæ, sed concluditur perfectissima conformitas eidem voluntati diuinæ, iuxta illud psalm. *Vt facerem voluntatem tuam Deus meus volui.*

DVBIVM II.

An voluntas humana Christi efficax, fuerit omnino conformis diuinæ voluntati.

10 PRo intelligentia huius dubij notandum est ex dictis *in 1. 2. ad q. 18. & 19.* duplicem esse conformitatem voluntatis creatæ cum diuina ex parte obiecti, scilicet in volito materiali, & in voli-

volito formali. In volito materiali tunc est, quando voluntas creata vult idem quod Deus vult. At in volito formali tunc est, quando illud idem quod vult, vult sub eadem ratione, sub eodem motiuo, & propter eandem causam propter quam Deus illud vult.

11 Notandum præterea volitiones esse in duplici differentia, aliæ enim sunt absolutæ, & efficaces; & aliæ conditionatæ, & inefficaces. Illæ dicuntur absolutæ & efficaces, quæ intrinsecum dicunt ordinem ad executionem, ac proinde inferũt electionem mediorum. Illę autem sunt inefficaces, quæ non inferunt electionem mediorum, nec dicunt ordinem ad executionem, sed consistunt in nuda quadam complacentia, vel displicentia obiecti. Huius generis est voluntas in mercatore seruandi merces tempore tẽpestatis, quas tamen pro vitando naufragij periculo proicit in mare. Conueniunt omnes quod in Christo D. fuerunt volitiones vtriusque generis. Et primi quidem generis quando mori volens pro nobis prodijt obuiam quærentibus se ad mortem. Posterioris item generis quando dixit Matt. 27. *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*; his namque verbis significauit nudum quendam affectum sine ordine ad executionẽ vt colligitur ex verbis sequentibus. *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.*

12 Dices quod volitiones inefficaces videntur arguere defectum, & imperfectionem, cum non inferant executionem ergo, &c. Respondetur negando antecedens, potius enim ostendunt veritatem humanitatis, quod enim effectum non consequãtur non prouenit ex aliqua impotentia, sed ex propria voluntate, qua noluit adhibere media pro executione, vt colligitur ex illo. *Possum rogare Patrem, & dabit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum, &c.*

13 Prima sententia fuit aliquorum hæreticorum, quod non omnis voluntas efficax Christi D. fuit conformis diuinæ voluntati, vnde sumpsit occasionem desperationis, cum in cruce dixit. *Vt quid Deus dereliquisti me, &c.*

14 Veritas catholica sequenti concl. explicatur. *Omnis voluntas efficax Christi D. semper fuit conformis diuinæ voluntati, tam in volito materiali, quam in volito formali*. Sic tradit S. Doctor hic *art. 5.* & omnes eius discipuli, & expositores. Quod voluntas efficax Christi D. fuerit conformis diuinæ voluntati in volito materiali constat, nam aliàs voluntas efficax Christi ferretur in impossibile, quod sic ostendo. Nam anima Christi Dom. tam per scientiam beatam quam per infusam sciebat quidquid Deus efficaci voluntate vellet, aut nollet, ergo sciebat esse impossibile oppositum, ac proinde si efficaciter oppositum voluisset, in impossibile tetendisset. Sit exemplum. Sciebat anima Christi D. quod Deus efficaciter nollebat reparationem dæmonum, si oppositum voluisset, in impossibile tetendisset, cum sit impossibile, quod dæmones reparentur data voluntate efficaci Dei, quod non repararentur; ad hanc enim reparationem requiritur Dei acceptatio, quæ non stat cum voluntate efficaci, quod reparentur.

15 Sed dices, quod Christus D. constitutus in medijs cruciatibus poterat cõsiderare solum suæ naturæ incommodum, actu non attendendo ad diuinam ordinationem, vel ad hominum redemptionem; ergo tunc absolutè poterat, ac proinde actu efficaci nolle dictos cruciatus, & sic non conformari diuinæ voluntati in volito materiali. Resp. negando antecedens. Non enim poterat vti hac præcisione per scientiam beatam, cum hæc necessariò repræsentauerit illos cruciatus vt à Deo efficaciter volitos ob redemptionem humani generis, ac proinde voluntas humana Christi Dom. vt regulabatur per scientiam beatam non poterat efficaciter nolle dictos cruciatos. Neque etiam vti poterat ad dictam præcisionem habendam scientia infusa, quia Christus D. etiam per scientiam infusam cognoscebat volũtatem Dei esse, quod eos cruciatos sustineret pro redemptione humani generis. Si tamen demus quod per scientiam infusam potuerit considerare dictos cruciatus

spe-

speculatiuè, & non in ordine ad aliquam prudentem electionem, tunc ea cognitio non potuisset deseruire ad ponendum actum efficacem fugæ, sed ad summum ad ponendum actum inefficacem, & simplicis displicentiæ. Actus namque efficax cum sit electiuus mediorum non regulatur à cognitione speculatiua, sed practica. Practica autem cognitio scientiæ inditæ in Christo D. cognoscebat quod oportebat eum pati, vt sic intraret in gloriam suam.

16 Quod autem voluntas efficax Christi D. fuerit semper conformis diuinæ voluntati in volito formali, colligitur ex illo Ioan. 4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me*. Et ex illo Ioan. 8. *Quæ placita sunt ei facio semper*. Ratio clara est, quia quælibet Christi D. voluntas, seu volitio absoluta, & efficax id habere debuit, quod est necessarium, vt esset honesta, & absque peccato; sed conformitas ad diuinam voluntatem in volito formali, est necessaria in omni volitione honesta, quoties diuina voluntas innotescit volenti; ergo, &c. Patet autem quod voluntas diuina circa agenda, & nõ agenda per Christum ei semper innotuit tum per scientiam beatam, tum per scientiam inditam; ergo, &c.

DVBIVM III.

An voluntas inefficax animæ Christi Dom. fuerit conformis diuinæ voluntati.

17 Conueniunt omnes Theologi, quod voluntas humana Christi inefficax non fuerit semper conformis voluntati diuinæ in volito materiali, vt colligitur ex illo Matth. 26. *Pater si possibile est transeat à me calix iste, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*. Patet autem hunc actum non fuisse efficacem, vt denotat illa particula *veruntamen*, quæ non est correctiua præcedentis *transeat à me calix iste*, quasi hoc esset imprudenter & contra rationem prolatum, sed est explicatiua illius actus Christi D. quo præposuit diuinam voluntatem suo actui inefficaci, suo desiderio, vt nos idem faciamus, vt adnotauit D. Ioan. Chrysostomus *homil. 83. in Matth.* vbi sic ad rem fatur. *Sublimem admirabilis Philosophiæ veritatem tradidit, cum exemplo nos doceat, etiam natura abhorrente, & renitente, Deum esse sequendum.*

18 Difficultas præsẽs ad hoc reuocatur an inefficax Christi D. voluntas fuerit diuinæ voluntati conformis in volito formali. De qua communis sententia est, quod semper fuerit conformis, sic tradit S. Doctor *hic art. 6. ad 1.* & omnes eius expositores. Ratio communis est, quia tunc aliqua voluntas est conformis diuinæ voluntati in volito formali, quando volitum materiale, seu obiectum est volitum sub eo motiuo, seu ratione qua est volitum à Deo, sed obiectum actus inefficacis voluntatis humanæ Christi D. erat volitum, aut nolitum, sub ratione qua erat volitum, aut nolitum à Deo; ergo, &c. Maior constat. Minorem probo, nam obiectum actus inefficacis, quo v. g. fugiebat mortem, cum dixit *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*, erat nolitum vt erat disconueniens suæ naturæ, sed Deus volebat humanam Christi uoluntatem refugere mortem ut erat disconueniens suæ naturæ, ut sic Christus D. appareret uerus homo, ueras habere passiones naturales, uerum corpus passibile. Item ad excitandam maiorem tristitiam, & passionem acerbiorem; ergo, &c.

19 Sed obijcies 1. nam in beatis non dantur uolitiones istæ inefficaces; ergo neque in Christo D. Conseq. constat. Cum enim Christus D. esset comprehensor, & uiator, nihil habere potuit, quod statui beatorum repugnat. Antecedens probatur, nam istæ uolitiones inefficaces uidentur repugnare cum statu beatitudinis. Cũ enim beati clarè uideant diuinam uoluntatem, non possunt etiam inefficaciter aliquid uelle contra eam. Resp. negando antecedens, ut enim colligitur ex cap. 6. Apocal. habent beati uolubiles, & inefficaces cogitationes. Ad probationem dico non esse necesse, quod istæ uolitiones inefficaces regulentur per scientiam uespertinam, Tum quia Deus uult beatos habe-

habere tales cogitationes, & uolitiones inefficaces cum & ipse eas habeat. Vult enim uoluntate antecedente, & inefficaci omnes homines saluos fieri, ut alibi explico, & tradunt omnes.

20 Obijcies 2. nam actus discrepans diuinæ voluntati in volito materiali, licet non discrepet in volito formali, non potest esse omnino rectæ rationi conformis; ergo &c. Antecedens probatur, nam perfectius est conformari diuinæ voluntati tam in volito materiali, quam formali, cum hoc sit magis rationi conformè. Resp. quod adhoc vt aliquis actus sit rectæ rationi conformis nō est necesse quod conformetur diuinæ voluntati etiam in volito materiali, sed sufficit quod sit conformis in volito formali. Quod autem possit esse perfectius conformari etiam in volito materiali, nil facit, cum possit aliquando esse perfectius non conformari, vt si Deus velit meum Patrem mori, possum inefficaciter hoc nolle, & dolere de eius morte, & si non dolerem, posset esse minoris perfectionis, maximè si hinc sequeretur admiratio videntibus, putantibus me habere durum cor, &c.

21 Sed quæres 1. an in Christo D. fuerit voluntas sensualitatis, seu appetitus sensitiuus? Resp. affirmatiuè, ita S.D. *hic art.* 2. vbi per voluntatem sensualitatis intelligit appetitum sensitiuum, tendentem in bonum sensibile, & refugiens malum sensibile contrarium. Appetijt namque Christus D. bonum sensibile, & malum ei aduersum refugit. Vnde appetijt vitę conseruationem, & fugit mortem. Tum quia in Christo D. fuit totū id quod pertinet ad hominis integritatem; ergo in eo fuit appetitus sensitiuus cum ad integritatem hominis pertineat. Non tamen in Christo D. fuit voluntas sensualitatis, si per eam intelligatur appetitus sensitiuus vt inclinans ad aliquid rectæ rationi contrarium; aliàs in eo fuisset fomes peccati, & fuisset peccabilis, quorum vtrumque est falsum, vt supra vidimus.

22 Quæres 2. an voluntas animæ Christi D. licet sit vna in ratione potentiæ, sit tamen multiplex in ratione actuū? Resp. affirmatiuè, habuit namque duo actuum genera; vnum circa finem, & est intentio, aliud circa media, & est electio. Ratione primi vocatur natura, & ratione secundi vocatur voluntas rationalis, seu libertas. Alij dicunt, & non displicet, quod voluntas vt natura respicit commodum, & vtilitatem, sub præcisa ratione commodi, & vtilitatis, non considerando aliam rationem. At voluntas vt voluntas, seu ut ratio, est illa, quæ respicit id quod secundum rationem est bonum, consideratis omnibus circunstantijs.

23 Quæres 3. quomodo sit verum quod dicit S. Doctor *art.* 5. quod Christus D. per voluntatem sensualitatis voluit aliquid, quod Deus non volebat, licet per voluntatem vt voluntas est, semper voluerit id quod Deus omnino volebat. Resp. quod S.D. per hæc solum voluit significare, quod voluntas Christi D. non semper fuit diuinæ voluntati conformis in volito materiali, bene tamen in volito formali, modo explicato.

24 Quæres 4. an in Christo D. fuerit aliqua voluntatum contrarietas. Resp. negatiuè, & est de fide definitum in Concil. Later. sub Martino I. *can.* 12. & in 6. Synod. *act.* 4. & 8. Ratio est, quia tunc datur volūtatum contrarietas, quando id quod vni placet sub aliqua ratione, sub eadem ratione displicet alteri, quod est dissētire in volito formali; sed hoc non habuit locum in Christo D. ergo, &c. Maior constat. Minor probatur, nam ad hoc vt in Christo D. esset voluntatum contrarietas oporteret, quod vtraque voluntas diuina scilicet, & humana ita se haberent quod vna vellet, quod alia nollet; sed hoc esse nequit, nam solum in una potuit esse *volo*, & in alia *nollem*, uel è contra, in una *nollo*, & in alia *vellem*; sola namque uoluntate inefficaci quoad obiectum, seu uolitum materiale, potuit humana Christi uoluntas non esse conformis diuinæ, non in uolito formali, ergo, &c. *Volo* autem, & *nollem* non sunt contraria, sed *volo*, & *nollo*.

25 Quæres 5. an omnis humana uoluntas, seu an omnis actus humanæ uolun-

luntatis Christi Dom. fuerit adimpletus? Resp. quod omnis actus efficax humanæ uoluntatis fuit perfectissimè adimpletus, non omnis actus inefficax. Hoc secundum constat ex illo. *Pater si possibile est, transeat à me calix iste, &c.* nam ista uoluntas conditionata, & inefficax non fuit adimpleta. Quod autem omnis actus efficax fuerit adimpletus probatur, nam Christus D. per actum efficacem solum uoluit, quod Deus uolebat, & efficaciter intendebat, sed quod Deus uult, & efficaciter intendit, semper perfectissimè adimpletur. Hac ratione bene dixit sapientissimus P. D. August. lib. 2. quæst. ueteris, & noui testam. q. 77. *Impossibile est, vt Saluatoris voluntas non impleatur.* Vt enim dicebamus dubio præcedenti, uoluntas humana Christi efficax, fuit conformis diuinæ uoluntati non solum in uolito formali, sed etiam in uolito materiali.

26 Quæres 6. an actus inefficax fuerit in uoluntate Christi tum ut est natura, tum ut est ratio, seu libertas. Seu an actus inefficaces uolũtatis humanæ Christi fuerint non solum necessarij, sed etiam liberi? Resp. quod de liberis nulla potest esse difficultas. Ille namque actus. *Pater si possibile est transeat à me calix iste*, fuit inefficax, & liber. Difficultas est, an voluntas humana Christi D. habuerit aliquos actus inefficaces necessarios. Resp. quod cum in Christo D. omnes actus extra uisionem beatam fuerint perfectissimè liberi, non potuerunt esse inefficaces ratione imperfectæ deliberationis; neque ratione obiecti, cum amor beatificus, &c. cum consequatur cognitionem perfectissimam non possit esse inefficax.

27 Quæres 7. quos actus habuit humana Christi uoluntas? Resp. quod habuit actus liberos, & necessarios, ut ex dictis constat. Habuit etiam actus naturales, & supernaturales. Fuerunt actus naturales uirtutum naturalium, ut enim supra uidimus, habuit etiam uirtutes naturales, & ex earum motiuis potuit etiam operari. Habuit actus supernaturales dilectionis Dei, & proximi, obedientiæ, iustitiæ infusæ, &c. Item in uoluntate Christi Dom. fuerunt actus simplicis uolitionis, intentionis, consensus, electionis, usus, & fruitionis. Præterea fuerunt in uoluntate Christi D. affectus, seu actus amoris, odij, v. g. peccati, desiderij, fugæ, timoris, quando cæpit pauere, & tædere, & iræ, cum accepto flagello eiecit de templo ementes, & uendentes, &c.

DVBIVM IV.

An humana Christi Dom. voluntas fuerit libera.

28 Certum est secundum fidem; quod humana Christi D. uoluntas fuerit perfectissimè libera quoad omnes illas operationes per quas nostra salus operata est. Colligitur ex illo Isa. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et Ioan. 10. dicitur. *Ego pono animam meam, & nemo tollit eam à me, sed eam pono à me ipso*, quo significare uoluit esse in sua potestate animam suam ponere, seu mori quando uolebat. Ratio est, nam Verbum diuinum sumpsit integram, & perfectam naturam humanam cum omnibus suis perfectionibus, & proprietatibus non repugnantibus unioni hypostaticæ, sed ad hoc pertinet libertas uoluntatis; ergo, &c. Maior nota est ex Ecclesiæ definitionibus contra Eutychetem, & Monothelitas. Minorem docent omnes Philosophi, & Theologi. Cęterum quia ista difficultas insignis est, & nonnullas habet difficultates, ut distinctè procedamus in sequentibus §§. eam explicabimus.

§. I. Quanam libertate, humana Christi D. voluntas sit libera.

29 Ex dictis in prima 2. libertas est duplex, scilicet à coactione, & necessitate. Libertas à coactione est, illa quæ coactioni opponitur, qua libertate ea dicuntur libera, quæ licet necessariò fiant, nec possint non fieri, tamen fiunt voluntariè, & spontè. Quomodo Scotus, & alij dicunt, quod Pater æternus liberè generat Filium, idest voluntariè, & sponte,

tè, & absque coactione. Libertas à necessitate, est libertas indifferentiæ, qua ratione ea dicuntur libera, quæ nostro subduntur arbitrio, quæ scilicet possumus velle, & nolle, & velle, & non velle, vt tacere, & non tacere, sedere, &c. His positis.

30 Prima sententia est aliquorum, quod in Christo D. fuerit tantum libertas à coactione, asserentium eam sufficientem esse ad meritum, & nostram redemptionem. Sic Marsilius *in 3. qu.* 18. Gabriel & alij apud Suarez *hic disp.* 37. *sect.* 2. Isambert. *ad qu.*18. *disp.*2. *art.*2. aliosque.

31 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *In Christo D. non fuit solum libertas à coactione, sed etiam fuit libertas indifferentiæ, seu à necessitate.* Hæc conclusio est adeo certa vt dicat S.D. *q. 6. de malo art.*1. quod sententia ponens solum libertatem à coactione sit hæretica, quia non solum contrariatur fidei, sed etiam quia euertit principia Philosophiæ moralis. Hinc S.M. Ecclesia damnauit vt hæreticos qui abstulerunt libertatem à necessitate, licet admiserint libertatem à coactione.

32 Ratio à priori est, quia in Christo D. ea libertas secundum humanam voluntatem, poni debet, quæ est necessaria ad meritum, & satisfactionem; sed ad meritum, & satisfactionem requiritur libertas à necessitate, seu indifferentiæ; ergo hæc poni debet in voluntate humana Christi D. Maior nota est; Verbum namque diuinum nostram naturam assumpsit vt per eam mereretur, & satisfaceret. Minor probatur, nam diuinæ processiones sunt liberæ à coactione, & tamen non sunt meritoriæ, nec satisfactoriæ. Item actiones brutorum sunt liberæ à coactione, & tamen non sunt nec laude, nec vituperio dignę, ac proinde nec bonę, vel malæ moraliter, nec meritoriæ nec satisfactoriæ; ergo, &c. Et sic nostram conclusionem tradunt Sancti Patres. D. Hieronym. lib.2. contra Iouinianum sic dicit. *Vbi necessitas, ibi nec corona.* S.Ioan. Damasc. *lib.2. de fide cap.*7. sic habet. *Quod necessitate fit, nec vitij, nec virtutis nomen obtinet.* Idem tradunt alij passim. Hinc Pius V. & Gregor. XIII. damnarunt has propositiones. *Quod voluntariè fit, etiam si necessariò fiat, liberè tamen fit, & ; sola violentia repugnat libertati hominis.*

33 Non fuit tamen in Christo D. libertas contrarietatis, quæ est in nobis ad faciendum malum, reiecto bono. Pro quo nota ex dictis *in* 1.2. quod libertas à necessitate, seu indifferentiæ est duplex. Vna contradictionis ad agendum, vel non agendum, & tunc est, quando vno tantum obiecto nobis proposito, possumus illud acceptare, vel reicere; vt proposito amore possumus amare, & non amare. Alia est contrarietatis, quæ tunc contingit, quando propositis duobus vel pluribus obiectis, voluntas potest vnum eligere, & alterum relinquere. Vt cum proponitur amor, & odium. Pro quo sciendum, quod libertas contrarietatis versari potest circa obiecta sibi inuicem contraria, quorum vnum sit malum, & prohibitum vt odium proximi, & aliud bonum, & præceptum, vt amor eiusdem. Hanc libertatem contrarietatis dicimus non fuisse in Christo D. cum enim esset impeccabilis, debuit excludere hanc libertatem, quæ peccabilitatem admittit. Neque ob defectum huius libertatis contrarietatis libertas voluntatis humanæ Christi D. fuit minor, quam nostra, quia non est de perfectione libertatis, velle, aut posse velle malum, sed est imperfectio, & maximus defectus illius. Hinc rectè dixit S.Doctor *quæst.*22. *de veritate art.*6. quod *velle malum non est libertas, nec pars libertatis, quam sit quoddam signum libertatis; sed posse velle malum habet se per accidens ad rationem libertatis.* Ad essentiam namque libertatis pertinet libertas contradictionis, seu vt loquitur idem S.D. 1. p. q. 62. art.8. ad 3. *Ad essentiam libertatis pertinet eligere diuersa; seu opposita; at aliquid eligere diuertendo ab ordine finis; seu peccando, pertinet ad defectum libertatis;* vt patet in Deo & in beatis; sed de hoc §. sequenti.

§. 2. *An Christus D. habuerit libertatem, in obseruantia diuinarum præceptorum, &c.*

34 CVm voluntas humana Christi D. fuerit libera tam libertate contradictionis, quàm libertate contrarietatis circa obiecta non mala, vt sedere, & ambulare, sedere, & stare, &c. nunc videndum est in quibus potissimè actibus habuerit exercitium libertatis. Et primò inquirimus, an habuerit libertatem in obseruantia mandatorum.

35 Dubium modo dicto solet proponi, nā videtur quod voluntas Christi D. non fuerit libera ad obseruantiam præceptorum, siue naturalium, siue sibi specialiter impositorum, vt de redemptione generis humani per passionem, & mortem, de institutione Sacramentorum, &c. dato quod etiā de hoc speciale habuerit præceptum; ergo, &c. Antecedens probatur, quia vbi voluntas est determinata ad hoc bonum in particulari, vt intrinsecè implicet velle oppositum, ibi nulla datur libertas; sed voluntas humana Christi D. est determinata ad vnumquodque præceptum sibi impositum in particulari, vt implicet eam velle oppositum; ergo est determinata. Maior constat, nam intrinseca determinatio voluntatis tollit intrinsecam eius indifferentiam ad opposita; determinatio namque & indifferentia se mutuo destruunt. Minor probatur, quoniam voluntas Christi D. ex vi vnionis hypostaticæ, est contrinsecè impeccabilis, ergo non fuit propriè libera circa præcepta sibi imposita in particulari, sed determinata ad illorum obseruantiam.

36 Alij etiam sic hoc dubium proponunt, nam quicumque ratione alicuius sibi intrinseci est incapax violandi aliquod præceptum, censetur adimplere illud necessariò; sed voluntas humana Christi D. ratione vnionis hypostaticæ sibi intrinsecæ, est incapax violandi aliquod præceptum sibi à Deo impositum ratione intrinsecæ impeccabilitatis; ergo, &c. Maior nota est, nam principium illud sibi intrinsecum intrinsecè determinat voluntatem ad obseruantiam præceptorum, vt implicet ponere oppositum. Minor etiam nota est, nam impeccabilitas est intrinseca humanæ Christi voluntati.

37 Alij demum sic proponunt dubium descendendo ad præceptum, quod Christus D. habuit de passione, & morte, pro redimendo humano genere, nam non videtur quomodo actus singularis obedientiæ de passione, & morte, fuerit liber cum nullam videatur habuisse indifferentiam, sed intrinsecam determinationem ratione impeccabilitatis intrinsecæ; posito namque præcepto de morte, Christus D. non poterat non mori, ac proinde non poterat non obedire. Cæterum omnia ista in idem recidunt, quod enim de vno dicitur, etiam de alijs dicendum est.

§. 3. *Ponuntur aliqui modi dicendi pro concilianda Christi D. impeccabilitate cum libertate in obseruantia præceptorum.*

38 VArij sunt de hac re modi dicendi. Nam Petrus Lorca hoc loco *disp.* 73. dicit, quod Christus D. nullum habuit propriè, & rigorosè præceptum de morte subeunda pro nobis, sed tantum simplicem diuinę voluntatis insinuationem, non inducentem obligationem, aut necessitatem, sed relinquens plenam indifferentiam absque eo, quod ex omissione sequeretur peccatum, aut violatio legis, vel præcepti. Sed iste modus dicendi communiter reijcitur. Tum quia ex communi sententia Theologorum post D. Thomam Christus D. re ipsa habuit præceptum de morte. Tum etiam, quia dato quod Christus D. nullum habuerit de morte præceptum, adhuc tenebatur mori pro salute generis humani, ex lege charitatis. Charitas namque obligat ad subueniendum proximo extremè indigenti, vbi facilè occurri potest. Vnde posita extrema totius generis humani necessitate, & diuinæ voluntatis insinuatione, tenebatur Christus D. pro illius salute spirituali, quæ aliunde non erat

erat reparabilis, vitam temporalem exponere. Tum denique quia negari non potest, quod Christus D. non teneretur ad obseruantiam præceptorum naturalium tam primæ, quam secundæ tabulæ; ergo saltem de his currit difficultas, cui non satisfacit solutio Petri de Lorca.

39 Secundus modus dicendi est aliorum dicentium quod re ipsa fuit datum præceptum Christo D. moriendi, non tamen cum obligatione ad culpam, si illud non seruaret. Vnde erat liberum Christo D. mori, & non mori. Fundatur iste modus dicendi, in illo principio, de quo diximus in tractatu de legibus, quod scilicet non sit de essentia legis quod sit obligans ad culpam. Sed neque iste modus valet, licet enim non sit de essentia cuiuscumque legis obligare ad culpam, cum sufficiat quod obliget ad pœnam ciuilem. Est tamen de essentia legis præceptiuæ, seu præcepti; ergo si semel Christus D. habuit præceptum moriendi, ad illud obligabatur.

40 Tertius modus dicendi est, quod præceptum impositum Christo D. de morte, fuit dependenter ab eius acceptatione; vnde adimpletio illius fuit tantum necessaria ex suppositione liberę acceptationis. Sed contra, nam adhuc non saluatur libertas in præceptis iuris naturalis, quæ non fuerunt imposita dependenter ab acceptatione, cum sint iuris naturalis, & obligent independenter à cuiuscumque acceptatione. Tum quia præcepta non solent imponi cum dependentia ab acceptatione; ergo, &c.

41 Quartus dicendi modus est aliquorum modernorum dicentium, quod ad libertatem sufficiat indifferentia iudicij quo obiectum iudicetur non habere ex sui ratione connexionem necessariam cũ fine, licet voluntas operans cum hoc iudicio, non liberè, sed necessariò operetur. Sed contra, nam licet ad hoc vt voluntas liberè operetur requirat, & supponat iudicij indifferentiam, tamen in hoc non consistit formaliter libertas, sed tantum radicaliter. Formaliter namque libertas non consistit in indifferentia iudicij, Sed in indifferentia voluntatis: ergo non potest stare libertas cum sola indifferentia iudicij, & necessitate voluntatis.

42 Quintus dicendi modus est aliorum dicentium, quod licet voluntas humana Christi D. non esset libera libertate specificationis, & exercitij in obseruantia præceptorum, & maximè præcepti moriendi tamen fuit libera quoad modum, ratione cuius actus Christi D. fiebãt modo libero, suaui, & cum tanto dominio in suos actus, ac si re ipsa haberet indifferentiam, vt posset elicere, & non elicere vt posset mori, & non mori. Sed etiam iste modus facile refelli potest; nam ratio formalis libertatis consistit in formali indifferentia voluntatis, præsupposita indifferentia iudicij, ergo implicat quod voluntas sit libera, & careat indifferentia. Tum quia iste modus dicendi destruit se ipsum, nam implicat, quod voluntas careat formali indifferentia, & habeat perfectum, plenumque dominium suorum actuum. Quid enim est habere plenum, perfectumque dominium suorum actuũ, nisi eos attingere cum plena, perfectaq; indifferentia? & è contra.

§. IV. *Ponitur modus dicendi communis modernorum, & reicitur.*

43 SVarez, Valentia, & alij, quos refert, & sequitur P. Orlandus *trac. 4. disp. 6. q. 1. n. 7.* dicunt; quod quamuis Christus D. habuerit præceptum v.g. moriendi, non tamen fuerunt præceptæ omnes circunstantiæ, loci, temporis, &c. ac proinde humana Christi voluntas fuit libera, quia non erat determinata, ad omnes circunstantias, si autem Deus præcepisset non solum substantiam v.g. mortis, sed etiam omnes circunstantias illius, tunc mors non fuisset libera, ac proinde nec meritoria, nec satisfactoria. Circunstantiæ autem præcipuæ, quæ non fuerũt præceptæ, fuerunt duæ. Prima est circunstantia finis proximi, seu motiui, siue obiecti formalis, vnde desumitur species, & substantia actus interni voluntatis. V. g. respectu eleemosinæ, motiuũ proximum est

est subleuare miseriam. In obedientia speciali, motiuum est seruare præceptum quia præcipitur. In religionis actu, motiuum est ratio cultus, &c. Quare, inquiunt, qui est nacessitatus ad substantiam actus eleemosinæ, & non ad cicunstantiam motiui proximi, liberè eam faceret propter hoc motiuum, & non propter aliud, iam totus actus substantialiter esset liber, &c. Licet ergo Christus D. non potuerit non acceptare, & non velle seruare præceptum moriẽdi, tamen quia fuit liber ad illud exequendum, vel ex motiuo charitatis, vel ex motiuo iustitiæ, vel misericordiæ, vel obedientiæ, tota substantia actus, intensioque illius fuit libera, cum potuerit fieri, & non fieri, & potuerit poni substantia alterius diuersæ speciei.

44 Secunda cicunstantia de quo prçcipuè dicunt, quod non fuerit præcepta, est circunstantia huius, vel illius temporis. Libertas namque huius circunstantiæ refunditur in totam substantiam operationis, quia sicut impossibile est operari simpliciter in tali tempore, & non ponere simpliciter substantiam operationis; ita impossibile est liberè operari in tali tempore, & non ponere liberè substantiam operationis. Vnde libertas in vna sola circunstantia temporis operandi, non potest non ponere libertatem in toto opere. Quocirca dicitur, quod si quis Petro prorsus determinato ad occidendum Paulum cras, suadeat vt occidat hodie, est vera causa homicidij secundum substantiam. Licet ergo Christus D. non potuerit simpliciter non mori, & non obedire Patri, tamen adhuc liber fuit, quia potuit non mori eo tempore, quo mortuus est, cum huius circunstantiæ præceptum non haberet.

45 Cæterum neque iste modus dicendi, licet sit satis plausibilis extra scholam D. Thomæ, satisfacit. Primò, quia Christus D. non meruisset quoad obseruantiam mortis, sed tantum ratione circunstantiarum; hoc est falsum; ergo. Secundò, quia non satisfecisset, nec meruisset obseruãdo prçcepta formaliſſimè, quia necessitabatur ponere rem formalissimè vt præceptam, sed solum satisfecisset, & meruisset ponendo circunstantias non prçceptas; & ad summum meruisset ponendo actum præceptum, vt cadebat sub circunstantia, quatenus non poterat poni circunstantia sine actus substantia, non tamen per positionem substantiæ actus absolutè, & simpliciter vt prçcipiebatur. Imò neque dici potest quod absolutè meruisset per substantiam actus, nam cum circunstantia sit modus actus, ac proinde supponat eiusdem actus substantiam, non ponat libertatem in actu, nec possit circunstantia actus adueniens esse ratio positionis illius, semper manet quod meritum solum sequatur circunstantiam, non substantiam actus.

46 Præterea omnino falsum videtur quod Deus prçceperit aliquem actum Christo D. & non præceperit finem immediatum, seu motiuum illius; nam cum finis proximus, & immediatus, seu motiuum immediatum actus sit specificatiuũ illius; actus namque specificantur à fine proximo operis, vt actus misericordiæ à subleuatione miseriæ; actus religionis à cultu; actus obedientiæ specialis ab obseruantia præcepti vt talis; sequitur, quod cum Deus præceperit Christo D. aliquos actus virtutis, vt obedientiæ in morte, iustitiæ in satisfactione, &c. quod etiam harum virtutum motiua prçceperit. Patet autem, quod non possit præcipi actus virtutis specialis, nisi etiam præcipiatur eius specificatiuum, quod est finis proximus, & immediatus.

47 Deinde videtur falsum, quod Deus non prçceperit circunstantias actus mortis, & maximè circunstantiam temporis; ergo, &c. Antecedens probatur ex illo Ioan. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*; quibus verbis innuitur, quod mandatum de morte, ita fuit executum sicut Pater prçceperat; sed hoc mandatũ fuit executum tali tempore, ergo pro eo tempore fuit mandatum.

48 Occurrit Orlandus loco cit. *nu. 9.* quod quando Christus mortuus est, fecit tantum id, quod præcepit illi Pater, & ideo verè dicebat, *Sicut mandatum dedit mihi*

mihi Pater, sic facio. Sed contra, nam per te mandatum Patris erat solum de substantia mortis secundum se, præscindendo à circunstantijs, sed Christus D. non posuit mortem secundum se, sed tali tempore; ut autem dicis *num.8.* est impossibile in tali tempore operari, & non facere simpliciter substantiam operationis; ergo cum non possit poni substantia operationis secundum se, neque poterit præcipi secundum se.

49 Demum colligitur quod Deus Pater præceperit circunstantiam temporis ex illis verbis. *Pater venit hora, clarifica Filium tuum*. Ioan.17. Item ex illo. *Ante diem festum Pascha sciens Iesus quia venit hora eius vt transeat ex hoc mundo ad Patrem*. Non diceretur autem hoc scire nisi à Patre fuisset determinatũ, vt colligitur ex illo Ioan. 17. *Opus consumaui, quod dedisti mihi*.

§.V. Ponitur alius modus concordandi libertatem Christi D. cum obseruantia præceptorum, & reicitur.

50 Est etiam satis communis sententia modernorũ, quod ideo Christus D. fuit liber in obseruantia præceptorum, & maximè præcepti de morte, quia præceptum non fuit de re, v.g. de morte secundum gradum specificum, & indiuiduum, sed tantum secundum gradum genericum; relinquendo libertatem secundum gradum specificum, & indiuidualem. Vnde necessitabatur ponere mortem secundum dictum gradum genericum de quo erat præceptum, & liberè, cum posuit secundum gradum specificum, & indiuidualem, de quo nullum erat præceptum. Potest iste modus dicendi explicari ex eo, quod aliqui dicunt de diuina præmotione; seu prædefinitione, quomodo scilicet det agere ad vnum, & posse agere ad aliud. Ponit namque in istorum sententia actum secundum gradum genericum, & dat posse pro sequentibus gradibus.

51 Verùm neque iste modus dicendi satisfacit, nam quidquid sit de illo exemplo, de quo in 1.2. doctrina illa non est ad rem pro nostro casu. Pro quo sciendum, quod in actu libero plures possunt gradus distingui, scilicet genericus, specificus, & indiuidualis. Gradus genericus attenditur secundum rationem eius in tali, vel tali genere. Gradus specificus attenditur penes eius specificatiuum, seu obiectum, aut finem immediatè inspectum, seu penes motiuum, à quo suam accipit specificationem. Cæterum gradus indiuidualis attenditur ex eius singularitate, ex circunstantijs, & alijs id genus.

52 Ex ijs impugnatur ille modus dicendi nam præcepta non dantur de actibus secundum gradum genericum, sed secundum gradum specificum, & indiuidualem. v.g. præceptum non occidendi non datur de non ponenda occisione hominis vt sic, seu secundum gradum genericum, aliàs nulla esset licita hominis occisio, & sic non possent à Republica occidi malefactores, nec posset occidi inuasor cum moderamine inculpatæ tutelæ, quod est omnino falsum, cum in istis occisionibus reperiatur ratio generica occisionis; sed prohibetur occisio secundum rationem specificam, & indiuidualem; vt nec homo occidatur priuata auctoritate, nec occidatur hic homo v.g. Petrus.

53 Hinc est, quod quando Deus præcepit Abrahæ vt occideret Filium suum, non præcepit vt occideret Filium secundum gradum genericum, sed secundum rationem specificam, & indiuidualem Filij sui. Ita cùm Pater æternus præcepit Filio suo vt moreretur, non præcepit vt poneret mortem secundum gradum genericum, sed secundum gradum specificum, & indiuidualem, vt scilicet poneret mortem talem quæ esset carentia vitę sui ipsius, seu præcepit mortem hanc, seu vt ita dicam indiuiduam.

54 Impugnatur præterea, nam eodem modo debuit Deus imponere præceptum Christo D. quo illud imposuit Adamo, vt sic redemptio per obseruantiam mandatorum correspondaret transgressioni, inobedientiæ, & perditioni; sed præceptum

ceptum impositum Adamo non fuit de non edendo secundum rationem genericam esus, sed secundum rationem specificam, & indiuidualem; aliàs peccatum Adami non fuisset speciale peccatum talis speciei, & indiuidui, cum secundum has rationes non opponeretur alicui præcepto; ergo etiam Christo D. præceptum fuit impositum secundum rationem specificam, & indiuidualem, aliàs dæmon qui in ligno vincebat, in ligno non vinceretur, scilicet per talem mortem determinatam vsque ad gradum indiuidualem.

§.VI. Ponitur verus modus reconciliandi libertatem Christi D. cum obseruantia, vel non obseruantia præceptorum.

55 VErus, & communis modus dicendi est, quod Christus D. fuerit liber in obseruantia præceptorum, etiam quoad substantiam, quod optimè explicabitur adducendo rationem dubitandi relatã supra *n*.35. cum seq. nam vbicumque voluntas est determinata ad hoc bonum in particulari, ibi non est libera, sed voluntas humana Christi D. est determinata ad obseruantiam præceptorum ex vi vnionis hypostaticæ, qua intrinsecè redditur impeccabilis; ergo in præceptorum obseruantia non est libera. Ad libertatem namque requiritur indifferentia, quam voluntas humana Christi non habet in obseruantia præceptorum, aliàs si posset ea non obseruare, posset peccare, quod est falsum.

56 Resp. concedendo maiorem, & negando minorem, non enim voluntas Christi D. erat determinata ad obseruantiam præceptorum, sed erat indeterminata, & indifferens non quidem indifferentia contrarietatis, sed contradictionis, non qua poterat obseruare præcepta, & non obseruare contrariè agendo contra illa, seu ponendo actum, aut omissionem contrariam, seu prohibitam, sed quandam cessationem actus, seu non prout opponitur præcepto. Impeccabilitas namque Christi faciebat, quod non poterat ponere actum contrarium præcepto, non tamen quod non posset ponere contradictorium. Impeccabilitas Christi faciebat, quod infallibiliter poneretur actus præceptus, non necessariò.

57 Potest hæc nostra, & communis Thomistarum responsio declarari ex ijs quę diximus cum N. Salmant. 1. *p. disp.* 19. *dub.* 19. *à num.* 200. de sensu composito, & diuiso. Prænotando quod in nostra voluntate est simul potentia ad oppositũ, vel opposita, non tamen ad illa simul habenda. Est in voluntate potentia ad consentiendum, vel non consentiendum, ad obseruanda, vel non obseruanda præcepta, non tamen ad vtrumque simul habendum. Ratio est, quia non repugnant potentiæ ad obseruandum, vel non obseruandum præceptum, repugnat tamen quod simul præceptum obseruetur, & non obseruetur. Quod explicant aliqui dicentes, quod in voluntate est simultas potentiæ, non tamen est in ea potentia simultatis, idest potentia ad simul habenda opposita, vt est obseruantia, & non obseruantia præcepti. Vnde qui amat, liberè amat, cum tamẽ conseruet potentiam ad non amandum, licet nequeat coniungere, seu componere amorem, & odium, seu amorem, & cessationem illius.

58 Hinc est, quod cum diuina voluntas prædefiniens v.g. actum amoris, cum infallibiliter inferat, sequitur quod idem iudicium ferendum sit de illa ac de ipso actu amoris. Quocirca sicut dum quis amat non habet potentiam, nec libertatem ad coniungendum amorem, & odium, aut amorem, & cessationem illius, ita non habet potentiam, & libertatem ad habendam simul præmotionem ad amorem, & carentiam, seu cessationem illius, quod est non habere potentiam in sensu composito. Ex quo nullus infert, quod dum voluntas amat, non liberè amet, licet, non possit coniungere amorem, & cessationem illius. Cum adhoc vt amor sit liber non requiratur hæc coniunctio, sed sufficit quod dum ponit amorem, conseruet potentiam ad cessationem illius.

Sic

59 Sic in nostro casu, adhoc vt voluntas Christi D. sit libera in obseruantia mandatorum Dei; non est necesse, quod ita pręcepta obseruet, vt vel coniungat inobseruantiam, vel habeat potentiam ad illam coniungendam cum obseruantia, vel saltem vt in sensu composito impeccabilitatis ponat transgressionem illorum, seu inobseruantiam; sed sufficit quod conseruet potentiam ad ponendum contradictorium, seu vt possit non ponere actum præceptum secundum se, non coniungendo cessationem actus præcepti cum præcepto, & impeccabilitate, sed præcisè secundum se. Videatur dicta à nobis loco citato, vbi soluuntur aliquæ obiectiones, ex quibus nostra solutio clarior manebit.

60 Sed contra hanc nostram solutionem obijcit Isambertus hoc loc *ad q.* 18. *disp.*2. *art.*4. *verbo, sed hæc responsio*, quod potius ex ea significatur, quod Christus D. non obseruauit præcepta liberè, quia Christum D. in sensu composito non fuisse liberum pro obseruandis præceptis, nihil est aliud quam positis iam præceptis non fuisset liberum ea obseruare, sed solum antequam ponerentur. Resp. in hoc decipi aduersarios putantes nos velle, quod voluntas solum sit libera ante quam præcepta ponantur, seu antequam componatur voluntas cum præceptis, idem dicunt de prædefinitione physica, quod scilicet voluntas cum ea composita non sit libera, sed ab ea diuisa. Et putant nos intelligere sensum compositum, & diuisum hoc modo vt voluntas in sensu composito non sit libera, sed in sensu diuiso, quatenus posita prædefinitione sit necessitata ad agendum, & ea ablata, sit libera. Sed non est ista intelligentia Thomistarum, eorumque omnium qui rectè intelligunt sensum compositum, sed eorum intelligentia est quod voluntas in sensu composita prædefinitionis, seu voluntas prædefinito non possit non ponere actum prædefinitum, & non habeat potentiam ad coniungendum oppositum, sicut voluntas dum amat non habet potentiam ad ponendum odium, vel cessationem amoris, coniungẽdo vtrumque, sed quod conseruet potentiam ad ponendum oppositum, vel cessationem, secundum se. Ex quo sequuntur duo. Primum, quod voluntas prædefinita infallibiter ponat actum prædefinitum, non tamen necessariò, sed liberè, cum conseruet indifferentiam, seu potentiam ad oppositum, non quidem vtrumque componendo, quod est impossibile, sed secundum se. Secundum, quod voluntas Christi D. fuerit omnino libera in obseruantia præceptorum, quia licet ratione impeccabilitatis non potuerit coniungere cum impeccabilitate transgressionem præceptorum, potuit tamen ponere inobseruantiam secundum se, pręscindendo tum ab impeccabilitate, tum à transgressione contraria, ponendo dumtaxat illam transgressionem negatiuè, non contrariè.

61 Ex quibus probari potest noster modus loquendi, nam prædefinitio actus cum omnibus circunstantijs, non tollit quin liberè ponatur; ergo neque præceptum. Antecedens constat ex dictis 1. *p. disp.*19. *dub.*17. 18. & infra. Conseq. probatur, nam magis deberet officere libertati prædefinitio cum sit intrinseca voluntati, quam præceptum quod est extrinsecum; ergo si prædefinitio non officit, neque præceptum officiet.

62 Occurrit Orlandus loco cit. *n.* 15. assignando disparitatem, quia prædefinitio nullam obligationem imponit voluntati Christi D. ad operandum. At præceptum ita obligat Christi voluntatem ad exercitium actus, vt contrarium sit impossibile. Vnde licet, inquit, actus sit prędefinitus, quoad omnes circunstantias, verè diceretur Christum D. posse illum absolutè non facere. At verò si actus esset præceptus quoad omnia, non posset illum omittere sine peccato, & ideo ex actu sic præcepto infertur non manere in Christo libertatem ad illum implendum, non autem ex actu prædefinito.

93 Sed contra, nam licet prædefinitio nullam imponat obligationem moralem, vt facit præceptum, imponit tamen quandam obligationem physicam, faciẽ-

do quod voluntas ponat actum infallibiliter, vt sit impossibile in sensu composito, quod non ponatur; necessitas autem physica, maior fortiorque est necessitate tantum morali. Vnde non est minus impossibile in sensu composito, quod voluntas prædefinita, & præmota non ponat actum prædefinitum, quam voluntas impeccabilis non ponat actum præceptū, ergo sicut prædefinitio ad actum non tollit libertatem, quia relinquit potentiam ad oppositum secundum se ponendum, non ad componendum, &c. Ita quia impeccabilitas ita ponit actum præceptum, hic, & nunc circumstantionatum, vt absolutè, secundum se, & in sensu diuiso possit non poni, ideo non tollit libertatem.

64 Præterea dum Deus præcepit Christo D. vt moreretur, simul volebat vt moreretur liberè, non necessariò, sicut quando aliquid præcipit, vult quod liberè obseruetur. Non minus ac cum vult, quod humana Christi voluntas ad aliquid prædefinita illud ponat, vult quod ponat eo modo quo illud prædefiniuit, ac decreuit; sed dum Deus aliquid prædefinit fieri à voluntate libera, vult quod fiat liberè; ergo, &c.

65 Sed quæres 1. quomodo humana Christi voluntas fuerit libera in obseruandis preceptis negatiuis? Præcepta negatiua sunt illa quæ aliquid prohibent, vt quod nō blasphemetur, quod non furetur, quod nō mechetur, &c. Vnde materia præcepti negatiui, seu res precepta in precepta est negatio actus peccaminosi. Dupliciter præcepta negatiua seruari possunt. Vno modo materialiter, & ad hoc sufficit, quod quis non ponat actum peccaminosum prohibitum: v.g. adhoc vt quis obseruet præceptum hoc negatiuum *Non occides*, sufficit quod re ipsa nō occidat, licet numquam habuerit actum quo noluerit occidere, vt præceptum obseruaret. Alio modo formaliter, ad quod requiritur quod actu positiuo voluerit hoc preceptum seruare numquam occidendo. Ad quod reuocatur voluntas detestationis homicidij: voluntas obediendi in obseruatione huius præcepti: voluntas seruandi illæsum ius alienum. Voluntas seruandæ charitatis, &c. Christus ergo D. fuit liber in obseruantia præceptorum negatiuorum vtroque modo. Primò materialiter, quia non posuit actum contrarium. Secundò formaliter, volendo positiuè illorum obseruantiam, tum ob bonitatem propriam motiuorum eorumdem præceptorum, tū ob alia motiua quarumcumque virtutum.

66 Quæres 2. an sit probabilis modus dicendi aliquorum, quod nostra libertas consistat formaliter in quadam eminentia, & amplitudine, qua voluntas creata ita coniungitur, & inhæret Deo, vt cætera nobis sint indifferentia, vt nec illa velimus, nec illi inhæreamus, nisi in quantum Dei ordinatio, vel finis noster vltimus reposcunt. Ex quo inferunt quod si quis sit in eo statu, in quo minuatur indifferentia ad multa, & augeatur adhæsio ad vltimum finem, vt sunt beati, augebitur libertas, non minuetur. Aliqui respondent affirmatiuè, adducunt D. Th. 1. *p. q. 62. art.* 8. *ad 3.* dicentem quod in Angelis est maior libertas, quam in nobis, qui possumus peccare. Referunt etiā testimonium S. P. Aug. Epist. 89. vbi sic fatur. *Voluntas tantò liberior, quantò sanior, tantò autem sanior quantò diuinæ gratiæ, misericordiæque subiectior.*

67 Nihilominus ille modus dicendi si procedat de libertate formaliter, seu indifferentiæ, non est verus. Libertas namque formaliter nō desumitur ex adhæsione ad vltimum finem, sed ex indifferentia voluntatis, præsupposito iudicio indifferenti, seu quod obiectum circa quod voluntas versari debet non est illi adęquatū, non continet omnem bonitatem, sed in eo apparet aliqua ratio mali, difficilis, inadæquationis, &c. Si tamen intelligeretur de libertate peccati, tunc ille modus admitti debet. Illa namque voluntas est magis libera libertate peccati, quæ magis Deo inhæret, & in hoc sensu loquuntur duo illa lumina Ecclesiæ.

DISPV-

DISPVTATIO XIX.

IN QVAEST. XIX. DIVI THOMAE.

De pertinentibus ad vnitatem Christi, vbi de merito eiusdem.

1 IN articulo 1. docet S. Doctor; quod in Christo D. sunt duæ operationes, scilicet diuina, & humana. Illa est increata vtpotè ab essentia diuina non diuersa: hæc est creata, à potentijs, vel habitibus creatis elicita. Hæc doctrina est de fide in 6. Synodo *art.* 17. definita, & in Conc. Later. sub Martino I. *can.* 10. 11. 12. 13. & 14. contra Monothelitas agnoscentes in Christo D. vnicam tantum voluntatē, scilicet diuinam, ac subinde vnicam tantū operationem, diuinā videlicet, seu increatam. In art. 2. tradit, quod in Christo D. vna tantum est operatio humana per comparationē ad principium operatiuum; scilicet voluntatem, licet sint plures numero, & specie secundum distinctionem quæ est ex obiectis. A voluntate, ergo per rationem regulata desumitur vnitas operationis, quia illi appetitus, & cæteræ potentiæ subdebantur. In art. 3. dicit quod Christus D. per actiones humanitatis re ipsa meruit, erat enim viator; viator autem mereri potest tum sibi ea quæ non habet, tum alijs. In art. 4. probat, quod Christus D. meruit alijs, cum haberet gratiam tanquam caput, & vnam cum membris constitueret mysticam personam. Vnde Christi D. operationes non tantum erant personales, sed spirituali generatione omnibus communes qui ex eo renascuntur.

DVBIVM I.

An Christus D. re ipsa meruerit.

2 EX dictis de merito in communi constat, quod ad merendum quinq; conditiones requirantur. 1. Quod actio sit moraliter bona. 2. Quod sit libera. 3. Quod sit hominis iusti, & Deo grati. 4. Quod sit viatoris. 5. Quod intercedat pactum, seu promissio de præmio retribuendo. Definitur meritum quod sit *actio bona, acceptata ad aliquod præmium*. Per hoc quod dicitur *actio bona*, intelligitur, quod sit libera, actiones namque necessariè non sunt moraliter bonæ. Per hoc quod dicitur *bona*, intelligitur quod sit hominis iusti, & Deo grati. Per hoc quod dicitur *acceptata ad aliquod præmium*, intelligitur quod sit viatoris, & quod intercedat pactum.

3 Meritum ex dictis loco citato est duplex, scilicet de condigno, & de congruo. Meritum de condigno est illud, cui de iustitia, ex lege, seu pacto & operis condignitate debetur præmium. At meritum de congruo est illud, quod ex gratia, & congruitate acceptatur ad aliquod præmium. Vnde ad meritum de condigno duo requiruntur. Vnum, quod opus meritorium sit dignum eo præmio cuius est meritorium. Aliud, quod ex lege, promissione, aut pacto debeatur illud præmium. Cæterum ad meritum congrui satis est, cum non sit lex sancita, qua tale præmium correspondeat illi merito, quod præmium ex gratia, & congruitate concedatur. Hinc est quod omne

ne meritum; ideo est meritum, quia à Deo acceptatum, & non è contra, ideo acceptatum, quia meritum. Ex quo infertur quod nulla actio creaturæ rationalis quantumcumque excellens, est æterno præmio digna nisi à Deo in ordine ad ipsum fuerit acceptata. Quod patet, siquidem præmium maius bonum est merito, iustitia autem stricta non reddit melius pro bono minori. Ex hoc intelliges illud Apost. Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriã, quæ reuelabitur in nobis*. Et illud. *Momentaneum hoc, & leue nostræ tribulationis, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Nam siue iustorum opera consideres, vt præcisè à libero proficiscuntur arbitrio, siue vt etiam à gratia, prout est quædam qualitas supernaturalis, seclusa acceptatione, & ordinatione diuina, ea ad beatitudinem ordinante, non sunt ea digna, & meritoria de condigno, longo enim interuallo, & multis parasangis ab ea distant, cæterum diuina ordinatione accedente, ea ad huiusmodi præmium acceptante, redduntur de condigno meritoria illo excellentissimo, & supernaturali præmio.

4 Non desunt tamen qui existiment opera nostra, seclusa acceptatione, pacto, lege, & promissione diuina, esse beatitudine æterna condigna, qua ratione fiunt propter Deum ex charitate, & gratia Spiritus S. Hæc tamen facile conciliari possunt si dicamus habere quidẽ intrinsecam quandam condignitatem, non tamen sufficientem ad inducendam præmij obligationem, nisi diuina lege, pacto, aut promissione accedente. Hanc legem sanciuit Deus ab æterno, statuens, quod bonis operibus à gratia sanctificante prouenientibus beatitudo esset reddenda tanquam præmium ipsis debitum ex diuina promissione, & condignitate eorum. Vnde licet animæ in Purgatorio existentes opera faciant excellentissima ex magno charitatis feruore, vt est sufferentia tormentorum, non tamen nec gratiam, nec gloriam per illa merentur, ex eo præcise, quia in eo statu illa opera non sunt à Deo ordinata ad præmium, nec est lex, pactum, aut promissio de reddendo præmio dictis illarum animarum operibus.

5 Difficultas præsens est, quomodo in Christo D. fuerit meritũ cum ab instanti suę conceptionis fuit cõpræhensor. Ideo namque beati in cælis nõ merentur, quia sunt compræhensores. Non defuerunt hæretici qui Christo D. negarunt quodlibet meritum, vel ob defectum viatoris, vel ob defectum libertatis, vel ob alia.

6 Veritas catholica sequenti concl. explicatur. *Christus D. verè, & propriè meruit*. Hæc concl. est de fide, colligitur ex sacra Scriptura, Isa. 53. dicitur. *Pro eo quod laborauit anima eius, videbit, & saturabitur, &c.* Ad Philippenses 2. habetur. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, &c. Propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* Et Apocal. 5. legitur. *Dignus est agnus qui occisus est, accipere gloriam, & diuinitatem, &c.* Hæc veritas habetur definita *in Extrauag. vnigenitus*, & in Trident. *sess. 6. cap. 7.* vbi habetur, quod Christus D. fuit causa meritoria nostræ iustificationis. Ratio constat ex dictis, fuerunt namque in ipso conditiones ad meritum requisitæ, relatæ *num. 2.* Vnde licet esset compræhensor, erat etiam viator, qua ratione poterat mereri.

7 Pro quo nota differentiam inter Christum D. vt erat viator, & compræhensor, & beatos compræhensores. Quod beati sunt Deo tanquam vltimo fini dupliciter coniuncti; scilicet per perfectissimam affectionem, ipsum diligendo, vt præsentem, & clarè visum. Et per affectionem commodi, quatenus ipsi supremo bono, quod summum commodum est, sunt maximè coniuncti, vt sint beati, & secundum portionem superiorem, & secundum inferiorem. Vnde nullum actum affectioni commodi contrarium beati habere possunt vt liberè aliquid velint, quod eis commodum non sit. In patria namque nullum est obiectum quod beatis incommodum esse possit, quod affectione commodi nolint, quodque liberè appetere possint. Quod ex eo prouenit,

nit; quia vltimo fini secundum vtramque affectionem sunt perfectissimè coniuncti. Cæterum Christus Dom. cum non fuerit omnino beatus, & compræhensor, sed etiam viator, mortalis, & passibilis secundum corpus, seu secundum partem sensitiuam, & portionem inferiorem suæ voluntatis, multa habuit obiecta sensibus præsentia, & portioni inferiori, circa quæ potuit liberè velle contra affectionem commodi, quæ semper tendit in conueniens illi cuius est. Vnde ieiunando, orando, vigilando, & alijs multis similibus actibus mereri potuit, eos exercendo, eosque volendo propter Deum. At ille qui est simpliciter in termino, mereri non potest, quia meritum est via ad terminum.

8 Sed obijciet aliquis, quia Christus D. etiam secundum portionem inferiorem fuit semper in termino, ergo non potuit vllo modo mereri. Conseq. constat. Antecedens probatur, nam Christus D. neque secundum portionem inferiorem potuit habere aliquem actum, aut motum inordinatum circa aliquid ad finem; ergo portio inferior in Christo D. fuit pacifica, & quieta quantum potuit, ac proinde simpliciter in termino. Resp. quod portio inferior Christi D. dicitur esse in termino per hoc, quod portio superior coniungeretur Deo perfectè per actum beatificum, ratione cuius coniunctionis portio inferior nō poterat elicere actum inordinatum. Absolutè tamen portio inferior non fuit in termino, non enim erat impassibilis, nec habuit omne, quod habere potuit secundum affectionem commodi, quia ex miraculo gloria animæ non redūdabat in corpus; non enim habebat in via, quod habuit post resurrectionem. Quia ergo sic se habebat, potuit aliquid sibi accidere contra affectionem naturalem commodi, quod quia liberè acceptauit, ideo meruit.

9 Sed quæres, an per potentiam Dei absolutam potuerit Christus D. nihil promereri? Resp. affirmatiuè. Primò, quia Deus per potentiam absolutam potuit necessitare volūtatem humanam Christi D. Vbi autem est necessitas, ibi nullum est meritum. Secundò, quia Deus potuit nō pacisci de dando præmio liberis Christi operibus, vbi autem non est pactum, lex, aut promissio de acceptando opere in ordine ad tale præmium, ibi nullum intercedit meritum. Ex vi namque vnionis hypostaticæ, non sequitur, quod opera Christi sint meritoria, sed quod sint apta ad merēdum supposito pacto, ob quam rationem non poterant non placere Deo, ratione infinitæ dignitatis suppositi à quo procedebant.

DVBIVM II.

Quo tempore Christus D. mereri cæperit.

10 Potissima huius dubij difficultas est de primo conceptionis instanti, an scilicet ab eo instanti mereri inceperit. Prima sententia negat. Hanc sequuntur Alensis 3.p.q.17. *membr.2.art.1.* Albertus *in 3.dist.18.art.6.* D. Bonau. *ibid.art.1.q.1.* Durand. *ibid. q.2.* quam tenere coguntur omnes illi qui dicunt, quod Angeli nec meruerunt, nec mereri potuerunt in primo suæ creationis instanti, vt sunt Hugo de S. Victore, Capreolus, Olchot, & alij, dicentes quod actiones quæ ponuntur in primo instanti creationis sint naturales, & sint quasi passiones naturę, ac proinde non meritoriæ.

11 Communis, & vera sententia Theologorum sequenti concl. explicatur. *Christus D. meruit in primo suæ conceptionis instanti.* Sic tenet S.D. infra *q.34.art.3.* quem omnes eius discipuli, & expositores sequuntur. Eandem sententiam tenent Magister *in 3.dist.18.* Scotus *ibid. q.vnica art.1.* Argentina *q.1. art.3.* Ricard. *art.1. q.1.* Gabriel *q.vnica art.1.concl.5.* Suarez, Vasq. Cipullus, Orlandus, & alij hoc loco. Colligitur ex illo Apost. ad Hebræos 10. *Ingrediens mundum dixit, hostiam, & oblationem noluisti, &c. tunc dixi, ecce venio, in capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam.* Quem locum intelligunt Patres de primo ingressu in mundum, qui fit in conceptione: tunc enim Christus D. acceptauit mortem,

tem, & passionem: acceptauit facere voluntatem Patris de redemptione generis humani per passionem, & mortem.

12 Probatur 1. nam Christus D. in primo instanti suę cōceptionis habuit omnes conditiones, quæ ad meritum requiruntur, nam operatio v.g. qua acceptauit mortem pro salute generis humani fuit bona, vt patet; fuit libera, cum Christus D. liberè mortem acceptauit. Fuit hominis iusti, & Deo grati. Fuit viatoris, & erat pactum de dando præmio; ergo, &c.

13 Probatur 2. nam Christus D. in primo instanti suæ conceptionis fuit per gratiam sanctificatus medio motu liberi arbitrij in Deum; sed ille motus fuit meritorius; ergo, &c. Maiorem docent communiter Theologi. Minor probatur, nam ille motus est effectiuè à gratia, & dispositiuè ad eam disponit; sed omnis motus qui est effectiuè à gratia prout sic, est meritorius; ergo, &c. Quod autem ille motus quo se disponeret fuerit in Christo, patet, nam incongruum fuit, quod Christus D. fuerit sanctificatus eo modo quo paruuli ante vsum rationis, sine proprio motu, sed debuit iustificari per modum adulti per proprium motum.

14 Probatur 3. nam Christus D. in primo suæ conceptionis instanti habuit cognitionem scientiæ infusæ, qua eius voluntas dirigebatur; sed illa cognitio non mouebat voluntatem necessariò, sed liberè; ergo etiam meritoriè. Vbi enim volitio est libera, est etiam meritoria, quādo adsunt cæteræ conditiones ad meritū, vt aderant Christo Dom. in primo instanti suæ conceptionis, vt ex dictis constat.

15 Confirmatur, & explicatur præcedens ratio, quia posita sufficienti cognitione, siue iudicio de bono supernaturali, & perfecta sanctitate in voluntate, potest voluntas elicere actum meritorium, dummodo voluntas sit viatoris; sed Christus D. in primo instanti suæ conceptionis habuit scientiam infusam, qua cognouit saltem aliqua obiecta supernaturalia: eius voluntas erat perfectè sanctificata, & erat viatoris; ergo actus habuit meritorios. Soluuntur arg. in contr.

16 Primum argum. nam ad meritum requiritur libertas; sed in Christo D. pro primo instanti conceptionis non fuit libertas; ergo neque meritum. Minor probatur, nam ad libertatem requiritur indifferentia ad opus, sed hæc non potest esse in primo instanti, cum respiciat tempus futurum; ergo, &c. Minor ostenditur, nam voluntas dum operatur non est indifferens ad operandum, & non operandum, sed est determinata ad operandum, nulla namq; est maior determinatio ad operandum quam ipsa actualis operatio. Tum quia ad libertatem requiritur deliberatio ex parte intellectus, sed in primo instanti non est deliberatio, hæc enim cum requirat discursum non potest esse in primo instanti *esse*.

17 Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem etiam negatur minor, indifferentia namque etiam in primo instanti esse potest. Ad probationem dico, quod cum operaratio sit exercitium libertatis, & indifferentiæ, sequitur, quod licet operatio tollat indifferentiam suspensionis, non tamen tollit indifferentiam libertatis, cum sit illius actuale exercitium. Tollit operatio indifferentiam suspensionis, cum potentia non sit suspensa ad agendum, & non agendum, sed actu agat, ac proinde actualis actio tollit hanc indifferentiam, non tamen tollit indifferentiam libertatis, cum sit illius actuale exercitium. Dum enim voluntas operatur conseruat potentiam ad oppositum, & ad carentiam eiusdem operationis, non quidem in sensu composito, cum non possit pro eodem instanti coniungere operationem, & carentiam illius, sed in sensu diuiso, vt supra explicuimus. Ad aliam probationem de deliberatione, dicas, quod deliberatio, vbi non est dubitatio de agendis, potest esse in instanti, quantum ad iudicij certitudinem de eo quod est agendum, quia ad hanc deliberationem non requiritur consultatio, sed sufficit sola propositio indifferens vtriusque partis, quæ in primo illo instanti esse potest.

17 Secundum argum. quoniam nullus

lus actus Christi D. potuit esse meritorius pro primo instanti conceptionis, ergo, &c. Antecedens ostenditur, nam actus humanæ voluntatis Christi D. debet regulari ab actu intellectus humani; sed in primo instanti conceptionis Christi D. nullus fuit actus intellectus qui potuerit esse regula actus volũtatis meritorij; ergo, &c. Minor probatur, nã in intellectu Christi D. nullus actus fuit nisi scientiæ beatæ, scientiæ infusæ, & scientiæ experimentalis, sed nullus ex istis actibus potest esse regula actus voluntatis meritorij; ergo, &c. Minor probatur, nam actus scientiæ beatæ non est regula actus viatoris, sed compræhensoris. Actus scientiæ infusæ, & experimentalis non possunt regulare actum voluntatis pro primo instanti conceptionis, quia tunc nullum erat sensuum exercitium, quod tamen ad illas scientias est necessarium. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico, quod actus meritorius potuit pro eo instanti regulari, & per scientiam beatam, vt postea dicemus de amore beatifico, vt respicit obiecta libera. Et per scientiam infusam, de cuius ratione non est vti phantasmatibus, sed speciebus inditis, vt supra de hac scientia diximus.

DVBIVM III.

An Christus D. meruit post mortem.

18 Conueniunt omnes Theologi hoc loco, quod Christus D. à primò suæ instanti conceptionis, vsque ad mortem inclusiuè meruerit. Perfecta namque charitas postulat, vt quandiu intellectus cognoscit bonum, & honestum bonitate, & honestate supernaturali, tandiu voluntas exerceat actus correspondentes tali cognitioni, ac proinde meritorios, supposito, quod intellectus, & voluntas sint alicuius iusti, & sancti viatoris; cum autem charitas Christi D. fuerit viatoris, & perfectissima, & ex alia parte intellectus eius semper à primo suæ conceptionis instanti, vsque ad vitæ finem habuerit aliquem actum circa obiecta supernaturalia, sequitur quod eius voluntas semper ab eodem instanti conceptionis vsque ad vitæ finem habuerit aliquem actum meritorium, ac proinde quod Christus D. continuis actibus interioribus meritorijs totam suam vitam peregerit, vt nec somno, nec alio modo interrũperentur, nam nec scientia beata, nec infusa dependebat à phantasmatibus

19 Difficultas est an aliquid meruerit post mortem. Affirmat P. Ragusa hic *disp.* 5. §. 1. & alij, volentes, quod Christus D. meruerit per sanguinis effusionem ex latere transfixo, quæ transfixio, & sanguinis effusio post eius mortem effecta est. Addunt aliqui Theologi apud Vasq. *hic disp.* 76. *c.* 1. *n.* 6. quod Christus D. etiã nunc actu mereatur in sacrificio Missæ, & in collationibus sacramentorum, in quibus est minister principalis, & principaliter offerens, & principaliter agens.

20 Vera, & communis sententia Theologorum sequenti concl. explicatur. *Christus D. nihil promeruit ab instanti suæ mortis, seu post mortem.* Sic S. Doctor *hic art.* 3. *ad* 1. *& infra q.* 50. *art.* 6. *ad* 2. *& q.* 56. *art.* 1. *ad* 3. *& q.* 57. *art.* 6. *ad* 1. *& in* 3. *dist.* 18. *art.* 2. *ad* 2. *&* 3. *& in* 4. *dist.* 15. *q.* 6. *art.* 6. *q.* 2. *ad* 3. Idem tenent Scotus, Durand. Ricard. D. Bonau. & cæteri scholastici, & D. Thomæ Discipuli, & expositores hoc loco. Isambert. *ad q.* 19. *disp.* 2. *art.* 2. Cipullus, Orlandus, & alij. Colligitur ex illo Ioan. 4. *Me oportet facere opera eius, qui misit me, donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari.* Vbi per illam particulam *dies*, intelligit Christus D. suam vitam præsentem, & per particulam *nox*, suam mortem.

21 Probatur 1. nam solum tempus præsentis vitæ, est tempus merendi; ergo Christus D. solum meruit quandiu fuit in hac vita. Cõseq. constat. Antecedens colligitur ex Eccles. 9. ex 2. ad Cor. 5. & ex alijs sacræ scripturæ locis. Hinc Matt. 24. Marci 13. & Luc. 19. in parabola talentorum dicitur, quod vnusquisque recepit mercedem prout fuerat lucratus ante rationem à Domino postulatam. Deus au-

autem non postulat rationem nisi in morte, ac proinde post mortem non est amplius tempus lucrandi, nec perdendi, seu merendi, & demerendi, qua ratione dicit Apostolus ad *Cor.* 5. quod vnusquisque est iudicandus prout gessit in corpore, idest in vita. Et ad *Galat.* 6. hortatur, vt *Dum tempus habemus operemur bonum, quæ enim seminauit homo*, tempore scilicet vitæ præsentis, orando, laborando, patiendo, &c. *hæc & metet.*

22 Probatur 2. nam meritum Christi D. tunc finiuit, quando opus nostræ redemptionis consumauit; meritum namque Christi D. ordinatum fuit ad nostram redemptionem; sed nostra redemptio consumata fuit in morte Christi; ergo etiam meritum. Maior constat, nam habito fine, cessant media ad eum cõducentia; ergo si semel meritum Christi fuit propter nostram redemptionem, ea consumata, & habita, debet cessare. Minor habetur ex Apostolo ad Hebræos 9. ibi. *Per proprium sanguinem semel introiuit in sancta, æterna redemptione inuenta*, vbi opus redemptionis tribuitur sanguinis effusioni, quam liberè Christus D. habuit in morte. Et cap. sequenti eiusdem epist. habet idem Apost. *Hic autem vnum pro nobis offerens hostiam, in sempiternum sedet à dextris Dei, de cætero expectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius; vna enim immolatione consumauit in sempiternum sanctificatos.* Si autem Christus D. adhuc pro nobis mereretur, non esset verum quod vna illa oblatione consumasset sanctificatos, seu perfecisset opus nostræ sanctificationis.

23 Ex quo infertur, quod nec vulnus illud lateris Christi post eius mortem inflictum nec sanguis ex eo tunc effusus habuerunt propriè rationem meriti, cum iam Christus D. esset mortuus, vt habetur Ioan. 19. & definitur *Clementina vnica de summa Trinit.* meritum autem non nisi in via esse potest. Neque per extrinsecam denominationem fundatam in ea voluntate, qua viuens, & præuidens, acceptauit illud. Nam adhoc vt aliquid dicatur meritorium per extrinsecam denominationem oportet quod sit ab operante capace merendi, aliàs fideles possent mereri in Purgatorio si ante mortem præuideant, & libenter acceptent pœnas Purgatorias. Item possent mereri in cælo referendo ad Deum vsus liberos vel necessarios quos ibi exercebunt, quod est falsũ. Bene verũ est, quod ille actus quo Christus D. acceptauit illud sacrum vulnus, fuit maximè meritorius, sicut etiam est meritorius ille actus quem fidelis exercet acceptando libenter pœnas purgatorias, quas post mortem habebit, quæ magis ex sequentis argumenti solutione patebunt. Soluuntur argum. in contrarium.

24 Primum argum. nam Christus D. meruit per vulnus lateris, & per sanguinis effusionem, sed hoc vulnus fuit inflictum post eius mortem; ergo, &c. Maior probatur, nam, vt docent communiter Theologi, Ecclesiæ sacramenta suam habent virtutem, & efficaciam producendi gratiã ex latere Christi. Vnde dicit S. Leo I. Epist. 4. cap. 6. *Tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ipsius fluxerunt sanguis redemptionis, & aqua baptismi.* Et S. P. Aug. tract. 120. in Ioan. dicit. *Vigilanti verbo Euangelista vsus est, vt non diceret latus eius percussit, &c. Sed aperuit, vt illic quodammodo vitæ ostium panderetur, vnde sacramenta Ecclesiæ manarunt.* Vnde sanguis effusus de latere Christi communiter vocatur à Patribus pretium nostræ redemptionis. Et Ecclesia canit. *Vt nos lauaret crimine, manauit vnda, & sanguine*, quæ dici non possent si illa pretiosi sanguinis effusio non fuisset meritoria. Præterea Christus D. obtulit Patri pro nostra reconciliatione totius sui sanguinis effusionem, ergo per totam siue ante, siue post mortem debuit mereri, aliàs frustra fuisset tota oblata. Demum Christus D. meruit per propriam mortem, vt docent Sancti Patres; ergo etiam per illud vulnus, & per illam sanguinis effusionem. Conseq. probatur, nam in eo instanti quo Christus D. mortuus est, eius anima erat à corpore separata, ac proinde non amplius erat in via;

anima

anima namque per mortem desinit esse in corpore, cum homo desinat per primum non esse.

25 Resp. negando maiorem. Ad primam probationem ex Patribus dico intelligi analogicè, quatenus aqua, & sanguis ille, quæ fluxerunt ex latere Christi D. mortui, fuerunt quædam symbola, signaque præcipuorum Sacramentorum novæ legis quibus iustificamur, aqua baptismi; sanguis Eucharistiæ; qua ratione Ecclesia dicitur formata ex latere Christi, quatenus renascitur in baptismo, & Eucharistia nutritur, quæ per aquam, & sanguinem significantur. Vel dicas, quod Sacramenta dicuntur fluxisse de latere Christi; & quod eius sanguis fuit pretium nostræ redemptionis, quatenus & illud vulnus, & illa sanguinis effusio fuerunt volita, & meritoria in causa, & obiectiuè, & sic obiectiuè fuerunt meritum nostræ salutis, quæ fit per Sacramenta. Hoc est fuerunt obiectum illius bonæ voluntatis, & meritoriæ qua Christus D. adhuc viuens se morti spontè exhibuit, & illi vulneri, vt totus eius sanguis effunderetur pro nostra salute. Per quod patet ad 2. probationem. Ad 3. dico, quod Christus D. non meruit per mortem in facto esse, sed in fieri, vt docet S.D. *infra q.50. art.6.*

26 Secundum argum. Christus D. in cælo orat pro nobis; sed hæc oratio est meritoria; ergo, &c. Maior nota est ex illo Apostoli Rom.8. *Christus Iesus qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Minor probatur, nam oratio iusti pro alio, aliquid impetrat pro eo, sed impetrare est mereri; ergo, &c. Minorem docet S. P. August. epist.105. vbi dicit. *Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetret.* Ratio est, nam si oratio impetrat, datur quod impetrat intuitu eiusdem orationis, ac proinde ob remunerationem. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem negatur etiam minor. Ad probationem dico diuersam esse rationem meriti, & impetrationis; nam meritum est causa moralis præmij, non impetratio, licet id quod impetratur dari possit in virtute præcedentis meriti; Christus namque D. dum esset viator meruit vt à Patre eius oratio exaudiretur; vnde dum actu orat, petit vt detur quod prius meruit. Explicatur exemplo mercenarij quando petit mercedem, & orat vt sibi detur, non meretur mercedem, sed petit eam quam prius promeruerat, sed hoc infra *disp.21. per totam*.

DVBIVM IV.

Quibus actibus Christus D. meruerit.

27 Conueniunt Theologi hoc loco, quod Christus D. non meruerit per actus suæ diuinæ voluntatis, cuius oppositum tenuerunt Monotelitæ, cum enim isti hæretici non ponerent in Christo nisi vnicam voluntatem, & hanc diuinam, sequitur quod per hanc mereri debuerit nostram redemptionem, quod tamen constat esse falsum, nam meritum est inferioris ad superiorem, aut saltem eius qui ex se, & in sua potestate non habet mercedem, seu præmium quod ab alio expectat, ad quod obtinendum, vel conseruandum, suos ordinat actus; sed voluntas diuina Christi D. nullum habet superiorem, nec datur aliquod bonum quo illa careat, & ab alio obtinere possit; cum Deus bonorum nostrorum non indigeat ex Psal.15. ergo, &c.

28 Conueniunt etiam omnes, quod Christus D. non meruerit per actus necessarios suæ voluntatis, vt enim supra vidimus *num.2.* libertas vna est ex conditionibus necessarijs ad meritum, ex communi omnium Theologorum consensu; aliàs etiam per motus primo primos appetitus sensitiui cum tendunt in obiectum prauum quis mereretur pœnam, cum sit eadem ratio præmij respectu actuum bonorum, & pœnæ respectu actuũ malorũ. Cum tamen motus primo primi nulli pœnæ subiaceant, vt omnes tradunt.

29 Difficultas est per quos actus in particulari Christus D. re ipsa meruerit,

& præsertim an meruerit per actum amoris. Pro quo nota, quod in Christo D. quadruplex actus amoris distingui solet ab auctoribus, tum hoc loco, tum alibi. Primus est actus amoris beatifici, qui claram, & intuitiuam diuinæ essentiæ visionem consequitur. Qui adhuc dupliciter considerari potest. Vno modo, vt versatur dumtaxat circa Deum. Alio modo vt versatur circa proximum, & bona creata, quæ beati volunt Deo, alijsque beatis. Secundus amoris actus est, qui consequitur scientiam infusam animæ Christi. Tertius est charitatis viæ, seu qui sequitur charitatem vialem. Quartus est naturalis, qui etiam in nobis reperitur, de quo amore naturali plura diximus de fide, spe, & charitate. Cæterum vt hæc materia clarè, & distinctè habeatur pono sequentes §§.

§. I. *An Christus D. meruerit per aliquem actum amoris.*

30 Prima sententia est, quod Christus D. per nullum actum amoris meruerit, seu per nullum actum à charitate elicitum, sed solum per actus, seu opera aliarum virtutum. Sic Vasq. hic *disp.* 74. *cap.* 3. citat Alensem, Altisiodorensem, aliosque.

31 Nostra sententia sequenti conclusione explicatur. *Christus D. meruit per aliquem actum amoris à charitate elicitum.* Sic docet S.D. hic *art.* 3. *ad* 1. *&* *in* 3. *dist.* 18. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 2. *& de veritate quæst.* 29. *art.* 6. *ad* 7. & alibi, quem sequuntur eius discipuli, & expositores hoc loco. Videatur Isambertus, Orlandus, & Cipullus, qui rectè impugnant dictum Vasq.

32 Probatur 1. nam ideo Vasq. negat meritum in actu elicito à charitate, quia non est liber, seu quia in Christo D. nullus fuit actus amoris qui esset liber; sed hoc est falsum; ergo, &c. Minor prætterquam quod constat ex dictis, & magis cõstabit ex dicendis, sic probatur, nam amor quo Christus D. diligebat Deum, vt erat ratio diligendi proximum, imò quo ipsũ proximum diligebat, erat omnino liber; ergo erat meritorius. Antecedens probatur, nam amor quo Deus diligit se ipsum vt est ratio diligendi creaturas est liber, cum hoc modo non habeat necessariam connexionem cum Deo, aliàs Deus necessariò diligeret suas creaturas. Item amor quo beati diligunt Deum vt est ratio diligendi proximum, imò quo diligunt ipsum proximum est liber ob eandem rationem; ergo etiam erit liber amor quo Christus D. diligit Deum vt est ratio diligendi proximum, & quo diligit ipsum proximum.

33 Probatur 2. nam per Vasq. Christus D. meruit per actus aliarum virtutũ; ergo multò magis meruit per actum charitatis. Conseq. probatur, 1. Quia non est leue inconueniens dicere, quod Christus D. meruerit per actus aliarum virtutum charitati ancillantium, & non per ipsam charitatem omnium virtutum nobilissimam. 2. Quia aliæ virtutes habent quod sint meritoriȩ à charitate, ergo multò magis actus charitatis debet esse meritorius. Actus namque charitatis per se primò est meritorius, & dependenter ab eo actus aliarum virtutum sunt meritorij. Tota namque ratio meriti apud Deum in hoc consistit, vt ea quæ nostra sunt, Deo offeramus, vt in eius commodum cedant, quod sola charitas facit, vel elicitiuè, vel imperatiuè. Ipsa namque sola per se primò respicit bonum diuinum, gloriam Dei amplificandam, & extendendam, ad quem finem ordinat omnia, imperatque actus aliarum virtutum.

34 Probatur 3. nam voluntati Christi D. per scientiã infusam proponebatur Deus vt est obiectum amoris liberi; ergo Christus D. potuit habere actum liberum, ac subinde meritorium amoris. Antecedens probatur, nam Christus D. per scientiam infusam cognouit Deum vt Trinum, & vnum, saltem quoad an est. Similiter cognouit Deum vt gratiæ, donorumque supernaturalium auctorem; sed Deus vt Trinus, & vnus, & vt auctor gratiæ, & donorum supernaturalium est obiectum amoris charitatis, est obiectum amo-

amoris amicitiæ supernaturalis; ergo,&c. Ex quo planè infertur destructio fundamenti sententiæ Vasq. quod scilicet Christus D. non meruit per aliquem actum charitatis erga Deum, quia in eo non fuit alius actus amoris erga ipsum, nisi beatificus, qui non potest esse meritorius, cum sit necessarius, & non liber. Hoc enim fundamentum manet plenè destructum, cum vltra amorem beatificum, qui à cognitione, seu scientia beatifica regulabatur; detur etiam amor regulatus per scientiam infusam, vt dictum est.

35 Confirmatur, & explicatur præcedens argumentum, nam per scientiam infusam cognoscitur Deus vt est obiectũ amoris liberi; ergo in Christo D. fuit actus liber amoris, ac subinde meritorius. Antecedens ostenditur, nam licet Deus vt summum bonum vt clarè, & intuitiuè cognitus in se, non moueat voluntatem nisi ad amorem necessarium, tamen quãdo vel non cognoscitur clarè vel si clarè cognoscitur, non cognoscitur quidditatiuè, & intuitiuè, sed abstractiuè, tunc non mouet voluntatem ad amorem necessarium, sed liberum; vt constat in Philosophis Christianis qui licet ex creaturis cognoscant clarè, & demonstratiuè Deum esse summum bonum, infinitum, immensum, &c. tamen quia hæc cognitio non est intuitiua, ideo non diligunt Deum necessariò, sed liberè; sed per scientiam infusam Christus D. non cognoscebat Deum intuitiuè, sed tantum abstractiuè, ergo ex vi huius cognitionis non diligebat Deum necessariò, sed liberè.

36 Probatur 4. nam aliàs frustraretur sacra scriptura, cum pluribus in locis commendet charitatem Christi D. ob quã voluit pati, & mori pro nobis; si enim dilectio, seu charitas Christi D. fuisset necessaria, & nulla libera, nec S. Ioannes, nec S. Paulus passim in suis Epistolis adeo Christi D. charitatem in nos commendarent. Nec valet respondere cum Vasq. quod loca sacræ scripturæ intelligi debeant de dilectione impropriè, quæ fit ab aliquo alio habitu, quàm charitatis. Nam contra est, quia iuxta receptissimam omnium Theologorum regulam ex D. Aug. verba sacræ scripturæ debent accipi in propria significatione, vbi nullam includunt repugnantiam, indecentiam, inconueniens, aut imperfectionem; vt in nostro casu contingit. Soluuntur argum. in contr.

37 Primum argum. nam actus charitatis conueniebat Christo D. vt erat compræhensor, & non vt erat viator; ergo non fuit meritorius. Conseq. constat, nam Christus D. solum meruit per illos actus qui illi conueniebant vt erat viator; meritum namque solum sequitur viatores, & actus illorum. Antecedens probatur, nam Christus D. erat viator, vel solum secundum partem sensitiuam, secundum aliquos, vel etiam secundum partem rationalem quod est communius, & probabilius, prout dicit partem inferiorem, quæ respicit res creatas, non secundum superiorem, quæ respicit Deum in se, & res æternas; sed actus charitatis non pertinet ad partem sensitiuam, vt patet, neque ad partem rationalem secundum partem inferiorem respicientem res creatas, sed secundum partem superiorem quæ respicit Deum vt est in se, & res æternas; ergo non competit Christo D. vt est viator, sed vt est comprehensor, ac proinde non erat meritorius.

38 Respon. negando antecedens, vt enim ex dictis cõstat, & magis ex dicendis constabit, in Christo D. etiam prout eius volũtas regulabatur per scientiam beatã, dabantur, imò etiam modo dantur duo actus dilectionis. Vnus necessarius, & alter liber. Actus dilectionis necessarius erat ille quo diligebat Deum vt est summũ bonum in se. Actus dilectionis liber est ille quo diligebat Deum summum bonum vt est ratio bonitatis creatæ, vt resplendet in creaturis, vt est ratio diligendi creaturas. Cum enim diuina bonitas clarè visa, vt est ratio diligendi creaturas nõ necessariò nectatur cum voluntate, cum potuerit non esse ratio diligendi hic, & nunc creaturas, sequitur, quod hoc modo nõ necessariò diligãtur; sicut nec Deus hoc modo diligit necessariò se ipsum. Deinde datur dilectio libera regulata per scien-

scientiam inditam, vt dicebamus. Datur amor quidam naturalis, &c.

39 Secundum argum. Nam charitas non habet actus nisi circa Deum, & circa proximum; sed neuter horum est liber; ergo nullus. Minor ostenditur, nam actus charitatis erga Deum regulabatur à scientia beata, quæ est necessaria, ergo erat necessarius. Vbi autem actus dilectionis erga Deum non est liber, neque actus dilectionis proximi potest esse liber. Ratio namque diligendi proximum, est ratio diligendi Deum, & proximus diligitur sub ea ratione qua diligitur Deus. Resp. negando minorem. Ad probationem patet ex dictis, quod actus dilectionis Dei vt regulabatur per scientiam beatam erat liber prout erat ratio diligendi proximum, hoc enim cum potuerit non esse, non habebat connexionem necessariam, &c.

§. II. *An Christus D. meruerit per aliquem actum amoris beatifici.*

40 PRima sententia est, quod Christus D. meruerit per omnem actum amoris beatifici, tam prout ferebatur in proximum, seu vt tēdebat in Deum vt erat ratio diligendi proximum, quam vt tendebat in Deum secundum se. Hanc tenent Scotus *in 3. dist. 18. q. vnica* §. *ista quæstio.* Gabriel. *ibid. q. vnica art.* 2. *concl.* 2. *&* *art.* 3. *dub.* 1. Almay. *q.* 1. *notatione* 5. vbi refert Ochamum. Secunda sententia tenet, quod in Christo D. omnis amor beatificus erat necessarius, tamen erat liber amor Dei regulatus à scientia infusa. Hanc tenent Sot. *lib.* 3. *de nat. & grat. cap.* 7. Viguer. *in instit. cap.* 20. Suarez *disp.* 39. *sec.* 2. Medina hoc loco, Orlandus *disp.* 7. *q.* 1. *n.* 6. & alij.

41 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Christus D. meruit per aliquem actum amoris beatifici, non quo tendebat in Deum secundum se, sed prout tendebat in Deum vt erat ratio diligendi creaturas.* Sic tenent communiter Thomistæ; Cabrera *hic disp.* 4. §. 5. Aluarez *disp.* 45. Capreolus *in 3. dist.* 18. *art.* 3. Asturicens. *q.* 5. *de gratia Christi*. Cipullus *hic art.* 3. *dub.* 2. *n.* 10. & alij communiter. Qui etiam extendunt ad illum actum dilectionis quo diligitur proximus. Pro quo notant, quod non solum Deus diligitur in se, & prout est ratio diligēdi alia à se, siue sit idem actus, siue sint duo; de quo dixi *in* 2. 2. de charitate, sed etiam quod Deus clarè visus potest dupliciter considerari & quatenus est obiectum primarium charitatis, & quatenus relucet in obiecto secundariò. Vel clarius, actus charitatis potest duobus modis considerari. Vno modo vt terminatur ad obiectum primarium, scilicet Deum in se, & hoc modo non erat in Christo D. meritorius. Alio modo vt terminabatur ad obiectum secundarium, scilicet ad proximum, & hoc modo erat meritorius. Deus vt est ratio diligendi proximum, seu alia à se diligitur immediatè vt quo. At Deus vt diligitur in proximo, seu in dilectione proximi diligitur quasi in alio, seu vt relucet in proximo, & vtroque modo liberè diligitur, ac subinde meritoriè.

42 Probatur conclusio 1. nam anima Christi D. per charitatem diligebat Deū & vt erat ratio diligendi alia à se, & vt relucebat in suis creaturis, liberè, & non necessariò; ergo meritoriè. Conseq. constat. Antecedens probatur, nam Deus clarè visus non necessitat ad diligendum alia à se, neq; necessitat vt diligatur vt resplendet in creaturis. seu non necessitat vt eius bonitas in creaturis resplendens, diligatur; ergo, &c. Quod Deus clarè visus non necessitet vt diligatur qua ratione est hic, & nunc ratio diligendi alia à se, probatur, quia vt supra dicebamus, neque hoc modo ipse Deus necessariò diligit se ipsum, cum potuerit non esse hic, & nūc ratio diligendi alia à se, si ea non produxisset; creaturæ namque possibiles non diliguntur; nec diligi possunt sub eo statu; nec Deus potest esse ratio diligendi eas sub eo statu; vt alibi diximus; ergo idem dicendum est de Christo D. ob eandem rationem. Quod autem Deus non necessariò diligatur secundum quod relucet in creaturis, probatur, nam secundum illud esse quod habet in creaturis non habet ne-

necessariam connexionem cum voluntate, cum potuerit non esse, si creaturæ non essent. Tum quia esse Dei, & diuina bonitas vt relucet in creaturis non exercet rationem summi boni, sed proportionati ipsis creaturis in quibus relucet; ergo,&c.

43 Probatur 2. nam charitas animæ Christi D. est quædam participatio illius charitatis qua Deus amat se ipsum; sed Deus amat solum necessariò se ipsum vt est summum bonum in se, non prout est ratio diligendi alia à se, nec prout diligit suam bonitatem vt relucentem in creaturis, ergo eodem modo anima Christi per charitatem diligebat Deum. Antecedens notum est. Conseq. constat ex paritate rationis.

44 Sed quæres, an etiam fuerit liber ille actus quo Christus D. volebat Deo bona extrinseca. vt quod ab omnibus benediceretur, laudaretur, exaltaretur, obediretur, &c. Resp. affirmatiuè, nam ille actus erat omnino liber, ac subinde meritorius. Bona namque illa extrinseca possunt Deo non conuenire; nam volitio qua Deus voluit sibi hæc bona extrinseca non est necessaria, sed libera; ergo erit etiam volitio libera illa qua ipse Christus D. eadem bona efficaciter volebat Deo. Quod enim non necessitat voluntatem Dei, per se, & seclusa omni deceptione, quæ in Christo esse non possunt, non potest necessitare voluntatem creatam, quia quantum ad hoc est eadem vtriusque voluntatis conditio. Soluuntur argum. in contr.

45 Primum argu. nam actus charitatis animæ Christi erat proprius ipsius vt comprehensoris, ergo non erat meritorius. Conseq. constat, nam meritum sequitur statum viæ, non comprehensoris. Antecedens probatur, quia actus charitatis quo Christus D. diligebat Deum regulabatur visione beatifica, ergo erat comprehensoris. Resp. negando antecedens, sequebatur quidem ex visione beatifica, regulabatur à visione beatifica, tamen qua ratione erat liber conueniebat Christo D. vt viatori, ac proinde prout erat à viatore, erat meritorius. Vt enim actus sit meritorius sufficit quod sit bonus, liber, à persona grata, & existente in via, data promissione de illius acceptatione ad præmium, seu mercedem vt n. 2. notauimus.

46 Secundum argum. quoniam actus dilectionis Dei in anima Christi non solũ regulabatur scientia beata, sed etiam habebat pro obiecto formali diuinam bonitatem clarè visam, ergo nec erat liber, nec meritorius. Conseq. probatur, quia diuina bonitas clarè visa, necessitat ad sui amorem. Resp. concedendo antecedens, & negando conseq. nam licet ille actus regularetur visione beatifica, & haberet pro obiecto diuinam bonitatem clarè visam, non tamen vt est in se, sed vt est ratio diligendi, & volendi creaturas, & bona extrinseca Deo, quæ non sunt necessariò, sed liberè volita.

§. III. *An Christus D. meruerit per actum amoris regulatum per scientiam infusam.*

47 PRima sententia est, quod Christus D. non meruit per amorem, seu dilectionem Dei regulatum per scientiam infusam. Sic Vasqu. supra Cipullus *hic art. 3. in dubio appendice, n. 29.* & alij.

48 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Christus D. meruit per actum amoris regulatum per scientiam inditam.* Colligitur ex D. Tho. *hic art. 3. ad* 1. vbi sic ait. *Nec tamen per charitatem meruit, in quantũ erat charitas comprahensoris, sed in quantum erat viatoris.* Patet autem, quod amor regulatus per scientiam inditam est magis viatoris, quam amor regulatus per scientiam beatã. Et sic tenẽt Ferrar. *3. contra Gent. cap.* 7. referens Capreolum, Orlãdus loco supra citato, & alij communiter.

49 Probatur 1. nam vt supra dicebamus, anima Christi D. per scientiam infusam cognoscebat Deum trinum, & vnũ, non quidem intuitiuè, sed quidditatiuè abstractiuè, cognoscebat esse summum bonum, & maximè amabile, ergo illud amabat. Antecedens constat ex dictis supra de scientia abstractiua, seu indita, per hanc enim anima Christi cognoscebat, quic-

quicquid cognosci potest, tum naturali, tum supernaturali lumine, vt docet S. D. supra *q. 11. art. 1. in corpore*, vbi sic habet. *Et ideo secundum eam anima Christi primò quidem cognouit quacumque ab homine cognosci possunt per virtutem luminis intellectus agentis, sicut sunt quacumque pertinent ad scientias humanas. Secundò verò per hanc scientiam cognouit Christus omnia illa quæ per reuelationem diuinam hominibus innotescunt, siue pertineant ad donum sapientiæ, siue ad donum prophetiæ, siue ad quodcumque donum Spiritus Sancti.* Cum autem cognitio diuinę bonitatis pertineat ad aliquod donum Spiritus S. sequitur, quod per scientiam infusam cognosceretur ab anima Christi, ex cognitione autem sequitur amor, & cum cognitio sit libera, etiam amor erit liber.

50 Occurres ex doctrina Cipulli, quod amor regulatus à scientia beata, & amor regulatus à scientia infusa incompossibilitate habent in eadem voluntate; nam haberent eundem essendi modum, cum vterque esset liber, haberent idem obiectum, & sic essent, & non essent eiusdem speciei. Licet enim cognitiones different specie, scilicet visio beata, & actus scientiæ inditæ, tamen differentia specifica cognitionum non infert differentiam specificam actuum voluntatis, vt constat in amore Patriæ, & viæ, qui sunt eiusdem speciei, licet fides, & visio beata à quibus regulantur, differant specie.

51 Sed contra, nam in primis isti duo amores non sunt incompossibiles cum nō sint duo actus specie distincti, sed vnus, & idem, à duplici cognitione compossibili regulatus, sicut amor viæ si continuetur in patria est vnus, & idem numero, etsi fides maneret in Patria ab vtraque cognitione, fidei, & visionis, secundum suas proprias rationes regularetur. Deinde dici posset quod sint duo amoris actus specie distincti, nam habent diuersa specificatiua formalia; amor namque beatificus specificatur à bonitate diuina secundum se, at amor regulatus à scientia indita specificatur à diuina bonitate, ut relucet in creaturis, ut resplēdet in illis, &c.

52 Occurres ex doctrina Vasqu. *disp. 74. n. 7.* quod illi duo amores ex eo sunt incompossibiles, quia dum uoluntas mouetur circa obiectum duplici modo cognitum, solum ab eo allicitur, quod perfectius cognoscitur, non ab eo quod minus perfectè, ita enim se habet, ac si cognitum non esset, quod quilibet quotidie in se ipso experitur; nam qui diligit alium ex relatu, postea illum uidet, non amplius ex relatu eum diligit, sed ex clara uisione, & experientia, ut aliorum testimonium nil amplius operetur, ut eum diligat. Hæc solutio confirmari potest ex illo Io. 4. *Quia iam non propter tuam loquelam credimus. Ipsi enim audiuimus, & scimus quia hic est verè Saluator mundi.* Prius enim aliqui Samaritanorum crediderunt in Christum D. propter uerba mulieris, at postquam ipsi viderunt, non amplius crediderunt propter verba illius.

53 Cæterum neque hæc solutio satisfacit, namque ex ea sequerentur multa inconuenientia. Primò sequeretur, quod Christus D. non potuisset amare amore naturali matrem suam, qui regulabatur scientia experimentali, cum eam amaret amore supernaturali, regulato per scientiam inditam. Secundò, quia scientia beata, & indita non possent esse simul de eodem obiecto, ob eandem rationem. Tertiò, scientia inferior, vt subalternata, non posset esse cum superiori, scilicet subalternante, &c. Tunc solum non possunt esse cognitio perfectior cum imperfectiori, quando earum rationes opponuntur, vt fides, & visio, cum non possit eadem res esse visa, & non visa; secus quando non opponuntur, vt est uisio, & scientia infusa, cum procedant per media disparata, & non ad inuicem pugnantia.

54 Probatur 2. nostra conclusio, nam in Christo D. dabatur amor regulatus per scientiam inditam; ergo per illum merebatur. Conseq. constat, cum enim iste amor, si semel dabatur, esset liber, à persona grata, & viatore, non poterat non esse meritorius. Antecedens probatur, nam voluntas bene disposita amat obiectum amore dignum, & sibi sufficienter

pro-

propositum; sed ista habentur in nostro casu; ergo, &c. Voluntas namque Christi Dom. erat optimè disposita ad diligendum Deum; sibi sufficienter proponebatur per scientiam inditam; ergo, &c. Soluũtur arg. in contrarium.

55 Primum argum. nam voluntas per scientiam beatam determinatur ad amãdum Deum, ergo non potest per scientiam inferiorem iterum determinari, ac proinde non poterit habere alium amorẽ, quàm beatificum. Antecedens probatur, nam cognitio minus perfecta non mouet voluntatem in præsentia perfectioris, & vehementioris, sicut lumen candelæ non mouet visum in præsentia Solis. Resp. ex dictis negando antecedens. Ad probationem constat ex dictis, quod tunc solum cognitio perfecta, & imperfecta se impediunt, quando habent rationes oppositas, vt patet de fide, & visione. Secus quando non habent rationes oppositas, vt constat de scientia, & opinione in eadem scientia, de quo aliàs.

56 Secundum argum. quoniam actus voluntatis non multiplicantur ad solam multiplicationem conditionis sine qua nõ, vel etiam solius regulæ dirigentis; sed in nostro casu cognitio beata, & cognitio infusa, sunt tantum conditio sine qua non, vel regulæ dirigentes actus voluntatis; ergo ex illarum multiplicatione non multiplicabuntur amores. Resp. ex dictis concedendo maiorem, & negando minorem; in nostro namque casu illæ duæ cognitiones non se habent solum vt conditiones sine quibus non, neque tantum vt regulæ quædam dirigentes, sed se habent vt proponentes obiectum materiale, sub diuersis rationibus formalibus, vt iam notauimus.



§. IV. An Christus D. meruerit per actum amoris correspondentem charitati viæ.

57 VAsquez qui tenet, quod Christus D. per nullum actum amoris meruit, dicet etiam, quod non meruit per actum correspondentem charitati viæ. Cipullus qui tenet, quod non meruit per actum dilectionis vt regulatum scientia indita, dicet quod neque meruit per actum dilectionis supernaturalis correspondentem charitati viæ. Maximè quia charitas Christi D. vt erat viator, cum non regularetur per fidem, vt in nobis, debebat regulari per scientiam inditam, ac proinde per Cipullum, vel Christus Dom. non habuit in via actum charitatis, & sic in eo charitatis habitus fuit otiosus, vel si habuit non fuit per illum meritorius, quod est error peior priore, si enim Christus D. dum erat viator habuit actum ab habitu charitatis elicitum, debuit esse liber, erat personæ gratæ, &c. ac proinde debuit esse meritorius, sed ista vtcumque sint.

58 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Christus D. meruit per actum amoris, seu charitatis supernaturalis correspondentem charitati viæ.* Hanc conclusionem adeo certam existimo, vt nullo modo liceat ab ea discedere. Colligitur apertè ex illo Ioan. *Sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Vbi Christus D. loquitur de se vt homine, quia mandatum cum sit superioris ad inferiorem, non fuit factum sibi vt Deo, sed vt homini. Loquitur etiam de amore supernaturali charitatis quo diligebat Patrem, à quo receperat mandatum de dilectione supernaturali, vt diligeret inimicos, eundo obuiam illis, cum eum capere vellent: vt subiret mortem pro nostra salute, &c. Qui actus non poterat non esse meritorius cum ad nostram salutem ordinaretur. Colligitur etiã ex illo Io. 13. *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Vbi apertè loquitur de dilectione supernaturali charitatis, qua dile-

dilexit nos in finem, quatenus pro nobis mortem non recusauit. Idem tradit Apost. & Euangelista Ioan. Apocal. 1. dicens. *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*. Et Rom. 5. dicitur. *Cum adhuc peccatores essemus secundum tempus Christus pro nobis mortuus est*, scilicet ob nimiam charitatem qua dilexit nos.

59 Ratio nostræ conclusionis desumitur ex citatis, & aliis similibus sacræ Scripturæ testimonijs, nam est actus, maximè meritorius exponere vitam temporalem pro salute spirituali proximi, vt liberetur à peccatis, vt reconcilietur Deo, vt salutem, & vitam æternam consequatur; sed Christus D. ob nimiam charitatem qua dilexit nos, & posuit vitam suã temporalem vt nos liberaret à peccatis, vt nos reconciliaret Deo, vt salutem, & vitam æternam consequeremur; ergo iste actus charitatis fuit maximè meritorius. Maiorem namque charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis, non solum pro amicis suis, sed etiam pro suis inimicis, vt fecit Christus D. iuxta illud Apostoli Rom. 5. *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem Filij eius*.

§. V. *An Christus D. meruerit per actus amoris naturalis qui diligit Deum auctorem naturæ, Matrem, &c.*

60 EX dictis 2.2. de charitate, non solum datur dilectio naturalis, sed etiam de ista datur præceptum; cum de dilectione dicitur, quod est primum, & maximum mandatum, quod debet intelligi non solum de dilectione supernaturali, sed etiam de naturali. Sicut enim præcepta supernaturalia debent resolui in dilectionem supernaturalem, à qua in vltimum finem supernaturalem diriguntur, tanquam in primum, & maximum mãdatum, supernaturale. Ita præcepta naturalia debent resolui in dilectionẽ naturalem à qua in vltimum finem naturalẽ referantur, quæ sit primum, & maximum mandatum naturale; aliàs si non esset hęc dilectio, dici deberet à quo præcepta naturalia haberet vt respiciant vltimum finem, & in eum dirigantur; cum proprium sit dilectionis respicere vltimum finem, in eumque alia referre.

61 Iste amor naturalis in Christo D. adhuc viatore negari non potest, namque cũ per sciẽtiam infusam cognoscere perfectissimè Deum naturæ auctorem, poterat eum etiam vt talem diligere. Tum quia cum teneretur ad obseruantiam mãdatorum naturalium, debebat exercere actus maximi, & primi mandati per quod alia in finem vltimum referuntur. Præterea negari nõ potest quin sanctissimam, & beatissimam Matrem suam diligeret etiam amore naturali, quo alij filij suos diligere solent parentes; cum enim in matre sua videret non solum dotes supernaturales, sed etiam naturales quibus valde diligibilis redderetur, non est negandum quin etiam ob istas eam diligeret.

62 Ad hoc facit, quod narratur Ioan. 11. scilicet. *Diligebat autem Iesus Martham, & Sororem eius Mariam*, hoc enim etiam de dilectione naturali intelligi potest, quæ inter familiares esse solet, maximè erga illos qui se hospitio recipere solent, vt faciebant Christo D. duæ illæ sorores. De hoc etiam amore naturali Christi D. intelligi possunt verba illa ad Christum. *Ecce quem amat infirmatur*, quibus quadrat Christi Verbum ad Discipulos. *Lazarus amicus noster dormit*. Qua etiam ratione dixerunt duæ illæ sorores. *Domine si fuisses hic, frater noster non fuisset mortuus*. Ob cuius amoris ostensionem Christus D. *infremuit spiritu, & lagrymatus est*; vnde dixerunt Iudæi. *Ecce quomodo amabat eum*, qui certè de amore naturali loquebantur.

63 Quod autem iste amor naturalis Christi D. fuerit meritorius patet, namque erat honestissimus, purissimus, & magis quam vnquam fuerit in quocumque iusto; ac proinde sicut iste amor naturalis in homine iusto est meritorius si aliquo modo referatur in finem supernaturalem; à for-

à fortiori erat meritorius in Christo D. cū omnia referret ad gloriam Patris.

§. VI. *An Christus D. meruerit per actus aliarum virtutum, siue per se, siue per accidens infusarum.*

64 Communis, & vera sententia sequenti conclus. explicatur. *Christus D. meruit per omnes actus virtutum, tam per se, quam per accidens infusarum.* Virtutes per se infusæ, sunt illæ, quæ in sua entitate sunt supernaturales. Virtutes per accidens infusę sunt virtutes morales apud nos acquisitæ, Christo tamen per accidens infusæ. Quod Christus D. meruerit per virtutes per se infusas, vt per obedientiam infusam, humilitatem infusam, patientiam infusam, &c. colligitur ex illo Apost. ad Philipp. 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod, & Deus exaltauit illum, &c.* Vbi particula *propter quod* denotat, quod Christus D. meruit per obedientiam qua obediuit vsque ad mortem, cui merito obedientiæ, datum fuit præmium exaltationis. Meruit etiam per ieiunium, quod est actus temperantiæ, quæ est virtus moralis acquisita, hac enim virtute superauit dæmonem in deserto Matt. 4. Luc. 3. &c. Hinc dicit N. S. P. Ioan. Damasc. lib. 3. de fide cap. 20. *Tentatus est, ac superauit, vt nobis victoriam compararet, naturæque nostræ, frangēdi aduersarij vim triberet, qua videlicet natura iam pridem victa, per eosdem impetus per quos victa erat, victoriam ei qui olim vicerat, extorqueret.* Et D. Ambrosius lib. 3. in Luc. de Christi D. ieiunio dicit. *Pia fraus pro triumpho de dæmone referendo*; nam per ieiunium delusit dæmonem, eumque deuicit, quod non nisi medio merito, & per actum meritorium temperantiæ fuit. Meruit etiam per actum paupertatis voluntariæ ex Apost. 2. Cor. 8. *Christus propter vos egenus factus est, cum diues esset, vt illius inopia vos diuites essetis.*

65 Ratio à priori est, quia in Christo D. fuerunt omnes virtutes tam per se, quam per accidens infusæ, ergo per omnes illarum actus meruit. Antecedens tradunt omnes, & constat ex dictis supra. Conseq. probatur, nam virtutes non dantur tantum ad ornamentum, sed maximè ad operationem; ergo cum in Christo D. fuerint omnes virtutes quæ nullam afferunt incompossibilitatem cum vnione hypostatica, debuerunt esse operationes, seu debuit Christus D. per illas operari, & cum ex alia parte essent in subiecto viatore, & libero, meritique capaci, debuerunt dictarum virtutum actus esse meritorij.

66 Confirmatur, nam dictarum virtutum actus sunt honesti, & à Christo D. referebantur in finem supernaturalem; ergo erant meritorij, maximè cū in Christo viatore non deessent omnes conditiones ad meritum necessariæ. Deinde dato, quod à Christo D. illarum virtutum, actus maximè moralium, non referentur à Christo D. in finem supernaturalem, adhuc per solam suppositi diuini dignitatem fuissent dignificati, vt haberent proportionem, & valorem ad meritum; qua ratione ipsa Christi D. humanitas per vnionem ad Verbum ita dignificatur, & sanctificatur, vt ratione illius illi debeantur dona supernaturalia, & ipsa gloria tanquam quędam naturales proprietates, ita omnes actus boni humanitatis vnitæ, licet secūdum se essent ordinis naturalis, tamen ratione vnionis, erant Deo gratissimi, ac subinde quocumque præmio dignissimi. Dignitas namque personæ valde confert ad dignitatem actus, quam ipsa relatio operantis in finem supernaturalem.

67 Sed obijcies, nam omnis actus virtutis in Christo D. procedebant ex imperio charitatis, ergo ex se nullum habebant meritum, sed totum à charitate imperante desumebatur, ac proinde non erant actus dictarum virtutum formaliter ex se meritorij, sed tantum denominatiuè à charitate. Resp. dato quod actus omnium virtutum tum infusarum per se, tum per accidens, essent in Christo D. ex imperio charitatis, vt non mouerentur vir-

virtutes ad agendum nisi ex motiuo, & motione charitatis, tamen adhuc habebant proprium meritum quatenus procedebant ex suo proprio, & immediato motiuo. Vnde in ieiunio v.g. erat duplex meritum: vnum correspondens charitati mouenti, & imperanti. Aliud correspondens actui ieiunij ex sua propria honestate, & bonitate morali.

§. VII. *An Christus D. meruerit in obseruantia tam praeceptorum affirmatiuorum, quam negatiuorum.*

68 ADmittunt pleriq; quod Christus D. meruerit in obseruantia praeceptorum affirmatiuorum; cum enim ista pręcepta obseruentur per actus, & omnes actus Christi D. vt viatoris fuerint liberi, sequitur quod etiam fuerint meritorij, ac subinde, quod Christus D. meruerit per omnes, actus quibus praecepta affirmatiua obseruantur. Difficultas procedit potissimè de praeceptis negatiuis, an scilicet Christus D. meruerit in obseruantia praeceptorum negatiuorum, non blasphemando, non mentiendo, non occidendo, non furando, &c. Prima sententia est P. Vesq. *disp.* 74. *cap.* 5. quod Christus D. non meruerit in obseruantia praeceptorum negatiuorum; ex eo quod sola actus negatione obseruentur, in sola autem actus vetiti negatione non est meritum, cum meritum requirat opus.

69 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Christus D. meruit etiam in obseruantia praeceptorum negatiuorum*. Haec concl. magis indiget explicatione, quàm probatione. Pro quo nota, quod obseruantia praecepti negatiui propriè loquendo, non consistit in nuda tantum negatione actus vetiti, sed in abstinentia morali libera ab opere prohibito, in persona sciente, & potente per se agere, & non agere saltem contradictoriè, vt in Christo D. propter impeccabilitatem, & in nobis etiam contrariè, ob nostram defectibilitatem. Obseruantia namque praecepti formaliter sonat aliquid morale; dantur namque praecepta, & intimantur, solum rationis vsum habentibus; & modo morali agentibus. Patet autem, quod pura negatio actus prohibiti, nullam afferat moralitatem, cum etiam reperiatur in dormientibus, & rationis vsum non habentibus; aliàs in proprietate sermonis dici posset, quod rationis vsu carentes praecepta negatiua formaliter obseruarēt, quod est falsum. Hoc colligitur ex illo Eccles. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit, ideo stabilita sunt bona illius in domino*. Vbi obseruantia pręceptorum non tribuitur simplici negationi actus prohibiti, sed potenti moraliter transgredi, & nolenti: potenti facere mala, & nolenti, &c. Ille ergo dicitur obseruare praecepta negatiua, qui scit se illis obligari, & vult illa obseruare, vult non transgredi, quod si hoc aliquo modo referatur in Deum, merebitur. Cum ergo Christus D. sciret se teneri ad obseruantiam pręceptorum negatiuorum, & hāc obseruantiam, & obligationem acceptauerit, retuleritque in Deum, sequitur quod per hunc formalem obseruantiam meruerit.

DVBIVM V.

An Christi D. meritum fuerit infiniti valoris.

70 HVius dubij solutio ferè constat ex dictis supra de satisfactione, ab eodem namque principio à quo desumitur valor satisfactionis, desumitur etiam valor meriti. Nihilominus, vt ista materia meriti maneat magis explicata, aliqua hoc loco dicemus de infinitate valoris meritorum Christi. Prima ergo sententia est, quod valor meritorum Christi D. non fuerit infinitus. Hanc sententiam sequitur Scotus *in* 3. *dist.* 19. *q. vnica* §. *in ista quaestione*. Almayn. *ibid. quaest.* 1. *notab.* 3. Gabriel. *ibi q. vnica art.* 1. *membr.* 3. *& art.* 2. *concl.* 3. Ioan. Medina *C. de poenit. tract.* 3. *q.* 1. & alij.

71 Nostra sententia seq. concl. explicatur: *Meritum Christi D. fuit valoris infiniti*. Ita S. Doctor *supra q.* 1. *art.* 2. *infra*

q. 48.

q.48. art.2. ad 3. de verit. q.29. art.7. quodlibeto 2. art. 2. & alibi frequenter. Alens. *3. p. q.17. membro 5. art.2.* D.Bonau. *in 3. dist. 3. art.1. q.2.* & Theologi hoc loco, & supra de satisfactione. Colligitur ex extrauag. *vnigenitus, de pænit. & remiss.* quatenus definitur quod thesaurus meritorũ Christi est infinitus, & quod vna gutta sanguinis Christi fuerit sufficiens ad redẽptionem nostram propter vnionem ad Verbum. Vnde concludit sic Pontifex. *De cuius consumptione non est aliquatenus formidandũ propter infinita merita Christi.*

72 Probatur 1. nam meritum crescit ex dignitate personæ merentis; sed persona Christi D. est infinitè digna, ergo etiam meritum quod in ea fundatur, ac proinde erit infiniti valoris. Maior nota est, sicut enim offensa crescit ex dignitate personæ offensæ, ita etiam meritum crescit ex dignitate personæ merentis: Persona namque merens simul cum opere se subijcit in obsequium, & commodum illius apud quem meretur. Minor etiam nota est, nam persona Christi cum sit ipsa persona diuina Verbi, est infinitè digna.

73 Probatur 2. nam illud meritum est infinitum, quod nullo præmio finito æquari potest, sed meritũ Christi D. nullo præmio finito æquari potest, ergo est infinitum. Maior constat, quod enim finitum est, ab alio finito æquari potest. Minor probatur, nam dato quocumque præmio finito semper erit inferius dignitate merito Christi; ergo, &c. Antecedens probatur, nam meritum finitum potest correspondere dignitati finitæ, ergo dignitati infinitæ debet correspondere meritum infinitum; sed dignitas Christi est infinita; ergo, &c.

74 Probatur 3. nam si meritum Christi D. non esset valoris infiniti, sed finiti, contingere posset quod pura creatura posset tantum mereri quantum Filius Dei, sed hoc est falsum; ergo, &c. Minor patet, cum enim inter puram creaturam, & Filium Dei sit distantia infinita implicat quod valor operum puræ creaturæ possit æquare valorem operũ Filij Dei. Maior probatur, nam pura creatura per Dei gratiam potest mereri quodlibet premium finitum, ergo si meritum Christi D. esset valoris finiti contingere posset, quod pura creatura posset tantum mereri quantum Filius Dei. Soluuntur argum. in contrarium.

75 Primum argum. Si Christi D. merita essent infiniti valoris, maximè ob infinitam dignitatem personæ ipsius; sed hoc nihil est; ergo, &c. Minor probatur, nam infinita dignitas personæ Christi nihil confert ad rationem meriti, quia si in Christo Domino daretur peccatum siue originale, siue actuale, quod esse possibile putant Scotus, Durandus, & alij, tunc personæ Christi dignitas nihil confert ad rationem meriti, nec eius opera tunc temporis essent meritoria; ergo &c. Resp. negando minorem. Ad probationem negatur iterum minor, nec vllo modo admitti debet, quod Verbum diuinum possit esse suppositum naturæ peccato obnoxiæ, cum persona infinitè sancta, suam naturam infinitè sanctificet sanctitate personali, cum qua peccatum nullo modo esse potest. Deinde dico, quod dato, & non concesso, quod Christus D. de potentia absoluta posset admittere aliquod peccatum mortale, vel habere originale; tunc opera Christi D. non essent meritoria, quia infinita dignitas personæ non sanctificat naturam, nec inde opera illius, nisi supponantur intrinsicè capacia sanctitatis, eo autem in casu non essent talia.

76 Secundum argum. quoniam si opera Chsti essent infiniti valoris in ratione meriti, vel essent opera immanentia, seu actiones immanentes, vel transeuntes, sed nulli communicatur infinitas valoris, ergo, &c. Minor probatur, nam loquendo de actionibus transeuntibus, istæ non commensurantur cum subiecto, seu principio elicitiuo, sed cum termino, aliàs actiones Dei transeuntes vt sunt creatio, gubernatio, &c. essent infiniti valoris. Neque actiones immanentes possunt habere infinitum valorem ex infinita dignitate suppositi, nam si actiones transeuntes non participant valorem ex dignitate sup-

suppositi, neque immanentes, cum eadem sit vtrarumque ratio. Resp. quod tam actiones immanentes, quàm transeuntes participant dignitatem suppositi, cum ab eo sint tamquam à principio elicitiuo. An autem actiones Dei transeuntes habeant infinitum valorem nec ne patebit ex solutione quarti argum.

77 Tertium argum. quia nihil creatum potest esse infinitum, sed valor operum Christi D. est quid creatum; ergo non potest esse infinitum. Resp. distinguẽdo maiorem: nihil creatum potest esse infinitum, physicè, conceditur; moraliter, negatur. Valor autem pertinet ad genus moris, sicut & satisfactio, patet ex dictis supra de satisfactione.

78 Quartum argum. nam ideo valor operum Christi D. est infiniti valoris, quia meretur secundum se pręmium infinitum, sed hæc ratio est nulla; ergo, &c. Minor probatur, nam etiam meritum puri hominis potest habere præmium infinitum, & tamen non est infinitum, ergo, &c. Antecedens ostenditur, nam dum homo meretur aliquod temporale, meretur quod Deus illud concedat, illud faciat, aut producat; seu meretur quod Deus ponat eam actionem, qua res illa ponitur, sed actio Dei qua ponit quamcumque rem, est actu, & simpliciter infinita, ergo, &c. Implicat namque quod quis mereatur aliquid, & non mereatur id sine quo poni non potest; sed præmium poni non potest sine actione Dei, ergo, &c. connexorũ namque eadem est ratio, & disciplina.

79 Hoc argum. propono, & soluo in meo tract. de gratia *disp.* 20. *q.* 7. *n.* 73. vbi pono tres solutiones. Prima est, quod licet homo mereatur de condigno aliquid temporale, vt gratię augmentum, &c. non tamen meretur illam Dei actionem qua ponitur, quia licet in esse physico augmentum v. g. gratiæ nectatur indispensabiliter cum actione Dei, non tamen in ratione meriti, potest namque quis mereri terminum actionis absque eo quod promereatur ipsam actionem: maximè in casu nostro, cum actio sit infiniti valoris, & excedat vim meriti creati.

80 Secunda responsio est, quod non possit iustus promereri actionem Dei qua facit v. g. gratiæ augmentum, primariò, & ratione sui, benè tamen secundariò, & ratione termini. Ratio autem termini attendi debet à termino primario inspecto, & ab eo mensuratur, non à termino secundario, neque ab eo quod secundariò cum primariò nectitur. Quod autem secundariò inspicitur potest esse superioris conditionis.

81 Tertia solutio est, quod re vera homo iustus mereatur Dei actionem, quia implicat, quod mereatur terminum sine sua actione: qui terminum meretur, meretur etiam sui productionem, qui meretur gratiæ augmentum, meretur actionem qua fiat: qui gloriam meretur, meretur, quod Deus eam concedat. Qui amat Deum, meretur, quod Deus eum redamet: iuxta illud. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Ex quo sequitur, quod licet purus homo non possit mereri prœmium infinitum solitariè, bene tamen simul cũ alia mercede finita cum qua nectatur. Pro quo aliqua exempla adduco loco citato, quæ rem benè explicant, quæ cum alijs ibidem videri debent.

82 Hic addo, quod actus diuinæ voluntatis nullo modo potest cadere sub merito, & sic qui meretur gratiæ augmẽtum, non meretur actum Dei quo illud faciat: qui meretur gloriam, non meretur actum Dei quo illam concedat: qui meretur bona temporalia, non meretur actũ Dei quo illa concedat, &c. Ratio est, quia actus Dei, est ipse Deus, qui est causa omnium rerum, qui est actus purissimus, ac proinde nullam potest habere causam siue physicam, siue moralem, cuiusmodi est meritum. Vnde S. D. 1. *p. q.* 23. *art.* 3. dicit quod nulla assignari potest causa diuinę voluntatis ex parte actus volendi, sed solum ex parte volitorum Et q. 19 art. 5. dicit. *Nullus ergo fuit ita insana mentis, qui diceret merita esse causam diuina prædestinationis, ex parte actus prædestinantis.* Vnde mereri aliquid apud Deum, non est mereri quod Deus illud sibi concedat, seu vt ponat actum,

quod

quo illud det; sed est mereri vt illud det sibi in præmium.

83 Quintum argum. nam potest quis mereri alterius beatitudinem, non solum formalem, sed etiam obiectiuam, sed hæc est simpliciter infinita; ergo etiam iustus potest mereri præmium simpliciter infinitum, ac proinde non est proprium Christi D. posse mereri aliquid infinitum, & sic quod valor meritorium eius sit simpliciter infinitus. Minor constat, Deus namque qui est beatitudo obiectiua, est simpliciter infinitus. Maior probatur, nam qui meretur alterius beatitudinem, meretur quod Deus illi coniungatur per visionem beatam, ergo meretur beatitudinem obiectiuam, ac proinde Deum, non quidem prout in se, sed ut coniungendus per uisionem beatam. Vnde non solum datur in præmium ipsa uisio quæ est coniunctio, & possessio, & finis *quo*, sed etiam ipse Deus qui est finis *qui* coniunctus media uisione beata. Quare dici solet, quod iustus non solum meretur uisionem beatam, sed etiam Deum uisum, qui est præmium infinitum. Resp. negando maiorem, meritum enim est causa moralis præmij, Deus autem utpotè actus primus, & purissimus, & ens summè perfectum excludit omnem dependentiam, causalitatem, & omnem rationem effectus. Vnde licet quis mereatur uisionem beatam, non tamen ipsum Deum, sed solum meretur ut detur in præmium.

DVBIVM VI.

Quid sibi Christus D. mereri potuerit.

84 Qvid de facto Christus D. meruerit, dicemus dubio sequenti, quid autem mereri potuerit, dicemus in hoc dubio. Aliqui ergo dicunt, quod Christus D. potuit mereri actum liberum diuinæ uoluntatis, & de facto meruisset, si de hoc extasset diuina promissio, sic tenent Casalius *lib. 1. de quadripartita iustitia cap. 4.* Franciscus à Carthagena *opusc. de prædest. hominum, & Angelorum discursu 11.* & alij, quia quicquid est ratio, ut Deus aliquid faciat, est etiam ratio mouens eius uoluntatem, ut id faciat, ac proinde ratio meritoria actus increati, quo Deus illud facit. Cum autem meritum Christi D. quantum est de se, sit ratio quare Deus elegerit homines ad gloriam, etiam erit ratio quare ponatur actus æternus prædestinationis, ac proinde si de ista extaret promissio, sub merito Christi D. cadere potuisset. Cæterum hanc sententiam reicimus *n. 82.* quod scilicet actus Dei nullo modo sub merito cadere possint, cum nullã habere possint sui causam nec physicam, nec moralem, aliàs non essent omnino independentes cum essent effectus meriti creati, quod implicat.

85 Vasquez *disp. 6. cap. 4.* & alij, putant quod Christus D. potuit mereri ipsum Deum, non quidem in se, sed vt visum, vt vnitum animæ, vt beatitudo obiectiua. Vnde licet, inquit, nullus impetrare possit, quod Pater æternus generet, quia necessariò generat, potest tamen impetrare vt liberè coniungatur alicui in visione beata, aut etiam in vnione hypostatica; quocirca si de hoc fuisset promissio, potuisset Christus D. applicare suum meritum vt Pater æternus coniungeretur hypostaticè alicui naturæ. Si enim Christus D. poterat mereri vnionem hypostaticam naturæ humanæ cum persona Patris, cum eius merita essent infiniti valoris, poterat etiam mereri, quod persona Patris incarnaretur. Nam mereri incarnationem, non est solum mereri modum vnionis existentem in natura humana, sed etiam ipsam personam Patris, cum vnio etiam personam vnitam necessariò afferat.

86 Sed neque hæc sententia placet, & facile reicitur ex dictis, nam persona, v.g. Patris, cum sit persona diuina, ens à se, &c. non potest esse effectus alicuius causæ efficientis creatæ; causa autem meritoria, est causa efficiens moralis, efficiens præmium moraliter, ponensque illud; hoc autem nullo modo potest conuenire personæ diuinæ, aliàs non esset ens omnino, & in omni genere independens, quod est falsum.

87 Difficultas est, an taliter meritum Chri-

Christi D. fuerit valoris infiniti, quod non solum mereri potuerit præmium aliquod infinitum, sed etiam omne, si de hoc extasset promissio. Prima sententia est, quod licet meritum Christi D. fuerit valoris infiniti, non tamen adeo vt esset sufficiens ad quæcumque præmia infinita, sed vno eorum fuisset exaustum, non solum quoad intensionem, sed etiam quoad extensionem. Sic tenent aliqui relati à Ragusa *disp.* 18.

88 Nostra sententia sequ. concl. explicatur. *Meritum Christi D. ita est infinitum, seu ita est valoris infiniti, quod sufficiens fuit ad merendum quæcumque præmia infinita, non solum diuisiuè, sed etiam collectiuè.* Sic tenent communiter Theologi, vt testatur M. Cipullus *hic dub.* 8. *n.* 7. & 8. Vnde licet intẽ siuè meritum Christi D. æquetur per præmium infinitum, tamen extensiuè non æquatur, sed extendi potest ad aliud, & aliud præmium infinitum, vsque in infinitum. Exemplo diuinæ omnipotentiæ, quæ quantum est de se, potest producere infinitos effectus in infinitum, &c.

89 Ratio concl. est, quia meritum Christi D. est tanti valoris, vt sit dignum omni præmio incogitabili quantumuis infinito, non solum intensiuè, sed etiam extensiuè; ergo licet per vnum præmium infinitum, v.g. per vnam vnionem hypostaticam à Patre factam adæquaretur intensiuè, non tamen extensiuè; ac proinde vt extensiuè exhauriretur, deberet Pater æternus assumere infinitas naturas. Explicari potest exemplo satisfactionis, nam licet valor satisfactionis Christi sufficienter exhauriatur intensiuè, per satisfactionem pro vno peccato mortali, quod est infinitæ malitiæ in ratione offensę sicut est infinita satisfactio Christi in ratione satisfactionis; tamen extensiuè Christi D. satisfactio non exhauritur, satisfaciendo pro offensa infinita vnius peccati, sed potest extendi ad infinita peccata, si darentur; ita, &c.

90 Præterea, valor operum Christi D. desumitur ex persona diuina quæ est infinita simpliciter in genere entis, seu in omni genere, sed nullum datur præmium quod sit hoc modo infinitum; ergo dictus valor à nullo præmio potest saltem extensiuè æquari. Minor constat, nam omne præmium quantumuis infinitum, debet esse creatum, cum nec Deus, nec persona diuina possit esse præmium cuiuscumque meriti, vt dicebamus, aliàs Deus non esset primum ens, ens à se, prima causa, independens, &c. cum esset effectus causæ moralis, scilicet meriti, quod implicat. Maior etiam constat ex dictis de satisfactione supra. Soluuntur argum. in contrarium.

91 Primum argu. nam vna vnio hypostatica v.g. est condignum præmium meritorum Christi; ergo per illam totaliter extinguetur, ac proinde non poterit condignè extendi ad merendam aliam, & aliam vnionem hypostaticam. Consequ. constat, nam meritum est ius ad præmiũ, quod totaliter exhauritur; cum præmium æquale, & condignum tribuitur. Antecedens probatur, nam non est maior valor operis meritorij Christi, quam sit vnio hypostatica; ergo vna vnio hypostatica est præmium condignum operum Christi. Tum quia persona Verbi diuini non magis dignificat opera Christi, quam persona Patris dignificaret aliam naturam, si eam assumeret; ergo.

92 Respondent aliqui, quod vna vnio hypostatica esset adæquatum præmium operum Christi, per hoc tamen non sequitur quin possit aliam, & aliam promereri, quia duæ vniones non sunt quid maius intensiuè, sed tantum extensiuè, sicut non sunt quid maius Deus solus, quã Deus, & mundus vt 1. p. diximus, ac proinde si meritum Christi potest mereri vnam vnionem hypostaticam, poterit etiã aliam, & aliam mereri, cum non requiratur maius meritum, sed sola applicatio præcedentis. Tum quia sola extensio, & multiplicatio præmij non debet inducere multiplicationem meriti, sicut in diuinis sola multiplicatio personarum, non inducit multiplicationem valoris, bonitatis, & dignitatis essentiæ. Tum etiam quia meritum est causa præmij, vna autem, & eadem

dem causa potest producere plures effectus eiusdem intensionis, & perfectionis cum se ipsa.

93 Cæterum ista responsio non quietat animum, nam ex ea solum sequitur, quod medijs diuersis applicationibus, aut per diuersa opera possint mereri plures vniones hypostaticæ; cum vna sit præmium adæquatum intensiuè operum Christi, nõ tamen extensiuè, ergo vt extendatur ad aliam promerendam, noua applicatio, noua quædam actio, seu operatio poni debet, Hoc conuincit exemplum de causa quod in illa solutione adducitur à suis auctoribus, nam vna causa non producit plures effectus adæquatos simul, sed pluribus applicationibus, aut actionibus interuenientibus.

94 Vera solutio est nota ex dictis, quia in merito includitur dignitas personæ vt principium illius, vt tribuens valorem, & dignitatem operibus, maximè reflexiuis, & in præmio nihil diuinum meretur; Deus namque potest esse principium meriti in natura assumpta non tamen potest esse terminus, seu effectus illius, cum Deus vt dicebamus, cum sit ens à se, & independẽs non possit cadere sub merito; potest quidem concedi, quod Deus sit præmium nostrum, vt canit Ecclesia. *Sis ergo nostrum gaudium, qui es futurus præmium*, non tamen potest Deus neque vt visus mereri. Aliud namque est nos mereri Deum. Et aliud est mereri, quod Deus sit nostrum præmium, nostra merces, &c. constat ex dictis supra.

95 Secundum argum. quoniam plus valoris reperitur in omnibus Christi D. operibus simul sumptis, quàm sit in singulis; ergo etiam plus præmij correspondere debet omnibus simul, quam singulis diuisiuè, ac proinde dictorum operum valor non est de se sufficiens ad promerendum quodlibet præmium. Resp. distinguendo antecedens: plus valoris intensiuè reperitur in omnibus operibus Christi D. simul sumptis, quam in singulis diuisiuè negatur, loquendo de valore desumpto ex supposito. Plus valoris extensiuè, conceditur.

96 Tertium argum. Ad hoc vt valor operum Christi D. posset esse meritorius cuiuscumque præmij infiniti, deberet esse tantus in genere moris, seu meriti, quanta est dignitas personæ Christi à qua desumitur; sed hoc est falsum: ergo, &c. Minor probatur, nam est contra rationem meriti, quod sit tantæ dignitatis quantæ est Deus, meritum namque est inferioris ad superiorem, ac proinde non potest esse tantæ dignitatis quantæ est Deus. Tum quia Christus D. non meruit apud Patrem qua erat illi æqualis, sed qua erat illi minor, & inferior ac proinde meritum non potest sequi dignitatem personæ, qua Christus est Patri æqualis, sed sequi debet conditionem naturæ qua est Patri inferior, & minor. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dico, quod est de ratione meriti vt sit inferioris ad superiorem quoad rationem principij elicitiui *quo*, quod est natura, non quoad rationem principij elicitiui *quod*, quod est suppositum diuinum à quo suam capiebat dignitatem, & valorem. Christus ergo D. vt erat minor Patre erat principium *quo* meriti, & vt erat æqualis Patri, tribuens dignitatem operibus, & tantam in esse moris, & meriti, quanta est dignitas Patris.

97 Quartum argum. nam possibile est quod Christus D. aliquid petat à Deo, quod non obtineat, ergo eius meritum non extenditur ad omne præmium. Conseq. constat, si enim extenderetur ad omne præmium, nihil esset ad quod non extenderetur; vnde quidquid peteret, totum obtineret. Antecedens probatur, nam demus, quod etiam Spiritus Sanctus incarnaretur, & sic essent duo Christi, qui gratia claritatis vocentur A. & B. demus quod Christus D. applicet sua merita, vt obtineat à Patre cõuersionem Petri peccatoris, & Christus B. applicet sua vt obtineat eiusdem Petri punitionem. Tunc si Pater exaudiat Christum B. merita Christi A. quæ sunt merita nostri Christi nil obtinerent; ergo, &c.

98 Respondet Lug. *disp. 6. sect. 1. n. 25.* quod tunc opera vtriusque Christi

essent

essent digna illo præmio, scilicet vt exaudirentur; vnde quilibet ex parte sua mereretur, quod alterius postulatio non exaudiretur; cum non sit inconueniens quod dentur duo merita opposita, vt contingere potest in iustis, si vnus petat alicuius ægroti sanitatem, & alter mortem, vt euadat pericula huius mundi, &c.

99 Cæterum hæc solutio bene impugnatur à Cipullo hoc loco *dub.16. nu.27.* nam supposito, quod merita vtriusque Christi sunt æqualia, quomodo merita vnius possunt mereri, quod merita alterius non exaudiantur? In tantum enim vnius merita merentur, quod alterius merita non exaudiantur, inquantum est valoris excessus inter illa. Quod si dicat, quod non solum vnius Christi merita hoc habent, sed vtriusque, ac proinde erunt æqualia. Nam contra est, nam si sunt æqualia, non possunt facere quod alia non exaudiantur; vbi enim est æqualitas, non potest esse vis contra aliud, nisi dicas, quod non sint omnino æqualia, sed in diuerso genere sunt inæqualia, ratione cuius in diuerso genere mutuo præualēt. Tum quia vel tunc Deus vtrumque Christum exaudiret, vel nullum, aut solum vnum, non primum, ob implicantiam, cum vtrumque poni non possit. Si nullum, aut solum vnum, & tunc currit argumentum, quod illa merita non mereantur quodlibet præmium.

100 Respondent alij, quod ille Christus tunc exaudiretur, qui eliceret actum ex obiecto nobiliorem, vt si vnus moreretur vt peccator saluaretur, & alter ieiunaret, vt puniretur. Neque hæc solutio placet, nam valoris operum infinitas de qua loquimur non desumitur ex obiecto, sed ex persona. Deinde demus, quod vterque Christus elicet opus etiam ex obiecto æquale, vt si vterque pro suæ petitionis exauditione ieiunaret, aut etiam moreretur, tunc enim curreret eadem æqualitas.

101 Resp. quod dato illo casu de duplici Christo oppositum postulante, dicendum quod vtriusque opera mererentur exaudiri in sensu diuiso, non in sensu composito, quod scilicet alter Christus oppositum postularet. Tunc autem vnus posset exaudiri ex gratia; esset namque gratia quod exaudiretur Christus A. & non Christus B. Quando namque merita sunt æqualia, datur locus gratiæ, quando beneficia sunt indiuisibilia. Quocirca si duo concurrūt ad aliquod beneficium, & vterque æquè dignus iudicetur, tunc datur locus electoribus gratificandi cui maluerint.

DVBIVM VII.

Quid sibi Christus D. de facto meruerit.

102 CErtum est Christum D. plura sibi, & nobis meruisse toto suæ vitæ tempore, & maximè tempore passionis, & mortis, vt colligitur ex illo Luc. 24. *Nonne opportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam?* Et ad Philippens. 2. *Factus est obediens vsque ad mortem, mortem autē crucis, propter quod, & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, &c.* Ex quibus colligitur, quod Christus D. per suam passionem, & mortem sibi promeruit gloriam corporis, & nominis exaltationem.

103 Sed quæres 1. an Christi D. meritum, quod vt supra vidimus, incæpit ab instanti suæ conceptionis, fuerit interruptum vsque ad instans mortis? Resp. affirmatiuè, sic tenent communiter Theologi, de quo videri possunt Cabrera *hic disp. 2.* Suarez *disp. 39. sect. 3.* & alij hoc loco. Ratio desumitur ex doctrina Caiet. *infra q. 34. art. 2.* quia ad perfectionem Christi D. pertinebat, quod eius virtutes nunquam fuerint otiosæ, neque solum in actu primo, sed semper in actu secundo, non quidem secundum eosdem numero actus, ita vt Christus D. per totam vitam semper perseuerauerit in eisdem numero actibus liberis, quod tamen sua non caret probabilitate, sed quod saltem ab vno in alium actum transiret, & nunquam ab actu, ad non actum, vt facimus nos.

104 Quæres 2. an Christus D. meruerit in instanti conceptionis totum id, quod

quod postea meruit? Prima sententia est negatiua. Sic tenent Cabrera *disp.3.* Suarez *disp.4.sect.4.* Soto *in 4.dist.1.q.3.art.5.* & omnes illi qui putant Christum D. diuersis operationibus diuersa meruisse, non enim credibile videtur, quod non plus meruerit pluribus actibus, quã vno tantũ.

105 Nihilominus communis Theologorum sententia est, quod Christus D. non plus meruit toto suæ vitæ tempore, quam meruerit in suæ conceptionis instãti, vnde in instanti suæ conceptionis idem prorsus meruit, quod toto tempore vitæ, nec plus meruit per plures actus, quam per vnum solum. Ratio clara est, quia omnes Christi D. actus erant valoris infiniti, ac proinde non erant maioris valoris plures quàm vnus, & sic non plus meruit per plures quàm per vnum actum. Vnde idem quod vna vice meruit per vnũ actum, meruit per omnes. Ad hoc valet, quod docent Sancti Patres, vt Nazian. *epist.1. ad Cledon.* Damasc. *lib 3. de fide cap.22.* D.Gregor. Magnus *homil.6. in Ezechielem.* & alij communiter, quod Christus D. per hoc quod in dies exercebat se in nouis operibus bonis, non plus placebat Deo, quia illi tantum placuit à principio, quantum postea, quod etiam de merito dicendum est. Hoc posito quærendum est in particulari, quid sibi Christus D. promeruit, quod claritatis gratia in sequentibus §§. præstabimus.

§. I. *An Christus D. sibi promeruerit incarnationem.*

106 LOquendo de facto, communis Theologorum sententia est, quod Christus D. non meruit suam incarnationem, seu vnionem hypostaticam suæ humanitatis ad Verbum diuinum. Vnde neque humanitas in illo priori naturæ quo extitit antequam vniretur Verbo diuino, neque Christus D. per opera subsequentia vnionem hypostaticam de facto meruit suam vnionem hypostaticã, seu suam incarnationem. Hanc veritatem desumpserunt Theologi ex D.August. *in Enchirid. cap.36. & cap.40. & cap 36. de correctione, & gratia. & cap.11. de prædest.Sanctorum & lib.13.deTrinit.& tract. 105. in Ioannem,* & alibi. Vnde in Leonis litteris, Verbi diuini incarnatio non tribuitur meritis, sed misericordiæ, singulari Dei amori, & gratiæ. Ioan.3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Luc.1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, visitauit nos. oriens ex alto.* Ad Titum 2. & 3. *Apparuit humanitas, & benignitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit.*

107 Quod humanitas Christi D. pro illo priori quo existit non meruerit incarnationem, patet, quia prius est quod natura supponatur, quam operetur, ac proinde quàm mereatur; operationes namque sunt suppositorum; sed natura humana in illo priori naturæ in quo præintelligitur assumptioni, non est supposita, vt patet: ergo pro illo priori non potuit elicere opera meritoria dictę incarnationis. Quod autem neque Christus D. meruit incarnationem per opera subsequentia eandem incarnationem patet, quia meritum præcedit præmium, non subsequitur; meritum namque habet rationem causæ efficientis respectu præmij, non quidem physicæ, sed moralis; sed tam causa efficiens physica, quam moralis præcedit suum terminum, seu effectum; ergo, &c. Tum quia vnio hypostatica est via, & ratio merendi, ratio autem merendi, non potest esse posterior merito; ergo. Tum etiam quia incarnatio est prima radix merendi, & cuiuscumque meriti, saltem secundum potentiam ordinariam, ergo non potest cadere sub merito, iuxta illud commune proloquium. *Principium meriti, non cadit sub merito.* Vnde cum Apocal.5.dicitur. *Dignus est agnus accipere diuinitatem,* non intelligitur de merito quo meruerit diuinitatem, seu incarnationem, sed intelligitur de diuinitatis manifestatione, quam Christus D. sua passione, & morte promeruit, & à Patre petijt Ioan.17. cum dixit. *Clarifica me Pater apud temetipsum, claritate quam habui antequam mundus fieret.*

108 Difficultas procedit de potentia absoluta, an scilicet de potentia absoluta incarnatio, seu vnio hypostatica potuerit cadere sub merito. Hæc difficultas in duplici sensu pertractari potest. Primò, an humanitas per opera præcedentia incarnationem, potuerit illam promereri. Secundò, an Christus D. potuerit suam vnionem promereri per opera subsequentia eandem incarnationem.

109 Prima concl. *Humanitas Christi Dom. prius natura quam Verbo diuino vniretur non potuit mereri incarnationem, nec de condigno, nec de congruo.* Hæc conclusio est contra aliquos modernos, admittentes, quod humanitas Christi D. pro illo priori natura potuerit de congruo mereri incarnationem. Ratio nostræ conclusionis est, quia non potest intelligi meritum nec condignum, nec congruum sine aliqua operatione facta in obsequium illius apud quem meretur, sed humanitas Christi D. in illo priori cum non intelligatur subsistens, non intelligitur habere posse operationem; cum operationes sint suppositorum; ergo, &c. Si tamen humanitas prius tempore intelligeretur subsistens propria subsistentia, potuisset Deus illi tantam gratiam conferre vt de congruo mereri posset incarnationem.

110 Sed obijcies 1. nam Angeli de facto acceperunt gratiam in sua creatione, & ad illam se disposuerunt, ex D. Tho. *1. p. q. 62. art. 3. & art. 5. ad* 3. ergo potuit Deus de potentia absoluta gratiam concedere humanitati Christi D. prius natura quàm Verbo diuino vniretur, per quam ad vnionem hypostaticam disponeretur, ac subinde mereretur. Resp. concedendo antecedens, & negando conseq. Ratio discriminis est, quia iam Angeli supponebantur subsistentes, ac proinde potuerunt se ad gratiam disponere per actus præcedentes eandem gratiam in genere causæ materialis dispositiuè. At humanitas Christi D. pro illo priori non supponitur subsistens, ac proinde incapax operationis qua se ad vnionem hypostaticam disponeret, eamque mereretur.

111 Obijcies 2. nam in illo priori naturæ, potentiæ spirituales humanitates, scilicet intellectus, & voluntas sunt capaces tam recipiendi habitus, vt donorum, & charitatis, tam exercendi illorum actus, de potentia Dei absoluta, sicut de facto contigit in Angelis in primo suæ creationis instanti; ergo per illos actus potuit humanitas se disponere ad vnionem hypostaticam, eamque promereri; ergo, &c. Resp. negando antecedens, quandiu namque humanitas non intelligitur subsistens cum suis potentijs non potest recipere habitus, nec illorum actus, nec alios elicere, neque de potentia absoluta, cum operationes sint suppositorum, nec potest natura exire in operationem, quandiu non est existens in se, & per se, seu quandiu non est completa in linea substantiæ.

112 Secunda concl. *Christus D. per opera subsequentia incarnationem, seu per opera, quæ ab vnione hypostatica valorem, vim, & efficaciam habent, non potuit etiam per absolutam Dei potentiam promereri eandem incarnationem siue de congruo, siue de condigno, etiam si Deus cum eo sic pepigisset, & Christus D. adhoc præmium illa ordinasset.* Hæc concl. est contra Suarez *disp. 10. sect. 4.* & Isambertum *ad q. 19. disp. 6. art. 6.* Est tamen communis sententia aliorum Theologorum, vt testatur M. Cipullus *hic art. 3. dub. 11. n. 2. in fine.*

113 Probatur 1. ex illo cōmuni proloquio Theologorum, quod *principium meriti non cadit sub merito*; sed vnio hypostatica est principium omnis meriti in genere causæ moralis efficientis; ergo nō potest cadere sub merito, ac proinde non potuit Christus D. eam per opera subsequentia promereri. Minor nota est, eamque concedunt aduersarij. Maior probatur, nam si principium meriti caderet sub merito, sequeretur, quod vnum, & idem esset causa, & effectus in eodem genere causæ efficientis moralis; imò idem esset causa sui ipsius in hoc eodem genere; nā opera subsequentia incarnationem, essent causa moralis incarnationis, quæ est causa eorumdem operum meritoriorum.

114 Occurrit Isambertus loco citato negando maiorem, quia illud proloquium quod

quod *principium meriti non cadit sub merito*, est solum verum de potentia ordinaria, & ex ordinatione diuina, qua statuit gratiam dare gratuito, & absque merito. Ad probationem dicit, non esse absurdum quod idem sit effectus, & causa in diuerso genere causæ, nam finis est causa excitans, & mouens ad operandum, cum tamen opus sit causa finis acquisiti. Deinde dicit, quod in præsenti casu causa moralis, & eius effectus non sunt vnũ, & idem, quia causa moralis immediatè productiua præmij, & mercedis, est actus Christi D. de condigno meritorius, vnio verò hypostatica, est causa tantum radicalis, & mediata, quæ vt fuit à Deo data in præmium anticipata solutione, sortitur rationem effectus moralis.

115 Sed contra, nam illud proloquium non procedit tantum de potentia ordinaria, sed etiam de potentia absoluta; ergo, &c. Antecedens probatur, nam si principium meriti posset cadere sub merito, idem esset causa, & effectus, dependens, & independens in eodem genere causæ moralis efficientis; nam vnio hypostatica in genere causæ moralis efficiẽtis est causa moralis meritoriorum, & hac ratione est independens ab illis. Deinde esset effectus moralis quatenus opera meritoria sunt causa moralis eiusdẽ vnionis, ergo, &c. Neque id quod postea dicit, illi fauet, nam falsum est, quod actus Christi sit de condigno meritorius, hoc enim nõ habet, nisi prout participat valorẽ ab vnione hypostatica, quia causa immediata valoris, est ipsa vnio hypostatica, non actus, ac proinde ipsa vnio hypostatica, & esset causa immediata valoris infiniti in actibus meritorijs Christi, & esset effectus promeritus ab actibus sic meritorijs.

116 Probatur 2. quoniam est de ratione præmij, quod fiat per meritum, nec sit possessiuè ipsius merentis, nullus enim censetur mereri, quod possidet, & est suum; sed vnio hypostatica est possessiuè ipsius Christi D. ergo non potest ab eodẽ promereri. Minor nota est. Maiorem docet S.D. *in 3.dist.18.q.9.art.4.* nam meritum se habet, vt pretium, quod soluitur ad aliquid comparandum, patet autem quod pretium debet esse ementis antequam soluatur, non res quæ emitur, nullus namque emit, quod habet, ergo cum meritum sit quoddam pretium, & præmium sit res empta, sequitur, quod nullus mercatur, quod possidet; ac proinde cum iam Christus D. possideat suam vnionem hypostaticam, non poterit eam promereri, seu comparare per meritum, tanquam per pretium.

117 Occurrit Isambertus loco cit. ad primam partem maioris, quod cum præmium fiat tantum per meritum efficientia morali, non physica, non postulat realem existentiam sui principij effectiui, ante existentiam præmij, sed solum supponit eius cognitionem, qua agens principale moueatur ad illud realiter, & physicè conferendum, vt patet in gratia à Deo Patribus antiquæ legis collata ex meritis Christi venturi.

118 Ad secundam partem eiusdem maioris dicit, quod vt merces, seu stipendium soluatur anticipata solutione, sub onere alicuius operis faciendi, sufficit in soluente, quod prudenter existimet futurum, vt qui accipit stipendium, fideliter opus exequatur, secundum pacta conuenta; vnde pecunia anticipatè soluta fit possessiuè operarij, vt ea vti possit tanquam sua, ad quod sufficit, quod promittat ex animo exequi opus intra tempus conuentione præscriptum. Quocirca quando dicitur, quod merces non est merentis qua merens est, intelligitur solum de dominio omnino absoluto, nullam obligationem includente de aliquo opere præstando.

119 Sed neutra solutio satisfacit. Nõ prima, nam est de ratione cuiuscumque causæ efficientis, siue physicæ, siue moralis, quod eo modo quo est causa efficiens præexistat effectui, aliàs non erit causa efficiens, sed finalis. In hoc enim distinguitur causa efficiens à finali, quod ista non requirat existentiam nisi in cognitione, at causa efficiens requirit realem existentiam. Nam vel est causa physica, & tunc requirit realem existentiam physicam, vt physicè influat in effectum. Vel

est causa efficiens moralis, & tunc requirit realem existentiam vt influat moraliter; aliàs mouebit solum per modũ obiecti, & finis, non per modum causæ efficientis. Vnde non est ad rem id quod dicit Isambertus de gratia data Sanctis Patribus legis antiquæ; nam illa gratia fuit quidem data dictis Patribus intuitu meritorum Christi futurorum, quæ per modum obiecti, aut finis mouebant Deũ ad illam gratiam conferendam, non tamen dici potest, quod Christus D. tunc futurus illam promeruerit, cum nundum esset.

120 Neque secunda solutio satisfacit. Nam aliud est, quod quis solutione anticipata conferat pecuniam, sub onere ponendi opus aliquod. Et aliud est, quod opus ponendum sit meritum præsentis solutionis. Potest quis (& frequenter fieri solet) conferre pecuniam alicui cum pacto ponendi hoc, aut illud opus, non tamen opus ponendum, est meritum huius dationis, nec dici potest, quod pecunia modo soluta sit præmium oneris futuri ponendi, sed dici debet, quod illa pecunia sit data intuitu operis ponendi, ad quod pecuniam accipiens se obligauit.

121 Probatur 3. nam quod prius existit, existit independenter à posteriori; sed in nostro casu incarnatio, seu vnio hypostatica prius existit, quam merita ipsam subsequentia; ergo incarnatio, seu vnio hypostatica, non potest existere dependenter à meritis subsequentibus, ac proinde non poterit per nullam potentiam cadere sub merito operum subsequentium.

122 Respondet idem Isamb. quod licet incarnatio prius existat quam merita, non tamen independenter ab illis, potest enim aliquid existere, seu accipere existentiam dependenter ab aliqua habitudine ad existentiam alterius non positi, sed futuri. Incarnatio ergo dari potest intuitu bonorum operum futurorum, quo modo gratia sanctis Patribus collata, data fuit intuitu meritorum Christi, ac proinde includebat habitudinem ad positionem meritorum Christi D.

123 Sed contra, nam licet possit aliquid poni per habitudinem ad aliud, nam domus ponitur per habitudinem, & ordinem ad habitationem, & omnia artis instrumenta ponuntur, & fiunt per ordinem ad suos fines; non tamen id per ordinem ad quod ponitur potest habere influxum siue physicum, siue moralem in suum prius. Solùm posterius potest mouere, & excitare metaphoricè per modum finis (influentia namque finis, seu causalitas finis est solum metaphorica) non per modum causæ efficientis etiam moralis. Vnde merita Christi futuri mouebant per modum obiecti, & finis Deum ad dandam gratiam sanctis Patribus legis antiquæ, non per modum meriti, cum nondum mereretur, cum tunc esset futurus.

124 Probatur 4. nam si Christus D. de potentia absoluta potuisset sibi mereri vnionem hypostaticam, eam de facto sibi promeruisset, sicut de facto in sententia opposita de facto promeruit gratiam Sanctis Patribus legis antiquæ, tum quia maioris excellentiæ est habere aliquid ex merito, quam sine; sed nullus dicit, quod Christus D. de facto meruerit suam vnionem hypostaticam; ergo signum est, quod promereri non potest.

125 Occurrit idem auctor negando maiorem, quia plura potuit Christus D. sibi, & alijs mereri, quæ tamen non meruit; nam sibi non meruit scientias siue per se, siue per accidens infusas, quas tamen promereri potuit. Potuit Angelis damnatis mereri reparationem, quàm tamen non meruit. Neque, inquit, est semper perfectius accipere aliquid ex meritis, quam merè gratuito, cum hoc posterius, arguat maiorem liberalitatem in conferente, & in recipiente obligationem magis specialem ad recognoscendum beneficia ex speciali gratitudine conferentis accepta. Deinde dicit, quod modus perfectior accipiendi aliquod bonum à Deo, potest considerari duobus modis. Primò nudè, & solitoriè, secundò per habitudinem ad statum; iste modus posterior de-

debet attendi in collatione bonorum. Vnio ergo hypostatica in ordine ad statum Christi debebat dari gratis, cum fieret in ordine ad bonum totius vniuersi, vt sic magis reluceret Dei misericordia.

126 Sed contra, nam ideo Christus D. non meruit sibi scientias, quia istæ non solent cadere sub merito. Deinde dico, quod neque istas scientias sibi potuit promereri, eo ipso, quod fuerint infusæ in primo instanti, & conuenientius erat, quod tunc infunderentur. Neque verum est, quod potuerit mereri reparationem Angelorum damnatorum, ex suppositione quod sunt inflexibiles de malo in bonum, Deinde falsum est, quod attento Christi D. statu quod veniebat ad bonum non solum generis humani, sed etiã totius vniuersi, debebat incarnatio fieri gratuitò, nam oppositum potius colligitur. Cum enim veniret vt supremus Monarcha, reparator, & restaurator totius vniuersi, non debebat venire vt indigens, vt quicquid haberet esset receptum gratuito, sed vt esset suum. Si enim veniret aliquis Princeps, & totum quod afferret esset gratuitò rereptum, acceptum commodato, aut mutuo, cum posset habere ex suo, omnes illum irriderent. Sic &c.

§. II. *An Christus D. meruerit continuationem vnionis hypostaticæ, vel etiam aliquas circunstantias.*

127 Prima sententia est quod Christus D. meruerit continuationem vnionis hypostaticæ: sic tenet Suarez loco §. præcedenti citato, quem alij sequuntur, inferentes, quod etiam meruit aliquas circunstantias illius, vt quod fuerit conceptus de Spiritu Sancto quod ex Beatissima Virgine, quod fuerit per Archangelum Gabrielem annuntiatus, quod fuerit pastoribus manifestatus, quod fuerit à Magis adoratus, &c.

128 Nostra sententia duplici concl. explicatur. Prima conclusio. *Christus D. de facto non meruit continuationem suæ vnionis hypostaticæ, nec aliquam circunstantiam illius.* Hanc conclusionem docet S.P. August. *de prædest. Sanctorum cap.* 15. & omnes scholastici, & Theologi, qui dum negant Christum D. de facto non meruisse suam vnionem hypostaticam, loquuntur simpliciter, & absolutè, nec distinguunt inter primam illius productionem, & continuationem, seu conseruationem.

129 Probatur 1. nam Deus volens hoc mysterium diuinissimum, voluit illud & indissolubile, & in perpetuum, cum præsertim in Christo D. daretur causa suæ dissolutionis; sicut ex suppositione, quod voluit Angelorum, & animarum nostrarum creationem, voluit & illorum durationem in perpetuum; ergo non potuit ea continuatio de facto cadere sub merito. Antecedens constat. Conseq. probatur, nam sicut nec Angeli, nec animæ rationales merentur suam conseruationem, seu durationem ex eo quod sequitur ex vi decreti quo Deus voluit eas creare; ita nec Christus D. meruit suam conseruationem, quia sequitur ex vi decreti quo Deus voluit Christum esse perpetuum, & indissolubilem.

130 Probatur 2. nam conseruatio, seu continuatio vnionis hypostaticæ, est quædam incarnatio, seu quædam continuata productio incarnationis; sed Christus D. de facto non meruit incarnationem, vt omnes tradunt; ergo neque de facto meruit eius continuationem, seu conseruationem. Vnde nouæ illæ partes, quæ in Christo D. per nutritionem producebantur, & de nouo vniebantur Verbo diuino, non adueniebant ex aliquo illius merito; sicut quando vnio hypostatica ad nouas partes per augmentationem extendebatur, non extendebatur ex aliquo Christi D. merito, sed ex vi actionis productiuæ vnionis hypostaticæ, & ex vi volitionis qua Deus eam voluit, ac proinde in illa, nutritio, & augmentatio continebantur.

131 Sed dices, quod iustus potest promereri de congruo perseuerantiam in gratia, non de condigno, vt Concilia, & Pa-

& Patres tradunt; ergo etiã Christus D. potuit de congruo mereri continuationẽ suæ vnionis hypostaticæ. Resp. negando conseq. nam continuatio gratiæ potest de congruo promereri, quia non datur inamissibiliter, sed amissibiliter. At vnio hypostatica datur inamissibiliter. Tum quia merita Christi D. cum sint infiniti valoris non possunt non esse de condigno, cum habeant condignitatem cum quocumque præmio, ac proinde cum non possint condignè mereri dictam continuationem, neque de congruo eam poterunt promereri.

132 Secunda concl. *Christus D. neque de possibili potuit promereri continuationem, seu conseruationem suæ vnionis hypostaticæ.* Sic tradunt communiter Thomistæ vt obseruat M. Cipullus *hic art.3. Dub.vltimo*. Ratio constat ex dictis, nam principium meriti non cadit sub merito, sed caderet si mereri potuisset continuationem incarnationis, seu vnionis hypostaticæ; ergo, &c. Antecedens constat ex dictis §. præcedenti. Conseq. probatur, nam continuatio, seu conseruatio incarnationis, seu vnionis hypostaticę, est idem realiter cum ipsa vnione hypostatica, quæ est principium omnium meritorum Christi D. ergo, &c. Tum quia conseruatio vnionis hypostaticæ, vel accipitur actiuè, scilicet pro ipsa actione Dei, qua Deus eam vnionem conseruat, & hoc modo certum est, quod non possit cadere sub merito, cum enim actio Dei sit quid increatum, & ens à se, non potest esse dependens ab aliquo creato, etiam tanquã à causa, seu non potest habere aliquam sui causam etiam moralem. Vel accipitur passiuè, scilicet pro effectu actionis Dei conseruantis vnionem hypostaticam, sine interruptione, & neque hoc modo cadere potest sub merito, nam vnio hypostatica non conseruatur ad modum earum rerum quæ conseruantur per nouam additionem, vel per nouam partium successionem, vel per noua auxilia tanquam causæ conseruatiuæ, vt contingit in gratia habituali huius viæ, sed conseruatur sine additione alicuius de nouo producti, eo modo quo conseruatur visio beata; substantia Angelica, anima rationalis, &c. quorum conseruatio cum sit omnino immutabilis, & permanens non distinguitur à prima productione, ac proinde vbi non potest esse meritum primæ productionis, neque potest esse meritum continuationis, seu conseruationis. Soluuntur argum. in contrarium.

133 Primum argum. nam si ob aliquam rationem Christus D. non potuisset mereri continuationem suæ vnionis hypostaticæ, maximè quia sequeretur, quod principium meriti caderet sub merito, sed hoc non sequitur; ergo, &c. Minor probatur, nam principium meriti non est vnio hypostatica vt durans, sed absolutè, & vt durans est præmium, ac proinde est diuersa ratio meriti, & præmij. Vnde vnio hypostatica vt primò facta, est principium meriti, vt postea durans, habet rationem præmij. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dico, quod vnio hypostatica vt durans, & vt primò facta non distinguuntur, cum continuatio illius non fiat per additionem, sed per immutabilitatem, & permanentiam.

134 Secundum argum. nam vita hominis præsupponitur ad meritum, & tamen eius continuatio potest cadere sub merito, saltem congrui. Similiter gratia habitualis est principium meriti, & tamen eius continuatio potest cadere sub merito, ergo, &c. Resp. quod continuatio nostræ vitæ non est per immutabilitatem, & permanentiam, sed est per additionem alicuius de nouo producti cum hominis duratio non sit permanens, & indiuisibilis. Non sic vnio hipostaticæ, vt ex dictis constat. Idem dic de continuatione gratiæ. quæ cum non sit omnino permanens, informat enim amissibiliter, ideo cadere potest sub merito. Vide aliam solutionem *num.*131.

135 Tertium argum. quoniam Deus poterat conferre vnionẽ humanitati Christi D. cum hac conditione, quod si Christus D. fuisset bene operatus vsque ad talem diem, eam conseruasset, secus dissoluis-

soluisset, sed si tunc Christus D. bene operatus fuisset intuitu huius continuationis, eam promeruisset; ergo, &c. Resp. quod in eo casu Christus D. operando intuitu illius continuationis, adhuc non meruisset illam, vt diximus, sed posuisset conditionem ob quam Deus illam conseruasset.

136 Quartum argum. nam Christus D. meruit reunionem suæ humanitatis ad Verbum diuinum in resurrectione, ergo etiam meruit, aut saltem mereri potuit continuationem eiusdem vnionis. Maior communiter docetur, de qua dicemus postea. Tum quia cum meruerit suam resurrectionem, debuit totum id mereri, quod ad eam pertinet, pertinet autem ad complementum resurrectionis illa reunio. Minor probatur, nam non minus reunio supponit meritum, quàm continuatio, ergo si illa promereri potuit, & ista. Tum quia Christus D. meruit continuationem reunionis, ergo etiam meruit ipsam continuationem vnionis primò factæ. Antecedens ostenditur, nam meruit vt glorificaretur tanquam Deus homo; ergo meruit vt eius diuinitas conseruaretur vnita suæ humanitati.

137 Resp. 1. negando antecedens, nam licet Christus D. meruerit suam resurrectionem, & vnionem suæ animæ ad corpus, non tamen aliquam vnionem humanitatis ad Verbum, quia hæc non fuit dissoluta, sed mansit in anima, & corpore, quæ licet inter sè fuerint per mortem separata, non tamen à Verbo, vnde postea eo ipso quod inter se fuerint vnita, mansit tota humanitas vnita ad Verbum, non per nouam vnionem, sed per vnionem partium.

138 Resp. 2. concedendo antecedens, nam reuera humanitas in triduo non erat vnita Verbo diuino, licet partes illius separatæ, vnitæ essent; tunc enim humanitas non erat neque homo, neque Deus, postea in resurrectione iterum humanitas posita est, & Verbo vnita. Et hanc vnionem sibi meruit Christus D. cũ pertineret ad resurrectionem, quã Christus D. sibi promeruit. Nec est eadem ratio primæ vnionis, & istius reunionis, nam prima erat principium meriti, non ista secunda, cum per resurrectionem cessauerit meritum. Ad aliam probationem dico, quod non est eadem ratio continuationis, & reunionis; quia continuatio vnionis cum ipsa identificatur, at reunio distinguitur ratione discontinuationis.

139 Quintum argum. nam Christus D. meruit extensionem vnionis hypostaticæ ad partes substantiæ, seu materiæ, quæ per augmentationem, & nutritionem acquirebantur, sed est eadem ratio continuationis, & extensionis, ergo, &c. Resp. ex dictis supra negando maiorem, nam extensio vnionis hypostaticæ fit ex vi primæ vnionis, tanquam quid sibi debitum; debetur namque vnioni hypostaticæ primò factæ, quod extendatur quandiu non peruenitur ad debitum augmentum, & quod extendatur ad partes per nutritionem reparatas.

140 Ex dictis duo inferuntur 1. quod illæ circunstantiæ incarnationis quæ per se præcedunt, aut concomitantur vnionem hypostaticam non cadunt sub merito, cum se teneant ex parte principij merendi. Potuit tamen mereri illas, quæ subsequuntur, vt bene obseruat. Nazar. & post eum Cipullus *hic art.3. dub. vltim. num.13.* Infertur 2. cum eodem Cipullo idem *num.14.* quod meritum Christi D. non solum fuit infiniti valoris, sed etiam actu infinitum, & actu meruit præmium infinitum, scilicet reunionem humanitatis cum diuinitate, &c.

§.III. *An Christus D. mereri potuerit gratiam sanctificantem, & alios habitus supernaturales infusos.*

141 CErtum est, quod Christus D. de facto non meruit sibi gloriam neque gratiam sanctificantem, neque alios habitus infusos qui eandem gratiam sequuntur. Difficultas procedit de possibili, de quo prima sententia negat. Hanc tuentur Medina *hic quæst.19. art.3.* Vasq. *disp.78. cap.3.* & alij loquentes præsertim de gloria animæ.

142 Nostra sententia seq. conclusionibus explicatur. Prima conclusio. *Christus D. de facto non meruit gloriam animæ, potuit tamen illam mereri.* Primam partem docent omnes, nam de facto gloria animæ profluit ab vnione hypostatica veluti quædam illius passio; vnde eam habuit Christus D. ab instanti suæ incarnationis. Secunda pars ostenditur, nam de potentia absoluta potuit Deus assumere naturam humanam sine gloria animæ, sed cum sola gratia sanctificante, sed tunc potuisset gloriam promereri, vt facimus nos, neque in hoc aliqua inuoluitur implicantia; ergo, &c. Puto tamen implicare, quod Christus D. habuerit gloriam animæ in eodem instanti conceptionis, & quod eam promeruerit. Si enim, vt §. præcedenti dicebamus, Christus D. non potuit promereri circumstantias incarnationem concomitantes, quia censentur facere vnum cum illa; ita à fortiori non poterit cadere sub merito visio beata, cum se habeat vt passio quædam consequens in eodem instanti dictam vnionem hypostaticam.

143 Secunda concl. *Christus D. de facto non meruit gratiam sanctificantem, nec eam mereri potuit.* Ratio constat ex dictis supra, nam principium meriti, non potest cadere sub merito; sed gratia sanctificans est principium meriti; ergo non potest cadere sub merito. Licet enim à gratia sanctificante non desumatur valor infinitus operum Christi D. desumitur tamen supernaturalitas, ratione cuius redduntur capacia meriti infiniti supernaturalis, vt supra explicuimus, ac proinde gratia sanctificans etiam in Christo D. se tenet ex parte principij operandi; seu merendi, ac proinde non potest cadere sub merito. Vnde licet Christus D. receperit gratiam per modum adulti, scilicet se ad illam disponendo, non tamen eam merendo. Vnde etiam nos disponimur ad gratiam per actus ab eadem gratia procedentes in eodem instanti, in genere causæ efficientis, & præcedentes in genere causæ materialis dispositiuæ, tamen illi actus vt sic præcedunt gratiam non sunt meritorij, vt in tract. de gratia explicuimus. Id quod diximus de gratia, intelligi debet de alijs donis, & habitibus eandem gratiam consequentibus.

§. IV. *An Christus D. sibi promeruerit gloriam sui corporis, resurrectionem, &c.*

144 AD gloriam corporis reuocatur resurrectio, immortalitas, impossibilitas, agilitas, &c. item gloriosa ad cælum ascensio. Impius Caluinus *lib. 2. suarum institutionum cap. 17. §. 6. & vlt.* docet, quod Christus D. non meruit gloriam sui corporis, ac subinde nec resurrectionem, nec gloriosam, & admirabilem in cælum ascensionem. Vnde arguit Magistrum sententiarum, & Scholasticos stultæ curiositatis, & temeritatis, quod has moueant quæstiones.

145 Veritas catholica seq. concl. explicatur. *Christus D. meruit gloriam sui corporis, ac subinde resurrectionem, & admirabilem ascensionem.* Colligitur apertè hæc conclusio ex illo. *Nonne oportuit hæc Christum pati, & resurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam suam?* Vbi non loquitur de gloria essentiali animæ, quam semper habuit, & per passionem, & mortem non meruit, sed de gloria corporis. Ratio est, quia Christus D. non habebat gloriam corporis, nec erat principium meriti; ergo potuit illam promereri, maximè quia illam petijt dum in cruce penderet, vt obseruat Apostolus ad Hebræos 5. dicens. *Qui in diebus carnis suæ, preces, supplicationesque ad Deum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Vult dicere Apostolus, quod Christus D. orauit Patrem vt eum cito liberaret à morte per gloriosam resurrectionem, & exauditus fuit pro sua reuerentia, seu prout eius dignitas merebatur.

146 Sed obijcies 1. nam gloria corporis erat debita Christo D. ab instanti suæ conceptionis, ergo non eam promeruit. Conseq. constat, quod enim est debitum, etiamsi differatur, non cadit sub merito. Antecedens tradunt omnes Theologi,

logi, quia gloria corporis debetur gloriæ animæ, ac proinde cum Christus D. ab instanti conceptionis haberet gloriam animæ, sibi debebatur gloria corporis. Vnde fuit continuum miraculum, quod Deus impediret gloriam animæ ne in corpus redundaret. Quocirca non fuit miraculum quod in Thaborre redundaret gloria animæ in corpus, sed fuit miraculum, quod postea gloria corporis fuerit subtracta. Resp. quod gloria corporis est solum debita absolutè comprehensoribus, non viatori, & comprehensori, vt erat Christus D. cum ergo Christus D. esset viator, pro tunc non erat gloria corporis debita, ac proinde potuit illam promereri. Vel dicas, quod dato quod gloria esset debita, debito quodam physico, non tamen debito morali ex suppositione quod per carnem mortalem, & passibilem debebat fieri humani generis redemptio, & sic relinquebatur locus vt Christus D. posset illam promereri.

147 Obijcies 2. nam ista gloria corporis nihil importat, quod possit cadere sub merito; ergo non fuit promerita. Antecedens probatur, nam nihil aliud importat, nisi subtractionem impedimenti, quo durante vita mortali impediebatur redundantia gloriæ animæ. Resp. negando antecedens. Importat namque aliquid positiuum, & reale humanitati Christi D. superadditum, scilicet quatuor corporis dotes, *impassibilitas, claritas, agilitas, & subtilitas*, quæ vt diximus in 1.2. sunt positiuum quid, scilicet qualitates reales.

§. V. An Christus D. meruerit sui nominis exaltationem.

148 Licet sub nominis Christi exaltatione, contineantur alia sub illo compræhensa, vt dignitas capitis, dignitas summi sacerdotij, potestas excellentiæ ad facienda miracula, ad Sacramenta instituenda, potestas iudiciaria, &c. tamē claritatis gratia in diuersis §§. explicabūtur, vt res magis nota, clariorq; appareat. Caluinus loco cit. §. præc. negat Christum D. meruisse sui nominis exaltationē.

149 Veritas catholica seq. concl. explicatur. *Christus D. meruit sui nominis exaltationem, qua consistit in externa quadam gloria cum laude apud creaturas rationales.* Constat hæc conclusio ex doctrina Apostoli ad Philippen. 2. vbi loquens de præmio humilitatis, & obedientiæ Christi D. sic fatur. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, &c.* Colligitur etiam conclusio ex illo Ioan. 17. *Et nunc clarifica me tu Pater, claritate quam habui priusquam mundus fieret.* Licet enim natura diuina esset in Christo vnita humanitati ante eius passionem, & mortem, & sic Christus D. esset verus Deus, & verus homo, tamen hæc eius diuinitas, seu nomen filij Dei, non adeo erat hominibus nota ante eius passionem, & mortem, & post mortem statim innotescere cæpit, & ab omnibus honorari. Hoc autem habuit ex merito suæ passionis, & mortis, sic enim sonat illud Apostoli. *Propter quod, & Deus exaltauit illum.* Soluuntur argumenta Caluini.

150 Primum argum. nam gloria corporis, & exaltatio nominis sunt Christo D. inutilia; ergo non meruit illa. Antecedens probatur, nam non fuit opus quod filius Dei descenderet incarnari, vt sibi quicquam noui acquireret; ergo illa sunt Christo D. inutilia. Resp. negando antecedens, licet enim filio Dei non fuerit necesse incarnari vt sibi aliquid noui acquireret qua Deus est, bene tamen qua filius hominis est; qua namque filius hominis est, seu secundum humanitatem non fuit sibi inutile acquirere gloriam corporis, & nominis exaltationem.

151 Secundum argum. nam si Christus D. sibi aliquid meruisset, potius venisset propter se, quam propter nos; sed hoc est falsum; iuxta illud. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, &c.* Et iuxta illud Isaiæ 9. *Puer datus est nobis.* Et Zachariæ 9. legitur. *Ecce Rex tuus, veniet tibi, &c.* Resp. quod reuera Filius Dei non assumpsit carnem humanam vt sibi aliquid mereretur, nec venit propter se, sed propter

nos. Cum quo tamen stat, quod Christus D. aliquid sibi meruerit vt homini, scilicet nominis exaltationem, corporis gloriam, &c.

§.VI. An Christus D. meruerit sibi dignitatem summi sacerdotij.

152 CErtum est Christum D. fuisse summum, & supremum sacerdotem, vt de eo cecinit Regius Propheta. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, pro quo nota 1. quod sacerdotis septem sunt officia. Primum est orare pro populo, quod impleuit Dominus, pernoctabat namque in oratione Dei Luc.6. orauit in resurrectione Lazari *Ioan*. 11. orauit in horto *Matt*. 26. orauit in cruce *Luca* 23. & *ad Hebreos* 5. Secundum munus sacerdotis est sacrificare, quod impleuit in cæna, & in cruce. Tertium sacerdotis munus est prędicare, quod impleuit Christus D. toto tempore suæ prædicationis. Quartum officium sacerdotis est regere populum, & contra hostes spirituales armare; quod impleuit Christus D. vnde *Isa*. 33. vocatur Rex, & Dux, & Dominus. Quintum munus est ducere populum in terram promissam cęlestis patriæ, quod fecit Christus iuxta sua verba. *Ego sum via, veritas, & vita, &c.* Ioan. 14. Sextum sacerdotis munus est iudicare de dubijs, ac difficilibus causis occurrentibus, quod passim faciebat Christus D. respondens Apostolis, Pharisæis, & populo. Septimum munus Sacerdotis est curam gerere animarum, more fidelis Pastoris, quod plenissimè præstitit Christus D. ponens animam suam pro ouibus suis, vt dixit *Ioan*. 10.

153 Nota 2. quod Christus D. fuit simul Sacerdos, & hostia, ad Ephes. 5. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis*. Et decernitur cap. *Sacerdos, de consecrat. dist*. 2. Nota 3. quod Christus D. non fuit Sacerdos legalis, non enim legitur, quod legis veteris sacrificia obtulerit, aut sacerdotis officium vsurpauerit, licet illis sacerdotibus honorem detulerit, mittendo ad eos quos à lepra curabat. *Matt*.8. *Marci* 1. *Luc*.5. Tum quia non erat de sacerdotali Tribu Leui, sed de Tribu Regali Iuda *Matt*.1.

154 Modo quæritur an Christus meruerit hanc dignitatem sacerdotalem nouæ legis, qua seipsum sacrificauit incruentè in cæna, & cruentè in cruce. Resp. negatiuè. Ratio est, quia hanc dignitatem accepit in instanti suæ conceptionis, vt quid consequens vnionem hypostaticam, ac proinde non cadens sub merito vt illa.

§.VII. An Christus D. sibi promeruerit dignitatem capitis.

155 PRo intelligentia nota 1. quod caput in humano corpore tria habet munera. Primum, quod toto corpori præsidet vt rector, & gubernator. Secundum, quod est perfectius membris cæteris, quia in ipso omnes sensus tam interiores, quàm exteriores complantantur, & vigent. Tertium, quod influit sensum, & motum in omnia membra. Hæc omnia habet Christus D. erga Ecclesiam, & cunctos fideles, vt constat. Conuenit Christo D. hæc capitis dignitas qua est homo Deus, debent enim caput, & membra eiusdem esse naturæ.

156 Nota 2. quod Christus est caput hominum, non solum quoad animas, sed etiam quoad corpora, tum quia etiam corpora sunt ad Dei cultum impendenda *Rom*.5. Tum quia corpora iuuant animas in multis actionibus pijs. Tum denique quia corpora sunt capacia resurrectionis, ac immortalitatis, & secundariò etiam gratiæ, & gloriæ cum animabus suis. *Rom*. 8. 1. *Cor*. 15 *Philip*.3. & alibi.

157 Modo quæritur an Christus D. sibi promeruerit hanc capitis dignitatem, & respondetur negatiuè. Ratio est, quia hæc consequitur vnionem hypostaticam, in eaque fundatur; ergo sicut non potest mereri vnio hypostatica, ita nec dignitas capitis. Idem dicendum de dignitate dominij, de qua dixi in meo tractatu *de iustitia, & iure*. Idem etiam puto dicendum de potestate excellentiæ ad facienda mira-

miracula, ad instituenda Sacramenta,&c. hæc enim sequitur vnionem hypostaticam, in eaque fundatur.

§.VIII. An Christus D. sibi promeruerit potestatem iudiciariam.

158 CErtum est, quod Christo D. conueniat iudiciaria potestas, Psal.2.95.& 97.& Ioan.5. vbi dicitur. *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio*. Licet enim iudiciaria potestas sit communis toti Trinitati, tamen quia Filius est sapientia Patris,& veritas ab ipso procedens, sequitur, quod cum in iudicio maximè veritas spectetur, quam dictat sapientia, ideo Filio, modo speciali tribuitur potestas iudiciaria. Vnde Pater per Filium tanquam per suam sapientiam iudicat, vt rectè dicatur, quod Pater ab æterno dedit omne iudicium Filio, vt in ipso sit ratio, & forma omnis iudicij, sicut per ipsum tanquam per sapientiam, omnia facta sunt *Ioan.* 1. Quocirca quando potestas iudicandi tribuitur Patri, aut Spiritui S. intelligi debet absolutè, vt conuenit toti Trinitati.

159 Verum non solum iudiciaria potestas conuenit Christo D. vt Deo, sed etiam vt homini, *Ioan.*5. *Actor.*10. *Rom.*2. tum ratione dignitatis, & officij cum sit caput Ecclesiæ, habens omne dominium, & iurisdictionē in vniuersum humanum genus. Tum quia homines per hominem iudicari conueniens erat, ne quærerent occasionem semet excusandi, eò ludit Apost. de Pontifice ex hominibus assumpto *Hebr.* 2. & 4. Tum quia Deus per Christum omnes suscitat, & viuificat, ergo etiā per ipsum omnes debet iudicare. Præterea, ne mali in iudicio viderent diuinitatem, sed tantum humanam Christi formam, in qua ipsum despexerunt. Ex quo infertur, quod principalis iudicandi auctoritas est, & manet in Sanctissima Trinitate; & secundaria, & quasi delegata tradita est Christo vt homini.

160 His positis conueniunt communiter Theologi, quod iudiciaria potestas conueniat Christo D. ratione gratiæ vnionis cum persona Verbi diuini, & vt est Rex regum, & Dominus dominantium. Regiam namque dignitatem sequitur iudiciaria potestas. Item conuenit Christo D. potestas iudiciaria ratione capitis, ex cuius plenitudine homines omnia bona accipiunt. Præterea etiam conuenit Christo D. ista potestas iudiciaria ratione gratiæ habitualis, qua omnes homines excellit, vt de ipso verè dici possit. *Spiritualis omnia iudicat, ipse verò à nemine iudicatur*.

161 Modo quæritur an etiam ista potestas iudiciaria conueniat Christo Dom. propter merita, quatenus re vera ipse eam meruerit. Ad quod resp. affirmatiuè, sic tenet S.D. infra q.59. art. 4. vbi sic dicit. *Si verò loquamur de Christo secundum naturam humanam, sic etiam manifestum est, quod omnes res humanæ subduntur eius iudicio, primò quidem si consideremus habitudinem animæ Christi ad Verbum Dei, &c. super omnia iudicium habet. Secundò apparet idem ex merito mortis eius, quia vt dicitur Rom.*14. *In hoc Christus mortuus est, & resurrexit, vt viuorum, & mortuorum dominetur, &c.* Videtur autem quod hæc potestas iudicandi data fuerit Christo D. post resurrectionem, vt colligitur ex illis verbis Matt.vlt. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*, seu iudicandi homines, & Angelos, vt enim probat S. D. loco citato *art.* 6. habet Christus D. potestatem iudiciariam iudicandi etiam Angelos. Vnde Danielis 7. dicitur. *Dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ seruient ei*. Dici etiam potestas, quod Christus D. non meruit hanc potestatem quasi in actu primo, prout hoc modò continebatur in vnione hypostatica. Meruit tamen eam in actu secundo, seu prout explicita est,& dicens ordinem ad exercitium.

DVBIVM VIII.

An Christus Dom. meruerit nobis aliquid.

172 HOc dubium proponit S.D. hic *art.*4. & respondet affirmatiuè, quod probat, quia in Christo D. fuit gratia non solum vt in homine singulari, sed vt in capite totius Ecclesiæ, cui vniuntur homines sicut capiti membra, ac proinde Christi D. meritum se extendit ad alios, sicut influxus capitis se extendit ad membra. Hoc declaratur simili desumpto ex corpore naturali ad cuius similitudinem Ecclesia dicitur corpus Mysticum, nam sicut in corpore naturali, v.g. in homine caput sentit sibi, & omnibus membris, sic in corpore mystico caput Christus debet mereri non solum sibi, sed etiã membris. Cæterum vt res ista clarè habeatur, pono sequentes §§.

§. I. *An Christus D. meruerit nobis remissionem debiti carendi omnibus auxilijs supernaturalibus.*

173 HOmo per peccatum Adami contraxit debitum carendi auxilijs gratiæ supernaturalis, vt notant Theologi communiter, ideo quærimus, an Christus D. meruerit nobis huius debiti remissionem. Petrus Abailardus, & Basus dixerunt, quod Christus D. nec huius debiti remissionem, nec quicquam aliud nobis meruit, quia non venit vt reparator per merita, & satisfactiones, sed venit solum vt Doctor, & Magister.

174 Vera sententia sequenti concl. explicatur, *Christus D. meruit nobis remissionem debiti carendi diuinis auxilijs.* Ratio clara est, nam si Christus D. non meruisset huius debiti extinctionem, non satisfecisset plenissimè pro nostris peccatis; hoc est falsum; ergo, &c. Minor nota est, nam Christi D. satisfactio non solum fuit de toto rigore iuris, sed etiam fuit superabundans, vt supra vidimus. Maior probatur, quoniam inter ea pro quibus Christus D. satisfecit, fuit debitum quod habebamus carendi diuinis auxilijs gratiæ, si enim hoc debitum non extinxisset, satisfactio nobis nil prodesset, cum non applicetur nobis nisi medijs diuinis auxilijs. Tum quia Christus D. meruit nobis ea omnia, quæ necessaria sunt ad nostram iustificationem, sed ad nostram iustificationem est necessaria remissio debiti carendi diuinis auxilijs; ergo, &c. Implicat namque quod quis iustificetur, & retineat debitum carendi diuinis auxilijs. Debitum namque carendi diuinis auxilijs fundatur in peccato; ergo implicat, quod tollatur peccatum, & maneat hoc debitum. Licet enim possit tolli peccatum actuale, & remanere debitum pœnæ luendæ vel in hac vita, vel in Purgatorio, non potest tamen tolli peccatum, & remanere debitum carendi diuinis auxilijs, cum hæc carentia, seu cum hoc debitum non solum sit ex peccato, sed etiam in peccato fundetur. Cæterum pæna est quidem ex peccato, sed in peccato non fundatur, cum possit esse eo deleto. Tum etiam quia Christus D. meruit nobis auxilia gratiæ siue vocantis, siue adiuuantis, ergo meruit nobis extinctionem debiti carendi dictis auxilijs. Conseq. constat, nam qui meretur formam, meretur extinctionem debiti carendi forma; ergo cum Christus D. meruit nobis dicta auxilia quę sunt quædam forma opposita eorum priuationi, seu carentiæ, meruit etiam extingitionem dictæ carentiæ.

§. II. *An Christus D meruerit nobis auxilia actualia, quæ præcedunt iustificationem.*

175 PRima sententia est, quod Christus D. meruerit quidem nobis gratiam iustificantem, remissionem peccatorum, aliaque dona supernaturalia, quæ ipsam gratiam iustificantem supponunt, non meruit tamen nobis fidem, neque alias dispositiones, quibus ad gratiã iustificantem præparamur. Hanc sententiam tenent Capreolus *in 3. dist.* 18. *art.* 2 *ad argum. Scoti*, *contra* 4. *conclus.* Ferrar.

4 con-

4. contra gent. cap.55.§.an autem. Driedo *de captiuitate, & redempt. generis humani tract. 2. cap. 2. p. 3. art. 4. & tract. 2. c. 2. p. 3. art. 4. & tract. 4. cap. 2. p. 8. membro 3.* Adamus *in epist. ad Philip.* & alij.

176 Vera sentētia seq. concl. explicatur. *Christus D. meruit nobis omnia auxilia, & dispositiones, quæ præcedunt iustificationem.* Sic tenet S.D. *supra q. 7. art 9.* quatenus dicit, quod gratia fuit data Christo D. tanquam vniuersali principio in genere habentium gratiam, cuius virtus extendit se ad omnes effectus, & operationes gratiæ. Quem sequuntur omnes Thomistæ, & Theologi hoc loco, vt testatur Cipullus *hic art. 4. dub. 1.* qui alios citat. Colligitur hæc conclusio ex illo Apostoli ad Ephes. 1. *Qui benedixit vos omni benedictione spiritali in Cælestibus in Christo.* Vbi notanda est illa particula *nos*, & *omni benedictione*, nam *nos*, supponit pro omnibus hominibus, etiam solam fidem habentibus, imò etiam pro illis qui neque fidem habent, quibus, Christus benedixit, cum eos per auxilia gratiæ ad fidem, & iustificationem præparat. Vnde S.D. *supra q. 8. art. 3.* agnoscit influxum Christi D. in omnes homines. Et de *veritate art. 7. ad 10.* tribuit meritis Christi D. etiam illa auxilia quæ dantur ad resistendum tentationibus, & communiter Patres docent quod ex Christi D. meritis datur quodcumq; bonum conducens ad vitam æternam.

177 Ad hoc etiam facit illud Christi D. Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere*, conducens ad vitam æternam. Vnde S.P.Aug. tract. 81. in Ioan. dicit. *Non ait, quia sine me parum potestis facere, sed nihil potestis facere. Siue ergo parum, siue multum, sine illo fine non potest, sine quo nihil fieri potest.* Facit etiam doctrina Concil. Trident. sess. 6. cap. 5. vbi dicitur. *Declarat præterea ipsius iustificationis exordium in adultis à Deo per Christum Iesum, præueniente gratia sumendum esse, hoc est ab eius vocatione, qui nullis eorum existentibus meritis vocantur, vt qui per peccatum à Deo auersi erant, per eius existentem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratia liberè assentiendo, & cooperando disponantur.*

178 Probatur 1. nam Christi D. redemptio fuit perfecta, & copiosa, iuxta illud. *Copiosa apud Deum redemptio*, ergo meruit nobis omnia auxilia actualia quibus ad iustificationem disponimur. Conseq. probatur, nam si Christus D. non meruisset nobis dicta auxilia, eius redemptio non esset copiosa, & perfecta, nam negari non potest, quin dicta auxilia non pertineant ad perfectam, & copiosam redemptionem; nullus namque adultus recipit gratiam iustificantem, nisi medijs dictis auxilijs, & dispositionibus.

179 Probatur 2. Christus D. meruit nobis nostram prædestinationem, ex Apostolo ad Ephes. 1. *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum, per Iesum Christum*; ergo etiam meruit nobis auxilia gratiæ quibus ad iustificationem disponimur, & præparamur. Antecedens est de fide, conseq. probatur, quoniam ad prædestinationem pertinent etiam auxilia quibus disponimur ad iustificationem, & ad vitę æternæ consecutionem, cū enim illa auxilia sint beneficia quibus certissimè liberantur quicumque liberantur, debent ad prædestinationem pertinere.

180 Probatur 3. nam ad idem agens pertinet introducere formam, & dispositiones ad illam disponentes, & præparantes, vt patet in physicis, nam ignis non aliter introducit formam suam in lignum, nisi ipsum lignum prius præparando, & disponendo per dispositiones præuias, & non ob aliam rationem, nisi quia ad idem agens pertinet introducere formam, & dispositiones ad illam; ergo etiam in moralibus ad idem agens pertinebit introducere formam, & illius dispositiones. Et sic cum Christus D. sit agens perfectissimum, ad ipsum pertinebit per sua merita introducere gratiam iustificantem in animam, & dispositiones illius, scilicet dicta auxilia. Soluuntur argum. in contrarium.

181 Primum argum. nam Christus D. non promeruit nobis ea, quæ nobis sunt neces-

necessaria vt viuamus secundum rectam rationem, sed dicta auxilia, sicut etiam fides, & spes sunt hoc modo necessaria; ergo Christus D. ea nobis non promeruit. Maior nota est, hæc enim nobis dantur à Deo, vt naturæ auctore. Minor probatur, quia dicta auxilia dantur etiam infidelibus vt viuant secundum rectam rationem; ergo, &c. Resp. negando minorem. Licet enim Christus D. non meruerit nobis ea, quæ sunt purè naturalia, & necessaria ad viuendum secundum rectam rationem purè naturalem, tamen meruit ea quæ sunt conducentia ad vitā æternam secundum se. Vt sunt auxilia supernaturalia, quæ etiam quandoque conceduntur infidelibus, in ordine ad eorum conuersionem.

182 Secundum argum. quoniam in omnium sententia Christus D. id tantum nobis promeruit, quod in Adamo perdidimus, sed in Adamo non perdidimus fidem, & spem; ergo, &c. Maior constat. In tantum enim Christus dicitur nos redemisse, inquantum restituit id quod amiseramus. Minor probatur, nam Adam non peccauit contra fidem, nec contra spem, vt omnes tradunt, aliàs peccasset peccato hæresis, & desperationis; ergo, &c. Resp. quod Christus D. plus nobis promeruit quam perdidimus in Adamo, iuxta illud Apost. Rom. 5. *Non sicut delictum, ita & donum*. Deinde dico, quod licet Adam sibi non perdiderit fidem, & spem vt personæ particulari, nobis tamen ea perdidit, nam perdendo nobis iustitiā originalem, simul perdidit fidem, spem, & cuncta dona supernaturalia, constituēdo nos taliter reos apud Deum vt essemus indigni quolibet bono supernaturali.

183 Tertium argum. nam si Christus D. nobis promeruisset dicta auxilia, fidem, spem, &c. iam non essent amplius gratiæ, cum essent debita ex meritis Christi, & falsò dicerentur nobis dari ex gratuita Dei liberalitate; ergo, &c. Resp. non esse gratias respectu meritorum Christi, sed esse præmia; tamen respectu nostri sunt gratiæ, non præmia, non debita.

184 Quartum argum. nam Christus D. nobis non promeruit ea, quæ etiam habuissemus si Verbum non venisset; sed dicta auxilia habuissemus etiam si Verbū non venisset; ergo non promeruit ea nobis. Resp. quod si Verbum non venisset, nescimus quid nobis Deus dedisset. Deinde dico, quod sicut tunc gratis nobis dedisset illa auxilia, etiam modo, quod enim Christus D. meruerit illa, non tollitur quin gratis nobis concedantur.

§. III. *An Christus D. meruerit nobis remissionem peccatorum.*

185 VEritas catholica sequenti cōclus. explicatur. *Christus D. meruit nobis remissionem omnium peccatorum*. Hæc concl. est de fide. Constat ex illo Isa. 53. *Posuit in eo Dominus iniquitates omnium nostrum*. Et 1. Ioan. 2. dicitur *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*. Idem habetur ad Rom. 3. & alibi. Ratio est, quia Christus D. non redemisset nos, si nos à nostris peccatis non liberasset, seu si non meruisset nostrorum peccatorum remissionem.

186 Sed obijcies 1. nam vel Christus D. meruit omnibus peccatorum remissionem, vel non. Non primum, quia non omnes eam obtinent. Neque secundum, quia non est maior ratio de omnibus, ac de aliquibus, maximè cum esset vniuersalis redemptor; ergo &c. Resp. quod Christus D. quantum ad sufficientiam meruit omnibus peccatorum remissionem, non tamen quantum ad efficaciam; hoc enim modo illis solis meruit qui eam consequuntur, seu pro quibus voluit specialiter suum meritum applicare, hac intentione vt infallibiliter talem remissionem consequantur.

187 Dices sequi ex hoc quod in Christo D. esset acceptatio personarum, nam aliquibus voluit specialiter suum meritum applicare vt infallibiliter consequantur suorum peccatorum remissionē, non alijs. Resp. negando sequelam, quia acceptatio personarum non habet lo-

locum in gratuitis, seu in gratijs, aut ijs quæ liberaliter conceduntur. Colligitur ex illo Matt.18. *Numquid non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Tolle quod tuum est, & vade.* Acceptio ergo personarum non habet locum in gratuitis, vt in efficaci applicatione meritorum Christi; sed habet locum in ijs quæ debentur ex iustitia. Vnde tunc Deus esset acceptator personarum, si non concederet gloriam illi, qui eam meruit, sed daret alteri, qui eam non meruit.

188 Obijcies 2. nam si Christus D. meruisset nobis remissionem peccatorũ, non esset necesse, quod homo reciperet Sacramenta, vt eam obtineat, sed hoc est falsum; ergo, &c. Maior probatur, nam si Christus D. meruisset nobis remissionem peccatorum, non esset necesse ponere nostra opera, sed sufficeret applicare nobis Christi meritum. Resp. quod Christus D. meruit nobis remissionem peccatorum tanquam causa veluti vniuersalis, quæ vt suum producat effectum indiget limitari, seu applicari à causa particulari. Fit autem hæc applicatio meritorum Christi maximè per Sacramenta, quæ sunt instrumenta eiusdem Christi, quibus sua applicat merita nobis. Sunt veluti quædam vehibula virtutis Christi D. quibus defertur ad nos eiusdem meritum, &c.

§. IV. An Christus D. meruerit nobis remissionem pœnarum, nostris peccatis debitarum.

189 VEritas catholica sequenti cõclus. explicatur. *Christus D. meruit nobis remissionem omnium pœnarũ, nostris peccatis debitarum.* Colligitur ex Apostolo ad Ephes.1. vbi dicit. *Gratificauit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, secundum diuitias gratiæ suæ; quæ superabundauit in nobis.* Non superabundasset autem, nisi etiam pœnas peccatis debitas abstulisset. Quantum ad pœnam æternam peccatis mortalibus debitam, res clara est; pœna namque æterna tollitur per ablationem, seu remissionem peccati, ac proinde cum Christus D. meruerit remissionem nostrorum peccatorum, vt §. præcedenti visum est, sequitur, quod etiam meruerit remissionem pœnæ æternæ.

190 Probatur conclus. vniuersaliter, nam Christus D. taliter meruit remissionem peccatorum, vt per eam reddamur capaces gloriæ æternæ, sed non redimur capaces gloriæ æternæ nisi per ablationem omnis pœnæ; ergo omnis debet esse ablata ex Christi meritis; quod intellige quantum ad sufficientiam, nam quantum ad efficaciam solis illis ablata est, quibus Christus D. specialiter applicuit sua merita, vel per Sacramenta, vel per indulgentias, vel per opera pœnalia in gratia facta. Tum quia illud Christus D. nobis promeruit, quod pœnæ remissionem facit ex eiusdem Christi D. meritis, sed tam Sacramenta, quam indulgentiæ, pœnæ remissionem faciunt ex meritis Christi; ergo. De Sacramentis patet, nam sunt instrumenta, quæ habent vim ex meritis Christi. De indulgentijs etiam patet, nam fiunt ex thesauro Ecclesiæ, qui potissimè constat est meritis Christi D. vt habetur ex extrauag. *Vnigenitus, de pænit. & remission.*

§. V. An Christus D. meruerit nobis gratiam iustificantem, & vitam æternam.

191 VEritas catholica seq. conclus. explicatur. *Christus D. meruit nobis gratiam iustificantem, seu sanctificantem, ac subinde vitam æternam.* Sic docet Apostolus Rom.3. dicens. *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu.* Per gratiam scilicet iustificantem, quæ est ius ad gloriam. Et ad Ephes.1. dicitur. *Gratificans nos in dilecto Filio suo*, idest gratos nos faciens, quod fit per gratiam iustificantem. Hinc Christus D. in sacra Scriptura vocatur Saluator, redemptor, iustificator, &c. vocatur Rex gloriæ, Dominus.

minus gloriæ, &c. Quocirca in Tridentino sess.6. cap. 16. dicitur. *Vitam æternam esse bene vsque in finem operantibus proponendam, tanquam per Iesum Christũ misericorditer promissam, &c.* Promisit autem Pater se nobis daturum quod eius Filius nobis promeruit.

192 Sed obijcies 1. nam iustificatio nostra tribuitur Christi D. resurrectioni; sed Christus D. post resurrectionem non meruit; ergo Christus D. non meruit nobis nostram iustificationem, seu gratiam iustificantem. Minor nota est. Maior constat ex illo Apost. Rom. 4. *Resurrexit propter iustificationem nostram.* Resp. quod nostra iustificatio tribuitur resurrectioni non tanquam causæ meritoriæ, sed tanquam causæ exemplari, quatenus Christus D. sua resurrectione dedit nobis exẽplum vt à morte peccati resurgamus in nouitatem spiritus, ad quod faciendum nos hortatur idem Apostolus *cap.6. eiusdem epist.*

193 Obijcies 2. nam si Christus D. meruisset nobis nostram iustificationem, seu gratiam iustificantem, debuisset nobis hanc plenariè meruisse; sed non meruit; ergo, &c. Minor probatur, nam iustificatio plenaria non stat cum reatu pœnæ, sed Christus D. non meruit nobis remissionem huius reatus; ergo. Minor probatur, nam frustra homines paterentur in hoc mundo, & in Purgatorio, ergo, &c. Resp. quod meruit plenissimè quoad sufficientiam, licet non omnibus quoad efficaciam; fit autẽ remissio pœnæ quoad efficaciam per pænalitates, per Sacramenta, per indulgentias; vt supra vidimus.

194 Obijcies 3. nam si Christus D. meruisset nobis gratiam iustificantem, vel eam nobis meruisset immediatè, vel mediatè; neutro modo eam meruit; ergo nullo modo. Minor probatur, non meruit immediatè quia eo modo eam meruit, quo datur; sed adultis non datur immediatè, sed mediante gratia actuali qua homo ad gratiam habitualem disponitur; ergo, &c. Neque mediatè, quia videtur incongruum, quod gratia sanctificans solum mediatè cadat sub merito. Resp. quod Christus D. meruit nobis gratiam iustificantem immediatè, & principalius. Maximè quia in sententia D. Thomæ, & nostra, dispositio ad gratiam licet præcedat eam in genere causæ materialis dispositiuæ, tamen in genere causæ efficientis, & formalis prius gratia conceditur, vt fusè explico in meo tract. de iustificatione.

§. VI. *An Christus D. meruerit nobis etiam ea dona quæ nobis dantur post iustificationem.*

195 Post instificationem plura nobis dona conceduntur, vt augmentum gratiæ, perseuerantia in eadem gratia, auxilia gratiæ ad operandum bene, ad satisfaciendum, &c. Certum est, quod prædicta dona Christus D. nobis aliquo modo promeruit saltem mediatè, cum illa dona gratiam sanctificantem consequantur, & in ipsa quasi in virtute contineantur, cum ad illa aliquod ius conferat, quandiu ipsa manet in anima. Quandiu namq; anima manet in gratia, confert quoddam ius ad sui augmentũ per opera ex ea facta, confert quoddam ius ad auxilia, quibus gratia vtamur, &c. Vnde difficultas procedit, an cadant sub merito immediatè, quatenus Christus D. ea nobis per se, & immediatè promeruit.

196 Communis sententia sequent concl. explicatur. *Christus D. immediatè, & per se nobis promeruit omnia dona gratiæ, quæ nostrã iustificationem consequuntur.* Colligitur hæc concl. ex Tridentino sess.6. cap.16. vbi dicitur. *Cum enim ille ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat, quæ Christus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possunt.* Hanc veritatem quoad augmentum gratiæ, & charitatis apertè docet Apostolus ad Ephes.4. dicens. *Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.*

stus. Et post aliqua subdit. *In mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis fecit, in ædificationem*. Quoad alia dona colligitur concl. ex eadem *Epist. cap.* 2. vbi iusti, vocantur *factura Dei, creati in Christo Iesu, in bonis operibus*, quæ scilicet faciunt ex auxilio gratiæ. Ratio à priori est, quia cum Christus D. sit caput perfectissimum, oportet, quod nullus detur influxus in membra, qui ab isto capite non descendat. Quod explicat illud dictum eiusdem Christi D. *Ego sum vitis, vos palmites*. Ioan. 6. & quod *sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi in vitæ manserit, ita, & vos, &c.*

196 Sed obijcies 1. nam quod est alicui debitum, non datur ex merito, sed dicta dona debentur homini in gratia existenti, ergo non dantur ex merito. Maior constat. Minor probatur, nam auxilia ad operandum in eo qui est in gratia sunt debita debito cõnaturalitatis eidem gratiæ, & charitati, cum enim habitus operatiui, vt charitas, dentur ad operandum, reposcunt auxilia ad hoc ipsum; ergo, &c. Resp. quod gratiæ, & charitati debentur quædam auxilia vagè, debito connaturalitatis, non tamen ista, vel illa determinatè, in hac occasione, aut in illa, in hac, aut in illa intensione. Illa priora cadunt sub merito quasi secundariò, & mediatè, scilicet ratione gratiæ, & charitatis. At ista alia cadunt sub merito immediatè, & primariò.

197 Obijcies 2. nam actus bonus, & honestus bonitate, & honestate supernaturali, non est meritorius ex meritis Christi, sed ex se, quando est elicitus ab existente in gratia sanctificante; & tamen est donum post iustificationem, ergo falsum est, quod omnia dona collata post iustificationem sint ex meritis Christi. Maior probatur, nam opera bona ex gratia facta ab existente in gratia, sunt ex se meritoria præmij supernaturalis; ergo, &c. Resp. negando maiorem, omnia namque opera nostra in gratia, & ex gratia facta habent, quod sint meritoria ex meritis Christi. Licet enim secundum se sint idonea ad merendum, non tamen sunt actu meritoria nisi ex meritis Christi, per quæ à Deo acceptantur ad prẹmium, & ad prẹmium ordinantur.

§. VII. *An Christus D. meruerit nobis efficacem applicationem suorum meritorum.*

198 Prima sentẽtia negat hoc Christi D. meritum, & dicit, quod Christus D. solum meruit nobis gratiam sufficientem, vt nos consequamur gratiam, & gloriam, nisi ex parte nostra ei desimus; vnde Deus ex parte sua, nobis eam gratiam confert ex affectu, ex desiderio nostræ salutis, cupiens eam nobis esse efficacem. Sic tenent aliqui moderni.

199 Nostra sententia sequentibus concl. explicatur. Prima concl. *Christus D. non solum meruit nobis auxilia sufficientia ad gratiam iustificantem, ad perseuerandum in gratia, & ad consequendam gloriam per bona opera, sed etiam meruit auxilia efficacia ad illa, omnibus illis, quibus de facto applicantur*. Vnde qui iustificatur, qui bene operatur, qui perseuerat in gratia, qui gloriam consequitur ex hoc habet, quia Christus D. efficaciter applicuit sua merita ad illos effectus consequendos medijs diuinæ gratiæ. Colligitur ex Sacra Scriptura, Actorum 4. dicitur. *Non est aliud nomen sub Sole, in quo oporteat nos saluos fieri*. Ex quo colligitur, quod qui de facto iustificatur, qui de facto perseuerat, &c. hoc totum habet ex meritis Christi. Hinc in Sacra Scriptura Christus D. vocatur ostium per quod quis ingreditur. Vocatur clauis Dauid quæ apperit viam salutis. Vocatur via per quam itur ad Patrem, &c. Ad quod facit, quod ipse Christus D. dixit. *Sine me, nihil potestis facere*.

200 Ratio à priori est, quia Christus D. meruit omnibus auxilia sufficientia, hæc enim nemini denegantur; ergo etiam meruit auxilia efficacia, illis quibus dantur, ac proinde Christus D. meruit illis efficacem suorum meritorum applicationem, quibus actu conferuntur dicta dona:

Aliàs non cuncta dona supernaturalia essent ex meritis Christi. Hinc orat Ecclesia in Dominica Sanctissimæ Trinitatis. *Deus in te sperantium fortitudo, adesto propitius inuocationibus nostris; & quia sine te nihil potest mortalis infirmitas, præsta auxilium gratiæ tuæ; vt in exequendis mandatis tuis, & voluntate tibi, & actione placeamus. Per Dominum nostrum Iesum Christum.* Vbi Ecclesia per merita Christi, postulat efficax auxilium gratiæ, non vt possimus voluntate, & opere placere Deo, sed vt actu placeamus.

201 Secunda concl. *Christus D. meruit suorum meritorum efficacem applicationem illis qui actu perseuerant. Seu actualis perseuerantia est ex efficaci meritorũ Christi applicatione*: Vnde qui perseuerant, ex Christi meritis perseuerant. Colligitur hæc concl. ex illa oratione, & postulatione Christi D. ad Patrem Ioann. 17. *Pater sancte, serua eos, quos dedisti mihi. Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo.* Et *Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum.*

202 Sed quæres 1. an efficax meritorum Christi applicatio fiat ex sola misericordia Dei, applicantis meritũ Christi, absque vllo actu voluntatis Christi D. explicito applicante efficaciter sua merita huic, aut illi. An verò ista applicatio fiat ex speciali actu Christi quo efficaciter petit à Patre, suorum meritorum applicationem? Resp. quod ante incarnationem, non fiebat illa applicatio per actum specialem Christi D. cum adhuc non esset, nisi in præuisione. Cæterum post incarnationem, ista applicatio facta est ex speciali actu Christi D. quo efficaciter petijt à Patre talem applicationem, colligitur apertè ex testimonijs nu. præcedenti relatis. *Pater sancte serua eos, quos dedisti mihi, &c.* Puto etiam, quod modo Christus D. in cælo roget Patrem, vt faciat illis suorum meritorum applicationem efficacem.

203 Quæres 2. an efficax Christi D. meritorum applicatio fiat eodem modo, an diuersimodè? Resp. quod diuersimodè applicantur, iustis reprobis applicantur efficaciter quantum ad gratiam quã temporaliter habent, & alia dona, non quantum ad perseuerantiam, & gloriam æternam. At quantum ad prædestinatos efficaciter applicantur quantum ad perseuerantiam, quantum ad gloriam, & quantum ad alia dona, siue interrumpantur, siue non.

DVBIVM IX.

An gratia, & gloria Angelis collata, fuerit ex Christi D. meritis, vbi de gratia primis parentibus concessa.

204 CErtum est, quod Angeli ex Christi D. meritis habuerunt, & habent plures illuminationes, illustrationes, & plura alia dona, quæ continuè in eos influit, vt caput in membra. Difficultas est de gratia, & gloria essentiali, de qua prima sententia est, quod Angeli fuerit consecuti gratiam, & gloriam ex meritis Christi D. Sic tenent Catharinus *in lib. de gloria Angelorum, & in libro de eximia Christi prædestinatione*. Galatinus *lib. 3. de arcanis cap. 4.* Viguerius *in instit. cap. 3. §. 2. & cap. 2. §. 1.* Suarez *disp. 42. sect. 1.* Cabrera *q. 8. art. 4. disp. vnica*, Isambert. *ad q. 19. disp. 5. art. 1.* & videtur sententia D. Thomæ *in Ioan. lect. 10.* & Caiet. *q. 7. art. 11.*

205 Secunda sententia est, quod nec gratia, nec gloria fuerit Angelis collata ex meritis Christi. Ita S. Doctor *de verit. q. 29. art. 4. ad 5. & art. 7. ad 5. & in 3. dist. 13. q. 2. art. 2.* D. Bonau. *in 3. dist. 13. art. 2. q. 3.* Palud. *q. 1. art. 2.* Durand. ibid. Driedo *de captiuit. tract. 2. cap. 2. p. 3.* Vasq. *disp. 49. cap. 2.* Lorca *disp. 76.* Lugo *disp. 27. sect. 3.* dicens hanc esse communem sententiam omnium Theologorum. Hanc sententiam probabilem vocat M. Orlandus *disp. 7. q. 3. n. 26.* licet oppositum vocet probabiliorem.

206 Nostra sententia duabus concl. explicatur. Prima concl. *Gratia, & gloria essentialis vt primo fuerũt concessa Angelis, non fuerunt ex meritis Christi.* Hanc con-

conclusionem docent omnes auctores secundæ sententiæ. Constat ex dictis supra quod Verbum D. non assumpsisset carnem humanam, si Adam non peccasset. Si autem Angeli habuissent gratiam, & gloriam ex meritis Christi, debuisset venire tametsi Adam non peccasset, vt patet.

207 Probatur 1. auctoritatibus Sacræ Scripturæ. Primò ex parabola illa Christi D. *Matt.*18.*&* *Luc.*15. de Pastore qui reliquit nonaginta nouem oues in deserto, & venit quærere vnam quam perdiderat. Hanc parabolam hoc modo explicant communiter Sancti Patres vt per Pastorem intelligant Christum Dom. qui vt saluaret humanam naturam per peccatum primi parentis perditam, reliquit naturam Angelicam. Per quod patenter significatur, quod Christus D. nihil primæ gratiæ, & gloriæ essentialis primò datę meruit Angelis, sed tantum hominibus, alioquin si tam Angelis quam hominibus gratiam, & gloriam meruisset, non diceretur reliquisse Angelos, sed eos quæsiuisse, sicut hoc modo quæsiuit hominem.

208 Occurrit Orlandus, quod ex hac parabola solum habetur, quod Christus D. non venit ad redimendos Angelos, sed tantum homines. Rursus, quod principalis finis incarnationis fuerit quærere homines, non sanctificare Angelos, quod non tollit, quominus secundariò, & minus principaliter venerit ad sanctificandos Angelos. Sed contra, nam quid est aliud Verbum diuinum venisse ad redimendos homines, quam venisse ad merendum eis gratiam qua peccata illis dimittantur, & saluentur; ergo si Verbum venit etiam ad merendam gratiam Angelis, quantum ad hoc venit ad eos redimendos. Deinde dato, quod aliud sit redimere, & gratiam mereri, cum tam hominibus, quam Angelis gratiam fuerit promeritus, sequitur, quod quantum ad hoc homines, & Angeli æquiparentur, ac proinde quod omnes æqualiter sint quæsiti. Præterea, quomodo dicis, quod Verbum diuinum venit secundariò ad sanctificandos Angelos, cum dicas supra *disp.* 3. *q.*3. quod Adamo non peccante non fuisset futura incarnatio, ex vi decreti quod Deus de facto habuit circa illam? Si namque decretum incarnationis fuit post pręuisionem peccati, & Angeli fuerunt ante hoc decretum creati in gratia, sequitur, quod ante decretum incarnationis fuerint Angeli creati in gratia, ac proinde quod gratiam habuerint independenter ab incarnatione, & sic non ex meritis Christi neque secundariò, & minus principaliter.

209 Secundum Sacræ Scripturæ testimonium desumitur ex illo Apostol. ad Hebræos 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ*, ex quo infertur, quod solis hominibus meruit, non Angelis. Illis enim meruit, cuius semen apprehendit. Occurrit idem Orlandus, quod per apprehendere denotatur Verbum diuinũ solum assumpsisse naturam humanam, non Angelicam; vel denotatur, quod non venit ad redimendos Angelos, sed tantum homines, vt finis principalis. Sed contra, nam licet verum sit quod apprehendere denotat assumere naturam humanam, tamen negari non potest, quod ex hoc non colligatur, quod nihil meruerit Angelis; cum enim ad merendum venerit, sequitur, quod illi naturæ meruit ob quam venit, cum illa quam non assumpsit suo pijssimo aduentu non eguerit; hoc enim videtur significare Apostolus in illis verbis.

210 Tertium sacrę scripturæ testimonium sumitur ex eodem Apostolo capite citato, scilicet: *Qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes, propter quam causam non confunditur fratres eos vocare dicens, nũciabo nomen tuum fratribus meis.* Vbi apertè docetur, quod qui per Christum sanctificantur, omnes sunt ex vno, scilicet Adamo, ac proinde per Apostolum illi soli sanctificantur qui sunt ex vno Adamo. Vnde hos solos, non Angelos vocat fratres.

211 Occurrit idem Orlandus, quod illud *ex vno omnes*, non intelligitur de vno Adamo, sed ex vno Deo, & ita etiã Angeli comprehenduntur; vel si intelligi-

tur de vno Adamo, exponendum est non de quacumque sanctificatione, sed de illa quę est per modum redemptionis, hac enim soli homines sunt sanctificati, non Angeli. Sed contra, quia ly *ex vno omnes* non potest intelligi de Deo, vt denotant sequentia verba. *Propter quam causam non cōfunditur fratres eos vocare, dicens, nūciabo nomen tuum fratribus meis*, patet autem quod Angelos nec vocat Christus D. fratres, nec illis nomē Dei nunciauit. Neque alia responsio satisfacit, nam Christus D. nullum sanctificat nisi per gratiam redemptiuam, quod maximè verum est in sententia illius auctoris, cum Christus D. ex vi præsentis decreti non venerit nisi vt redemptor, cum si Adam non peccasset non venisset.

212 Quartum sacræ scripturæ testimonium est illa conseq. Apostoli 2 Cor. 1. *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*; vbi Apostolus planè indicat, quod solum pro mortuis in Adamo, mortuus est. Sed Angeli non sunt mortui in Adamo, ergo pro illis mortuus non est; ac proinde nihil his promeruit, solum enim pro illis meruit pro quibus mortuus est.

213 Respondet Orlandus, quod Christus D. non fuit mortuus pro Angelis sicut neque pro se ipso, quamuis sua morte sibi, & Angelis profuerit. Sed contra, quia Christus D. non meruit nec gloriam nec gratiam nisi per mortem, ergo si pro Angelis mortuus non est, non illis meruit gratiam, & gloriam. Nec verum est, quod Christus D. non fuerit mortuus pro se, aliàs nihil sibi per mortem meruisset; nullus namque negabit, quod mors Christi non etiam sibi profuerit, cum etiam sibi permeruerit. Sed agamus rationibus.

214 Prima ratio, quoniam si Christus D. promeruisset Angelis gratiam, & gloriam, debuisset ingredi cælum ante illos, sicut illud fuit ingressus ante Patres antiqui testamenti; sed hoc est falsum, cum constet Angelos fuisse in cælo ante ingressum Christi. Minor nota est, nam si tam Patres veteris testamenti, quam Angeli habuerunt gratiam æquè ac Angeli, imò illi primario, & magis principaliter quam isti; quorsum illi debuerunt detineri in Limbo tanto tempore, non Angeli. Numquid Angelis plus meruit quam sanctis Patribus? numquid Angelis fuit magis liberalis quam dictis Patribus? præsertim illis ex quibus descendebat secundum carnem, & quos Patres vocabat, eorumque Filius dicebatur. Tum quia videtur valde inconueniens, quod serui ingrediantur gloriam, & cælum ante regem gloriæ. Tum etiam quia si Angeli habuissent gratiam, & gloriam ex meritis Christi hoc sciuissent, ac proinde non fuissent noui in ipso Christi ingressu ad cælum, quam nouitatem describit psalmista psal. 23. vbi Angeli qui erant in cælo interrogabant illos qui cum Christo ascendebant. *Quis est iste rex gloriæ, &c.*

215 Occurrit Ilambertus, quod in Angelis nullum erat obstaculum quin à principio fruerentur gloria, at in sanctis Patribus erat, quia cælum aperiendum erat post peccati originalis destructionem. Sed contra, nam iam peccatum originale erat destructum in sanctis Patribus per gratiam sibi datam ex meritis Christi, ergo hoc obstaculum in illis non erat, neque nullum aliud pecatum in illis erat, neque pena aliqua luenda, cum omnis pæna lueretur ante ingressum in Limbum, ergo, &c. Ideo ergo sancti Patres detinebantur in Limbo vsque ad mortem Christi, non quia in sanctis Patribus esset aliquod impedimentum ad gloriam, sed quia cælum non debebat aperiri ante ingressum ipsius regis gloriæ, ipsius Principis, & capitis omnium per se ipsum prædestinatorum, seu omnium habentium gratiam per ipsum.

216 Secunda ratio, nam non decebat, quod illi ingrederentur cælestem hæreditatem ante Christum D. verum Dei Filium naturalem, qui erant solum filij adoptiui per gratiam ipsius Filij Dei naturalis: ergo, &c. Antecedens probatur, nam indecorum est, quod filius adoptiuus consequatur, & adeat hæreditatem antequam illam adeat filius naturalis. Indecorum est, quod filius naturalis exulet

sine

sine causa, & filius adoptiuus fruatur hæreditate; filiatio namque adoptiua, est in subsidium filiationis naturalis.

217 Occurrit Isambertus, quod tunc solum filius naturalis debet prius adire hæreditatem, quando existit in rerum natura, at Christus D. quatenus homo qua ratione meruit gratiam, & gloriam Angelis non existit quando Angeli in gratia fuerũt creati. Sed contra, quia hoc modo etiam S. Patres debebant frui hæreditate ac Angeli cum non essent minus filij adoptiui, ac illi, & gratiam adoptiuam ab eo receperint ac Angeli; ergo &c. Tum quia nullus assumit hæreditatem vt filius adoptiuus antequam existat naturalis, quando certò scit, quod habebit filium naturalem; sed Deus hoc sciebat; ergo &c.

218 Tertia ratio, nam Christus D. non meruit ea quæ consequuntur donum creationis eleuatæ, sed gratia sanctificans Angelis, & primis parentibus collata est huiusmodi, ergo non cadit sub merito Christi D. Maior nota est, quod enim ex vi alterius consequitur, non meretur, cum naturali sequela habeatur. Minor probatur, tum ex illo Ecclesiastici 7. *Deus fecit hominem rectum.* Et ex illo Gen. 1. *Faciamus hominem, ad imaginem, & similitudinem nostram*, imago autem, & similitudo totius Trinitatis, non potest non esse quid supernaturale ex creatione consecutum. Tum quia tam Angeli, quam primi parentes sunt creati ad finem supernaturalem, ac proinde debuerunt habere gratiam eleuationi correspondentẽ; ergo, &c.

219 Respondet Isambertus, quod sola naturalia pertinent ad donum creationis, ac proinde gratia non consequitur ad creationem, naturali sequela, sed omnino gratis fuit concessa, ac proinde potuit cadere sub meritis Christi D. Sed contra, nam licet creatio rei puri ordinis naturalis, & omnia quæ ad eam hoc modo consequuntur pertineant ad ordinem naturalem, & sint purè naturalia, tamen creatio rei eleuatæ ad ordinem supernaturalem, & ea quæ hoc modo ad eam consequuntur, non possunt esse naturalia, sed debent esse ordinis supernaturalis; ergo non possunt vt sic cadere sub merito. Creatio autem Angelorum, & primorum Parentum, est creatio naturarum eleuatarum ad finem supernaturalẽ, ac proinde gratia, quæ hoc modo ad illas naturas vt sic eleuatas consequitur erit ordinis supernaturalis, ac proinde non cadens sub merito.

220 Quarta ratio, nam si primus Parens (& idem est de Angelis) in statu innocentiæ habuisset gratiam ex meritis Christi, debuisset hoc scire à principio; sed nesciuit; ergo, &c. Maior constat, quia non videtur probabile, quod Adam à principio suæ formationis fuerit iustificatus ex meritis Christi absque fide explicita eiusdem Christi. Vt enim communiter docent Sancti Patres, & Theologi, Adam fuit iustificatus per propriam dispositionem, & per modum adulti, & non per modum paruuli; potissima autem dispositio ad gratiam est fides, cum sine fide impossibile sit placere Deo. Minor probatur, nam Sancti Patres docent, quod Adam habuit reuelationem Christi, & totius mysterij incarnationis, non cum primò formatus fuit, sed quando Deus immisit illi soporem, seu extasim, & extracta ab eo costa, formauit mulierem. Vnde expergefactus, videns illam mulierem dixit. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*; quem locum referens Apostolus ad Ephes. 5. dicit, hoc fuisse magnum mysterium, Christi, & Ecclesiæ, &c.

221 Occurrit idem Isambertus, quod reuera primus Parens fuit primò iustificatus per proprios actus, vt docet S. Doctor 1. *p. q.* 95. *art.* 1. *ad* 5. Suarez *de opere* 6. *dierum lib.* 3. *de creatione hominis cap.* 19. non tamen inquit, tunc Adam habuit fidem explicitam incarnationis, sed solum implicitam, quæ aliquando sufficit ad iustificationem, vt patet de Cornelio *Act.* 10. Et sic primus parens habuit fidem implicitam cum fuit primò iustificatus, & postea explicitam cum dixit. *Hoc nunc os, ex ossibus meis, &c.*

222 Sed contra, nam licet adulti in lege

lege veteri possent iustificari per solam fidem implicitam, vt aliqui volunt, tamen communiter hoc negatur, nam etiam Sacramentũ naturæ pro iustificandis paruulis ante institutionem circumcisionis, sanctificabat in fide Christi venturi, ac proinde multo magis in hac fide debebant iustificari adulti. Tum quia licet minores non tenerentur habere fidem Christi explicitam, tamen maiores, qui erant aliorum Doctores, & Magistri, qui debebant alios docere, instruere de Sacramentorũ administratione, &c. debebant fidem Christi explicitam habere, vt post alios trado in meo tract. de fide; sed Adam fuit à Deo formatus vt esset etiam Doctor, & Magister totius generis humani, vt alios doceret quomodo Deus esset colendus, quomodo sacramenta ministranda, &c. ergo si semel habuit gratiam ex meritis Christi D. debuit esse huius veritatis Magister à suæ formationis exordio. Tum quia si semel verum est, quod Adam habuit gratiam ex meritis Christi, nullum fuit inconueniens, imò fuit valdè conueniens, quod hoc explicitè sciret ab ipso principio, quod est falsum; ergo, &c.

§. I. Ponitur secunda concl. & probatur.

223 Secunda conclusio. *Gratia, & gloria essentialis, quas Deus sua liberalitate, & absque Christi D. meritis concessit Angelis (& idem est de primis Parentibus) postea præuisis Christi D. meritis, voluit easdem ob Christi merita.* Pro quo nota ex dictis supra, quod Deus in primo signo in genere causæ materialis voluit Angelorum creationem independenter à Christi meritis, nondum secundum hanc prioritatem præuisis, deinde voluit eos eleuare ad ordinem, seu finem supernaturalem, & sic contulit illis gratiam, & gloriam, etiam antecedenter ad Christi D. merita. Postea in alio signo in genere causæ finalis priori, præuidit Christi D. merita, & ob illa voluit ex meritis eiusdem, eandem gratiam, & gloriam conferre. In quo nulla apparet repugnantia. Hanc concl. docent plures recentiores Thomistæ, vt testatur M. Cipullus *hic art. 4. dub. 2. n. 2.* Hanc concl. docet S. D. in illud Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus*, sic dicens. *Omnes Apostoli, Patriarchæ, Prophetæ, & iusti, qui fuerunt. sunt. & erunt, & etiam omnes Angeli, &c.* Et post aliqua subdit. *Plenitudo gratiæ, quæ est in Christo, est causa omnium gratiarum, quæ sunt in omnibus intellectualibus creaturis.* Colligitur hæc concl. ex illo Apostoli ad Ephes. 1. *Proponit instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt.* Et ad Colos. 1. dicit. *Pacificans per sanguinem eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis, &c.*

224 Probatur 1. nam secundum cõmuniorem, & veriorem sententiam Theologorum, Angeli dum erant viatores habuerunt fidem Christi, seu mysterij incarnationis, vt docet S. Doctor 1. *p. q. 64. art. 1. ad 4.* ergo & fidem, & gratiam habuerunt ex meritis Christi. Conseq. ostenditur, nam si Christus D. fuit Angelis per fidem reuelatus, hoc factum est vt in illum crederent, quem per fidem cognoscebant, vt primum principium, & omnis gratiæ fontem, tum ipsorum Angelorum, tum hominum; ergo, &c.

225 Probatur 2. nam nulla inuoluitur implicantia, quod gratia fuerit data Angelis ex meritis Christi D. ergo debuit sic dari. Antecedens constat. Conseq. probatur, quod namque nullam inuoluit repugnantiam, & ex alia parte est maximè decens, & consentaneum dignitati Christi, debet illi concedi, sed quod gratia fuerit data ex meritis Christi Angelis, & primis Parentibus, nullam inuoluit repugnantiam, & hoc maximè decet dignitati, & excellentiæ Christi D. ergo debet hoc illi concedi.

226 Dices cum Vasq. & Lorca, quod licet absolutè fuerit possibile quod gratia Angelorum fuerit ex meritis Christi, tamen supposito decreto, quod veniret, vt redemptor, & Saluator generis humani à peccato Adami, non fuit hoc possibile, nec decens, & consentaneum, secundum hunc ordinem, quicquid sit secundum alium ordinem, & seriem rerum. Nam vel

vel Christus D. est prædestinatus post prę uisum peccatum Adami, ac proinde postquam iam Angelis gratia data est, vt vult Vasq. Vel est prædestinatus ante præuisionem peccati, & ante gratiam Angelis datam, licet executio incarnationis fuerit post Adæ peccatum, & post gratiam Angelis datam, vt vult Lorca, sed vtroque modo gratia Angelis data non potuit esse ex meritis Christi, ergo, &c. Non enim possunt illa decreta peruerti.

227 Sed contra, nam vt supra obseruauimus assignando ordinem decretorum Dei, licet præuisio peccati sit prior prædestinatione Christi in genere causæ materialis, tamen in genere causæ finalis, prædestinatio Christi D. præcedit, ac proinde cum Deus voluit prius prædestinationem Christi, quam peccati permissionem in genere causæ finalis, potuit pro illo priori velle gratiam Angelis, & primis Parentibus ex meritis eiusdem Christi præuisis & sic gratia data Angelis, & primis Parentibus vt præcedit in genere causę materialis est data independenter à Christi Dom. meritis, at prout merita Christi præuidentur præcedere in genere causæ finalis, potuerunt mouere voluntatem Dei, vt conferret eandem gratiam ex meritis Christi.

228 Alio etiam modo potest saluari nostra conclusio, & responsio Vasq. & Lorcæ refelli, si dicamus, quod licet prima intentio Dei de danda gratia Angelis, & Parentibus nostris primis, fuerit sine meritis Christi, cum illa intentio præcesserit præuisionem meritorum, tamen in executione fuit illa gratia data ex meritis Christi. Exemplo nostri, & omnium prędestinatorum, qui gratis electi sumus ad gloriam absque præmissione meritorum, & tamen in executione non datur sine nostris meritis.

229 Probatur 3. Christus D. non fuit causa finalis gratiæ, ac subinde gloriæ Angelorum, quatenus fuit illis primò volita, bene tamen post illius præuisionem; ergo neque est causa meritoria eiusdem gratiæ vt primò fuit eisdem volita, bene tamen post illius præuisionem. Maior nota est, est enim eadem ratio de causa finali, & quantum ad hoc de causa meritoria; licet enim causa meritoria in re, reuocetur ad causam efficientem, cum meritum in re, efficiat moraliter pręmium; tamen meritum futurum vt præuisum reuocatur ad causam finalem, & mouet solum vt obiectum, & finis, vt supra diximus de meritis Christi respectu gratiæ Sanctis Patribus veteris testamēti collatæ. Antecedens probatur, quoad primam partem, nam gratia fuit primò volita Angelis ante decretum incarnationis, ergo non fuit Christus D. causa finalis illius; cum enim adhuc pro illo priori Christus D. non intelligeretur, non poterat mouere vt finis ad cōferendum Angelis gratiā: in genere namque causæ materialis, prius intelligimus ordinem naturæ, postea gratiæ, demum vnionis hypostaticæ. Cæterum in genere causæ finalis prius intelligimus Deum velle vt omnium finē vnionem hypostaticam. Per quod patet secunda pars illius antecedentis, Christus namque est finis omnium operum Dei, iuxta illud Apost. ad Hebr. 2. *Propter quē omnia.*

§. II. *Soluuntur argumenta contra primam conclusionem nu. 206. positam.*

230 Primum argum. desumunt ex testimonijs sacræ scripturæ, præsertim ex illo Colossens. 5. *Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt*, nisi enim Angeli recepissent gratiam ex meritis Christi, non rectè diceretur, *pacificans quæ in terris, & quæ in cælis sunt*. Respondent aliqui quod Apostolus solum loquitur de gratia redemptiua, qualis non fuit gratia Angelis concessa; gratia namque concessa *per sanguinem crucis eius*, est sola gratia redemptiua. Quoniam licet boni Angeli qui nunquam ceciderunt non sint redempti, possunt tamen dici conciliati, & sic aliquo modo dicti testimonij intelligentia potest ad Angelos applicari, aliàs neque illa gratia secundò volita ex præuisione meritorum Christi, posset ex meritis Christi esse.

231 Respondent alij ex D. Augustino *in Enchiridio cap. 61.* quod Apostolus loquitur de pacificatione inimicitiæ; quæ erat inter sanctos Angelos, & homines ratione peccatorum hominum, quæ ex Christi meritis facta est. Hæc responsio non satisfacit, licet enim hæc pacificatio, & reconciliatio hominum, & Angelorum etiam fit ex meritis Christi D. tamen Apostolus videtur aliquid amplius velle, vult enim commendare plenitudinem gratiæ Christi, reconciliatio autem hominum, & Angelorum videtur quid exiguũ comparatione plenitudinis gratiæ, quæ ex hoc desumitur, quod gratia Angelis, hominibusque collata, sit ex meritis Christi.

232 Vera responsio est quod Christus D. est pacificans omnia quæ in terris, & quæ in cælis sunt, quatenus omnis gratia tam hominibus, quam Angelis cõcessa, est ex eiusdem meritis, sed non vt primò concessa, loquendo de gratia data Angelis, & primis Parentibus, sed post eiusdem Christi præuisionem. Eodem modo solui debent testimonia sanctorum Patrum ab aduersarijs relata.

233 Secundum argum. nam quoties filius naturalis est in maxima dignitate constitutus, ratione cuius ei debetur reuerentia singularis, & quando est suo Patri gratissimus, tunc si aliquis extraneus esset à tali Patre adoptandus, congruum valde esset, vt à Patre adoptaretur mediante filio naturali, cum sit adoptio, quædam participatio filiationis naturalis, & coaptatio, seu assumptio ad hæreditatem filio naturali debitam; sed Christus D. est Filius naturalis Dei Patris, est in tali dignitate constitutus vt ei maxima reuerentia debeatur, vt docet Apost. ad Hebræos 1. est Patri gratissimus, iuxta illud. *Hic est Filius meus dilectus, &c.* ergo valde conueniens erat vt cum Angeli essent à Patre adoptendi, fieret mediante eius Filio, seu intercedentibus eius meritis. Resp. quod hoc totum factum est, non quidem prout gratia fuit primò Angelis concessa, sed prout fuit iterum concessa post Filij præuisionem; ante namque præuisionem Christi D. non potuit gratia illius intuitu concedi. Vnde hoc argumentum confirmat nostram secundam conclusionem.

234 Tertium argum. quoniam valde congruum est, quod membra recipiant omnem influxum à capite; sed Angeli sunt membra Christi D. ergo omnem gratiæ influxum debẽt à capite Christo recognoscere. Resp. quod Christus D. non est caput Angelorum quoad influxum gratię primò datæ, sed prout secundò data fuit, post ipsius Christi D. præuisionem.

235 Quartum argum. nam id totum debet concedi Christo D. quod ad eius dignitatem, & excellentiam facit, & aliunde nullam inuoluit repugnantiam; sed quod Angelorum gratia sit concessa ex Christi D. meritis, nullam inuoluit repugnantiam, & maximè facit ad eius excellentiam; ergo, &c. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem; implicat namque quod gratia detur Angelis pro illo priori in quo non adhuc videtur Christi D. futuritio, & meritorum eius. Statim autem quod dicta merita præuidentur, illa gratia eorum titulo iterum conceditur: nulla namque inuoluitur implicantia, quod vna, eademque res ratione diuersorum titulorum detur, & gratis, & ex merito, de quo §. seq.

§. III. *ponuntur, & soluuntur arg. contra secundam conclusionem n. 224. positam.*

236 PRimum argum. implicat quod vna eademque res detur titulo liberalitatis, & titulo iustitiæ; ergo implicat, quod gratia sit Angelis concessa ex liberalitate, & ex merito. Conseq. constat, quod enim datur ex meritis, datur ex iustitia. Antecedens ostenditur, quoniã titulus iustitiæ, repugnat titulo meræ liberalitatis. Resp. negando antecedens. ad probationem dico, quod tunc titulus iustitiæ, & titulus liberalitatis repugnant, quando procedunt ex eadem voluntate, eodemque motiuo, quod non contingit in nostro casu. Nam gratia vt primò data Angelis fuit ex motiuo merę liberalitatis, cum adhuc nulla merita supponerentur, nec Christi, nec aliorum. At quando fuit se-

ſecundò data, iam Christi D. merita erant præuiſam ac proinde illorum intuitu data fuit. Exemplum habemus in gloria beatorum, tum Angelorum, tum hominum, quæ vt primò fuit illis volita, fuit ex liberalitate, vt diximus 1. *p. de prædeſt.* nam intentio Dei dandi gloriam, fuit omnino gratis, poſtea habet Deus aliam voluntatem qua vult, quod eam acquiramus per merita.

237 Secundum argum. Angeli neque poſt præuiſionem meritorum Christi D. acceperunt gratiam ex Christi meritis; ergo nullo modo. Antecedens probatur 1. ex D. Th. infra *q.59. art.6.* quatenus docet quod Chriſtus D. non habuit poteſtatem iudiciariam iudicandi Angelos niſi quoad præmium accidentale; ſi autem Angeli habuiſſent gratiam eſſentialem ex meritis Chriſti, haberét etiam poteſtatem iudicandi illos quoad præmium eſſentiale, de eo enim iudicabuntur, quod ex Chriſto acceperunt. 2. Nam ſi Angeli habuiſſent gratiam, & gloriam ex meritis Chriſti, non debuiſſent eam habere ante ipſum Chriſtum D. non enim decet quod ſeruus glorificetur ante Dominum. 3. Nam ſequeretur, quod Chriſtus D. fuiſſet mortuus pro Angelis. Chriſtus námque D. ſolum pro illis mortuus eſt, qui in Adam mortui ſunt, iuxta illud Apoſt. 2. Cor. 5. *Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.*

238 Reſp. negando antecedens. Ad 1. probationem dico, mentem D. Thomæ eſſe quod Chriſtus D. non iudicabit Angelos, niſi de eo quod geſſerũt poſt ipſius exiſtentiam, ſaltem præuiſam, & ſic cum gratiam primò acceperint ante præuiſionem Chriſti, quoad eam ſic acceptam iudicabuntur, vel dicas mentem D. Th. eſſe quod Chriſtus D. cum non eſſet, non iudicauit iudicio particulari Angelos bonos quoad gratiam, & malos quoad pœnam; in iudicio tamen finali de vtroque vtrique iudicabuntur.

239 Ad 2. probationem dico, quod cum Angeli non receperint gratiam primò ex meritis Chriſti D. non debuerunt poſtea ab ea retardari, cum merita Chriſti D. non retardent à gloria. Cœterum Sancti Patres fuerunt retardati ob peccatum originale per quod clauſum fuerat cœlum, & ſolum per Chriſti D. mortem fuit extinctum, & ſic cœlum apertum. Ad 3. probationem dicas, quod ad hoc vt Chriſtus D. meruerit Angelis, non eſt neceſſe quod pro illis mortuus ſit, ſed ſufficit, quod meruerit per alios actus, charitatis, obedientiæ, &c.

DISPVTATIO XX.

IN QVAEST. XX. DIVI THOMAE.

De ſubiectione Chriſti ad Patrem.

1 IN art. 1. docet S. Doctor quod Chriſtus D. ſit Patri ſubiectus. Subiectionis autem nomine tria intelliguntur. Primò, minoritas, ſeu inæqualitas, quæ æſtimatur ex inferiori gradu bonitatis, & naturæ, & hoc modo certum eſt, quod Chriſtus D. qua ſcilicet homo, eſt ſubiectus Patri, cum ſit eo minor, iuxta illud Ioan. 14. *Pater maior me eſt.* Secundò, illa ſubiectio qua quælibet creatura ſubiacet diuinæ poteſtati, quam ſubiectionem vocat S. Doctor ſubiectionem ſeruitutis, ſecundum quod omnis creatura Deo ſeruit, eius ordinationi ſubiecta. Omnis namque creatura, ratione creationis, conſeruationis, gubernationis, & dominij Dei ſuper eam ei ſubiacet, ipſi deſeruire debet. Et etiam

Oooo hoc

hoc modo Christus secundùm humanitatem erat subiectus Deo, cum esset creatura, &c. Tertiò, est obedientia mandatorum, & obligatio ad ea ponendum, ratione cuius ille subiectus censetur, qui minor est, qui alterius ordinationi subditur, qui alterius præceptis obnoxius est, &c. Et etiam hoc modo Christus D. erat Deo subiectus secundum humanitatem, nam mandata Dei obseruauit, illi obediens fuit. Hinc Isaiæ 42. de Christo D. dicitur. *Ecce seruus meus*: In 2. art. ostendit, quod Christus D. potest dici subiectus sibi ipsi, cum limitatione, seu determinatione, scilicet secundum humanam naturam, non absolutè, quia videretur significari pluralitas suppositorum. Pro quo tradit S. D. optimam regulam memoria retinẽdam, quod scilicet ea, quæ conueniunt Christo D. ratione suæ personæ, quæ diuina est, & æterna, possunt per se, & absolutè dici de Christo, absque vllo additamento. At illa quæ conueniunt Christo secundum naturam humanam, potius ei attribuenda sunt cum determinatione. Vnde Christus D. dicitur simpliciter Dominus, maximus, at minor, subiectus, seruus, &c. cum determinatione. Cæterum sit.

DVBIVM I.

An Christus D. quatenus homo fuerit Deo Patri subiectus, vbi de subiectione legis.

2 MOnothelitæ, & illi omnes hæretici, qui in Christo D. vnam tantum recognoscebant voluntatem, scilicet solam diuinam, dicebant ex consequenti, quod Christus D. non erat Deo subiectus; cum enim fundamentum subiectionis, & dominij desumatur ex voluntate, & voluntas diuina in Christo, nulli dicat subiectionem, sequitur, quod Christus D. nulli dici possit subiectus.

3 Veritas catholica seq. concl. explicatur. *Christus D. secundum quod homo, est Deo Patri subiectus, triplici subiectione relata nu. 1. in principio.* Sic tradit S. D. hic art. 1. quem omnes Theologi sequuntur. Colligitur ex sacra scriptura. Ioan. 14. dicit ipse Christus D. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*, patet autem quod mandatum non datur, nec obligat nisi subditos. Ad Philip. 2. dicitur de Christo D. *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Ratio autem obedientiæ non extenditur ad non subditos. Ratio constat ex dictis, nam ad subiectionẽ sufficit maioritas, dependentia, & obligatio obediendi; sed Christus D. secundum quod homo, est minor Patre, est illi subiectus, seu dependens ratione subiectionis, habet obligationem parendi illius præceptis; ergo, &c.

4 Obijcies 1. nam præcepta imponuntur ob voluntatis directionem, vt rectè agat; sed Christi D. voluntas, cum esset impeccabilis non indigebat directione; ergo neque subdebatur præceptis, ac proinde ratione huius nulli subdebatur. Resp. quod præceptum primariò imponitur voluntati, vt eam obliget ad agendum, aut non agendum, licet secundariò etiam eam dirigat. Vnde præceptum & obligat, & dirigit, & consilium dirigit non obligat. Deinde dato, quod præceptum daretur formalissimè ad dirigendum, non ob id sequitur, quod non potuerit imponi voluntati Christi, non quia illa directio esset vt non peccaret, cum esset impeccabilis, sed vt moueret ad illius obseruantiam ob motiuum illius.

5 Obijcies 2. nam est eadem ratio voti, & præcepti; sed Christus D. non potuit subijci Deo per votum; ergo neq; per præceptum. Maior constare videtur, eodem enim modo proportionali homo ostendit suam subiectionem Deo per votum, ac per præceptum. Minorem docet S. D. 2. 2. *q.* 88. *art.* 4. ideo namque votum ab homine emittitur, vt eius voluntas in bono firmetur, vel ob timorẽ inhonorandi Deum, eiusque præcepta non seruandi, aut promissa non violandi, &c. Ob eandem etiam rationem dantur præcepta, vt voluntas per illa in bono firmetur, vt promissa seruentur, &c. Resp. negando minorem, nec verum est, quod S. Doctor eo loco doceat, quod Christus D. non potuerit vouere; sed potius opposi-

tum

tum colligitur ex *art.* 5. vbi docet, quod votum est actus latriæ, seu religionis, qui in Christo D. esse potuit. Potuit namque Christus D. ex voto Patrem orare, ieiunare, sacrificium offerre, vt sic Deum coleret, & protestaretur se, vt hominem esse illo inferiorem. Deinde dato, quod S. D. doceat, Christum D. non potuisse vouere, intelligi deberet, quoad rationem firmandi voluntatem in bono vt non deficeret, eo modo quo facimus nos, non prout est actus religionis inclinans voluntatem ad cultum Dei, &c.

6 Sed quæres 1. an ista propositio. Christus D. est subiectus Patris, sit simpliciter, & absolutè vera, & admittenda sine vlla determinatione, vel additamento? Resp. cum D. Thoma *hic ad* 1. quod eadem ratio de ista propositione, *Christus est subiectus Patri*, ac de ista *Christus est creatura*, subiectio namque Christi D. ad Patrem fundatur in creatione, & dependentia à Deo, ac proinde cum ista propositio *Christus est creatura* non sit simpliciter, & absolutè admittenda, sed cum addito, scilicet secundum humanitatem; ita neque ista. *Christus est subiectus Patri* admitti debet absolutè, & simpliciter, sed cum eodem addito. Tum quia propositiones ambiguæ nõ tribuuntur Christo D. absolutè, sed cum addito, ergo cum ista sit ambigua, vt possit intelligi, & de natura humana, & de persona, ideo cum addito admitti debet.

7 Quæres 2. an Christus D. fuerit subiectus legibus, & quibus? Resp. 1. quod in primis fuit subiectus legi æternæ, constat ex dictis *in* 1.2. *q.* 93. Deinde 2. non fuit subiectus legi Mosaicæ, vt enim colligitur *Matt.* 12. ab ea fuit exemptus, quatenus dicitur, quod Filius hominis est Dominus etiam Sabbati. Erat enim legifer, cum plena potestate disponendi ea, quæ ad suum regnum, quod est Ecclesia, pertinent, quod affirmat S. D. infra *q.* 37. *art.* 4. Præterea 3. non fuit subiectus legibus humanis, cum ratione vnionis hypostaticæ haberet potestatem omni humana lege excellentiorem. Hinc *Matt.* 17. ostendit se non fuisse subiectum legi Cæsaris de tributo, licet iusserit illud solui ne Iudæi scandalizarentur. Vnde Ioannes XXII. damnauit eos qui dicebant eum soluisse tributum, non condescensione, & liberalitate suæ pietatis; sed ex necessitate coactum, vt refert Turrecrem. *lib.* 4. *summæ*, *cap.* 37.

8 Quartò fuit subiectus legibus iuris naturæ, tam ordinis naturalis, quam ordinis supernaturalis, quæ eius dignitati non disconueniebant. Assumpsit namque Christus D. naturam humanam, cum omnibus quæ ipsam sequuntur, vt sunt leges iuris naturalis, & supernaturalis, quæ consequuntur naturam humanam eleuatam. Non tamen erat subiectus illis legibus, quæ eius dignitati, & excellentiæ disconueniebant. V.g. iure naturæ debemus Parentibus obedientiam, quam tamen Christus D. non debebat matri, cum esset illa superior. Vnde cum dicitur, quod erat subditus illis, non est intelligendum de obligatione præcepti, sed ex libera eius voluntate, ad nostram instructionem.

DVBIVM II.

An Christus D. vt homo sit seruus Dei.

9 PRo intelligentia difficultatis sciendum quod seruitus potest esse quadruplex. Prima est naturalis, omnibus creaturis cõmunis in ordine ad Deum; quælibet namque creatura est sub dominio Dei, eiusque potestate; vt ei ad quodcumque voluerit, deseruiat. Secunda est legalis, & despotica, secundum quam aliqui ita sunt sub alterius dominio, vt sint illius quoad omnes eorum actiones, & operationes temporales, vt eas in illius bonum, vtile, & commodum impendere teneantur, qua seruitute tenentur serui, tam emptitij, quam conductitij pro eo tempore quo se, suasque operationes alijs locarunt. Tertia est qua creatura rationalis subditur ipsi peccato, & Diabolo Patre peccati, *qui enim facit peccatum seruus est peccati*, & ista seruitus, vocatur seruitus peccati. Quarta seruitus, est affectio-

nis, & obedientiæ, qua creatura rationalis obedit Deo, ob metum pœnæ subeundæ, de qua dicit Apost. Rom. 8. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore*, hoc enim est proprium seruorum.

10 Conueniunt omnes, quod Christus D. non potest dici seruus, seruitute legali, non enim fuit alicuius mancipium, nec titulo emptionis, nec titulo belli, nec vnquam sua opera alicui locauit. Neque etiam fuit seruus seruitute peccati, cum omnino esset impeccabilis. Nec fuit seruus seruitute obedientię seruilis, qua obediret ob timorem pœnæ, quia ista seruitus seruilis, seu propria seruorum, repugnat dignitati, & excellentiæ Christi, quia Patri obediuit ex perfecta charitate, quæ foras mittit timorem.

11 Difficultas procedit de prima seruitute generali, naturali, & omnibus creaturis communi. Prima sententia est Patris Vasq. *hic disp.* 80. *per totum*, quod ista seruitus non fuerit in Christo D. nec esse potuerit, & putat hoc esse definitum in Concilio Francofordiensi, tempore Adriani I. contra Fælicem, & Elipandum, Archiepiscopos Toletanos.

12 Nostra sententia seq. conclusione explicatur. *Christus D. secundum quod homo, potest dici seruus Dei*. Hanc concl. tradit S. Doctor *hic art.* 1. *ad* 2. vbi sic dicit. *Relatio seruitutis, & dominij fundatur super actione, & passione, in quantum scilicet serui est moueri à Domino, secundum imperium; agere autem non attribuitur naturæ, sicut agenti, sed personæ, actus enim suppositorum sunt, & singularium, secundum Phil. Attribuitur tamen actio naturæ, sicut ei secundum quam persona, vel hypostasis agit. Et ideo quamuis non propriè dicatur, quod natura sit domina, vel serua, potest tamen propriè dici, quod qualibet hypostasis, vel persona, sit domina, vel serua, secundum hanc, vel illam naturam. Et secundum hoc nihil prohibet Christum dicere Patri subiectum, vel seruum, secundum humanam naturam.* D. Thomam sequuntur omnes eius discipuli, & plerique alij.

13 Probatur 1. ex sacris litteris, vbi Christus D. vocatur seruus, vt Isaiæ 42. *Ecce seruum meum suscipiā*, qui locus Matt. 12. ad Christum D. refertur. Actor. 4. vocatur *puer*, quod idem est ac seruus. *Conuenerunt aduersum sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, &c.* Hinc seruus Centurionis Matth. 8. vocatur *puer*. Et sic tradunt D. Hieronymus *Isa.* 42. D. Ambros. *lib.* 5. *de fide cap.* 4. & 6. S.P. Aug. *epist.* 178. & alij passim.

14 Probatur 2. nam iuxta regulam D. Thomæ, Caiet. & aliorum hoc loco, cōgruus loquendi modus de Christo D. est, vt prædicata quæ sunt excellentiæ, absolutè de eo dicantur, at ea quæ sunt subiectionis, dicantur, cum determinatione apposita; scilicet secundum humanam naturam; ratio est, quia *Christus* est nomen personæ, quæ in eo est æterna, & verus Deus, ac proinde quæ sunt excellentiæ, absolutè illi conueniunt, at quæ inuoluunt subiectionem, non possunt dici absolutè de ea persona, sed ratione naturæ humanæ, ratione cuius ea subiectio ei conuenire potest.

15 Probatur 3. nam omnes iusti dicuntur serui Dei, ergo etiam caput iustorum simili nomine vocari poterit. Conseq. constat, nomina namque quæ in iustis sunt excellentiæ cuiusdam, & de quibus gloriantur, non incongruè applicantur Christo D. secundum humanitatem, secundum quam cum ijsdem iustis conuenit. Antecedens probatur, nam gloriosa Virginum Regina, Dei, & Saluatoris nostri Mater, se seruam, seu ancillam nominauit. *Ecce ancilla Domini, &c.* quod etiam faciunt communiter Sancti, cum tamen sint ingenui, & maximè liberi. Hinc Ecclesia canit de S. Agatha. *Summa ingenuitas est, in qua seruitus Christi comprobatur.* Quocirca Psalm. 115. dicitur. *O Domine, quia ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Vbi D. Hieron. dicit. *Grandis dignitas est, & meriti esse seruum Domini.* Hanc seruitutem Dei D. Ambros. lib. 1. de Iacob. vocat *libertatem gloriosam*. Et S.P. August. in d. Psal. 115. ait. *Quem* (scilicet famulatum) *cum exhibet, libera est; hanc accipiens à Domino gratiam, vt ei non necessitate, sed voluntate deseruiat.*

Pro-

16 Probatur 4. nam Christus D. secundum humanitatem est creatus; ergo secundum humanitatem est seruus. Antecedens est certum, Christi namque humanitas non est à se, sed à Deo, ex nihilo deducta, ac proinde creata. Conseq. constat ex dictis *n.9.* colligitur ex illo Sap.16. *Creatura tibi factori suo deseruiens*. Tum quia creatura ex vi creationis subditur Deo creatori, vt possit de ea disponere ad omnem vsum sibi bene visum est enim tota sui domini, vt colligitur ex Aristotele in Politicis, & tradunt Iurisconsulti, & nos diximus de iustitia, & iure; ergo, &c.

17 Occurrrit Vasq. *disp.* 80 *cap.* 11. quod sola ratio creaturæ non sufficiat ad rationem seruitutis; nam ex ratione creationis solum infertur ratio subiectionis, quæ latius patet seruitute; seruitus namque vltra subiectionem, postulat negationem communicationis in bonis, quæ cõmunicatio reperitur in Christo D. etiam vt homine, ac proinde in eo non reperitur propriè ratio seruitutis. Sed contra nam vnus homo est alterius hominis seruus, & tamen non dicit negationem communicationis bonorum, licet in domino possint bona esse in gradu excellentiori; nam seruus in humanis communicat in natura cũ domino, communicat in bonis fortunæ cum eodem, cum dominus teneatur eum alere. Hoc etiam competit Christo D. qui minus perfectè communicat in bonis Dei; nam humanitas Christi etiam vnita Verbo non est beata per essentiam, non habet esse independens, non est actus purus &c. ac proinde participat bona Dei modo valde inferiori, & sic potest in ea esse ratio seruitutis. Soluuntur argum. in contrarium.

18 Primum argum. est, quoniam sententia D. Thomæ, & nostra videtur damnata in Concil. Francofordiensi, tempore Adriani I. contra Fœlicem, & Elipandum Toletanos Archiepisc Quocirca dictus Adrianus *in Epist. ad Episcopos Hisp.* postquam ostendit Christum D. non esse dicendum filium adoptiuum, aut seruum, dicit prædictos Episcopos, hos errores prædicasse, in sua professione fidei. Verba refert Vasq. infra *disp.89.c.2.* ergo illa sententia, quod Christus D. possit dici seruus, nõ potest sustinere. Resp. quod illi hæretici volebant Christum D. esse seruũ seruitute legali, seruitute peccati, & seruitute pænæ, quod est hæreticum, quod si admisissent in Christo D. solam seruitutem naturalem desumptam ex ratione creationis de qua *n.* 9. nec fuissent hæretici, nec fuissent vt tales condemnati. Colligitur ista solutio ex eadem Epist. Adriani, vbi alloquens dictos hæreticos dicit. *Cur non veremini queruli obtrectatores, Deo odibiles, illum seruum noncupare, qui vos de seruitute diaboli liberauit.*

19 Secundum argum. desumit Vasq. ex Concilio Alex. in Epist. quę apud N. S. P. Cirillum est decima, & in Concilio Ephesino recepta, vbi dicitur. *Veruntamen nec seruus est sibi ipsi, nec dominus, quoniam ineptum est, vel potius impium, hoc sentire, vel docere*. Resp. quod illud Concilium solum prohibuit, quod Christus D. vocetur seruus ad mentem Nestorij qui Christum D. in duos diuidebat, scilicet in Christum Verbum, & in Christum hominem, & volebat, quod Christus homo, esset seruus Christi Verbi. Vnde subditur, post verba citata. *Ne in duo diuidatur vnus Christus*; quod nec nos dicimus, nec ex nostra sententia sequitur.

20 Tertium argum. nam de ratione formali serui est; quod ita constituatur sub alterius dominio, vt in eo nec in bonis, nec in honore, nec in sede communicet, qua ratione Arist. 3. *Politicorum* definit seruum, quod sit ille qui alteri subditur, vt cum eo non communicet in bonis, in honore, in sede, sed Christus D. secundum quod homo, seu secundum humanitatem ratione vnionis hypostaticæ communicat in bonis Dei, vt in diuinitate quam habet ratione dictæ vnionis. Communicat in honore, vnde adoratur adoratione latriæ. Communicat in sede, iuxta illud. *sede à dextris meis*, & *sedet à dextris Dei*, ergo non est seruus. Resp. distinguendo maiorem: de ratione formali serui est, quod nõ communicet in bonis domini æqualiter, conceditur: inæqualiter,

liter, negatur. Iusti namque sunt serui Dei, & tamen inæqualiter communicant in bonis Dei. Et in humanis habet seruus aliquam bonorum communicationem, fruitur enim bonis domini, honoratur propter dominum, &c.

21 Quartum argum. Christus D. est filius Dei naturalis, non adoptiuus; ergo non est seruus. Antecedens est certum. Conseq. probatur, nam seruitus repugnat filiationi naturali; implicat namque quod quis sit seruus, & filius naturalis, habent enim rationes oppositas; ergo, &c. Resp. hoc argumento probari, quod Christus D. non sit seruus seruitute legali, seu ratione belli, aut emptionis, aut locationis operarum, hæc enim, seruitus repugnat filiationi naturali, imò etiam repugnat filiationi adoptiuæ. Non tamen probat, quod non sit seruus seruitute naturali, generali, & omnibus creaturis communi, ad quam sufficit subiectio qua res est Dei, vt ea vti possit ad omnem vsum, vt ei obedire teneatur, &c.

22 Sed quæres, an Christus D. sit sibi ipsi subiectus? Hoc quæsitum resoluit S. D. hic *art.* 2. dicens quod Christus D. non est sibi ipsi subiectus, si dominium, & subiectio ad diuinam referantur personã, est tamen sibi subiectus secundum naturam humanam. Esse namque dominum, & seruum sequitur personam, vel hypostasim, secundum aliquam naturam. Vnde ratione personæ præcisè non potest Christus D. esse sui ipsius dominus, aut seruus, seu esse sibimetipsi subiectus, cum eadem persona Christi secundum se, non habeat sufficientem alietatem, vt possint de ipsa dici relationes domini, & serui, domini, & subditi. Quod si comparatio fieret inter naturas, cum humanitas sit inferior, rectè dici potest subiecta diuinæ naturæ; sicut enim in homine appetitus sensitiuus est subiectus rationi ita etiam natura humana dici potest subiecta naturæ diuinæ, & ipsi Verbi diuini personæ.

23 Notandum tamen, quod aliqui ponunt in Christo D. triplicem subiectionem; scilicet naturalem, seruitutis, & obedientiæ. Secundum primam Christus D. dixit. *Pater maior me est*, quoniam deitas secundum essentiam, est infinitè prestantior humana natura, *Ioan.* 14 de subiectione, seruitutis intelliguntur sacræ scripturæ testimonia. *Ezech.* 34. *Zachar.* 3. *&c.* De subiectione obedientiæ est illud Ioan. 8. *Quæ placita sunt ei, facio semper.* Plenissimam hanc subiectionem habebit Christus D. ad Patrem in fine mundi, quando omnia sua membra, idest multitudinem suorum electorum adducet ad Patrem: Sed tunc ipse cum Patre dominium commune habebit, & in omnia plenissimum, quando omnem suam voluntatem, erga sua membra impleuerit, quamquam etiam nunc habeat omnem potestatem in cælo, & in terra. Matt. 28.



DISPV-

DISPVTATIO XXI.

IN QVAEST. XXI. DIVI THOMAE.

De oratione Christi.

1 N 1. art. docet S. Doctor, quod Christus D. secundum quod homo orauit Patrem, quod constat. *Matt.* 14. & 26. *Luc.* 6. *Ioan.* 11. 17. *&c. ad Hebræos* 5. *Psal.* 2. & alibi frequenter, licet non fuerit ei omnino necessaria sicut nobis, ex suppositione tamen diuinę ordinationis, fuit illi necessaria. In art. 2. docet Christum D. orasse non tamen secundum sensualitatem, quasi hæc esset principium elicitiuum orationis, quia oratio est actus rationis. Dicitur tamen orasse secundum sensualitatem, quatenus aliqua oratio erat de sensualitatis obiecto, dum scilicet exprimebat apud Deum desiderium sensualitatis, vt cum dixit. *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*. In 3. art. dicit, quod Christus D. pro se conuenienter orauit, vt acciperet quæ non habebat, vt gloriam corporis, nominis exaltationem, &c. In art. 4. declarat, quomodo omnis Christi oratio fuerit semper exaudita, quæ scilicet procedebat à ratione deliberata, seu qua absolutè, & simpliciter aliquid petebat; quia voluntas eius absoluta, semper fuit diuinæ voluntati conformis, vt nihil peteret, nihil fieri vellet, nisi quod Deus volebat. Vnde Ioan. 11. dicitur. *Quæcumque popesceris à Deo dabit tibi Deus. Et ego autem sciebam quia semper me audis.*



DVBIVM I.

An orare competat Christo D.

2 CErtum est, quod Christus D. nō orauerit secundum naturam diuinam, cum enim oratio, vt docet S. D. 2. 2. *q.* 84. & omnes Patres, & Theologi, sit actus inferioris ad superiorem depræcantis vt eum adiuuet. Seu cum oratio sit quædam desiderij explicatio, facta superiori, vt ab eo aliquid impetret, sequitur, quod arguat aliquam inæqualitatem orātis respectu eius apud quem orat; cum autem Christus D. secundum naturam diuinam sit omnino æqualis Patri, non potuit in eo hoc modo esse oratio. Tum quia orans ostendit suam impotentiam ad obtinendum id quod petit, si enim à se illud habere posset, alteri non humiliaretur, vt concederet, quod petit. Tum etiam quia orans ostendit potentiam orati, supra orantem ad concedendum id de quo oratur quæ in Christo D. secundum diuinitatem esse non possunt; hoc enim modo habet eandem potentiam cum Patre, est æqualis Patri, habet tantam efficaciam ad efficiendum quod vult, quantum habet Pater, vel Spiritus S. vel Deus.

3 Difficultas est, an Christus D. re ipsa orauerit secundum quod homo, seu secundum naturam humanam, qua ratione est inferior Patre, non habet eandem potentiam cum Patre, non habet tantam efficaciam ad afficiendum quod vult, quantam habet Pater. Aliqui hæretici dixerunt, quod in Christo D. fuit quidem oratio simulata, non vera. Oratio simulata tunc est, quando quis verè nō orat, vt quod petit accipiat, quia scilicet illud

illud quod petit est sub plenaria eius potestate, ad quod habendum non indiget alterius ope, seu auxilio, sed tantum fingit se orare, fingit se indigere, fingit se non habere sub sua potestate quod petit, cum tamen sit, vnde solum se habet ad modum orantis. Dicebant ergo isti hæretici, quod Christus D. se habebat ad modum orantis, cum tamen non oraret, nec verè peteret, vt acciperet, quod petebat, cum omnia posset. Ad hūc errorem reduci poterant Monothelitę, ponentes in Christo vnam solam voluntatem, scilicet diuinam, quæ verè orare non poterat, sed solum simulare ad nostram instructionem.

4 Veritas catholica sequenti concl. explicatur. *Christo D. verè competebat orare, secundum humanitatem; seu Christus D. verè, & propriè orauit, & non simulatè, secundum quod homo*. Sic docet S.D. *hic art.*1. quem omnes sequuntur. Habetur in sacra Scriptura. Matt.14. dicitur. *Dimissa turba, ascendit in montem solus orare*. Luc.6. dicitur. *Erat pernoctans in oratione Dei*. Ad Hebræos 5. dicit. *In diebus carnis suæ, preces, supplicationesque offerens, exauditus est pro sua reuerentia*; idem alibi frequenter habetur. Verba autem sacræ Scripturæ intelligi debent in proprio sensu, seu secundum propriam significationem, quantum res ipsa patitur, ex receptissima Patrum, & Theologorum regula.

5 Ratio conclus. est clara, nam vera, & propria oratio, non repugnat dignitati Christi, nam secundum humanitatem est Patri inferior, non est omnipotens, nec fuit secundum se ipsam ita efficax vt posset efficere quicquid vellet; ergo, &c. Tum quia oratio est eleuatio mentis in Deum, seu est explicatio desiderij eius, quod quis velle desiderat; sed humana Christi voluntas potuit aliquid sibi, & alijs desiderare; ergo, &c. Nullam namque inuoluit implicātiam quod humana Christi D. voluntas aliquid desideraret sibi, vel nobis, & hoc desiderium Patri manifestaret, eius adimpletionem optaret, &c. Soluuntur argum. in contrarium.

6 Primum argum. desumitur ex D. Damasceno *lib.4.cap.19.* vbi dicit, quod Christus D. quædam fecit simulationis modo, vt cum precaretur; ergo ex D. Damasceno Christus D. non verè, sed simulatè orauit. Resp. mentem huius S. Doctoris non esse, quod Christus D. non verè orauerit, sed quod non orauit ob id, ob quod nos oramus, scilicet ob indigentiam, ob infirmitatem, ob impotentiam; ideoque orando dicitur simulasse, quia suam potentiam occultabat.

7 Secundum argum. desumitur ex D. Aug. *serm.36. de verbis Domini*, quod scilicet oratio fundetur in fide, dicit enim. *Si fides deficit, oratio perit*; sed in Christo D. non fuit fides; ergo neque oratio, nisi simulata. Vnde est illud: *Nullus orat, quod non credit*. Resp. quod licet nobis adhuc peregrinantibus, nec habentibus meliorem Dei, rerumque diuinarum cognitionem, fides sit omnino necessaria ad orandum, vt significatur *Rom.*10. *& Iacobi* 1. nam orantes debemus credere Deum omnium bonorum auctorem posse dare quod petimus. Christo tamen D. fides necessaria non erat ad orandum, quia loco fidei habebat scientiam infusam, certusque erat se impetraturum, quod petebat. Hinc est, quod etiam beati in cælo orant, cum tamen fide careant.

DVBIVM II.

An Christus D. orauerit ex necessitate.

8 Aliqui docent, quod Christus D. non ex necessitate, sed solum ex quadam congruentia orauerit, vt scilicet suo exemplo instrueret, allliceretque ad orandum, quod etiam docere videntur quidam S. Patres, præsertim D. Ambrosius in Luc. cap.6. dicens. *Orat* scilicet Christus Dom. *non vt pro se impetret, sed vt pro me obsecret*. Alij putant, quod Christus D. ex necessitate, maximè nostra, orauerit; negari namque non potest, quin homo esset in maxima orationis Christi necessitate.

No-

9 Nostra sententia duabus conclusionibus explicatur. Prima concl. *Christus D. ex necessitate orauit non solum pro nobis, sed etiam pro se, quatenus natura humana consideratur secundum ea quæ habet nudè, seu secundum substantiam.* Quod Christus D. ex necessitate nostra orauerit, quæ non erat necessitas subiectiua, sed obiectiua, patet, quia tota humana natura erat in maxima peccati miseria constituta, vnde credendum est, quod quando pernoctabat in oratione, magis pro nobis indigentibus, quam pro se oraret. Vnde etiam in horto magis pro nobis orauit quam prò se, cum dixit. *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*, transeat à me ad meos, vt plures Patres interpretantur; petebat namque tunc enixè à Patre, vt calix suæ passionis cum omni suo fructu ad nos transiret, quatenus scilicet nobis prodesset.

10 Quod autem Christus D. ex quadam etiam necessitate pro se orauerit, colligitur ex D.Thoma hic art.1. ad 1. vbi dicit. *Quod Christus poterat perficere omnia quæ volebat, secundum quod Deus, non autem secundum quod homo, quia secundum quod homo non habuit omnipotentiam; &c.* Si ergo Christus D. secundum quod homo non poterat perficere omnia quæ volebat, cum non haberet omnipotentiam, ex necessitate debebat orare Patrem, habentem omnipotentiam, vt ab eo fieret, quod à Christo D. fieri non poterat secundum quod homo. Vnde cum humanitas nudè considerata, vt solum secundum substantiam vnitam Verbo, non haberet omnipotentiam, debuit orare Patrē vt eum à mortuis reuocaret per resurrectionem, cum resurrectio sit opus omnipotentiæ.

11 Probatur 1. ratione desumpta ex citato D.Thomæ testimonio, nam humanitas Christi D. secundum se sumpta, non magis est efficax ad implendum quod vult, quem nostra, sed nostra ob suam inefficaciam ad faciendum quod vult, indiget oratione, vt à Deo obtineat, quod secundum se habere non potest; ergo etiā humanitas Christi, ob eandem inefficaciam ad faciendum quod vult, indigebat oratione. Maior nota est. Minor probatur, quia necessitas orationis in nobis fundatur tum in indigentia, tum in impotentia ad præstandum quod volumus, nullus enim orat ad obtinendum id quod habet, vel id quod ex se præstare potest; sed hoc idem currit in voluntate humana Christi D. Indigebat namque ad sui nominis exaltationem resurrectione, & ad hanc ponendam, ex se non habebat sufficientes vires; ergo, &c.

12 Probatur 2. nam oratio requirit inferioritatem, & indigentiam; sed hæc duo reperiuntur in Christo D. ergo in eo fuit oratio ex necessitate, & indigentia; & non tantum ex quadam congruentia. Maior constat in nobis, qui non eramus nisi superiorem, quem cognoscimus potentem præstare, quod petimus ex indigentia. Minor etiam constat ex dictis; nam Christus est inferior Patre, iuxta illud. *Pater maior me est.* Fuit etiam indigentia, nam humanitas secundum se non potest non habere aliquam indigentiam, cum solus Deus nullo egeat; iuxta illud. *Bonorum meorum non eges.*

13 Secunda conclus. *Christus D. consideratus prout dicit non solum naturam humanam Verbo diuino vnitam, sed etiam prout eadem natura humana dicit ea omnia quæ ex quadam morali congruentia consequuntur eandem vnionē, vt gloria corporis, nominis exaltatio, non orauit ex necessitate, sed ex congruitate.* Colligitur hæc concl. ex illo Ioan.11. vbi Martha dixit ad Iesum. *Sed & nunc scio quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus*, quo Martha significare voluit, quod non poterat virtute propria resuscitare Lazarū, sed opus habebat orare Deum à quo fuisset exauditus. Respondit Christus, quod opus non habebat oratione vt Lazarum resuscitaret, quia *ego*, inquit; *sum resurrectio, & vita.* Vnde dicit S.Iustinus Martyr *in respon. ad Orthodoxos q.*105. quod Christus eodem modo orauit Patrem, quo esuriuit, quo sitiuit, quo laborauit, quo lacrymatus est; non esuriuit autem, non sitiuit, &c. ex necessitate, & indigentia,

ſed quia volebat.

14 Ratio à priori eſt, quia Chriſtus D. ex vi vnionis hypoſtaticæ habebat omnipotentiam reſpectu executionis ſuæ voluntatis efficacis; ergo voluntas humana Chriſti D. non habebat neceſſitatem orandi. Tum quia voluntas humana Chriſti reſpectu eorum quæ morali quadam congruentia ſequebantur ex vnione hypoſtatica, vt gloria corporis, exaltatio nominis, poteſtas faciendi miracula, &c. non indigebat oratione, cum ea ex quadam neceſſitate morali haberet; ergo ex hoc capite non indigebat oratione. Tum etiam quia neceſſitas orationis fundatur in impotentia, & in inefficacia obtinendi, quod efficaciter volumus; ſed hæc non erant in humana Chriſti voluntate, vt Verbo diuino coniuncta, ergo, &c.

15 Sed obijcies 1. nam nemo orat pro eo, quod iam ſcit quod fieri, vel non fieri debet; ſed anima Chriſti D. per ſcientiam beatam iam ſciebat quid fieri, vel non fieri deberet, cognoſcendo in Verbo diuinæ voluntatis determinationes, & decreta; ergo, &c. Si enim certo ſcires, quod Pater tuus cras eſt moriturus, non orares, vt non moreretur; ergo cum Chriſtus D. certiſſimè ſciret diuinam voluntatem, quod eſſet factura hoc, vel illud, non poterat orare vt faceret, quod infallibiliter faciet, aliàs fruſtra, & inutiliter oraret. Reſp. quod licet Chriſtus D. ſciret quid diuina voluntas eſſet factura, tamen ſciebat quod eadem voluntas erat factura hoc, vel illud medijs orationibus, & proinde orabat, vt fieret, quod non niſi medijs orationibus fieri debebat.

16 Obijcies 2. nam ſi quam omnipotentiam habet anima Chriſti D. non eſt niſi inſtrumentalis, & dependens à Deo tanquam à cauſa principali ad hoc vt exeat in actum, quemadmodum omne inſtrumentum dependet à ſua cauſa principali; ergo anima Chriſti D. vt vnita Verbo diuino, ornataque tali omnipotentia, & efficacia, non deſinet orare Deum ex indigentia, vt dignetur concurrere ſecum, ſeu ſuum concurſum præbere, vt eius virtus inſtrumentaria in actum reducatur. Reſp. concedendo antecedens, & negando conſequentiam in ordine ad ea quæ ex quadam naturali ſequela, aut morali congruentia debebantur Chriſto D. ex vi vnionis hypoſtaticæ; horum enim reſpectu diuinus concurſus erat aliquo modo debitus, ac proinde non ex neceſſitate, ſed ex congruitate orare poterat. Licet enim Deus ex quadam neceſſitate ſuppoſitionis teneretur ſuum concurſum præbere, non tamen neceſſitate abſoluta, ac proinde relinquebatur locus orationi.

DVBIVM III.

An Chriſtus D. nunc in cælo oret.

17 Conueniũt Theologi quod Chriſtus D. in cælo aliquo modo orat pro nobis vt habetur Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*, cum ſcilicet aſſumptus fuero à vobis. Et ad Hebræos 7. Chriſtus D. vocatur ab Apoſtolo ſemper viuens, ad interpellandum pro nobis. Conueniunt etiam Theologi quod Chriſtus D. non oret ſolum impropriè, & oratione ſimulata, ſeu interpretatiua, ſed propria, loca namque ſacræ Scripturæ propriè, ſeu ſecundum propriam ſignificationem, & accipi & intelligi debent.

18 Communiter etiam conceditur, quod Chriſtus non ita orat in cælis, vt faciat quædam ſingularia ſubmiſſionis ſigna, vt contingit apud homines in perſona vili, & abiecta, cum aliquid petit ab aliquo Magnate, vel Principe, vt cum genuflectit ad eius pedes, cum lacrymas effundit, &c. Hoc enim modo Chriſtus D. pro nobis orare non poteſt, ſed eius modus orandi debet eſſe conformis eius ſtatui, repugnat enim quod decorem ſibi debitum non ſeruet. Quocirca Chriſtus D. cum eſſet mortalis orabat non ſolum genuflexus, ſed etiam proſtratus, *procidens in terram, orauit*, in horto, quia dum eſſet mortalis, iam induerat perſonam vilem, & abiectam pro noſtro amore, & ſic ille

ille modus orandi pro tunc non dedecebat. At modo cum gloriosus sedeat ad Patris dexteram, ille modus orandi non amplius eum decet. Cum esset mortalis, cum clamore valido, & lacrymis, orauit, & exauditus fuit pro sua reuerentia. At modo in sua oratione debet suum decorem seruare, & personæ dignitatem. Vnde notatur Origenes quod excesserit, cũ dixit *hom.7. in Leuit.* quod Christus D. vt homo in cælo orat cum lacrymis, & alijs ad humilitatem sæculi pertinentibus.

19 Dubium præsens ad hoc reuocatur, an Christus D. oratione expressa oret in cælo, siue oratione vocali, siue mentali tantum, explicando propriæ voluntatis desiderium petendo actu siue vocali, siue mentali, vt Pater illud adimpleat, expleatque, de quo. Prima sententia tenet, quod Christus D. in cælis non oret, neque oratione vocali, neque mentali. Hanc tenet Vasq. *disp.82. cap.2.* quem aliqui moderni sequuntur præsertim Lugo *disp. 28. sect.4.* vbi apertè docet, quod Christus D. nullo modo in cælis oret, licet dicatur pro nobis intercedere, aut interpellare, quatenus se ipsum præsentem exhibet, & sua vulnera ponat ante oculos æterni Patris, apud quem semper viuunt merita, & orationes, quibus in hac vita nobis obtinuit bona supernaturalia. Et sic Christus D. solum impropriè dicetur orare, seu interpretatiuè, repræsentando suam passionem, mortem, merita, orationes.

20 Nostra sententia seq. conclus. explicatur. *Christus D. in cælo verè, & propriè orat tam vocali, quam etiam mentali oratione, explicando propriæ voluntatis desiderium, & petendo vt illud Pater adimpleat.* Hanc concl. docent S.D. *in 4. dist.15. quæst.4. art.6. quæst. vnic.2. ad 1.* Abulens. *ad cap 6. Matt. q.82. & ad cap.14. q.142.* Dominicus Soto *ad cap.8. epist. ad Rom.* Tolet. *ad cap.16. Ioan. annot.35.* vbi dicit. *Contrariam sententiam esse improbabilem; vt enim in hoc sæculo orabat Patrem pro nobis vt homo; & nunc in cælis donec redemptionis effectus omni ex parte completur.* Idem tradit in *comment epist. ad Rom. ad cap.8.* Suarez *disp. 45. sect.2.* Isamb. *ad q.21. disp. vnic. art.14.* Orlandus *disp.7. q.5. num.40.* qui alios citat. Pro quo nota, nos non negare, quod etiã Christus D. oret exhibendo se ipsum Patri præsentem, ostendendo sua vulnera, repræsentando suam passionem, mortem, merita, & orationes actas in vita mortali, sed dicimus, quod vltra hunc modum orandi improprium, & interpretatiuum, etiam propriè, & expresè oret. Vnde vtrumque orandi modum ponit S. D. *lect.4. ad cap.7. Epist. ad* Hebr. & 1. *Sancti Ioan.2.*

21 Probatur 1. sacræ Scripturæ testimonijs, nam Ioan.14. dicitur. *Ego rogabo Patrem*, scilicet post meam Ascensionem, *& alium Paraclitum dabit vobis.* & Apost. ad Hebræos 7. de Christo nunc regnante dicit. *Semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Et ad Rom.8. dicit. *Qui etiam interpellat pro nobis.* Verbum autem *interpellat*, veram, & expressam denotat orationem; vt aduerti S.P. Aug. *Epist.59. ad Paulinum q 5.* Et 1. Ioan.1. dicitur. *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum.* Aduocati autem munus est, expressis precibus intercedere apud Iudicem pro cliente reo, vt clementer, & non ex rigore iustitiæ agat cum reo, vt in veterum oratorum proclamationibus videre est. Vnde sic docent Sancti Patres, quorum Verba videre poteris apud Suarez, aliosque citatos.

22 Probatur 2. nam Sancti in Patria orant pro nobis, vt fides docet, & constat ex publicis inuocationibus quas facit Ecclesia, & ea priuatis quas faciunt fideles dum sanctos inuocant, & præsertim Sanctorum Omnium Reginam: *Sancta Maria, ora pro nobis, &c.* & notat S.D. *2.2.q.83.* quod quantò Sancti sunt Deo coniunctiores, tantò eorum preces, & orationes sunt Deo cariores, & efficaciores; sed Christus D. est longè maioris charitatis, maioris perfectionis, & excellentiæ; ergo efficacius debet pro nobis orare, & magis expressa oratione, quam omnes sancti simul.

23 Probatur 3. quoniam vt supra vidimus, Christus D. dum esset viator pro nobis orauit, expressa, & propria oratione, vt admittunt auctores oppositæ sententiæ; ergo etiam nunc existens in cælo orat expressa, & propria oratione. Conseq. probatur, nam ideo probamus contra hereticos nos posse sanctos inuocare, eosque nos suis orationibus adiuuare, quia dum essent in terra pro nobis orare poterant, & suis oratoribus nos adiuuare; sed Christus D. dum esset in terra nos suis orationibus adiuuabat; ergo multò magis debet modo id facere in cælo. Charitas namque vt habet Apostolus; *nunquam excidit*. Christi enim cor regnatis non est immutatum, sed quod præstasset in terra, modo præstat in cælis, vt trado *in mea Anagogia Christiana*.

24 Probatur 4. nam oratio non dedecet Christum D. qua homo est, aliàs neque in hac vita orasset; Nec dedecet qua beatus est, nam aliàs nec alij beati orarent quod enim dedecet Christum qua beatus est, dedecet omnes beatos; ergo non est deneganda Christo D. in cælo existente. Tum quia nullam inuoluit imperfectionem aut repugnantiam diuinitati, aut humanitati Christi D. aduersam.

25 Probatur 5. nam oratio est actus religionis, est cultus à creatura rationali Deo debitus; ergo potest conuenire Christo D. in cælo existente. Antecedens est certum. Conseq. probatur, nam virtus Religionis datur in anima Christi in cælo existente, ergo etiam in ea dari debet potissimus actus illius; si enim in Christo in cælo existente dantur alij actus Religionis, nam Deum colit, adorat; laudat. & gratias agit Patri, etiam eum orare poterit, aut aliquid pro nobis postulare. Soluuntur argum. in contrarium.

26 Primum argum. est. nam Christus D. in cælis habet potestatem excellentiæ quam consequutus est post resurrectionē cum dixit. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*; ergo non indiget orare Patrem, vt faciat quidquid voluerit, vel vt aliquid ab eo obtineat; nullus enim orat, quod ipse præstare potest. Resp. quod si hoc argumentum aliquid probaret, conuinceret etiam quod ante resurrectionem nihil à Patre petere potuisset, nec orare, quod negat Vasquez, nam potestatem excellentiæ habuit Christus D. ab instanti suæ conceptionis, seu incarnationis. Deinde dico, quod illud testimonium solum intelligitur de aliqua manifestatione potestatis excellentiæ, quæ post resurrectionem facta est; nam post resurrectionem, Euangelium promulgatum est, quocirca post dicta verba subiunxit Christus. *Euntes ergo in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ*.

27 Secundum argum. nam visio beatifica erat debita Christo D. ex vi vnionis hypostaticæ, ac subinde omnia quæ ad illam consequuntur; ergo non indigebat oratione. Antecedens constat. Conseq. probatur, nam oratio ibi datur, vbi adest indigentia, sed in Christo D. nulla poterat esse indigentia, cum omnia de quibus poterat esse indigentia sequerentur ex vi vnionis hypostaticæ, & visionis beatificæ; ergo, &c. Resp. negando conseq. ad probationem dico, quod non omnia quæ Christo D. aliquo modo conuenire possunt, sunt ei debita, nec omnia consequūtur ex vi dictæ vnionis, & visionis beatificæ, ac proinde de istis potest esse oratio. Nam ex vi vnionis hypostaticæ, & visionis beatificæ, non sequitur huius, vel illius conuersio; huius, vel illius liberatio, huius vel illius sanatio: datio huius, vel illius boni; concessio huius, vel illius gratiæ; quod idem Christus sit exaltatus apud hanc, vel illam gentem; &c.

28 Tertium argum. nam nullus postulat, quod in sua habet potestate; sed Christus Dominus in cælo, habet potestatem in cælo, & in terra; ergo, &c. Maior nota est, aliàs oratio esset otiosa. Minor patet ex illo Matt. 28. *Data est mihi omnis potestas, &c.* Resp quod si hoc fundamentum Vasq. aliquid probaret, conuinceret etiam contra ipsum, quod in Christo D. neque detur oratio interpretatiua qua exponit sua vulnera, merita, &c. Si enim Christus D. habet omnem potestatem quorsum hæc ponit ante oculos Pa-

Patris vt ex illis moueatur ad concedendum id quod interpretatiuè petit, &c. Deinde dico Christum D. optimè scire, quod eius omnipotentia non est ad actum reducenda nisi media oratione ex Dei ordinatione, qua statuit quod creaturis rationalibus nihil concedatur, quando ratione vtuntur, nisi rationabiliter petatur; maximè cum ea petitio, seu oratio sit actus cultus, seu religionis, quem cultum decet præstare creaturam rationalem erga suum Creatorem.

29 Quartum argum. nam aut Christus in cœlo verè impetrat aliquid nobis, vel non. Non primum, quia Christus D. sua passione,& morte, totum opus nostræ salutis ita consumauit, vt totum reliquerit fructum suorum meritorum applicandum per Sacramenta, & alias causas particulares. Tum quia si semel aliquid impetraret, pro quo oraret, daretur ei ex gratitudine, ac proinde haberet rationem remunerationis, & sic vt beatus, aliquid mereretur,quod falsum est.Non secundũ, nam aliàs oratio Christi D. esset otiosa.

30 Resp. quod si hoc argumentum esset verum, sequeretur, quod neque Sancti in cœlo orarent. Vel Sancti sua oratione aliquid impetrarent; vel non. Non primum, nam totum suum meritum consumatum est, & a Deo remuneratum per ingressum in gloria, & si aliquid de nouo impetrant, dabitur in remunerationem orationis, & sic aliquid de nouo mererentur, quod est falsum. Neque secundum. aliàs eorum oratio esset otiosa. Deinde dico, quod Christus nihil de nouo meretur in cœlo, sed sua oratione petit fieri, quod in terris fieri meru it. Vnde si petat à Patre vt gratiam conferat Petro, non meretur de nouo illius gratiæ collationem, sed petit, quod fiat ea gratię collatio quam promeruit sua morte, & passione. Vnde consumauit quidem ante resurrectionem opus nostræ salutis quoad sufficientiam,non tamen quoad actualem applicationem.

31 Quintum argum. nam si Christus D. in cælo oraret,pro nobis possemus nos ipsum hoc modo orare. *Christe ora pro nobis*, quod tamen nunquam est factum ab Ecclesia,quæ sic solum solet Christum D. orare. *Christe audi nos, Christe exaudi nos Christe miserere nobis*, *&c.* Resp. quod absolutè posset Christus Dom. sic orari; Ecclesia tamen nõ solet sic orare ne videamur fauere Arrianis, & Nestorianis volentibusChristum D.esse purũ hominem. Tum quia mos est vt cum aliquem oramus, eum alloquamur titulo magis honorifico, non communi alijs, aliàs videretur irrideri, & contemni. Cum autem Christus D. sit Deus, & homo, debemus eum interpellare magis titulis deitatis, quam humanitatis. Et sic eum interpellamus dicendo *Christe audi nos*, *vel Christe miserere*, *&c.* qui sunt tituli, quibus Deum solemus interpellare; nec dicimus *Christe ora pro nobis*, quia est titulus quo solemus puras creaturas interpellare, vt cum dicimus. *S.Petre ora pro nobis.&c.*

DVBIVM INCIDENS.

An animæ in Purgatorio existentes orent siue per se, siue pro nobis.

32 DE hoc dubio fui interrogatus diebus præteritis,& quia non inueni illud expressè tractatum à Theologis, placuit, vt amico satisfaciam, illud hoc loco breuiter tractare. Certum est, quod sancti in cælo orent pro nobis, vt constat ex eorum inuocationibus tum in publicis supplicationibus,tum in priuatis orationibus. Si enim Sancti in Patria non orarent pro nobis, frustra à nobis inuocarentur. Dirigitur ergo hominis in hac vita degentis oratio ad sanctos in cælis,vt pro nobis intercedant apud Deum; non vt Deum instruant, certioremuè faciant de nostris necessitatibus. sed vt nostræ orationes, ipsorum precibus, & meritis, optatum consequantur effectum.Puto etiam certum quod sancti in cælo orent pro animabus in Purgatorio existentibus. Cum enim sancti, sint in maxima charitate constituti,non possunt non pro illis orare, quos vident in maxima necessitate constitutos, quique se ipsos iuuare non pos-

possunt, vt sunt animæ in Purgatorio existentes, cum sint extra statum merendi, iuxta illud Ioan. 9. *Venit nox, in qua nemo potest operari.* Tum quia orationes sanctorum sunt dictis animabus aliquo modo necessariæ, quia habent certam expectationem beatitudinis, à qua non possunt deficere, sed ad eam ascendent solutis pænarum debitis. Incongruum autem videtur, quod beati non orent pro illis, qui futuri sunt eorum socij in beatitudine.

33 Item certum est, quod nos orare possumus pro animabus in Purgatorio existentibus, maximè si ad hunc finem nostra oratio dirigatur, vt dictis animabus prosit. Si enim omnia opera bona, quæ ex charitate proueniunt, possunt valere ad aliquam solutionem pænarum, pro defunctis, si pro eis Deo offerantur, multò magis prodesse poterit oratio, cum inter opera bona, vel pia suffragia, primum locum teneat. Colligitur ex *lib. 2. Machab. cap. 12. ex cap. 16. Luc. ex 1. Cor. 15. ex lib. Tob. 4.* & alibi.

34 Difficultas est, an etiam ipsæ animæ orent pro nobis. Dico pro nobis, quia pro se ipsis aliqui volunt frustra orare, cũ non sint in statu merendi, impetrandi, aut satisfaciendi pro se ipsis, sed tantum satis patiendi. Prima sententia est, quod dictę animę nec pro se, nec pro nobis orent, sed tantum patiantur, seu satispatiantur. Sic tenet quidam modernus mordicus, & putat esse sententiam S. Doctoris de quo postea.

35 Nostra sententia sequenti concl. explicatur. *Animæ in Purgatorio existentes orant pro nobis.* Pro hac conclusione videtur stare communis sensus fidelium, qui ideo orant pro dictis animabus, suaque suffragia illis offerunt, vt ab illis adiuuentur suis precibus. Licet enim putent fideles, quod dictarum animarum preces non prosint illis, prosunt tamen ipsis fidelibus.

36 Probatur 1. nam charitas, quæ est vinculum perfectionis, vniens omnia Christi D. membra, non solum se extendit ad viuos, sed etiam ad mortuos qui in charitate decedunt. Charitas namque vita corporis non finitur, iuxta illud. 1. Cor. 13. *Charitas numquam excidit*; ergo si ob vnionem charitatis viui orãt pro mortuis, illisque eorum orationes prosunt; etiam mortui in charitate existentes orabunt pro nobis, nobisque eorum orationes prodesse poterunt, licet non prosint ipsis. Aliàs charitas mortuorum erga nos, morte finiretur; essetque maioris valoris charitas viuorum, quam mortuorum, cum tamen illorum charitas sit magis flexibilis, & minus stabilis; charitas autem mortuorum est magis firma, cum attingat charitatem beatorum, eo modo quo medium participat de vtroque extremo, & supremum infimi, attingit infimum supremi.

37 Probatur 2. nam potestas se mutuò adiuuandi orationibus inter membra Christi D. fundatur in illo articulo fidei. *Sanctorum communionem*, vt colligitur ex D. Tho. *supplem. q. 71. art. 1. 2. & 6.* sed animæ in Purgatorio existentes, continentur in illo articulo. *Sanctorum communionem*, ergo sicut nos ob hanc rationem possumus dictas animas nostris orationibus adiuuare, etiam illæ poterunt adiuuare nos.

38 Dices, quod illæ animæ orabunt pro suis charis, & amicis, & pro illis qui se adiuuarunt, quando erunt in cælo, non pro eo statu satispatiendi. Sed contra. 1. Quoniam illarum animarum charitas, nõ est finita, nec immutata per mortem; ergo si in hac vita fuissent gratæ erga suos benefactores, & erunt gratæ in Patria, non est negandum quin sit etiam gratę in Purgatorio, orando Deum, vt suis benefactoribus benefaciat. 2. Quia oratio quam pro suis benefactoribus facient in cælo, potest esse frustranea, quatenus iam necessitas transierit; ergo, &c. 3. Quia si fideles scirent, quod dictæ animæ non orabunt pro ipsis nisi postquam conuolarunt in cælum, retardarentur ab illarum suffragijs, nec se commendarent animabus Purgatorij, vtpotè Deo gratissimis, sed illis solis se commendarent quæ sunt in cælis. 4. Quia vt constat ex multis reuelationibus, multi experti sunt illarum animarum adiutoriũ,

quod

quod verum non esset, si Deum pro suis benefactoribus non orarent, & essent veluti muta quædam animalia, quæ vel non audiunt nostras orationes quibus eas in adiutorium vocamus, vel si audiunt, non possunt Deum orare, vt nobis succurrat, aut eas in adiutorium suorum benefactorum mittat.

39 Probatur 3. ex parabola de diuite Luc. 16. qui in inferno constitutus, orauit Patrem Abraham, vt mitteret Lazarum ad intingendum digitum in aqua, eo quod in ea flamma cruciaretur. *Mitte Lazarum vt intingat extremitatem digiti in aqua, quia crucior in hac flamma*; nec eius petitio fuit exaudita; vnde respondit illi Abraham. *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala*. Vnde dixit Ecclesia *feria* 5. *hebd*. 2. *Quadrag. Diues ille guttam aquæ petijt, qui micas panis Lazaro negauit*. Videns ille diues, quod non fuit exauditus de hoc, sumpsit animum, & orauit pro fratribus suis viuentibus, licet petitio fuerit inordinata, vt obseruat Iodoc. Lorichius *in thesauro verbo sancti* 10. *vers*. 6. vbi sic infert. *Si ergo is in tormentis memoriam habuit fratrum suorum, quantò potius memoriam nostri retinent sancti in cœlis, vt in necessitatibus nostris pro nobis orent?* Si dãnatus in inferno petijt pro fratribus, quantò magis poterunt hoc facere animæ in Purgatorio existentes.

40 Potissimum illius moderni fundamẽtum est auctoritas Sancti Doctoris 2. 2. *q*. 83. *art*. 11. vbi tale proponit argum. 3. in ordine. *Sicut sancti qui sunt in patria sunt superiores nobis, ita & illi qui sunt in Purgatorio, qui iam peccare non possunt; sed illi qui sunt in purgatorio non orant pro nobis, sed magis nos pro eis; ergo nec sancti qui sunt in patria pro nobis orant*. Respondet sic. *Illi qui sunt in purgatorio, etsi sint superiores nobis propter impeccabilitatem, sũt tamen inferiores quantum ad pœnas, quas patiuntur. Et secundum hoc non sunt in statu orandi, sed magis vt oretur pro eis*.

41 Resp. mentem D. Thomæ esse, quod orationes animarum existentium in purgatorio non prosunt nobis quantum ad satisfactionem, sicut nostræ orationes prosunt illis etiam quantum ad satisfactionem. Et sic animæ in purgatorio existentes non sunt in statu satisfaciendi nec pro se, nec pro nobis, & sic hoc modo non sunt in statu orandi pro nobis, sed magis vt nos pro ipsis oremus. Cæterum licet non sint in statu orandi oratione satisfactoria, sunt tamen in statu orandi oratione impetratoria, qua aliquid nobis impetrent, & in hoc non differunt à beatis. Licet differant in hoc quod beati etiam ratione status possunt pro nobis orare, & animæ in purgatorio existentes possunt pro nobis ex charitate orare, non tamen qua satispatiuntur, seu qua dicunt statum satispatiendi, hoc enim modo magis petunt vt nos pro illis oremus, vt eas liberemus, quam vt pro nobis orent. Nec videtur probabile, quod S. Doctor neget orationem in animabus Purgatorij, cum in illis animabus dentur alij actus Religionis erga Deum. Habent namque virtutem religionis infusam, cuius potissimus actus, vt docet idem S. Doctor 2. 2. *q*. 83. *art*. 3. est oratio, est enim oratio reuerentiæ, ac cultus Dei actus omnium eminentissimus. Per eam namque mentem, & omnia, Deo subijcimus, & quodammodo præsentamus, cultumq; ei offerimus maximum, ac proinde non debet denegari illis animabus in gratia confirmatis, & cum diuina voluntate conformatissimis, &c.

DISPV-

DISPVTATIO XXII.

IN QVAEST. XXII. DIVI THOMAE.

De sacerdotio Christi.

1 N 1. art. ostendit S.D. quod Christus Dom. sit sacerdos. Sacerdos enim dicitur quasi sacra dans, sacra docens, & sacra dicens. Principaliter tamen munus sacerdotis est, quod sacra det, seu offerat, non quomodocumque, sed preces, dona, & supplicationes. Hoc autem fecit Christus D. vt postea magis videbitur. In 2. art. docet, quid Christus D. simul fuit sacerdos, & hostia. *Tradidit enim semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo*. Ephes. 5. In art. 3. notat, quod effectus sacerdotij Christi, fuit peccatorum expiatio, tam quoad culpam, quam quoad pœnam. In art. 4. probat, quod Christus D. non recepit effectum sui sacerdotij, illum scilicet, qui est expiatio peccatorum, cum nullum haberet effectum expiandum. Recepit tamen illum effectum qui consequitur actum religionis, obedientiæ, & humilitatis, & est meritum, quo etiam sibi aliquid meruit, vt supra vidimus. In art. 5. explicat, quomodo sacerdotium Christi maneat in æternum, ratione scilicet effectus, qui est gratia, sui corporis gloria, sui nominis manifestatio, &c. Dicitur autem Christus D. sacerdos in æternum ratione personæ, ratione officij, & ratione effectus. Ratione personæ, quia ita est sacerdos, vt nulli successerit, nec successurus sit in eadem dignitate, &c. maximè cum semper viuat. Ratione officij, quia semper interpellat pro nobis. Ratione effectus, quia est nobis causa salutis æternæ. In art. 6. inquirit, an sacerdotium Christi D. fuerit secundum ordinem Melchisedech. Videtur quod non, Primò, quia Melchisedech non sacrificauit, nam *Gen.* 14. non dicitur obtulisse panem, & vinum, sed protulisse, non quidem Deo, sed Abrahæ. Secundò, quia Apostolus ad Hebræos excutit ea, quæ in Melchisedech pertinent ad sacerdotium Christi. Nihilominus Christus D. fuit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, vt postea videbitur.

DVBIVM I.

An Christus Dom. sit sacerdos.

2 PLura ad sacerdotem pertinent, vt in principio nu. præcedentis obseruauimus, proprium tamen eius munus est sacrificare per potestatem, singulari modo sibi collatam. Sacrificium autem nihil est aliud quam oblatio rei sensibilis à legitimo ministro, facta soli Deo immediatè per realem immutationem, sed ad testandum eius supræmum dominium, & nostram subiectionem, vt in *tract. de sacrosancto missæ sacrificio* vidimus. Vnde non loquimur hoc loco de sacerdotio impropriè, & de sacrificio impropriè, seu metaphoricè, quod est exercitium alicuius boni operis siue interni siue externi propter Deum, vt operans illi inhæreat. Et sacerdotium huic metaphorico sacrificio correspondens est dignitas, potestas, & auctoritas exercendi bonos operationes, easque in Deum referendi. Hinc psal. 50. dicitur de hoc sacrificio, metaphorico. *Sacrificium Deo, Spiritus contribulatus*. Et Eccles. 16. legitur *Qui facit misericordiam offert sacrificium*. Sed loquimur de sacerdotio, & sacrificio propriè dicto.

3 Prima sententia, seu error est Caluini, & aliorum sequacium, quod Christus

stus D. sit quidem sacerdos propriè, non inquantum est homo, sed inquantum est Deus; vnde Christus D. vt Deus erat sacerdos, at vt homo, seu secundum humanitatem fuit victima, quam Deo Patri pro nobis abtulit.

4 Veritas catholica sequenti conclusione explicatur. *Christus D. est verè, & propriè sacerdos non inquantum Deus, sed inquantum homo.* Dignitas namque sacerdotalis taliter competebat Christi D. humanitati, vt per hanc exercuerit officium, & actus sacerdotij, non tamen per illam abstractè, & nudè, sed vt terminatam à Verbo diuino, vt hac ratione & dignitas sacerdotij, & valor hostiæ, essent valoris infiniti. Colligitur hæc conclusio ex illo Apostoli 1. ad Tim. 2. *Vnus Deus, vnus & mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus.* Quorum verborum sensus est: homo Christus Iesus, i dest secundum qua homo, est mediator Dei, & hominum; idē autem est esse mediatorem, ac esse sacerdotem, aut saltem de sacerdotis ratione est includere rationem mediatoris; g. &c.

5 Colligitur etiam nostra conclus. ex illo Apost. ad Hebræos 4. *Habemus Pontificem qui penetrauit cœlos, Iesum Filium Dei,* vbi Apostolus apertè significat, quod Christus D. sit Pontifex, ac subinde Sacerdos, secundum quod homo. Iesus nāque significat humanitatem vnitam, seu Verbum vt subsistens in natura humana. His accedit definitio Concil. Trident. *sess. 22. cap.* 1. quæ omnino conformis est canoni 10. Concil. Ephesini. Ex quo, vt ex D. Thoma *art. 3. ad* 1. etiam habetur. Verbum, seu Filium Dei factum esse Sacerdotem in humana natura, seu ratione humanitatis; atque adeo non esse dicendum, quod Christus D. vt Deus sit Sacerdos, sed in quantum homo, iuxta regulam eiusdem S. D. supra qu. 16. art. 4. *quod conuenit Christo secundum humanam naturam, dicitur de illo cum hac reduplicatione, secundum quod homo* non cum ista, *secundum quod Deus.* Accedit auctoritas S. P. August. lib. 1. de consensu Euangelis. cap. 3. vbi sic fatur. *Secundum hominem, Christus & Rex, & Sacerdos effectus est,* quod etiam tradit D. Ambros. *lib. 3. de fide cap.* 5. D. Fulgent. *de fide ad Petrum cap.* 2. Bene verum est, quod ratione communicationis idiomatum dici potest, quod Deus sit Sacerdos, sicut dicitur, quod Deus est passus, mortuus, quod nos redemit, &c.

6 Probatur 1. nam de ratione sacerdotis est, quod sit inferior illi cui offert sacrificium; sed Christus D. vt Deus non est inferior Deo cui sacrificium obtulit; ergo Christus D. vt Deus, non est sacerdos, seu ratione deitatis, sed ratione humanitatis. Minor nota est. Maior probatur, nam sacerdos per actum sacrificij profitetur supremum dominium eius cui sacrificat; profitetur suam subiectionem, & inferioritatem, vt constat ex ipsa ratione sacrificij propriè dicti explicata n. 2. &c.

7 Probatur 2. & explicatur præcedēs ratio, nam Deus vt Deus non est capax superioris cui sacrificet, ergo non est capax sacerdotij. Antecedens est certum. Conseq. probatur, nam sacerdotium est institutum, vt sacerdos medio sacrificio, quod alteri offert, scilicet Deo, intercedat pro se, aut pro eo, pro quo sacrificat, sed hoc dicit inferioritatem, & subiectionem; ergo, &c. Soluuntur argumenta in contrarium.

8 Primum argu. nam Apost. ad Hebræos 5. probat Christum D. esse verè, & propriè sacerdotem, ex eo, quod Deus Pater Psal. 2. dixit illi. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Sed istud Psalmistæ dictum procedit de Christo D. qua Deus est, quo modo genitus dicitur in *hodie* æternitatis, vel dicitur genitus *hodie*, quia semper eum generat; ergo, &c. Resp. quod Apostolus ad probandum sacerdotium Christi eo loco non vtitur hoc testimonio. *Hodie genui te.* Sed isto. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Deinde dato, quod Apostolus probaret sacerdotium Christi ex illo loco, adhuc non sequitur, quod sacerdotium conueniat Christo D. secundum quod Deus est, sed quod prima radix ex qua sacerdotium conuenit humanitati, est ipsa diuinitas, si enim persona Verbi non assumpsisset hu-

humanitatem, sibi tanta dignitas non conueniret.

9 Secundum argum. nam quod competit Christo *D.* ratione naturæ humanæ, cæpit in tempore; sed Sacerdotium Christi non cæpit in tempore; ergo non competit Christo *D.* ratione naturæ humanæ. Maior nota est, quod enim cõpetit Christo ratione naturæ humanæ, non competit ante vnionem hypostaticam, sed post eam, vt patet, ac proinde in tempore. Minor ostenditur testimonio N. S. P. Cyrill. Hierosolym. *Catechesi decima*, vbi sic habet. *Immortale habens sacerdotium, quod nempe neque à tempore cæpit, nec ex hominibus promotione aliqua in sacerdotiũ ascendit, sed semper sacerdotij habuit dignitatem.* Resp. negando minorem. Ad probationem dico N. Cyrillum facere antithesim inter sacerdotium Aaron, & Christi *D.* quod illud non fuit à principio, seu ab eius conceptione, sed longo tempore post, per vnctionem olei: Aaron habuit successores in suo sacerdotio, fuit mutabile, & abrogabile. At sacerdotium Christi *D.* fuit illi à Patre datum in primo suæ conceptionis instanti, & sic non cæpit à tempore post illud instans per hominum collationem, seu ex hominum promotione, quia semper Christus *D.* à puncto conceptionis habuit sacerdotij dignitatem, quia eius sacerdotium, est immutabile, & abrogabile, immortale, &c.

10 Tertium argum. nam est de intrinseca ratione sacerdotis, quod sacrificet, aut saltem, vt sacrificium facere possit, sed Christus *D.* non potuit sacrificare; ergo. Minor probatur, nam si sacrificasset, aut sacrificare potuisset, maximè se ipsum; cum enim esset sacerdos nouæ legis non poterat aliam hostiam sacrificare quàm hostiam nouæ legis, ac proinde quam se ipsum, qui est hostia nouæ legis; sed hoc facere non potuit; ergo, &c. Minorem hanc ostendo, nam de sacrificij essentia est mactatio, seu destructio hostiæ; sed Christus *D.* non potuit destruere se ipsum; ergo, &c. Christus namque *D.* non se occidit, non se ipsum mactauit, non se ipsum destruxit, sed adhæc solum se ipsum pro nobis obtulit.

11 Respondet P. Orlandus hic *tract. 4. disp. 9. quæst. 1. num. 4.* quod solum sacerdos debet aliquo modo concurrere ad occisionem hostiæ, non tamen requiritur quod propriè eum occidat, sed sufficit quod eam certæ morti, & occisioni exponat. Sic egit Christus *D.* liberè enim se inimicorum furori exposuit ab ipsis occidendus, & hoc modo dicitur propriè se ipsum obtulisse Patri, quia voluntariè acceptauit mortem, & in eo sensu dicitur Ioan. 10. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam.*

12 Cæterum ista solutio non videtur sufficiens, nam ex eo, quod Christus *D.* sponte se obtulit inimicis occidendum, non sequitur, quod fuerit propriè sacerdos, aliàs omnes martyres, qui propter Deum sponte interrimendos tyranno se obtulerunt, essent sacerdotes, & hostia, vt fuit Christus *D.* quod nemo dicit. Tum quia Pater Orlandus non saluat essentiã sacrificij, maximè holocausti, vt fuit sacrificiũ crucis, quod sit quędam mactatio, & hostiæ destructio facta non à Macellario, sed ab ipso sacerdote.

13 Respondent alij, quod ad rationem sacrificij non requiritur mactatio, seu destrutio victimæ physicè, sed tantum moraliter, quatenus victima censetur destructa secundum communem existimationem, vt si fiat inutilis ad communes vsus, &c. vt cum aues dimittebantur cum aqua aspergebantur, &c. Hoc modo, inquiunt, Christus *D.* mactauit se ipsum, se ipsum destruxit, quatenus se ipsum neci liberè obtulit. Secundum namque communem hominem existimationem, ita Christus *D.* se gessit, ac si se ipsum interemisset.

14 Cæterum neque ista responsio satisfacit, nam cum sacrificium Christi *D.* fuerit quoddam holocaustum, & de huius ratione esset totius victimæ consumptio, vera realis, & physica, sequitur, quod ad hoc non sufficiat sola moralis destructio victimæ. Tum quia ex eo quod Christus *D.* liberè se neci obtulit

suis

suis inimicis, non sequitur, quod se ipsum moraliter occiderit, aliàs reus fuisset homicidij, & moraliter fuisset sui ipsius homicida, vt omnes tenere debent; ergo neque sequitur, quod moraliter se ipsum mactauerit, & destruxerit.

15 Resp. ergo, quod Christus D. in cruce se ipsum Patri in sacrificium obtulit pro nostra salute, & redemptione, & totum mactauerit, se ipsum totum destruerit, quatenus consensit, & voluit sui necem ab inimicis illatam, vt sui destructiuam. Sit exemplum, si agnus qui in lege veteri sacrificabatur habuisset vsum rationis, & cum videret se à sacerdote occidi vt offeretur Deo, & in talem occisionem consensisset, verè se ipsum sacrificasset. Item modo seruientes Sacrosancto Missæ sacrificio, illud audientes, &c. dicuntur consacrificantes, quia ea assistentia censentur consentire in illud sacrificium. Sic si occisores Christi D. fuissent legitimi sacerdotes à Patre deputati ad sacrificandum eius Filium, & Christus D. consensisset in sui necem, ac proinde in sui sacrificium, verè diceretur se ipsum sacrificare, aut saltem consacrificare. Quod voluisset Christus tunc, voluit etiam modo, excepto peccato quod crucifigentes committebant, & excepto quod modo Crucifixores non erant sacerdotes deputati à Deo, sed impij diaboli ministri. Et sic Christus D. voluit suam mortem, & se ipsum mactauit, destruxitque hoc modo, secundum omnia, quæ rationem peccati non inuoluebant. Vnde etiam voluit sui necem physicam, seu quatenus erat materiale peccati Iudæorum, non quatenus inuoluebat rationem formalem peccati; quæ magis explicabuntur *num.* 17.

16 Quartum argum. nam etiam sancti Martyres possunt dici sacerdotes, & quod obtulerint sui ipsorum sacrificium, cum sui mortem acceptarunt, & se occidi permiserunt; sed hoc nemo dicit, ergo, &c. Resp. quod licet sancti Martyres voluntariè, & liberè mortem acceptarint, non tamen erant ad eam oblationem constituti, à *Deo*, vel publica potestate, & consecrati ministri, & sacerdotes, ac proinde non erant sacerdotes, nec sui ipsorum offerebant sacrificium. Cæterum Christus D. erat vniuersalis, & publicus Pontifex, & supremus sacerdos à Deo constitutus, vt se ipsum in sacrificium Deo Patri offeret pro nostris peccatis.

17 Quintum argum. quoniam si semel Christus D. verè se ipsum sacrificauit, verè se ipsum mactauit, verè se ipsum in sui sacrificio destruxit, sequitur, quod etiam verè se ipsum occiderit; hoc est falsum; ergo, &c. Sequela probatur, nam ille dicitur se ipsum occidere, qui voluntate deliberata, sciens, & prudens facit actione positiua separationem animæ à corpore cum aliàs posset eam conseruare; sed Christus D. poterat animam suam conseruare, nec vlla erat potentia creata, nullum vulnus, nullum tormentum, nulla passio quæ posset eam facere, Christo nollente, iuxta illud Ioan. 10. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à me ipso*; ergo se ipsum occidit, cum posset animæ suæ separationem impedire, & non impediuit.

18 Resp. quod re vera Christus D. fecit animæ suæ separationem, modo statim explicando, ac proinde se ipsum mactauit, se ipsum destruxit; non tamen ob id potest dici sui occisor, seu sui homicida. Pro quo nota, quod in occisione duo possunt distingui, scilicet vulnus lethale quo corpus ita vulneratur, vt naturaliter tanquam effectus à causa debeat sequi mors, seu separatio animæ à corpore; deinde potest considerari ipsa separatio, tanquam effectus illius actionis exterioris, v.g. vulneris lethalis; & hoc modo eam separationem non fecit Christus D. sed fecerunt inimici, poterat tamen eam impedire, & non impediuit; imò ipse eam fecit ex alio motiuo, vt obedientiæ, qua Pater illi mortem præceperat: Patet autem quod potest quis velle separationem animæ suæ à corpore ob aliquē bonum finem, non tamen potest eam sibi inferre v.g. per aliquod vulnus. Cum enim conseruatio propriæ vitæ sit tantùm

de præcepto affirmatiuo, cessat eius obligatio aliquando, vt quando occurrit aliquod insigne bonum singularis charitatis, iustitiæ, aut alterius virtutis, quod contingit in Christum, tum ratione præcepti Patris de subeunda morte, qui habebat potestatem in corpus, & animam eiusdem Christi; tum ratione maximi boni nostri, quod erat nostra salus, nostra redemptio; tum ratione charitatis, qua subueniret nobis extremè indigentibus.

19 Addi etiam potest, quod licet Iudæi noluissent occidere Christum D. adhuc potuisset Christus D. se ipsum occidere, vt sic pro nobis redimendis moreretur si sic à Patre iussum fuisset. Si enim sancta Tecla, S. Appollonia, & alij Sancti ex instinctu Spiritus S. se ipsos in ignem comburendos iniecerunt, cum Deus sit Dominus vitæ, & mortis, hoc idem poterat præstare Christus D. tum iussu Patris qui erat Dominus animæ, & corporis Christi D. tum ob motiuum eximiæ charitatis, vt nos ab extrema indigentia spirituali eriperet, &c. Christus D. etiam ex hoc capite se ipsum sacrificauit, quatenus voluit etiam sui mortem in sacrificium pro nobis.

20 Sed quæres, an Angeli possint dici sacerdotes? Resp. negatiuè cum D. Thom. *hic art. 1. ad 1.* quia non habent proprium munus sacerdotis, quod est sacrificare. Habent tamen aliqua sacerdotum ministeria, cum sint medij inter Deũ, & homines, à quibus proinde ministerijs, sacerdos aliquando vocatur Angelus, vt Malac. 2. Neque ob id Christus D. est minor Angelis, quia non est qualiscumque sacerdos, sed omnium sacerdotum supremus princeps, superans non tantum homines, sed etiam Angelos, ratione vnionis hypostaticæ, ratione plenitudinis scientiæ, & gratiæ; ratione dominij, quod habet super omnes homines, & Angelos. Vnde cum dicitur ad Hebræ. 2. *Paulominus ab Angelis minoratus*, intelligi debet tum ratione naturæ humanæ præcisè, tum ratione passibilitatis, quam pro nobis assumpsit, &c.

DVBIVM II.

An dignitas sacerdotalis conueniat Christi D. humanitati immediatè, an animæ.

21 Prima sententia tenet, quod si loquamur de ipsa dignitate sacerdotali, ista conuenit primariò toti humanitati, & secundariò animæ Christi D. Si verò loquamur de munere actuali sacerdotis, distinguit; nam actio sacrificandi inuoluit duas actiones. Prima consistit in affectu religioso colendi Deum vt auctorem vitæ, & mortis, & hoc modo primariò conuenit animæ, est enim hæc actio actus voluntatis interior. Secunda consistit in ipsa actione victimæ occisiua, & hoc modo primariò conuenit humanitati; actio namque illa non potest immediatè, & primariò conuenire animæ. Sic tenent aliqui moderni.

22 Nostra sententia duabus concl. explicatur. Prima concl. *Loquendo de ipso actuali munere sacrificandi, ratio, seu dignitas sacerdotis in actu secundo principaliter conuenit animæ, & minus principaliter humanitati.* Hæc conclusio magis constabit ex dicendis conclusione sequenti. Nam quantum ad affectũ colendi Deum vt auctorem vitæ, & mortis, certum est, quod actuale exercitium sacerdotis pertineat principaliter ad animam; ille namque affectus cum sit actus interior voluntatis non potest immediatè, & primariò pertinere ad humanitatem, sed ad animam. Item ipsa actio exterior occidendi victimam, seu mactandi, & destruendi illam licet materialiter sit actio totius humanitatis, tamen formaliter, ac proinde principaliter est ab anima; tum quia ponitur ex imperio illius. Tum quia ab anima habet quod sit libera, quod sit humana, quod sit bona, aut mala. Tum denique quia illa actio externa licet materialiter reuocetur ad speciem religionis, tamen non ponitur formaliter in specie religionis, tanquam actio externa illius virtutis, nisi per dependentiam ab anima; ac proinde ab anima habet quod

sit formaliter actio externa religionis.

23 Secunda concl. *Dignitas sacerdotalis, est principaliter in anima Christi D.* Hæc est expressa D. Thomæ sententia infra q. 50. art. 4. ad 3. vbi ponit tale argum. *Omnis sacerdos est homo, sed in illo triduo mortis, Christus fuit sacerdos; aliter enim non verum esset, quod dicitur in psal. Tu es sacerdos in æternum, ergo Christus in illo triduo fuit homo.* Respondet. *Ad 3. dicendum, quod esse sacerdotem conuenit homini ratione animæ, in qua est ordinis character. Vnde per mortem homo non perdit ordinem sacerdotalem, & multò minus Christus, qui est totius sacerdotij origo.*

24 Probatur 1. ex dicto D. Thomæ testimonio; nam Christus D. in triduo fuit verè sacerdos, aliàs non rectè dixisset psal. *Tu es sacerdos in æternum*, idest semper, & sine interruptione, sed si dignitas sacerdotalis fuisset principaliter in Christi D. humanitate, non fuisset in Christo in æternum, seu semper, & sine interruptione; ergo non fuit principaliter in humanitate, quæ in triduo fuit dissoluta, sed in anima, quæ tunc remansit.

25 Dices 1. quia Christus D. amisit quidem illam dignitatem in triduo, eam tamen resurgendo recuperauit. Sed contra, nam si eam dignitatem in triduo amisisset, non esset per quod eam resurgendo recuperaret, quia non recuperasset eam media vnione hypostatica, quia hæc non fuit dissoluta, sed solæ partes humanitatis, *quod enim semel assumpsit, numquam dimisit*; neque eam recuperasset ex vnione partium inter se, quia vnio partium humanitatis non est causatiua tantæ dignitatis; ergo, &c.

26 Dices 2. nam in triduo non poterat Christus D. actum sacerdotij exercere; ergo non erat sacerdos. Conseq. nota est. Antecedens ostenditur, nam non potuisset v.g. consecrare cum non posset tunc verba humana proferre. Sed contra, nam licet Christus D. in triduo defectu vnionis animæ cum corpore non potuerit proferre verba humana, ac subinde verba consecrationis & consecrare, modo, & potestate ordinaria: poterat tamen consecrare per potestatem excellentiæ, quæ singulariter erat in illo, & hoc modo potuisset verum actum nouę legis sacerdotis exercere.

27 Probatur 2. nam illa dignitas, & potestas primariò conuenit animæ Christi D. cuius actus proprij sunt ab eadem anima: sed actus proprij dignitatis sacerdotalis primariò conueniunt eius animæ: ergo etiam ipsa dignitas sacerdotalis primariò animæ Christi conueniet. Maior constat, eadem namque est ratio, & proportio potentiæ ad obiectum, quæ est ratio, & proportio actus ad suum, nam potentia non respicit obiectum nisi medio suo actu. Minor probatur, nam actus sacerdotij Christus sunt morales, sunt liberi, &c. sed istæ rationes sunt ab anima, seu voluntate, quæ est potentia animæ: ergo, &c.

28 Probatur 3. quoniam illa potestas, seu dignitas subiectatur immediatè in anima, quæ est formaliter spiritualis: sed dignitas sacerdotalis Christi D. est formaliter spiritualis; ergo, &c. Maior constat, nam res proportionari debet suo subiecto; vnde res spiritualis debet subiectari in subiecto spirituali, & res materialis debet subiectari in subiecto materiali. Minor probatur, quia talis debet esse potestas, quales sunt actus illius, sed actus dignitatis sacerdotalis Christi sunt spirituales; ergo etiam dignitas erit spiritualis. Minor ostenditur, nam actus dignitatis sacerdotalis sunt cognitio supremi dominij Dei: cognitio nostræ subiectionis ad Deum. Actus voluntatis quo intendimus placare Deum medio sacrificio, &c. Sed isti actus sunt spirituales; ergo &c.

29 Probatur 4. nam ius ad aliquid agendum est aliquid spirituale, sed dignitas sacerdotalis in Christo D. est ius ad aliquid faciendum, scilicet ad sacrificandum, ergo est aliquid spirituale, ac proinde in anima subiectabitur. Minor nota est. Maior probatur, nam in ente libero, cuiusmodi est Christus D. ius faciendi aliquid conuenit primariò ratione animæ. Cum enim ius sit potestas faciendi,

di, & non faciendi, & hæc fundetur in libertate, sequitur quod & ipsum ius in libertate fundabitur, ac proinde potestas faciendi aliquid, fundabitur in libertate, ac subinde erit in anima.

30 Sed quæres, an dignitas sacerdotalis Christi D. subiectetur in anima immediatè, an in intellectu, aut voluntate? Resp. ex dictis de sacramentis in genere de Charactere ordinis, quod immediatè subiectetur in intellectu, non in anima, aut voluntate. Non in anima, quia in ea nullus habitus, seu potestas operatiua immediatè subiectatur, cum anima non sit immediatè operatiua. Neque in voluntate, quia licet voluntas sit potentia operatiua, non tamen circa verum, sed tantum circa bonum; obiectum autem dignitatis sacerdotalis est quoddam verum, scilicet recognitio diuinæ excellētię, diuinique dominij, quod habet Deus in vitam, & mortem hominis, ergo, &c. Sed est in intellectu, quia in eo est potentia operatiua executiua, vt alibi obseruauimus. Soluuntur argum. in contrarium.

31 Primum argum. est, nam potestas, seu dignitas sacerdotalis conuenit Christo D. qua homo est formaliter; ergo formaliter ratione humanitatis; Conseq. constat, homo namque non est formaliter homo nisi per humanitatem, ab anima namque homo non denominatur homo, sed animatus. Antecedens probatur ex illo Apostoli ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in ijs quæ sunt ad Deum, vt offerant dona, & sacrificia.* Resp. aliud esse loqui de subiecto dignitatis sacerdotalis, & aliud est loqui de sacerdote, nam dignitas sacerdotalis est in Christo D. ratione animæ, subiectum autem denominationis sacerdotis, seu ipse sacerdos, est homo. Vnde neque de anima, neque de humanitate dicimus quod sit sacerdos, sed de solo homine; solus namque homo in sacerdotem consecratur, solus ex hominibus assumitur, vt pro hominibus offerrat dona, & sacrificia, cum tamen dignitas sit in anima, & ab illa totus homo denominatur sacerdos, vt etiam in nobis contingit.

32 Secundum argum. nam est eadem ratio dignitatis, & potestatis sacerdotij in Christo D. quæ est regiæ potestatis, & doctoratus in hominibus; sed istæ potestates sunt primariò ratione totius compositi, vt constantis anima, & corpore; ergo &c. Tum quia Apostolus vniuersaliter loquitur de sacerdotio Christi, & aliorum hominum; sed sacerdotium aliorum hominum non durat in morte, ergo neque in Christo in triduo, quod verum non esset si primariò esset in anima. Resp. negando maiorem, nam potestas regia, dignitas doctoratus, & omnis potestas consistens in pura quadam iurisdictione, morte finitur, cum non sit nisi quædam denominatio desumpta ab illa iurisdictione, aut deputatione ad aliquod munus. At dignitas sacerdotalis est vera, & propria potestas spiritualis ad offerenda sacrificia, & dona Deo. Vnde in nobis est quædam qualitas, seu Character impressus in intellectu secundum D. Thomam, vt diximus de sacram. in genere. At in Christo si non est qualitas, saltem erit quidam modus, & quædam realis deputatio à Patre facta ad offerenda sacrificia, & dona pro nobis. Nec verum est quod dicitur in argumento quod dignitas sacerdotalis morte extinguatur, cum sit qualitas indelebilis. Vnde si aliquis sacerdos à mortuis resurgeret, non indigeret noua consecratione, vt posset sacrificare, sed vt prius, sacrificare posset. Indigeret tamen noua iurisdictione pro ijs munijs in quibus requiritur iurisdictio, cum hæc morte extinguatur.

33 Tertium argum. nam potestas, seu dignitas sacerdotij Christi D. nō est aliud formaliter quàm ipsamet humanitatis assumptæ dignificatio, per essentiam diuinam illi mediatè vnitam; sed hæc dignificatio conuenit per se primò humanitati, & ratione humanitatis eius partibus, ergo &c. Hominis namque dignificatio sequitur assumptionem humanitatis ad hypostaticè subsistendum. Patet autem quod assumptio primariò conuenit humanitati, non partibus illius. Resp. negando maiorem; dignitas namque sacerdotalis in nobis, non est dignificatio hominis, nec humani-

manitatis, sed est qualitas quædam impressa in intellectu, vt diximus, in Christo autem vel est qualitas, seu potestas excellentiæ ad sacrificandum, vel est modus quidam, aut realis deputatio, seu ordinatio ad sacrificandum, à Patre facta, &c. de quo postea.

34 Quartum argum. quoniam Christus D. secundum vnam, eademque rationem est sacerdos, hostia, & altare, seu templum ex D. Thoma hic *art*. 2. sed Christus D. est victima, seu hostia; ergo &c. Minor probatur, nam toti humanitati primariò conuenit mactari, occidi, interfici, destrui, & mori, non animæ. Similiter soli humanitati conuenit esse altare, seu templum, nomine namque templi intelligitur locus in quo victima mactatur, sed hæc occisio non fuit perfecta nisi in humanitate, non in anima; ergo, &c. Resp. distinguendo maiorem. Christus D. secũdum vnam, eademque rationem materialem est sacerdos, hostia, & altare, conceditur, secundum vnam eademque rationem formalem, negatur. Nam Christus secundum diuersam rationem formalem est sacerdos, hostia, & altare, seu templum. Vt enim erat sacerdos debebat esse viuus, at vt hostia debebat esse morti destinatus; vt sacerdos se habebat actiuè, vt hostia, passiuè. Et templum, seu altare se habebat vt locus in quo mactatio, seu occisio fiebat.

DVBIVM III.

An dignitas sacerdotalis in Christo D. sit aliquid distinctũ ab vnione hypostatica.

35 ALiqui putant hoc dubium esse superfluum, cum eius solutio dependeat ab illa quæstione, in quo consistit dignitas capitis, vnde secundum diuersas opiniones de hoc, resoluunt illud. Cæterum puto diuersam esse vtriusque dubij rationem, nam esse caput potest esse solum quid morale, vel ad summum solum quædam realis deputatio, vt patet de dignitate regia, de Prætoratu, Doctoratu, &c. non sic dignitas sacerdotalis, vt ex dicendis constabit.

36 Prima sententia est P. Vasq. infra *disp*. 82. *cap*. 2. & aliorum dicentium; Christum D. tantum ratione vnionis hypostaticæ esse Sacerdotẽ, ita quod dignitas Sacerdotalis, non sit alia dignitas superaddita dictæ vnioni, sed sit formalissimè ipsa vnio. Vnde ex hoc inferunt 1. quod Christus D. sit Sacerdos naturalis, eo modo quo est Filius naturalis Dei; cum enim sit natura sua Christus, erit natura sua vnctus, idest Sacerdos. Inferunt 2. quod fuerit triplex vnguenti genus, vt obseruat D. Hierony. *in cap*. 3. *Abacuc*, pro triplici genere personarum, & pro triplici munere quo illæ personæ vngebantur, scilicet in Sacerdotes, in Reges, & Prophetas. Vna eademque vnctio humanitatis per vnionem hypostaticam tribuit eidem humanitati triplicem illam dignitatem Regis, Sacerdotis, & Prophetæ; vnde sicut est ex vi dictæ vnionis Rex, ita est Sacerdos, &c.

37 Secunda sententia est Ilamb. *hic ad q*. 22. *disp*. 1. *art*. 9. quod dignitas Sacerdotalis Christi D. non est aliquid intrinsecum, sed sola externa deputatio facta à Patre qua deputauit Christum D. in Sacerdotem talem, ac tantum; pro quo notat, quod in dignitatibus, & præfecturis duo distinguuntur. Primum est id quo quis efficitur idoneus vt quod sit de tali origine, vel familia, de qua esse debet, qui assumi, vel eligi debet, ad talem dignitatem. Aut quod sit constitutus in tali dignitate, vt quod sit Doctor iuris, Theologiæ, &c. Secundum, est potestas operandi auctoritatiuè propria munia. Primum in Christo D. desumitur ex vnione hypostatica, secundum; denominatur ab externa Patris deputatione.

38 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Dignitas seu potestas sacerdotalis in Christo D. est quædam qualitas supernaturalis resultans in intellectu Christi D. ad sacrificandum, & ad producendum in nobis characterem sacerdotalem, & alia ad nostrum sacerdotium pertinentia.* Hanc conclusionem docet expresse S. D. infra q. 50. art. 4. ad 3. vbi sic habet. *Esse sacerdotem conuenit homini ratione animæ, in qua*

est

est ordinis character. Vnde per mortem homo non perdit ordinem sacerdotalem, & multò minus Christus, qui est totius sacerdotij origo. Ex quo habes, quod sicut in nobis dignitas sacerdotalis fundatur in charactere indelebili in anima existente, ita dignitas sacerdotij Christi fundari debet in aliqua qualitate, aut simili, indelebili, quod sit fons, & origo nostri sacerdotij vt scilicet producat saltem vt instrumentum coniunctum nostrum characterem. Hoc autem non potest esse ipsa vnio hypostatica; quia ista non est immediatè operatiua, neque sola Patris æterni extrinseca deputatio, vt vult Isamb. quia ista nihil intrinsecum ponit in anima Christi D.

39 Idem habet S. D. q. 63. art 5. vbi sic scribit. *Character sacramentalis est quædam participatio sacerdotij Christi in fidelibus eius, vt scilicet sicut Christus habet plenam spiritualis sacerdotij potestatem, ità fideles eius, ei configurentur in hoc, quod participant aliquam spiritualem potestatem respectu sacramentorum, & eorum quæ pertinent ad diuinum cultum; Et propter hoc etiam Christo non competit habere characterē, sed potestas sacerdotij eius comparatur ad characterem sicut id quod est plenum, & perfectum ad aliquam sui participationem, sacerdotium autem Christi est æternum. Et inde est, quod omnis sanctificatio quæ fit per sacerdotium eius, est perpetua, re consecrata manente, &c.* Vbi habes plura ad rem nostram. Primò, quod character sacerdotalis in nobis est participatio Sacerdotij Christi; cum autem non participet nec vnionem hypostaticā, neque extrinsecam Patris æterni deputationem, debet participare aliquam qualitatem quæ sit in intellectu Christi D. sicut character in nobis est in nostro intellectu, vt post D. Thomam, & Thomistas tenuimus *de sacram. in genere disp. 5. q. 3.* Secundò, quod in Christo D. hæc qualitas non sit character, quia nomine characteris intelligimus quandam potestatem finitam, & limitatam, vt est illa quæ militibus, & ministris concedi solet, in Christo autem D. hæc potestas cum sit in Principe, in summo Sacerdote, in fonte, & origine omnis sacerdotij, est illimitatè & quodammodo infinitè, ratione vnionis hypostaticè. Tertium quod sacerdotium Christi, est quid plenum, atque perfectum, & sacerdotium nostrum est quædam illius participatio. Sed agamus rationibus.

40 Prima ratio, nam si dignitas sacerdotalis in Christo D. esset indistincta ab vnione hypostatica, & consequeretur personam diuinam, esset imparticipabilis, sed hoc est falsum, ergo, &c. Minor nota est, participatur namque dignitas sacerdotalis Christi D. à dignitate sacerdotali nostrorum sacerdotum; vnde videmus quod sicut Christus D. in cæna consecrauit, & ipsi consecrant per virtutem ab ipso participatam, vt colligunt Theologi ex illo Christi D. *Hoc facite in meam commemorationem*. Maior probatur, nam vnio hypostatica est imparticibabilis, & si semel posset participari, esset in ordine ad similem effectum producendum, quem in Christo D. producit, participans namque, & participatum debent assimilari in ordine ad effectum productum, vel producendum; sed vnio hypostatica non producit aliam vnionem, nec in se, nec in suo participato; ergo, &c. Tum quia vnio hypostatica non est actiua; ergo nec etiam eius participatio erit actiua, cum tamen dignitas sacerdotalis in nobis, scilicet character sacerdotalis, sit potentia actiua, cum per eam sacerdos conuertat substantiam panis, & vini, in corpus, & sanguinem Christi D. in Eucharistia. Antecedens probatur, quoniam Christus D. non consecrauit in cæna per vnionem hypostaticam, seu vtendo vnione hypostatica, non ordinauit Apostolos in sacerdotes per vnionē hypostaticam, sed per potestatem excellentiæ, seu per quandam potentiam illi similem; quam causauit in Apostolis, & causat in nobis ad similes effectus consecrationis, &c.

41 Secunda ratio, quoniam dignitas sacerdotalis debet esse potentia operatiua in Christo D. ergo non potest esse sola extrinseca Patris æterni deputatio. Conseq. constat, sola namque extrinseca deputa-

putatio non est potentia operatiua. Antecedens ostenditur. Nam dignitas sacerdotalis in nobis non est sola extrinseca deputatio, sed est aliquid impressum in anima, indelebile, & ab intrinseco indestruibile, vt fides docet, aliàs sacerdotes non indigerent Episcopi consecratione, sed sufficeret populi deputatio, vt fiebat in idolorum sacerdotibus. Tum quia per solam extrinsecam deputationem, non possent nostri sacerdotes facere illam mirabilem conuersionem, seu transubstantiationem substantiæ panis, & vini, in corpus, & sanguinem Christi D. ergo neque dignitas sacerdotalis in Christo D. erit sola extrinseca deputatio Patris æterni, sed erit intrinseca dignitas, & intrinseca potentia, qua Christus D. in cæna vsus est ad consecrandum, ad ordinandos Apostolos, &c. aliàs si nihil fuisset intrinsecum, nihil operari potuisset, sola namque extrinseca deputatio, si non supponat potentiam operatiuam, non confert vim ad operandum.

42 Tertia ratio. Ideo tria Sacramenta nouæ legis, scilicet Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt Characterem in anima, quia conferunt spiritualem quãdam potestatem in ordine ad spirituales quosdam effectus; nam Baptismus tribuit spiritualem potestatem passiuam ad alia Sacramenta recipienda. Confirmatio tribuit potentiam actiuam ad fidei professionem. Ordo tribuit potentiam actiuam ad propria munia cuiuscumque ordinis exercenda; sed dignitas sacerdotalis in Christo D. tribuit potestatem, seu potentiam actiuam ad consecrandum in cæna, seu ad offerendum se ipsum incruentè in cæna, & ad se offerendum cruentè in cruce: tribuit potestatem ad consecrandos sacerdotes, ad ordinandos Episcopos, ad deputandos, & mittendos Euangelij Prædicatores, &c. ergo aliquid erat in Christi anima impressum, v.g. quædam qualitas supernaturalis ad dicta munia præstãda, cuius noster ordinis character est participatio.

43 Quarta ratio, nam Deus in hoc differt ab hominibus, quod cum homines iniungunt alijs hominibus aliquod officiũ nihil interni illis tribuunt, quo disponantur, aptenturque pro tali officio. Sicut cum homines alios diligunt vt bonos, vt pulchros, non bonos, non pulchros eos faciunt, sed vel supponunt, vel fingunt, vel imaginantur. Cum volunt homines ab alijs diligi, nihil illis tribuunt, quo diligantur: cum volunt sibi credi, nil tribuunt quo sibi credatur: cum volunt alios in se sperare, nil tribuunt, qui in se sperent, &c. Non sic Deus; nam cum aliquem deputat ad aliquod officium, vel ministerium, vt ad sacramenta ministranda, conficienda, &c. tribuit quo talia munia, aut ministeria præstentur. Cum aliquos ad aliquid peragendum deputat, tribuit quo deputati sua munia exequantur. Quocirca non diligit homines quia bonos, quia pulchros, sed diligendo facit bonos, facit pulchros, scilicet in anima per gratiam. Cum vult ab hominibus diligi, tribuit quo diligatur, cum vult credi, tribuit quo credatur; cum vult sperari, tribuit, quo speretur; ergo cum deputauerit Christum D. vt summum sacerdotem, debuit illi aliquid tribuere intrinsecè quo tale munus exerceret.

§. I. Soluuntur argu. primæ sententiæ, quod dignitas sacerdotalis in Christo D. sit ipsamet unio hypostatica.

44 PRimum argum. desumit Vasqu. ex testimonijs Sanctorum Patrum, qui loquentes de Christi D. sacerdotio, volunt non distingui ab vnione hypostatica. Potissimè premit ille testimonium S.P.N.Cyrilli lib.11.in Leuit.vbi sic habet. *Istud oleum*, quo scilicet Christus D. dicitur vnctus, *noli quærere in terris, quod super caput infunditur magno sacerdoti, qui est Christus; sed si videtur, disce à Propheta Dauid istud oleum quale sit. Dilexisti inquit iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis: istud ergo est oleum lætitiæ, quod capiti eius infusum fecit eum Christum*. Et post multa sic scribit. *Hic ergo est magnus sacerdos, qui solus oleo Domini*

mini vnctus est, & in quo semper sanctum permansit diuini Chrismatis oleum; idem repetit alibi. Resp. Sanctum Patrem solum velle, quod per oleum diuinitatis, aut vnionis hypostaticæ Christi D. humanitas vncta est in Deum, ratione cuius idem Christus D. erat idoneus ad recipiẽdam à Patre dignitatem sacerdotalem, vel ratione cuius factus est idoneus ad exercenda munia tanti sacerdotij; nam etiam in lege veteri præcipiebat Deus, quod ad sacerdotium, idonei assumerentur. Vnde Exodi 31. præcipit Deus Moysi vt sanctificaret sacerdotes. *Sanctificabisque eos, vt sacerdotio fungantur mihi*. Et hoc modo etiam Christus D. fuit sanctificatus & vnctus, vt sacerdotio fungeretur.

45 Secundum argu. nam inde Christus D. vt homo habet quod sit sacerdos, & habeat dignitatem sacerdotij, vnde habet eius æternitatem; sed æternitas sacerdotij Christi D. prouenit ab vnione hypostatica, ergo, &c. Maior nota est, nam perfectio æternitatis, est quædam proprietas sacerdotij Christi, eiusque perfectio. Minor probatur, nam vt docet Apostolus ad Hebræos 7. sacerdotium Christi est secundum rationẽ vitæ insolubilis. Sic enim dicit Apost. *Qui non secundum legem mandati carnalis, sed secundum virtutem vitæ insolubilis*, factus est sacerdos. Hæc autem ratio vitæ insolubilis, est ratio vnionis hypostaticæ. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dico, Apostolum solum velle quod sacerdotium Aaron nihil intrinsecum ponebat insolubile, & æternum, vt facit sacerdotium Christi, & nostrum, quod est quędam illius participatio.

46 Tertium argum. nam Christi D. humanitas habet à diuinitate, & Verbi personalitate quidquid confertur hominibus per quascumque creatas vnctiones, per quas siue Reges, siue Prophetæ, siue Sacerdotes consecrantur, qua ratione sanctificatio humanitatis per diuinitatem vocatur vnctio; ergo non aliunde humanitas Christi D. habet dignitatem sacerdotalem quam à diuinitate, seu vnione hypostatica. Resp. quod humanitas habet à diuinitate quascumque vnctiones, quibus idonea fiat ad quascumque dignitates, & etiam ad dignitatem sacerdotalem, tamen ipsa dignitas sacerdotalis est noua quædam qualitas supernaturalis, noua quædam potestas ad exercenda munia sui sacerdotis.

47 Ex quibus infertur 1. quod licet verum sit, quod esse Filium Dei naturalem, esse Christum, esseque vnctum vnctione essentiali, seu personali sit non minus naturale Christo D. quam esse filium Dei, tamen cum hoc stat, quod ipsa dignitas sacerdotalis distinguatur ab illa vnctione substantiali, qua Christus D. constituitur idoneus ad dignitatem sacerdotalem. Infertur 2. quod Christus D. ex vi vnionis hypostaticæ habet solum idoneitatem non ipsam dignitatem sacerdotalem, & filiationem naturalem habet ex vi vnionis hypostaticæ.

§. II. Soluuntur argum. secundæ sententiæ, quod dignitas sacerdotalis, sit quædam extrinseca Patris æterni deputatio.

48 PRimum argum. desumunt ex Apost. ad Hebræos 5. vbi sic legitur. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron: sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, filius meus es tu, ego hodie genui te, & in alio loco dicit. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Vnde notanda est comparatio inter Aaronem, & Christum D. quod scilicet sicut Aaron nõ sumpsit sibi honorem vt Pontifex fieret, sed ex diuina vocatione, seu deputatione, sic & Christus D. nonnisi ex diuina deputatione Pontifex factus est. Resp. quod comparatio non tenet in omnibus, vt sicut sacerdotium Aaronicum nihil imprimebat in anima illius, ita & sacerdotium Christi, & nostrum, quod constat esse falsum, sed comparatio in hoc tenet, quod sicut Aaron non clarificauit semetipsum, vt sacerdos fieret, sed ex diuina electione, ita & Christus D. non clarificauit semetipsũ vt

vt sacerdos fieret; sed à Patre fuit clarificatus, cum à Patre receperit dignitatem sacerdotalem.

49 Secundum argum. nam quod aduenit alicui completo, & constituto, aduenit ab extrinseco, sed sacerdotium Christi D. illi aduenit iam constituto; ergo aduenit ab extrinseco, seu ex diuina deputatione. Resp. quod sacerdotium Christi D. aduenit ipsi iam constituto in esse filij Dei per vnionem hypostaticam, non tamen aduenit illi iam constituto in esse sacerdotis. Sicut in nobis dignitas sacerdotalis aduenit nobis iam constitutis in esse hominis, non tamen in esse sacerdotis, propterea est aliquid realiter superadditum. Et quia nobis iurisdictio aduenit iam in esse sacerdotis constitutis, propterea ab extrinseco aduenit.

50 Tertium argum. quod datur ab agente per intellectum, & voluntatem cum solemni iuramento promissorio durationis in perpetuum, datur tantum per extrinsecam conferentis voluntatem, non tanquam quid debitum; sed sacerdotium Christi D. datum à Deo agente per intellectum, & voluntatem, ac proinde omnino liberè, cum iureiurando de illius perpetuitate, vt constat ex illo psal. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum, &c.* ergo aduenit ab extrinsecò, & tanquam quid indebitum. Resp. ex hoc argumento solum probari contra primam sententiam, quod sacerdotium Christi D. non sit ipsa vnio hypostatica, sed aliquid illam consequens, & à Deo infusum animæ Christi D. in primo suæ conceptionis instanti.

51 Quartum argum. Si Christus D. esset sacerdos per aliquam qualitatem sibi in anima infusam, solum posset esse sacerdos, non hostia, & altare, sed de fide est, quod sit sacerdos, hostia, & altare, seu templum; ergo, &c. Minor nota est ex illo Apostoli ad Ephes. 5. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis.* Maior probatur, nam si semel Christus D. est sacerdos per aliquam qualitatem, maximè operatiuam, seu actiuam eo simili modo quo in nobis character est qualitas actiua; sed character in nobis non offert ipsum offerentem, sed hostiam ab eo distinctam; ergo, &c. Resp. negando maiorem. Ad probationem dico, quod licet in nobis character non offerat ipsum subiectum vt hostiam, quia non est hostia à Deo deputata vt offeratur Deo pro peccatis hominum; tamen quia Christus D. vtrumque habet, est enim tum sacerdos, tum hostia deputata, & ordinata, vt Deo offeratur pro peccatis nostris, ideo illa qualitas actiuè etiam suum subiectum offert Deo pro nobis. Est etiam Christus D. templum, & altare, seu ara in qua hæc victima Deo offertur, vt supra vidimus. In sacrificio cruento crucis, etiam alia ara assignari potest, in qua hoc diuinissimum sacrificium peractum est, & est ara sanctæ Crucis.

DVBIVM IV.

De excellentia sacerdotij Christi D.

52 IN hoc dubio plures resoluemus difficultates, ex quibus remanebit explicata excellentia dignitatis sacerdotalis Christi D. Prima difficultas est, an sacerdotium Christi sit expiatorium pro peccatis? Resp. affirmatiuè, sic docet Apost. ad Hebræos 9. dicens, *Qui per Spiritum S. semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis*, quæ sunt peccata. Notandum tamen ex Caiet. hoc loco, quod expiatio peccatorum, non est solum effectus sacerdotij Christi D. sed sunt alij, vnum enim, & idem sacrificium Christi adæquat omnes effectus, & differentias sacrificiorum legis veteris. In lege veteri erant sacrificia *propitiatoria*, & Christi D. sacrificium est propitiatorium. In lege veteri erant sacrificia *latreutica*, id est honoraria, quæ fiebant ad colendum Deum, & Christi D. sacrificium fuit honorarium ad Deum colendum. Erant in lege veteri sacrificia, & hostiæ pacificæ, & Christi D. sacrificium fuit pacificum, ponens pacem inter Deum, & hominem.

Erant sacrificia impetratoria ad beneficia obtinenda, & Christi D. sacrificium est impetratorium omnis beneficij. Est autem sciendum, quod sacrificium Christi non habuit erga se ipsum rationem propitiatorij, cum nullum haberet peccatum, sed tantum respectu nostri; fuit tamen respectu sui propitiatorium, ad obtinendam nominis exaltationem, corporis gloriam, &c.

53 Secunda difficultas, an sacerdotium Christi D. fuerit Aaronicum? Resp. negatiuè, sed fuit illo longè perfectius. Quod non fuerit Aaronicum, constat, quia Aaronicum sacerdotium debebat esse de tribu Leui, *Exo.* 29. *& Leuit.* 28. sed Christus D. non fuit de stirpe Leui, sed de regia stirpe, seu tribu Iuda *Matt.* 1 *ad Hebr.* 7. & alibi. Quod autem fuerit Aaronico sacerdotio perfectius, patet, tum ratione durationis, quia est æternum: tum ratione efficaciæ, quia sacerdotium Christi facit remissionem omnium peccatorum; quod non faciebat sacerdotium Aaronicum: tum etiam ratione valoris, & dignitatis, quæ in Christo erat infinita, ratione suppositi.

54 Tertia difficultas, an sacerdotium Christi D. fuerit aliquod sacerdotium legis naturæ, an aliud illo perfectius? Resp. quod erat quocumque sacerdotio legis naturæ perfectius. Pro quo nota, quod tribus modis contingebat in lege naturæ aliquem esse sacerdotem. Primò ex vi primogenituræ, nam tum ante diluuium, tum post, vsque ad Moysen primogeniti erant sacerdotes, vt obseruat D. Hieron. *Epist. ad Euagrium, & de traditionibus Hebraicis cap.* 27. qua ratione Esau vocatur prophanus, eo quod vendidit suam primogenituram fratri suo minori Iacob, cum in ea vendiderit dignitatem sacerdotalem, per quod prophanus fuit. Hoc modo Christus D. non fuit sacerdos legis naturæ, tum quia iam erat abrogatum per legem Moysi. Tum etiam quia non obtulit sacrificium proprium legis naturæ.

55 Sed dices, quod Christus D. fuit sacerdos vt Abel ex speciali Dei instinctu, non ex vi primogenituræ. Resp. enim, quod Christus D. non fuit hoc modo sacerdos, cum non obtulerit sacrificium de primogenitis gregis suæ, vt faciebat Abel, nec de eorum adipibus *Gen.* 4. aliàs Iudæi eum accusassent, vt præuaricatorem legis Mosaycæ, cum sacrificasset, & non esset sacerdos Leuiticus.

56 Secundò non fuit sacerdos ex speciali *Dei* instinctu, *vt* fuit Abel, ob rationem iam dictam. Tertiò ex particulari populi deputatione, vt etiam apud Gentiles mos erant. Nam neque isto modo Christus D. consecutus est suum sacerdotium, cum ex sola tribu Leui, cuius Christus D. non erat, apud Iudæos deputarentur sacerdotes, qui soli sacrificia propria legis Mosaycæ Deo immolabant, quæ alia omnino diuersa erant à sacrificijs legis gratiæ. Erat ergo sacerdotium Christi D. aliud omninò perfectius, & nobilius sacerdotio legis naturæ, vt constat ex dictis *num.* 53.

57 Quarta difficultas, an sacerdotium Christi D. fuerit secundum ordinem Melchisedech? Resp. affirmatiuè, non quoad istum sensum, quod Christus D. fuerit à Melchisedech in sacerdotem institutus, nec quod Christi *D.* sacerdotium fuerit eiusdem omnino rationis cum sacerdotio Melchisedech; sed quoad istum sensum, quod dignitas, & excellentia sacerdotij Christi D. fuit perfectè repræsentata per sacerdotiũ Melchisedech. Sic tenet, & explicat S.D. hic *art.* 6. vt enim colligitur ex Apost. *ad Hebræos cap.* 7. Melchisedech dicitur Rex pacis, & iustitiæ, sacerdos Dei altissimi, absque genealogia, sine Patre, sine Matre, quod principium, nec finem dierum haberet; propter ista concludit Apostolus *Assimilatus autem filio Dei manet sacerdos in perpetuum*, quasi dicat, in istis omnibus recensitis gessit figuram, & similitudinem Christi Filij Dei quoad rationem sacerdotis æterni.

58 Quinta difficultas, in quo consistat repræsentatio sacerdotij Christi D. per Melchisedech? Resp. consistere potissimè in sequentibus: Primò, in potestate,

state, & dignitate regia, erat enim Melchisedech Rex Salem, quod est idem ac Rex pacis, Rex pacificus, Rex iustitiæ, & Christus D. Isa.9.dicitur. *Princeps pacis*; & ad Collos.2. dicitur *pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt*. Secundò in dignitate sacerdotali, quatenus vnus, idemque Melchisedech erat Rex, & Sacerdos veri Dei, & Christus D. ita erat rex, vt simul esset sacerdos, iuxta illud psal.2. *Ego autem constitutus sum Rem super Sion*, &c. Et *Tu es sacerdos in æternum, &c.* Tertiò in repræsentatione æternitatis Christi, seu personæ Christi D. sacerdotis, quatenus sicut Melchisedech describitur sine Patre, sine matre, sine genealogia, sine principio, & fine dierum, ita Christus D. quoad generationem æternam est sine matre; quod temporalem est sine Patre. Vnde de Christo D. dicitur. *Est sine matre Deus, & sine Patre, caro*. Quartò in excellentia sacerdotis Melchisedech; supra sacerdotium Aaronicum, ab illo decimas accepit in persona Abrahæ, illique benedixit. Quintò in perpetuitate, & carentia successionis in sacerdotio, nam Melchisedech nullũ in sacerdotio habuit successorem, vt habebant sacerdotes Aaronici. Christus autem D. nec habuit, nec habebit vnquam successorem in eius sacerdotio, vnde vocatur sacerdos in æternum. Sextò consistit hæc repræsentatio in vnitate oblationis, nam Melchisedech, vt legitur, semel tantum obtulit sacrificium, nec habuit qui post mortem eius suum iteraret sacrificium. Ita Christus D. semel tantum se ipsum obtulit in Cruce, vt docet Apost. in epist. ad Hebræ. *Vnam pro peccatis offerens hostiam: vna oblatione consumauit sanctificatos, &c.* Et in hoc nullũ habuit successorem. Melchisedech obtulit panem, & vinum; & Christus idem præstitit in cæna, cum sub speciebus panis, & vini, suum obtulit corpus, & sanguinem.

59 Sexta difficultas, an Christus D. fuerit sacerdos secundum ordinem Melchisedec solum quoad sacrificium incruẽtum, quod obtulit in cæna, an etiam quoad sacrificium cruentum, quod obtulit in cruce? Resp. quod etiam fuit sacerdos secundum ordinem Melchisedech quoad sacrificium cruentum. Quod Christus D. fuerit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, quoad sacrificium incruentum, quod obtulit in cæna, constat, quia se gessit eo ferè modo quoad ritum, & modum quo se gessit Melchisedech, offerendo panem, & vinum; cum discrimine, quod Melchisedec obtulit purum panem, purumque vinum; at Christus D. sub speciebus panis, & vini obtulit suum corpus, & sanguinem; ea tamen oblatio, fuit figura istius. Quod autem Christus D. fuerit sacerdos secundum ordinem Melchisedec etiam quoad sacrificium cruentum crucis, constat, tum quia etiam in hoc habetur repræsentatio æternitatis, in hoc non habuit successorem, in hoc fuit vnitas oblationis, & in hoc figurabatur oblatio panis, & vini, quia Christus D. obtulit se ipsum vt verum panem viuum, iuxta illud. *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi*. Et eius sanguis est vinum inebriens corda hominum.

60 Septima difficultas, quare Christus D. dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedech, & non secũdum ordinem Aaronis? Resp. quod Christus D. non dicitur sacerdos secundum ordinem Aaronis. Primò quia sacerdotium Aaronicum erat abolendum per sacerdotium Christi D. per Apost. *ad Hebræos* 7. Cæterum sacerdotium Melchisedech, quod erat sacerdotiũ naturæ, debebat à Christo D. perfici, & ad altiorem statũ euehi. Secundò, quia Aaronicum sacerdotium erat vni tantum Tribui alligatum, scilicet Tribui Leui, *Exodi* 28. At sacerdotium Christi non fuit de Tribu Leui, cum Christus D. esset de Tribu Iuda. Tum quia Christi D. sacerdotium non est alligatum vni Tribui, nec vni genti, nec vni nationi, sed est omnibus vniuersale.

61 Octaua difficultas, an Christus D. sit Angelis superior ratione sacerdotij? Resp. affirmatiuè, nam dignitas, & munus sacerdotis attenditur penes preces publicas, publicasque supplicationes, &

publi-

publica sacrificia, quæ sacerdos offert pro populi peccatis, & necessitatibus, ex Apost. *ad Hebræos* 5. sed quantum ad hoc est omnibus Angelis superior. Hac ratione Christo D. ratione sacrificij crucis, flectitur omne genu, cælestium, terrestrium, & infernorum.

62 Sed dices, quod Christus D. ab Apost. *ad Hebræos* 2. ratione sui sacrificij crucis dicitur. *Paulo minus minoratus ab Angelis*; ergo, &c. Resp. hoc dici non ratione sacerdotij, nec sacrificij, sed ratione mortalitatis, & passibilitatis, quæ in Angelis non reperitur. Vnde tum ratione dignitatis sacerdotalis, tum ratione hostiæ oblatæ, Christus D. erat omnibus Angelis superior, cum ratione vtriusque esset excellentiæ, & dignitatis infinitæ.

63 Nona difficultas, an sacerdotium Christi D. sit eiusdem rationis cum sacerdotio legis nouæ? Resp. quod sacerdotium Christi D. est longè altioris perfectionis, & modi. Primò, quoniam sacerdotium Christi D. erat ordinatum ad offerendum sacrificium tum incruentum, tum cruentum, at nostrum sacerdotium est ordinatum tantum ad sacrificium incruentum; nam sacrificium nostrum non est cruentum, sed tantum incruentum. Secundò, nam Christi D. sacerdotium non erat sacramentis alligatum, Christus namque poterat Sacramentorum effectus sine ipsis conferre. At nostrum sacerdotium est Sacramentis alligatum, vt non possit Sacramentorum effectus conferre sine materia, & forma propria illorum. Tertiò, Christi D. sacerdotium non erat ex aliqua exteriori consecratione, sed ex vnione hypostatica, & interiori infusione, non quidem characteris, sed valde excellentioris qualitatis, vt supra vidimus. Quartò, nam sacerdotium Christi se habet ad nostrum, sicut causa vniuersalis ad particularem, & sicut causa quædam principalis ad instrumentalem, &c. Hinc docet S.D. *art.* 3. *ad* 2. quod in Ecclesia offertur quotidianum *Missæ* sacrificium, vt virtus oblationis cruentæ, ad homines deriuetur.

DISPVTATIO XXIII.

IN QVAEST. XXIII. DIVI THOMAE.

De adoptione Christi.

1 IN 1. artic. docet S.D. Deum adoptare in filios. Adoptio namque est gratuita assumptio personæ extraneæ, ad ius hæreditatis, quod ex vi suæ originis non habebat. Et sic cum Deus nos assumat gratuitò ad ius suæ hæreditatis, seu beatitudinis, quæ ex vi nostræ originis non debetur, sequitur, quod nos adoptet in filios. Differt autem adoptio Dei ab humana, quod ista fiat ex defectu filij naturalis, ac illa ex Dei bonitate, volentis suam perfectionem, & se ipsum alijs communicare. Adoptio humana ordinatur ad succedendum in hæreditate, at diuina ordinatur ad communicationem eiusdem hæreditatis, manente eo qui adoptat. Adoptio humana non facit adoptatum idoneum ad hæreditatem, sed supponit. At adoptio diuina reddit adoptatum idoneum, tribuendo gratiam per quam habet ius ad hæreditatem, scilicet ad gloriam.

2 In art. 2. ostendit S.D. quod adoptare conuenit toti Trinitati, cum enim adoptare sit quoddam facere, & facere ad extra sit à tota Trinitate, sequitur, quod adoptare sit à tota Trinitate; vnde sequi-

sequitur quod ratione adoptionis simus filij etiã spiritus S. & quod spiritus S. possit hoc modo dici pater noster. Tamen secũdum quandam appropriationem, adoptio tribuitur Patri vt auctori, non solũ quatenus in eo elucet potentia, quæ illi appropriatur, sed etiã quatenus emisit filium in mundum, qui est nostræ adoptionis causa. Tribuitur Spiritui S. vt danti nobis gratiã, quæ est diffusa in cordibus nostris per Spiritum S. Ipsi nãque tribuitur bonitas quæ est omnium bonorũ quę habemus fons, & origo. Peculiariter tamen adoptio nostra tribuitur filio, partim vt exemplari, quia nostra adoptio, seu nostra filiatio adoptiua aliquam habet similitudinẽ cum filiatione eius naturali. Partim vt instrumento diuinitati coniuncto, &c. Et partim vt causæ meritoriæ.

9 In art. 3. dicit, quod adoptari est proprium rationalis creaturæ, quia hæc sola est capax cælestis hæreditatis. In art. 4. declarat quomodo Christus D. etiam quatenus homo non possit dici filius adoptiuus, sed tantum naturalis, *Luc.* 1. *Matt.* 16. *Rom.* 8. & alibi. Cæterum sit.

DVBIVM I.

An Deo conueniat adoptare.

4 ADoptio in communi, & apud Legistas definitur, quod sit *actus legitimus per quem quis fit filius alterius, cuius alioqui filius non est*; potest etiam adoptio fieri alicuius in nepotem, & remotiores consanguineos. Sylu. *v. adoptio n.* 1. Fit etiam in sexu foeminco. Duobus modis fit adoptio. Primò, quando filius familias, qui sub patris potestate est, ab alio adoptatur in filium, & hæc propriè vocatur adoptio. Secundò, quando qui in filium assumitur, est sui iuris, & hæc propriè vocatur adrogatio, de quibus *instit. tit.* 11. *de adoptionibus*. Adoptans dicitur pater adoptati, & adoptatus dicitur filius adoptantis: ille est pater adoptiuus, iste filius adoptiuus Exodi 2. Filia Pharaonis, adoptauit sibi Moisen in filium. Et Esther. 2. Mardochæus Ester filiam fratris sui defuncti, sibi adoptauit in filiam.

5 Effectus huius adoptionis est, quod adoptatus ab intestato succedit patri adoptiuo etiam extraneo, licet viuente patre suo naturali, in adoptiui patris potestate non fuerit, *Instit. loco cit.* Cessat adoptio per mortem adoptantis; vel per emancipationem adoptati. Filius adoptatus ex *auth. licet de naturalibus liberis*, sicut, & filij, rescripto Principis legitimati, dicuntur soboles ciuilis; vbi quod pater prohibetur adoptare filios suos naturales.

6 Ad probationem tres requiruntur conditiones. Prima ex parte adoptantis, vt adoptio fiat gratis, & liberaliter, si namq; fiat aliquo titulo oneroso, est potius contractus, ex iustitia sui inducens debitũ. Secunda cõditio requiritur ex parte adoptati, vt sit extraneus adoptanti, quatenus debet eo coniũctionis gradu carere ad quem assumitur. Vnde filius adoptiuus vt talis, solo affectu coniũgitur adoptãti, non coniũctione naturali. Tertia cõditio est, vt qui adoptatur cõsentiat, & adoptari velit, nam qui adoptatur subijcitur adoptanti, nullus autem nisi volens alteri subijcitur. Quocirca si adoptatus non est rationis compos, requiritur saltem Principis consensus, aut eius, cuius est sub tutela.

7 Solet etiam adoptio definiri, quod sit *assumptio gratuita personæ externæ ad hæreditatem, aut partem illius*; vel vt dicebamus nu. 1. *est assumptio personæ extraneæ ad ius hæreditatis, quod ex vi suę originis non habebat*, notanda est etiam differentia inter adoptionem diuinam, & humanam, quam dicto nu. 1. posuimus. His positis quæritur, an Deo conueniat adoptare. Negarunt hoc aliqui hæretici, illi præsertim, qui diuinæ visionis possibilitatem negabant; cum enim isti negarent possibilitatem communicationis cælestis hæreditatis, per consequens negabant posse aliquem assumi ad hanc hæreditatem.

8 Veritas catholica sequenti concl. explicatur. *Deo conuenit adoptare.* Colligitur ex sacra scriptura; præsertim ex illo Apost. Ro. 8. *Quod si filij & hæredes, hære-*

redes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Non sumus autem hæredes æternæ hæreditatis nisi ratione filiationis, non quidem naturalis, vt patet, sed ratione filiationis adoptiuæ. Ratio desumitur ex tradita adoptionis definitione, nam adoptare est personam extraneam gratis, & liberaliter acceptare seu assumere ad ius hęreditatis, sed Deus assumit creaturam rationalem ad ius hæreditatis æternæ; ergo, &c.

9 Sed obijcies 1. nam adoptio debet esse inter eos qui sunt eiusdem naturæ, aliàs homo posset adoptare Angelum, & Angelus hominem; sed homo non est eiusdem naturæ cum Deo; ergo non potest ab eo adoptari. Resp. negando maiorem; adoptio namque ibi esse potest, vbi est bonorum communicatio, seu vbi fieri potest bonorum communicatio. Adoptio enim inducta est ad faciendam bonorum communicationem, ac proinde naturarum conuenientia, ibi solum requiritur, vbi necessaria est ad faciendam bonorũ communicationem. Vnde licet inter Deum, & hominem sit naturarum distinctio, cum tamen possit esse bonorum communicatio, poterit esse adoptio. Quocirca si Angelus haberet aliqua bona, quę homini posset communicare, & è contra, posset hominem adoptare.

10 Obijcies 2. quoniã adoptio repugnat subiectioni; vnde implicat, quod manens seruus adoptetur; sed creatura titulo creationis, alijsq; multis, est Dei serua, illique pleno iure subiecta; ergo non potest adoptari. Resp. negando maiorem, nam pupillus est subiectus tutori, aut curatori, & tamen potest à tutore, aut curatore adoptari. Vnde non obstat, quod creatura rationalis sit multis titulis sub dominio Dei, nam etiam alijs titulis potest esse amica, & filia, iuxta illud. *Iam non dicam vos seruos, sed amicos, &c.*

11 Obijcies 3. quoniam adoptio inter homines inducta est ad solatium orbitatis, quando scilicet Patres nullus habent filios; sed in diuinis Pater habet filium naturalem, sibique consubstãtialem; ergo non potest fieri aliorum filiorum extraneorum adoptio. Resp. distinguendo maiorem: ita vt illa conditio orbitatis sit omnino necessaria, & de essentia adoptionis, & negatur: ita vt illa conditio sit extrinseca adoptioni secundum se, & suam substantiam considerata, & negatur. Deinde dico, quod licet in humanis illa conditio admittatur, non tamen in diuinis, seu respectu Dei. Ratio discriminis est, quia hæreditas humana non potest esse æquè filij naturalis, & adoptati, cum sit finita, & de facto finiatur ex multis partitionibus. Cæterum hæreditas Dei cum sit infinita, non minuitur ex eo quod à multis possideatur, sed potius augetur saltem quoad gloriam accidentalem, eo quod crescat gaudium ex multiplicatione beatorum.

12 Obijcies 4. nam ista adoptio vel est relatio realis, aut rationis: neutrum dici potest; ergo non datur; non est relatio rationis, vt est adoptio inter homines, quia relatio rationis non potest conferre ius reale ad beatitudinem; neque potest esse relatio realis, quia non potest assignari realis ratio fundandi, & reale fũdamentum. Resp. quod adoptio ex parte creaturæ rationalis est realis relatio habẽs pro fundamento generationẽ, seu regenerationẽ spiritualem, qua Deus per gratiam filios spirituales sibi generat, eos admittẽs ad participationem regni cęlestis, iuxta illud Io. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ex quo habes quomodo adoptio diuina sit longè nobilior humana, quia hæc nihil intrinsecum ponit in anima, quod sit fundamentum realis relationis, at illa ponit gratiam sanctificantem. Humana fit per solum affectum, at illa diuina fit per gratiam intrinsecam. Adoptato humana requirit mortem adoptantis, vt adoptatus consequatur hæreditatem; non sic diuina, cum hæreditas diuina, possit communicari adoptato sine detrimento Patris, & Filij naturalis.

13 Obijcies 5. nam adoptio tribuitur Deo per analogiã ad adoptionem humanam; ergo sola adoptio humana est vera & propria non adoptio diuina, sed hæc est solum per analogiam, ac proinde quo-

quodamodo metaphoricè. Resp. negando antecedens, aliud namque est, quod nomen adoptionis sit translatum ab humanis ad diuina, & aliud est, quod res significata sit hoc modo trallata. Res nãque significata, propriè, & non tantum metaphoricè de Deo dicitur. Imò Deus magis propriè adoptat hominem, vel Angelum, quam vnus homo adoptet alium. Nam illa adoptio est magis propria per quã magis propriè quis constituitur filius, sed hoc habetur in adoptione diuina; ergo, &c. In adoptione namque diuina communicatur filiatio nobilior, altior, & intrinseca, fundata in gratia sanctificante. At in adoptione humana communicatur solum quædam filiatio ciuilis, quæ in nullo realiter communicato fundatur, cum sit solum quædam relatio rationis.

14 Obijcies 6. quia si semel adoptio conueniret Deo, solum Patri conueniret, non cæteris personis diuinis, hoc est falsum; ergo, &c. Minor constat, nam cum adoptio sit quædam actio, sicut adoptare est quoddam agere, & in Deo ad extra agere sit totius Trinitatis, sequitur, quod adoptare sit totius Trinitatis. Maior probatur, nam adoptio est quædam generatio, est similitudo generationis, & imitatio generationis, ergo soli Patri competere potest, qui in diuinis generat. Resp. ex dictis, quod adoptio est totius Trinitatis, cum enim sit actio ad extra, à tota Trinitate esse debet. Nec refert, quod in diuinis solus Pater generet, non Filius, neque Spiritus S. nam etiam iure ciuili, qui non possunt generare, possunt adoptare, vt sunt senes, secus est de illis quibus generatio interdicitur, vt sunt Monachi professi, & clerici in sacris constituti. Quomodo autem adoptio per quandam appropriationem attribuatur Patri, cæterisque personis diuinis diximus *n.2.*

DVBIVM II.

Quinam adoptari possint.

15 IN hoc conueniunt omnes, quod sola creatura rationalis possit adoptari, vt tradit S. Doctor art. 3. & cum eo omnes. Illa namque sola creatura est capax adoptionis spiritualis, qualis est diuina, de qua loquimur, quæ est capax sanctificationis, iustificationis, visionis, & amoris beatifici, cum in horum possessione Dei hæreditas consistat, cum Deus solum his modis sua bona communicet, sed sola creatura rationalis tum humana, tum Angelica est capax sanctificationis, visionis, & amoris beatifici; ergo sola creatura rationalis est capax adoptionis. Vbi namque non est intellectus, & voluntas, non potest esse visio beata, nec amor beatificus. Tamen vt rem hanc clarius habeamus aliquas difficultates proponemus.

16 Prima difficultas, an reprobi sint filij adoptiui, seu an sint capaces filiationis adoptiuæ, seu an possint adoptari? Negant aliqui eo fundamento ducti, quia non sunt per efficacem Dei voluntatem ordinati ad vitam æternam, quæ est Dei hæreditas, seu quæ est hæreditas quam Deus communicat adoptatis. Nihilominus omnino dicendum est, quod reprobi quandiu sunt in gratia, sunt verè filij Dei per adoptionem, seu sunt verè filij adoptiui. Est contra Gabrielem *in 3. dist.* 10. *art.* 1. aliosque antiquos. Ratio euidens est, quia reprobus quandiu est in gratia verè iustus est, est verum Christi D. membrum, habet ius ad gloriam, cum gratia sit ius ad gloriam; ergo reprobus quandiu iustus est, est verè filius Dei adoptiuus, habens ius ad æternam hæreditatem. Ratio namque filij adoptiui, & hæredis non consistit in hoc, quod hæreditatem adeat, & de facto illam consequatur; aliàs etiam in humanis filius adoptiuus non esset talis nisi post mortem patris, quando adit hæreditatem; sed in hoc consistit, quod habeat ius ad hæreditatem, quod ius habet reprobus quandiu manet in gratia.

Et per hæc patet ad fundamentum sententiæ Gabrielis.

17 Secunda difficultas, an prædestinati sint semper, & re ipsa filij Dei adoptiui? Resp. negatiuè, sed tunc tantum quando sunt in gratia, quando namque prædestinati sunt in peccato mortali, cum careant gratia, quæ est semen gloriæ, & ius ad gloriam non sunt filij adoptiui, cum pro tunc careant iure ad hæreditatem. Vnde Apostolus Rom. 8. dicit. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei*. Reprobi quandiu sunt in gratia, spiritu Dei aguntur, & prædestinati, quando non sunt in gratia, spiritu Dei non aguntur, ac proinde pro tunc non sunt filij Dei.

18 Sed dices, nam Ioann. 11. Christus D. dicitur mortuus, *vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum*, vbi vocantur filij Dei, qui sunt dispersi, scilicet extra Ecclesiam, ac proinde in mortali peccato, & pro quibus Christus D. mortuus est, vt eos in vnum congregaret. Resp. quod prædestinati, quandiu sunt in peccato mortali, dicuntur filij non quidem actu, & simpliciter, sed secundum æternam prædestinationem, qua in vitam æternam sunt destinati, licet actu non sint intrinsecè destinati, sed tantum extrinsecè, & per quandam filiationem potentialem, vel actualem extrinsecam per solam relationem rationis, vt est adoptio humana, vt dub. præced. visum est.

19 Tertia difficultas, an Patres legis veteris essent filij Dei adoptiui, quandiu erant in gratia? Resp. affirmatiuè, ratione namque gratiæ habebant ius ad hæreditatem, licet pro tunc cælum esset clausum. Adoptio tamen legis nouæ, est perfectior, quia non solum tribuit ius participandæ hæreditatis, sed etiam ipsam possessionem, ipsumque ingressum in regnum ijs qui perfectè purgati sunt, siue in hac vita, siue in Purgatorio. Igitur filiatio sanctorum Patrum erat minus perfecta quam nostra, quia differebat in aliud tempus possessionem hæreditatis, etiam longe post mortem, licet nulla pœna temporalis remaneret exoluenda pro peccatis. Nō sic adoptio, & filiatio legis nouæ, quia si in moriente in gratia nulla remaneat pœna exoluenda, statim concedit possessionem hæreditatis. Hac ratione status legis euangelicæ vocatur Rom. 8. *Status adoptionis*, & status legis veteris vocatur *status seruitutis*.

DVBIVM III.

An Christus D. in quantum homo sit filius adoptiuus.

20 Prima sententia, seu potius error est, quod Christus D. sit filius Dei adoptiuus, saltem in quantum homo. Sic tenuerunt Helipandus, & Fælix Episcopi Hispani. Eandem sententiam, seu errorem, *non* eodem animo, tenent Durandus *in 3. dist. 4. q. 1.* Ricard. ibid. & alij, addentes abstinendū esse ab hoc loquendi modo ob hæresim Arij, & Nestorij, nam isti cum vellent Christum D. esse purum hominem, absolutè dicebant esse filium adoptiuum, quomodo loquebantur Helipandus, & Fælix; si tamen ponatur particula limitatiua *quatenus homo*, aut similis, ille loquendi modus admitti potest, cum tunc nullum sit periculum fauendi hæresi Arij, & Nestorij.

21 Veritas catholica duplici concl. explicatur. Prima concl. *Christus Dom. etiam cum reduplicatione in quantum homo, qua homo, secundum quod homo, &c. non est filius Dei adoptiuus.* Hæc conclusio fuit definita in Concil. Francofordiensi, & ab Adriano Papa contra Helipandum, & Felicem, asserentes Christum D. esse filium Dei adoptiuum.

22 Probatur 1. elegantissimo D. Thomæ testimonio hic art. 4. in corpore, vbi sic habet. *Filiatio propriè conuenit hypostasi, vel personæ, non autem naturæ, vnde & in 1. p. dictum est, quod filiatio est proprietas personalis. In Christo autem non est alia persona, vel hypostasis, quàm increata, cui conuenit esse filium per naturam. Dictum est autem supra quod filiatio adoptionis est participata similitudo filiationis naturalis. Non autem recipitur aliquid dici participatiue,*

tiuè, quod per se dicitur. Et ideo Christus qui est filius Dei naturalis, nullomodo potest dici filius adoptiuus. Ex quo testimonio duę deducuntur rationes conuincentes intelligentes terminos. Prima sic. Christus D. est filius Dei naturalis, ergo non est, nec dici potest adoptiuus. Antecedens probatur, nam filiatio conuenit non naturæ, sed personæ, sed persona Christi est vna, & increata, & filius Dei naturalis; ergo, &c. Conseq. constat, quia filiatio adoptiua est quædam participatio filiationis naturalis, idem autem non potest esse participans, & participatum. Secunda est, nam quod est tale per se, seu quod dicitur per se, non dicitur participatiuè; sed Christus Dom. est filius per se, idest naturalis; ergo non potest dici participatiuè, seu adoptiuè.

22 Probatur 2. nam Christus D. secundum quod homo, est filius Dei per gratiam vnionis, sed gratia vnionis hypostaticæ, non facit filium Dei adoptiuum, sed naturalem; ergo, &c. Maior nota est, gratia namque habitualis in Christo D. non facit filium, seu de non filio filium, sed habet rationem effectus filiationis naturalis, vt colligitur ex illo Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia, & veritatis*, vbi ex gloria vnigeniti, seu filiationis naturalis, oritur, quod sit in Christo plenitudo gratiæ sanctificantis, &c. Minor est etiam nota, nam gratia vnionis communicat humanitati assumptæ personalitatē filij Dei naturalis, ergo non facit filium adoptiuū, sed naturalem. Tum quia filiatio per se primò competit personæ, sed persona Christi, etiam vt subsistens in natura humana, non est capax filiationis adoptiuæ; ergo, &c. Minor ostenditur, nam filiatio adoptiua non habet locum nisi in persona extranea, cui naturaliter non competunt bona paterna; sed Christo D. ex vi vnionis hypostaticæ competunt omnia bona Patris, nec potest dici persona extranea; ergo, &c. Non enim Christus D. ratione gratiæ assumitur ad æternam hæreditatem, sed iure vnionis hypostaticæ.

23 Probatur 3. nam filius adoptiuus non est vnitus adoptanti realiter, sed solo affectu, scilicet medio charitatis vinculo, quæ solum iustos vnit cum Deo affectu, non reali aliqua vnione, sed Christi D. humanitas est vnita Deo non solo affectu, sed vnione reali, & physica, constituente vnam, eandemque personam cum Verbo diuino, ergo humanitas Christi non potest dici adoptiua, aliàs vna, eademque persona esset filius naturalis, & adoptiuus, esset persona necessaria, seu cui ex necessitate debetur hæreditas, & extranea, cui solum hæreditas debetur gratuito.

24 Sed dices, quod ex his rationibus solum probatur, quod Christus D. non possit dici filius adoptiuus absolutè, & simpliciter, bene tamen cum addito, & ratione communicationis idiomatum, & in concreto, eo modo quo in concreto dicitur Deus mortuus, passus, &c. ratione humanitatis. Prædicata namque humanitatis propria, dici possunt de Deo in concreto; sed esse filium adoptiuum sequitur humanitatem in gratia existentem, estque illius prædicatum proprium; ergo dici potest in concreto de supposito, seu de Christo, &c. Resp. quod ea tantum attributa, seu prædicata possunt ex parte humanitatis dici de Christo D. per communicationem idiomatum, quæ sunt illius propria, non verò quæ sunt tantum propria suppositi creati, cum autem adoptio sit propria personæ creatæ, sequitur, quod per communicationem idiomatum non possit dici de Christo.

25 Secunda concl. *Humanitas Christi D. non potest dici filia adoptiua.* Sic S.D. *eodem art. 4. ad* 1. Ratio constat ex dictis, quoniam adoptio est proprietas hypostasis, seu personæ, non naturæ; definitur enim, quod sit assumptio personæ extraneæ; sed humanitas Christi Dom. non est persona, ergo non potest dici filia adoptiua. Soluuntur argumenta in contrarium.

26 Primum argum. nam D. Irenæus *lib. 3. aduersus hæreses cap.* 21. videtur admittere in Christo Dom. adoptionem, sic enim solet citari. *Qui filius Dei est, filius hominis factus est, commixtus Verbo Dei*, vt

vt adoptionem percipiens, fiat filius Dei. Eiusdem opinionis, & sententiæ videtur D. Hilarius *lib. 2. de Trinitate post medium*, quatenus dicit. *Ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*. Resp. quod illa verba, *vt adoptionem percipiens*, non intelliguntur de Christo D. sed de ipsis hominibus, vt sensus sit. *Filius Dei, filius hominis factus est*, vt homo, idest cætus hominum, seu vt homines perciperent adoptionem, & fierent filij adoptiui per gratiam. Ad testimonium D. Hilarij respondetur quod *ly adoptatum*, sumitur metaphoricè, prout est idem ac assumitur. Vnde sensus D. Hilarij est, quod filius Dei non amisit suæ potestatis dignitatem, dum assumpsit nostram naturam passibilitati obnoxiam.

27 Secundum argu. Quicumque ex libera Dei voluntate habet gratiam habitualem, est filius Dei adoptiuus, sed Christus D. habet gratiam habitualem gratuito; ergo est filius Dei adoptiuus. Maior constat; gratia namque habitualis cum sit semen gloriæ, tribuit ius ad gloriam, ac proinde constituit filium, non naturalem, sed adoptiuum Resp. negando maiorem; gratia namque habitualis vt constituat filium adoptiuum debet poni in persona extranea. Vnde cum persona Christi non sit extranea, non potest per gratiam habitualem fieri filius adoptiuus. Vel dic cum Orlando *hic disp. 11. q. 1. n. 4.* quod licet gratia habitualis Christi D. & nostra sint eiusdem rationis, tamen Christo D. data est ex debito vnionis hypostaticæ, non nostra. Vel etiam dic, quod non quæcumque libera voluntas acceptandi aliquem ad hæreditatem facit filium adoptiuum, sed illa solum quæ in adeunte hæreditatem negat quodcumque ius ad illam. Christus aut D. ius aliquod habebat ad cælestem hæreditatem.

28 Tertium argum. nam vbi in natura rationali reperitur negatio iuris ad communicandum in bonis alterius, ibi potest esse adoptio, sed in humanitate Christi Dom. secundum se, est negatio iuris ad communicandum in bonis Dei; ergo humanitas Christi Domini potest adoptari. Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem: nam ex suppositione, quod Christi D. humanitas est Verbo diuino vnita hypostaticè, habet aliquod ius ad cælestem hæreditatem. Deinde dato, quod nullum haberet ius, vt si Verbum diuinum assumeret humanitatem in puris naturalibus, adhuc tamen non sequitur quod posset adoptari, si postea ex libera Dei voluntate acciperet gratiam, & gloriam, quia, vt dicebamus, ad adoptionem non sufficit gratuita hæreditatis, scilicet gratiæ, & gloriæ collatio, sed requiritur quod fiat personę extraneæ, qualis non est Christus D.

29 Quartum argum. proprius effectus gratiæ sanctificantis est facere filium Dei, non naturalem; ergo adoptiuum. Resp. negando maiorem, proprius namque effectus gratiæ sanctificantis, est facere diuinæ naturæ consortem, seu est sanctificare animam; facere autem filium adoptiuum attenditur penes subiectum capax, quale non est Christus D. tum ratione filiationis naturalis, tum quia non est persona extranea, tum etiam quia ex vi vnionis hypostaticæ habet aliquod ius ad cælestem hæreditatem.

30 Quintum argum. Eadem est rat io adoptionis, ac seruitutis, sed Christus D. potest dici seruus Dei secundum quod homo, seu secundum humanitatem vt supra vidimus; ergo etiam dici poterit filius adoptiuus secundum quod homo, seu secundum humanitatem. Resp. negando maiorem. Ratio est, quia seruitus, quæ Christo D. tribuitur, non est prædicatum personæ, sed naturæ ratione inferioritatis, & ratione creationis passiuæ, & sic seruitus potest attribui Christo Dom. ratione communicationis idiomatum. Cæterum filiatio, & adoptio, sunt prædicata conuenientia supposito, seu propria suppositi, & ratione suppositi conueniunt naturæ, & sic non possunt ratione naturæ tribui supposito. Quod autem seruitus sit proprium naturæ prædicatum, constat, quoniam seruire ita est suppositi denominatiuè, vt tamen elicitiuè, & effectiuè sit naturæ: Vnde sicut alia naturæ prædicata in concreto

creto

creto possunt de Christo D. prædicari, sic & seruire, & esse seruum.

DVBIVM IV.

An Christus D. in quantum homo sit filius Dei naturalis.

31 PRima sententia absolutè docet, quod Christus Dom. quatenus homo non sit propriè filius Dei, sumendo illam particulam siue specificatiuè, siue reduplicatiuè. Hanc defendit Ilambert. *hic ad q.23. disp. vnica art.6.* Secunda sententia dicit, quod Christus Dom. est filius naturalis Dei, & prout *ly Deus*, supponit pro prima persona Sanctissimæ Trinitatis, scilicet pro Patre, & etiam prout *ly Deus* supponit pro subsistente in tribus diuinis personis; Pro quo notant, quod duobus modis potest quis dici filius naturalis alterius. Primò maximè propriè, accipiendo naturam per veram, & propriam generationem, procedendo vt viuens à viuente coniuncto in similitudinem naturæ, quo modo in diuinis Verbum est verè, & propriè filius, & hoc modo Christus D. est solius Patris æterni Filius naturalis, non tamen quatenus homo, cum non accipiat à Patre per generationem humanitatem, sed quatenus Deus, cum hoc modo à Patre per generationem accipiat diuinitatem. Secundò minus propriè, quatenus communicatur aliquid proprium genito, non extraneum, sed intrinsecum tamquam termino totali, & hoc modo Christus D. est Filius naturalis Dei quatenus Deus est, vt substantiuè accipitur pro subsistente in tribus personis diuinis, & hoc modo Christus D. non solum est Filius Patris, & Spiritus S. sed etiam sui ipsius. Et hæc filiatio est à priori distincta, nam illa est æterna, hæc temporalis, cum fiat per actionem vnitiuam humanitatis ad Verbi diuini subsistentiam, quæ actio est à tota Trinitate, & in hoc sensu dicunt posse Christum Dom. dici Filium Trinitatis. Vnde quando Patres dicunt non posse dici Filium Trinitatis, putant intelligi de prima filiatione, non de ista secunda, quo etiam nos dicimur filij Dei, & Deum vocamus Patrem, cum dicimus. *Pater noster qui es in cælis.*

32 Nostra sententia duabus conclus. explicatur. Prima conclus. *Christus D. nullo modo potest dici filius naturalis sanctissimæ Trinitatis, ac proinde nec sui nec Spiritus Sancti.* Hanc conclusionem docet S.D. hic art.2. ad 2. vbi sic loquitur. *Nos per adoptionem efficimur fratres Christi, quasi eundem patrem habentes cum ipso: qui tamen alio modo est pater Christi, & alio modo est pater noster, vnde signanter Dominus Ioan.20. seorsim dixit, Patrem meum, & seorsim dixit, Patrem vestrum: est enim Pater Christi naturaliter generando, quod est proprium sibi. Est autem Pater noster voluntariè aliquid faciendo, quod est commune sibi, & Filio, & Spiritui Sancto. Et ideo Christus non est Filius totius Trinitatis, sicut nos.* Vbi, vt vides, nos dicimur filij totius Trinitatis, quia totius Trinitatis est adoptare, facere namque quemcumque effectum in creaturis est commune toti Trinitati, facere autem filios adoptiuos est effectus, ergo &c. Filius ergo adoptiuus est factus, non genitus. Cæterum Christus D. non potest dici Filius Trinitatis, quia cum sit genitus à Patre, non potest esse à Trinitate factus. Vt enim dicitur in Symbolo, Filius est *genitus, non factus*, quod etiam canit Ecclesia dicens *Genitum, non factum.*

33 Probatur 1. ex sacra Scriptura, nam Christus D. aliter vocat Deum Patrem suum, & aliter vocat Patrem nostrum; Ioan.20. dicit. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum*, dum enim Christus D. dicit *Deum meum, & Patrem meum*, ostendit Deum esse Patrem suum per æternam generationem: dum autem dicit *Patrem vestrum*, ostendit Deum esse tantum Patrem hominum beneficio gratiæ, & adoptionis, vt notant S.P. Aug. *tract. 121. in Ioan.* D. Ambros. *lib. 1. de fide cap.6. & lib.3. de Virg. cap.9.* N.S.P. Damasc. *lib.4. de fide cap.8.* & alij. Vnde Christus D. nunquam dixit communiter nobiscum

Pa-

Pater noster, qui es in cælis, quemadmodum docuit nos orare. Si enim semel Christus *D.* esset Filius Trinitatis, seu Dei, vt vnus est, seu vt dicit subsistentem in tribus personis diuinis, qua ratione *Deus* est Pater noster, etiam aliquando nobiscum dixisset *Pater noster, qui es in cælis*.

34 Probatur 2. ex illa confessione *D.* Petri *Tu es Christus Filius Dei viui*, quam idem Christus D. approbauit, dicens. *Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, &c.* Matth. 16. Vbi expresse significatur, Christum D. alio speciali titulo, & longe excellentiori modo, esse Filium Dei, quam sint Elias, Ieremias, Ioannes Baptista, & alij Prophetæ, qui ibidem recensentur, qui tamen erant filij facti, non geniti, adoptiui, non naturales, si autem Christus D. esset filius totius Trinitatis, iam esset factus, non genitus, esset adoptiuus non naturalis, &c. Vnde Papa Adrianus in sua Epistola sic ad rem habet, *Nunquid non dixit Petrus, tu es Christus, qui propter nos factus es filius hominis, & per adoptionem factus es filius Dei? absit hoc, nec Petrus confessus est, nec sancta Ecclesia*. Soluuntur argum. in contrarium.

35 Primum argum. desumitur ex Epist. Adriani I. quæ habetur in principio Concilij Francfordiensis, vbi dicit, quod illa verba Matth. 3. *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui* dicta fuerunt de Christo D. vt homine, à tota Trinitate, ergo Christus est Filius totius Trinitatis. Conseq. constat, si enim tota Trinitas dixit, *Hic est Filius meus dilectus*, sequitur quod Christus vt homo sit totius Trinitatis Filius, aliàs Trinitas fuisset mentita, non potest autem esse Filius Trinitatis secundum diuinitatem; ergo secundum humanitatem. Maior præterquam quod constat ex auctoritate illius Pontificis, potest sic euidenter confirmari; nam omnis actio ad extra, est à tota Trinitate, sed prolatio illorum verborum. *Hic est Filius meus dilectus*, est actio ad extra; ergo est à tota Trinitate. Resp. concedendo antecedens, & negando conseq. Licet enim formatio illorum verborum, vt actio ad extra, sit à tota Trinitate, tamen solam primam personam significant, pro eaque sola supponũt quantum ad rationem Filij, licet quoad rationem complacentiæ de Christo vt homine possit etiam supponere pro tota Trinitate.

36 Secundum argum. nam generatio consistit in communicatione esse intrinseci, & substantialis, sed tota Trinitas per actionem qua vniuit humanitatem personæ Verbi diuini, communicat esse diuinum eidem humanitati, eique intrinsecum, & substantiale; ergo Christus D. vi huius communicationis dicetur Trinitatis Filius, & à tota Trinitate genitus. Resp. negando maiorem; ad generationem namque non sufficit communicare aliquid intrinsecum alteri, aliàs etiã ignis diceretur generare alium ignem, & ignis genitus diceretur filius ignis generantis, quod non est verum, nisi impropriè, & metaphoricè. Similiter omnis creatura diceretur à Deo genita, æquus, Asinus, lapides, &c. essent Filij Dei, & absolutè Filij Dei vocari possent. Vt ergo quis dicatur filius alterius, debet non fieri, sed gigni, seu oriri tanquam viuens à viuente coniuncto in similitudinem naturæ.

37 Tertium argum. nam si Pater, & Spiriritus Sanctus assumerent humanitatem, & fierent homines, essent filij Dei, non adoptiui, ergo naturales; sed hæc filiatio esset respectu totius Trinitatis, & non fundaretur in generatione proprijssimè dicta; ergo, &c. Resp. quod si Pater, & Spiritus S. incarnarentur essent quidem filij naturales B. Virginis si in ea incarnarentur, non tamen essent filij naturales Dei, neque sanctissimæ Trinitatis. Vnde Pater tunc esset Pater incarnatus & diceret relationem ad filium in esse Patris, & aliam relationem filiationis temporalis diceret ad *Matrem*. Pariformiter Spiritus S. esset Spiritus S. incarnatus, & diceret relationem ad Patrẽ, & Filium qua Spiritus S. & aliam filiationis

nis

nis temporalis ad matrem. Quocirca tunc per communicationem idiomatum Pater esset homo, & esset Filius, esset Pater; & esset Filius, &c. idem dicendum de Spiritu Sancto. Neque tunc Pater & Spiritus S. essent filij adoptiui cum non essent personæ extraneæ, assumptæ ad hæreditatem ad quam non haberent ius.

38 Secunda conclus. *Christus D. inquantum homo est filius naturalis Dei, non prout ly Dei supponit pro subsistente in tribus personis diuinis, neque prout supponit pro tota Trinitate, sed prout supponit pro persona Patris æterni*. Ita S. Doctor *hic art.2. & 4.* & omnes Theologi hoc loco. Colligitur ex sacra Scriptura. Luc. 1. dicitur. *Quod enim nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Rom.8. habetur. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, idem alibi. Quæ testimonia intelliguntur de Christo D. quatenus homo, & quatenus natus est de Maria Virgine, & pro nobis traditus est, &c. ac proinde quatenus homo est filius Dei naturalis.

39 Probatur 1. nam Christus D. quatenus homo habet totum id quod requiritur vt sit filius naturalis; ergo re vera est talis. Conseq. constat. Antecedens probatur, nam Christus D. quatenus homo includit filiationem Dei naturalem, sed qui includit filiationem Dei naturalem, habet totum id quod requiritur vt sit Filius Dei naturalis; ergo &c. Minor nota est, qui enim includit filiationem Dei naturalem est Filius Dei naturalis. Maior probatur, nam Christus D. vt homo, duo dicit, scilicet hypostasim, & naturam humanam, seu dicit hypostasim vt subsistentem in natura humana; sed hypostasis Christi D. subsistens in natura humana est ipsa filiatio diuina, est ipsa relatio filiationis Verbi diuini, ergo Christus vt homo habet totum id quod requiritur ad hoc vt sit Filius Dei naturalis.

40 Dices, quod adhoc vt Christus D. inquantum homo dicatur Filius Dei naturalis, non sufficit, quod habeat filiationem Dei naturalẽ, sed requiritur quod procedat pro veram generationẽ à Deo, hoc enim requiritur ad fundandam verã relationem filiationis naturalis. Sed contra, nam implicat quod forma, aut quasi forma ponatur in subiecto apto, & illi non tribuat suam denominationem, seu suum effectum formalem; ergo implicat, quod ponatur in humanitate filiatio Dei, seu Verbi diuini, & non tribuat suum effectum formalem: Sed effectus formalis filiationis Verbi diuini, seu filij Dei, est reddere filium naturalem, ergo cum hæc ponatur in humanitate, eam faciet filiam naturalem, & sic Christus D. vt homo erit Filius Dei naturalis, ratione inclusæ filiationis naturalis Dei. Vnde ad hoc nõ est necessaria noua generatio ex Deo, sed communicatio filiationis ab æterno genitæ.

41 Probatur 2. nam ideo communiter negatur ista propositio *Christus inquãtum homo est Deus*, quia in hoc *inquantum homo*, non includitur diuinitas; sed in ista *Christus inquantum homo* includitur subsistentia, & humanitas, ergo Christus in quantum homo est Filius Dei, cũ in ista includatur filiatio. Ideo enim Christus D. inquantum homo non est Deus, quia hoc modo non includit deitatem; ergo cum Christus D. vt homo includat filiationem Dei, dicetur Filius Dei.

42 Probatur 3. nam filiatio solum tribuitur personæ, & naturæ solum ratione personæ; sed persona Christi D. est Filius Dei naturalis; ergo Christus D. est Filius Dei naturalis. Maior constat, nam ille propriè est filius, qui est terminus *qui* generationis, terminus autem *qui* generationis est persona, vt patet. Minor etiam constat, nam in Christo D. non est nisi vna persona, vt fides docet, eaque æterna, & Filius Dei, ergo, &c.

43 Probatur 4. quoniam in hoc consistit potissimè incarnationis mysterium, vt ille qui vt Deus, est Filius Dei naturalis per æternam generationem, fit in tempore, in quantum homo filius naturalis per vnionem hypostaticam, quatenus factum est, vt humanitas verè, & propriè sit natura substantialis Filij Dei, & per

per consequens, quod Christus vt homo sit Filius, & hæres, nam etiam vt homini hæreditas debetur ex vi dictæ vnionis; ergo, &c.

44 Probatur 5. nam quod alicui conuenit per naturam, non potest ei attribui per participationem; sed esse Filium Dei conuenit Christo D. per naturam; ergo non potest ei tribui per participationem, ac proinde Christus D. absolutè, & simpliciter erit Filius Dei naturalis. Maior nota est. Minorem docet D. Ambros. *lib. 1. de fide cap. vlt.* dicens. *Filius aut per adoptionem, aut per naturam dicitur. Per adoptionem nos filij dicimur, ille per veritatem naturæ est.* Et lib. de incarnat. *Domin. Sacram.* cap. 8. dicit. *Adoptiuum filium non dicimus filium esse natura.*

§. I. *Explicatur quomodo Christus vt homo sit filius Dei naturalis.*

44 Licet ex dictis satis clarè colligi posset qua ratione Christus vt homo sit Filius Dei naturalis, tamen claritatis gratia hoc explicabimus, referendo prius aliorum sententias, easque reiciendo, postea referendo nostram, eamque comprobando.

45 Prima sententia, seu primus modus explicandi, est P. Suarez *disp. 46. sect. 1 & 2.* vbi dicit quod Christus D. vt homo est Filius Dei naturalis, quia etiam vt homo habet ratione vnionis hypostaticæ, ius ad bona Dei; ius autem ad hæreditatem est proprium filiorum, quod autem Christus D. vt homo habeat ius ad hæreditatem Dei, & ad bona illius probat ex Apost. ad Hebræos 1. vbi dicit, *Nouissimè locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem vniuersorum, &c.* Eodem ferè modo loquitur Vasq. *disp. 89. cap. 14.* addens, quod si Pater, & Spiritus S. incarnarētur, essent filij naturales totius Trinitatis, ob istud ius ad bona Dei.

46 Hæc sententia nunquam placuit Card. de Lugo vt testatur *disp. 31. sect. 2. art. 8.* Et meritò. Primò quia ex illa sequitur, quod Spiritus Sanctus sit Filius naturalis Dei non per naturalem generationem, vt Verbum, sed ratione *iuris* ad bona Dei vt Christus D. Hoc est inauditum; ergo. Sequela probatur, nam ideo Christus D. est filius naturalis per Suarez, & Vasq. quia habet naturale ius ad bona diuina, non per gratiam superadditam, sed ratione sui constitutiui; sed etiam Spiritus S. non minus quàm Christus D. habet ius ad bona diuina; ergo erit filius naturalis. Secūdò sequeretur quod Christus D. ratione gratiæ sanctificantis haberet aliam filiationem naturalem; quia licet gratia sanctificans non tribuat Christo D. filiationem adoptiuam ratione incompossibilitatis subiecti, tribuit tamen ius ad gloriam, seu ad æternam hæreditatem, ac proinde tribuet filiationem naturalem, ratione istius iuris. Tertiò sequeretur quod Christus D. esset filius naturalis sui, Patris, & Spiritus S. eo ipso quod est filius totius Trinitatis, quod ex dictis supra constat esse falsum. Quartò, quia illi auctores destruunt definitionem generationis communiter receptā, quod sit *origo viuentis à viuente, in similitudinem naturæ.* Cum per illos saluetur vera filiatio, ac proinde generatio, cum solo iure ad hæreditatem, sine tali origine.

47 Secunda sententia, seu modus dicendi est aliorum, qui sic generationis definitionem accomodant Christo D. vt eius naturalem filiationem explicent. Nam Christus D. procedit à Deo vt viuens à viuente, vt patet: in similitudinem naturæ, quia etiam vt homo habet naturam Deo similem, cum sit factus ad similitudinem Dei. *Faciamus hominem ad similitudinem nostram.* Gen. 2. Est à principio coniuncto, quia in Christo inuenitur aliquid Dei, scilicet Verbi diuini subsistentia, intrinsecè Christum D. constituens. Cum ergo definitio generationis conueniat Christo D. in ordine ad Deum; sequitur quod sit filius naturalis illius.

48 Sed ista sententia displicet, nam destruit definitionem generationis, quæ est quod sit in similitudinem naturæ specificæ, aliàs Adam, verè, & propriè diceretur

ceretur filius naturalis Dei quantum ad istam similitudinem. Deinde destruunt illam definitionem, quia principium coniunctum debet esse principium effectiuum geniti. Personalitas autem Verbi diuini in Christo D. non est principium coniunctum effectiuum, sed tantum terminatiuum.

49 Tertia sententia est quorumdam hoc modo explicantium definitionem generationis: Nam Christus D. ratione humanitatis procedit vt viuens à viuente, cum procedat vt homo viuens à Deo viuente; in similitudinem naturæ, non ratione humanitatis, sed diuinitatis hypostaticè vnitæ, à qua, & à personalitate habet formaliter, quod sit à principio coniuncto, ac proinde cum tota generationis definitio competat Christo D. sequitur, quod erit filius naturalis Dei.

50 Cæterum neque ista explicatio placet, nam similitudo ratione naturæ diuinę non est sufficiens ad generationem, cum natura diuina non ponatur per se primò in Christo, sed ratione personalitatis Verbi; in generatione autem similitudo in natura per se primò intenditur. Tum quia ex eo quod in Christo D. sit similitudo ratione naturę diuinæ, sequitur quod Christus D. sit filius rationæ naturæ diuinæ, non qua homo est, seu ratione naturæ humanæ, modo explicando. Tum etiam quia sequeretur quod Spiritus S. productio esset vera generatio, quia licet non tendat ad producendum formaliter simile, re tamen ipsa producit simile, cum recipiat naturam diuinam in qua alijs personis assimilatur.

51 Vera, & communis sententia, & modus explicandi quomodo Christus D. vt homo sit filius Dei naturalis, est, quod sit talis non ratione generationis temporalis, sed ratione generationis æternæ, qua à Patre procedit, quæ æterna generatio vnita humanitati reddit Christum filium etiam ratione humanitatis, non quod humanitas sit ratio filiationis, sed ipsa filiatio Verbi illi vnita per vnionem hypostaticam facit eam esse filium, sicut esset filius si haberet propriam subsistentiam creatam; subsistentia namque diuina, quæ est ipsa filiatio æterna Verbi diuini præstat totum id quod præstaret subsistentia creata, non solum quoad rationem subsistendi, sed etiam quoad rationem filiandi, cum re ipsa sit filiatio. Ex quo fit, quod si Pater æternus, & Spiritus S. incarnarentur, cum eorum subsistentiæ non sint filiationes sed tantum subsistentiæ, tribuerent humanitabus assumptis subsistere, non tamen esse filios, nemo enim dat, quod non habet. Hanc sententiam, & modum explicandi latè prosequitur Basilius Legionensis *to. 1. ver. disp. relact.* 4. congerens innumeros Scholasticos, quibus addo M. Curielem *lib. 2. controu. contr.* 2. Lug. loco cit. *n.* 21. Orlandum hoc loco, & alios communiter, vide dicta à nu. 39.

52 Sed quæres 1. an ista propositio. *Christus D. inquantum homo, est filius Dei naturalis* sit vera solum in sensu specificatiuo, an etiam in sensu reduplicatiuo? Syluius hoc loco *art.* 4. dicit quod Christus etiam vt homo est filius Dei naturalis, non quidem reduplicatiuè, quasi hoc habeat ab humanitate tamquam à causa, sed specificatiuè, hoc sensu, Christus subsistens in humaniate, & vt includens eam tanquam formam, seu naturam in supposito vnitam, est filius naturalis.

53 Cæterum si reduplicatio *inquantum* faceret solum sensum, quod humanitas esset causa filiationis naturalis Christi D. bene negaret Syluius illam propositionem in sensu reduplicatiuo, & solum concedenda esset in sensu specificatiuo, sed non est sic, vt enim aduertit dictus Basilius Legionensis loco citato, & alij communiter, illa propositio est vera etiã in sensu reduplicatiuo, non in eo quem ponit Syluius, quia humanitas nullo modo potest esse causa filiationis naturalis Christi Dom. sed in alio, mox subijciendo.

54 Pro quo nota elegantem D. Thomæ doctrinam supra q. 16. act. 12. quod hæc propositio *Christus inquantum homo est persona*, habet duplicem sensum reduplicatiuum. Primus est quo reduplicatur natura, & hoc modo illa propositio

est falsa. Secundus est quo reduplicatur suppositum sub natura, & in hoc sensu est vera. Eodem modo ista propositio Christus in quantum homo, est Filius Dei potest habere duplicem sensum reduplicatiuum. Primus est quo reduplicatur natura, vt sit sensus, quod natura humana est ratio, seu causa filiationis naturalis Christi D. & in hoc sensu illa propositio est falsa. Secundus est quo reduplicatur filiatio æterna Christi D. sub humanitate, & in hoc sensu illa propositio est verissima, & sic intelligitur,& intelligi debet iuxta subiectam materiam. Tum quia ista propositio *Christus in quantum homo est filius naturalis*, admitti debet, quia illa reduplicatio *in quantum* non ponitur ad significandum, quod natura humana sit ratio filiationis, sed potius ponitur ad excludendam diuinitatem, & includendam subsistentiam, seu filiationem æternam, quia Christus in quantum homo solum dicit subsistentiam, & humanitatem.

55 Quæres 2. an in casu quo Pater æternus assumeret humanitatem, posset dici hic homo est Pater Verbi? Negat Vasq. licet enim nunc possimus dicere de Christo. Hic homo in quantum homo est filius Dei, non tamen de Patre incarnato tunc dici posset. *Hic homo est Pater Verbi.* Sed contra, quia sicut modo de Christo D. dicitur hic homo est filius, quia filiatio est illa quæ humanitati vnitur, ita quia tunc id, quod humanitati vniretur esset Paternitas, posset dici hic homo est Pater æternus; & in sensu reduplicatiuo dici posset: *hic homo in quantum homo est Pater*, sic vt demonstrato Christo D. dicimus. *Hic homo est filius Dei naturalis.*

§. II. Soluuntur argumenta in contrarium.

56 Primum argum. nam licet Christus D. in quantum homo includat filiationem naturalem Dei, hoc tamen non sufficit, vt concretum resultans ex filiatione,& humanitate sit filius; ergo, &c. Antecedens probatur, nam filiatio æterna non vbicumque ponitur constituit filium, sed quando ponitur in subiecto proportionato, aliàs si Verbum diuinum assumeret lapidem, ex filiatione æterna,& natura lapidis, constitueretur concretum, quod esset filius; sed sola natura diuina ex vi generationis æternæ communicata est subiectum capax filiationis; ergo, &c. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico, quod licet non quæcumq; natura sit capax filiationis, bene tamen natura humana; cum enim ista sit capax filiationis humanæ, est etiam capax diuinæ, si loco humanæ diuina subrogetur, vt in nostro casu contingit.

57 Secundum argu. quoniam filius est ille, qui oritur viuens à viuente coniuncto in similitudinem naturæ, sed hoc concretum *Christus*, ex personalitate Verbi diuini, & natura humana, non est viuens à viuente Deo, in similitudinem naturæ; ergo, &c. Minor probatur, nam vt dicebamus, Christus vt homo non includit diuinitatem, sed subsistentiam Verbi, quæ virtute à diuinitate distinguitur,& humanitatem; ergo hoc concretum *Christus* coalescens ex personalitate, & humanitate, non est formaliter Deus viuens,à Deo viuente formaliter. Resp. distinguendo maiorem: filius in fieri, in gigni, est ille qui oritur viuens à viuente coniuncto,&c. conceditur. Filius in facto esse, negatur, vt enim quis dicatur filius in facto esse, nō est necesse quod hic, & nunc quo denominatur filius, oriatur viuens à viuente coniuncto,&c. sed sufficit quod eius natura habeat hic, & nunc filiationem, quæ licet secundum totum cōcretum de nouo non oriatur viuens, à viuente, &c. tamen ipsa filiatio oritur viuens à viuente, &c. & sic ad hoc vt Christus D. dicatur filius Dei naturalis, non est necesse, quod hoc concretum Christus vt dicit subsistentiam, & humanitatem sit formalissimè Deus viuēs ex formalissimè Deo viuente; sed sufficit, quod ipsa filiatio sit Deus viuens, de Deo viuente, & hæc humanitati communicetur, tanquam forma subiecto capaci filiationis, & hoc modo Christus D. in quantum homo est filius Dei naturalis in facto esse, non in fieri, & gigni, cum hoc modo Chri-

Christus vt homo non gignatur de nouo, sed sit filius ratione inclusæ filiationis æternæ, ab æterno genitæ. Nisi velis dicere, quod Christus D. dicatur gigni in hoc sensu, quod filiatio æterna semper gignitur, iuxta illud. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, quia filius semper à Patre generatur.

58 Tertium argum. nam filiatio naturalis Christi D. non est omnino perfecta, ergo non est filiatio naturalis filij Dei. Conseq. constat; filiatio namque filij Dei est omnino perfecta. Antecedens probatur, nam filiatio qua Christus vt homo est filius, non est per essentiam, sed per participationem, fuit enim sibi in tempore concessa, non ab æterno communicata. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico, quod licet filiatio naturalis filij Dei, sit communicata humanitati media vnione hypostatica, non tamen est alia à filiatione æterna, sed omnino eadem. Dicitur autem ista diuini Verbi filiatio humanitati communicata per participationem, non quia sit aliqua forma creata, & ens per participationem, sed quia communicatur humanitati media forma, seu modo creato, qui est ipsa vnio hypostatica, quæ, vt supra vidimus, est quidam modus creatus, in humanitate receptus.

59 Quartum argu. nam filiatio Christi quam habet ex vi vnionis hypostaticæ magis distat à propria filiatione naturali, quàm ab adoptiua, sed ob istam minorem distantiam non est adoptiua, vt supra vidimus, ergo ob maiorem illam distantiam non erit naturalis. Maior probatur, nam ius quod Christus D. habet vt homo ad Dei hæreditatem, magis distat à iure quod habet vt Deus, & à iure quod confert gratia in filijs adoptiuis, ergo filiatio quam habet Christus D. ex vi vnionis hypostaticæ magis distat à filiatione naturali, quam à filiatione adoptiua. Conseq. constat, si enim iura horum filiationum magis distant, etiam filiationes magis distabunt. Antecedens probatur, nam ius filiationis naturalis filij Dei, est ius increatum, diuinum, æternum, per essentiam, & necessarium. At ius vnionis hypostaticæ, seu filiationis consequentis vnionem hypostaticam est in tempore, creatum, per participationem, & liberum, cum potuerit non esse si vnio hypostatica non esset. Resp. negando maiorem. Ad probationem dico, quod ius filiationis Christi D. ratione formæ qua communicatur, seu ratione vnionis hypostaticæ est creatum, temporale, per participationem, & liberum, non tamen ratione formæ, quam consequitur, quæ est ipsa æterna filiatio; huius enim ratione est increatum, est diuinum, est æternum, est necessarium, & omnino idem cum iure Verbi diuini.

60 Quintum argu. nam Christus D. reduplicatiuè in quantum homo, non est Deus, ergo in quantum homo non dicit deitatem, sed formalissimè subsistentiam, seu relationem filiationis, quæ non dicit perfectionem, ac proinde nec deitatem. Conseq. probatur, nam filius Dei est formalissimè Deus; ergo si Christus D. vt homo non est formalissimè Deus, neque erit formalissimè filius Dei. Resp. negando conseq. licet enim Christus D. vt homo non sit formalissimè Deus, cum hoc modo non procedat à Patre per æternam generationem, est tamen filius Dei quatenus media vnione hypostatica humanitas habet sibi vnitam filiationem filij Dei. Ad illud quod filius Dei est formalissimè Deus dico, quod filius Dei est formalissimè Deus, prout per filium Dei intelligimus diuinam filiationem vnitam deitati, non tamen prout per filium Dei intelligimus diuinam filiationem vnitam humanitati, hoc enim modo filius Dei non est formalissimè Deus, sed tantum identificè, quatenus Verbi filiatio identificatur cum diuinitate.

61 Sextum argum. quoniam si Christus D. vt homo esset filius Dei naturalis media gratia vnionis, sequeretur quod diceret relationem filiationis ad Deum, sed hoc est falsum; ergo. Maior patet, nam sicut filius hominis dicit relationem ad hominem, ita filius Dei, dicet relationem ad Deum. Minor probatur, nam sequeretur, quod Christus D. esset filius Sanctissimæ Trinitatis, omnis namque relatio

in tempore posita est ad Deum vt Trinum. Tum quia Christus vt homo non est filius ex vi generationis æternæ vt sic, sed per hoc quod filiatio æterna est communicata, & vnita humanitati, sed dictam relationem, seu filiationem esse vnitam humanitati est opus totius Trinitatis, ergo ad eam totam erit relatio filiationis. Tum etiam quia Christus vt homo est factus in tempore, & non genitus ab æterno, ergo relatio in eo resultans non est æterna, sed temporalis, ac proinde ad totam Trinitatem.

62 Resp. negando maiorem, relatio namque filiationis Christi, cum sit ipsa filiatio Verbi diuini, non est nisi ad Patrem. Ex hoc autem quod dicta relatio filiationis æternæ vnitur in tempore humanitati, quæ vnio effectiuè est à tota Trinitate, sequitur, quod ex hac actione, & vnione resultet in Christo D. aliqua relatio ad totam Trinitatem, quæ tamen non est relatio filiationis, sed communis omnibus creaturis, quatenus omne factum, dicit relationem ad facientem, & omne à Deo productum in tempore, dicit relationem ad Deum producentem.

63 Sed quæres, an hæc relatio sit realis, an rationis? Resp. quod cum persona diuina non possit esse fundamentum, neque subiectum relationis realis aduentitiæ, & temporalis, sequitur, quod ista relatio non possit esse realis, sed rationis. Vnde sicut esse sanctum sanctitate personali non addit humanitati aliquam physicam entitatem præter ipsam personam diuinam vnitam, sed quandam moralem dignitatem, ita esse filium Dei non addit aliam relationem præter ipsam relationē filiationis æternæ, & esse humanitatem vnitam dictæ relationi per actionem realem Dei non dicet relationem aliam realem, sed rationis tantum, qua humanitas terminat illam actionem Dei vnitiuam. Nisi velis dicere hanc relationem esse realem, vt est relatio creaturæ ad creatorem, & non fundari, nec recipi in persona, sed in ipsa humanitate.

DISPVTATIO XXIV.

IN QVAEST. XXIV. DIVI THOMAE.

De prædestinatione Christi.

1 N art. 1. docet S. Doctor conuenire Christo esse prædestinatum. Prædestinatio namque est Dei præordinatio, qua Deus ab æterno statuit, quæ postea in tempore ex gratia facturus est; sed in tempore factum est vt duę naturę in eadem Verbi hypostasi vnirentur, per quod homo esset Deus, & Deus homo, ergo sic fuit ab æterno prædestinatum. In 2. art. dicit Christum secundum quod est homo prędestinatum esse filium Dei. In art. 3. declarat, quod prædestinatio Christi est exemplar nostrę prędestinationis, tum quantum ad bonum ad quod Christus est prædestinatus, cum sit exemplar boni quod datur nobis, tum quantum ad modum consequendi effectum, quia sicut natura humana nullis præcedentibus meritis assumpta est ad vnitatem personę diuinæ: ita & nos sine nostris meritis assumpti sumus, & eleuati, seu electi ad gloriam. In art. 4. ostendit, quod prædestinatio Christi est causa nostræ prædestinationis in alio adhuc genere quam causę exemplaris, de quo postea. Verum sit.

DVBIVM I.

An conueniat Christo D. esse prædestinatum.

2 IN prædestinatione tria distingui possunt. Primò actus Dei liber, & efficax quo ab æterno decreuit se aliquid facturum in tempore. Secundò est obiectum prædestinationis, circa quod ille actus Dei versatur. Tertiò, est terminus prędestinationis, ad quem res prędestinata ordinata est v. g. ad vnionem hypostaticam, vel ad gloriam. Conueniunt omnes, quod Deus ab æterno habuit actum, seu decretum quo elegit hanc humanitatem ad vnionem cum verbo diuino, & ad talem, tantumque gratiæ, & gloriæ gradum, ad tam eximiam dignitatem, & excellentiam. Hoc ratio D. Thomæ conuincit. Prædestinatio namque nihil est aliud, quam diuina quædam præordinatio eorũ quæ ex Dei gratia fieri debent in tempore; sed de facto in tempore Deus factus est homo; ergo hoc ab ęterno Deus pręordinauit. Et sic quantum ad actum Christo D. conuenit prædestinari.

3 Maior difficultas est, de obiecto prædestinationis Christi, seu quodnam sit Christi D. prædestinationis obiectum? pro quo sciendum, quod in Christo D. tria possunt considerari. Primò suppositum Verbi diuini, quatenus est illius. Secundò ipsa humanitas secundum se. Tertiò suppositum diuinum vt subsistens in natura humana. Conueniunt omnes, quod suppositum Verbi diuini, secundum se, seu vt subsistens tantum in natura diuina, non potest esse obiectum diuinæ prædestinationis, cum enim dictum suppositum supponatur ad prædestinationem sicut necessaria supponũtur liberis, sequitur quod non potest cadere sub actu libero. Tum quia quod prædestinatur fit ex libera, & efficaci voluntate Dei, sed suppositum Verbi diuini non fit ex libera voluntate Dei; ergo non cadit sub prædestinatione.

4 Quantum ad secundum, etiam cõueniunt communiter Theologi, quod humanitas dicatur prædestinata ad vnionem Verbi diuini. Elegit namque Deus hanc numero humanitatem Christi, & eam prædestinauit ad dictam vnionem, vt à Verbo assumeretur in vnitate personæ. Illa namque creatura dicitur prædestinata, quæ ex libero voluntatis decreto est prædestinata ad aliquod singulare beneficiũ gratiæ, & gloriæ, est enim prædestinatio, quædam præordinatio ad aliquod gratuitum; sed hæc numero humanitas Christi D. ab æterno fuit præordinata ad gratuitum, & singularissimum Dei beneficium, scilicet ad vnionem hypostaticam; ergo re ipsa fuit prædestinata.

5 Sed obijcies, quoniam prædestinatio conuenit supposito tamquam obiecto; sed humanitas secundum se non est prædestinata. Resp. distinguendo maiorem, prædestinatio ad aliquod operari conuenit supposito, conceditur; prædestinatio ad esse, & subsistere conuenit supposito, negatur. Prædestinatio ad operari conuenit supposito, quia operari conuenit supposito, quia operari supponit esse. Vnde prædestinatio ad gratiam, & gloriam conuenit supposito, quia natura non supposita non est capax gratiæ, & gloriæ, quæ est quoddam operari. Cæterum prædestinatio ad esse, & subsistere gratuitum, indebitum, excellentissimum &c. vt est diuina subsistentia, non est suppositi; non supponit suppositum, sed ad illud habendum ordinatur. In nostro ergo casu humanitatis dicitur prædestinata, quia fuit ad diuinum suppositum habendum ordinata, seu præordinata.

6 Difficultas procedit de tertio, de supposito scilicet Verbi vt subsistente in vtraque natura diuina, & humana, quæ difficultas proponi solet hoc modo, an Christus sit prædestinatus, seu an hæc propositio. *Christus est prædestinatus* sit admittenda, Christus namque dicit suppositum in vtramque natura subsistens. Alij etiam sic proponunt. *An Christus sit prædestinatus ad filiationem diuinam*, non enim ad aliud, saltem principaliter, potest esse prædestinatus.

7 Prima sententia est, quod ista propositio-

positio *Christus est prædestinatus*, vel *Christus est prædestinatus ad filiationem diuinam*, sit falsa. Sic tenent Durand. *in* 3. *dist.* 7. *q.* 2. Isambert. *ad q.* 29. *disp. vnica*, *art.* 2. dicens in hanc sententiam inclinari Toletum, eamque tueri non nullos recentiores tam scholasticos, quam sacræ scripturæ expositores.

8 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Ista propositio Christus est prædestinatus, vel est prædestinatus filius Dei, est vera, & admittenda*. Sic tenet S. Doctor hic art. 1. vbi sic habet, *Prædestinatio propriè accepta, est quædam diuina præordinatio ab æterno, de his quæ per gratiam Dei sunt fienda in tempore. Est autem hoc in tempore factum per gratiam vnionis à Deo, vt homo esset Deus, & Deus esset homo. Nec potest dici quod Deus ab æterno non præordinauerit hoc se facturum in tempore, quia sequeretur, quod diuinæ menti aliquid de nouo accideret. Et ideo oportet dicere, quod ipsa vnio naturarum in persona Christi cadat sub Dei prædestinatione, & ratione huius Christus dicitur esse prædestinatus*. Vbi & auctoritatem, & fortissimam habet rationem cõtra Isambertum D. Thomam sequuntur non solum eius discipuli, Caiet. Medina, Aluarez, &c. sed etiam cæteri expositores, vt Vasq. Suarez, Lugo, Orlandus, & alij omnes.

9 Probatur 1. ex illo Apost. Rom. 1. *Qui prædestinatus est Filius Dei*, idem autem est Christum esse prædestinatum, & esse prędestinatum Filium Dei, cum Christus D. sit re ipsa Filius Dei. Vnde notat Caietanus, quod totus discursus, & tota ratio D. Thomæ fundatur in intellectu Apostoli, & in proprio sensu illius.

10 Occurrit Isamb. loco citato *art.* 3 quod S. Paulus ibi non agit de prædestinatione Christi purè, & simpliciter ad diuinam filiationem, sed de declaratione, & manifestatione diuinæ eius filiationis, ita vt dicatur Christus prædestinatus Filius Dei, quod præ alijs omnibus qui sunt dicti Filij Dei, sit demonstratus Filius Dei, scilicet potentia miraculorum, sanctitate vitæ, & sanctitate quam contulit credentibus in ipsum; item resurrectione qua se ipsum suscitauit à mortuis, &c. Sed contra, nam verba sacræ Scripturæ debent accipi in proprio sensu, quando ex hoc nullum sequitur inconueniens; sed ex hoc quod dicatur, quod Christus D. sit obiectum diuinæ prædestinationis nullum sequitur inconueniens; ergo, &c.

11 Probatur 2. nam *Christus* significat suppositum Verbi subsistens in natura humana, sed Deus suo decreto voluit, præordinauit, & prædestinauit, quod suppositum Verbi Diuini subsisteret in natura humana; ergo hoc fuit destinatũ, seu prædestinatum; aliàs aliquid fieret in tempore, quod à Deo non fuisset præordinatum, & sic aliquid diuinæ menti accideret, quod implicat.

12 Probatur 3. nam quod Verbum diuinum terminet naturam humanam, quod Christus D. sit Filius Dei in tempore, est aliquis effectus qui cæpit esse in tempore per Dei gratiam, scilicet per gratiam vnionis, qua factum est, quod subsistens in natura diuina, subsisteret etiam in humana; sed hoc fuit ex diuina voluntate decretante, & præordinante; ergo, &c. Licet enim persona Christi quantum ad suppositum diuinum, & naturam diuinam fuerit ab æterno, & hoc modo sub prædestinatione cadere non potuerit, tamen cum secundum naturam humanam non fuerit ab æterno, sed in tempore cæperit in eadem natura humana subsistere, potuit prædestinari.

13 Probatur 4. nam vt etiã concedũt aliqui ex aduersarijs, ista propositio est vera, *Christus est prædestinatus ad gratiam, & gloriam*; ergo multò magis erit vera ista. *Christus est prædestinatus ad filiationem diuinam*. Antecedens concedunt communiter omnes, de quo postea. Conseq. probatur, nam gratia vnionis, & filiatio diuina sunt quid nobilius, & excellentius quacumque gratia habituali, & quacumque creata beatitudine; ergo si Christus *D.* potest dici prædestinatus ad gratiam, & gloriam, quæ sunt quoddam esse creatum, finitum, & limitatum, à fortiori poterit dici prædestinatus ad esse adeo excellens, & diuinum. Soluuntur

tur argumenta in contrarium.

14 Primum argum. nam nullus prędestinatur ad id quod iam habet, sed Christus D. ex vi vnionis hypostaticæ est iam Christus, & Filius Dei, ergo non potest ad ista prædestinari. Aliqui respondent, quod cum dicimus *Christus est prædestinatus Filius Dei* ly Christus non sumitur pro eo quod subsistit per suppositum determinatum Verbi, sed pro subsistente vagè, & indeterminato supposito, eo modo quo in forma consecrationis Eucharistiæ pronomen demonstratiuum *hoc*, non sumitur determinatè pro corpore Christi, neque pro substantia panis, sed vagè, & indeterminatè pro contento sub speciebus, quod tamen in fine prolationis formæ, est determinatè corpus Christi. Sic in prædestinatione Christi *ly Christus* sumitur pro supposito indeterminato, quod ex diuino decreto fit Filius Dei. Alij melius respondent, quod in obiecto prædestinationis solum requiritur, quod tunc non sit tale secundum realem præsentiam, seu existentiam, quando prædestinatur, sed sufficit quod quando prædestinatur concipiatur vt possibile, quod suppositum diuinum potest subsistere in natura humana, &c. & hoc prædestinatur futurum, & postea existens pro sua temporis differentia. Et sic diuinus intellectus proposuit suæ voluntati, esse possibile quod sit Christus, hoc est Verbum diuinum subsistens in natura humana, & quod sit Filius Dei, & quod hoc erit, si ipsa hoc prædestinabit; voluntas sic egit, & sic Christus fuit prædestinatus.

15 Secundum argum. nam licet verbum *destino*, aut *prædestino* in sua propria significatione, sint ad omnia quæ à Deo definiuntur, & decernuntur, communia, tamen ex communi Theologorum vsu videntur appropriata ad significandum solum ordinationem efficacem alicuius ad æternam beatitudinem; ergo non potest Christus D. propriè dici prædestinatus nisi ad æternam beatitudinem. Antecedens probatur, nam qui absolutè, & simpliciter dicit Petrum esse prædestinatum, significat illum esse electum efficaciter ad gloriam, nec sufficit ad verificandam illam propositionem in sensu communi, quod Deus ab æterno decreuerit existentiam Petri, aliàs omnes Christiani, imò omnes homines essent prædestinati; ergo adhoc vt Christus D. dicatur prædestinatus non sufficit, quod Deus eius existentiam prædefinierit. Resp. negando antecedens, verbum namque *prædestino* ex communi vsu Theologorū significat præordinationem ad aliquod beneficium, seu gratiam indebitam, liberè, & gratuitò concedendam. In nobis prædestinatio est ad gratiam, & gloriam, in Christo, est ad gratiam vnionis, & naturalem filiationem Dei primariò, & postea ad gratiam vt ad medium, & ad gloriam vt ad finem. Quare licet verum sit, quod Petrus non possit dici prædestinatus ad sui esse, vel existere, quia ista non sunt ordinis gratię. Christus tamen potest dici prædestinatus ad esse Filium Dei, quia hoc est maxima, summa, & excellentissima gratia. Tum quia si ipsum esse prædestinati est effectus suæ prædestinationis, vt procedit ex affectu efficaci salutis ipsius prędestinati, quia hoc modo pertinet ad prouidentiam Dei supernaturalem, à fortiori ipsum esse Christi poterit esse effectus prędestinationis, vt procedit ex prouidentia Dei ordinis hypostatici.

16 Tertium argum. Obiectum prædestinationis debet esse non solum prius quoad apprehēsionem termino ad quem ordinatur, sed etiam debet esse extra illum, sed Christus D. non est prius etiam secundum apprehensionem prædestinantis filiatione diuina, quæ est terminus prędestinationis, seu ad quam Christus D. dicitur prædestinari, neque est extra illam, sed eam omnino includit, ergo non potest ad eam prædestinari. Maior nota est, nihil enim ordinatur per actum liberum, & efficacem ad id quod intrinsecè habet. Minor etiam ex se constat. Resp. ex dictis concedendo maiorem, & negando minorem, Christus enim apprehensus vt obiectiuè possibilis, fuit prædestinatus, & ordinatus per decretum efficacem diuinæ

uinæ voluntatis vt re ipsa existeret in sua temporis differentia. Sicut enim in ordine naturali prius Deus cognoscit Petrum esse possibilem, postea decernit illius futuritionem, & existentiam pro suo tempore. Et in ordine gratiæ prius cognoscit gloriam esse possibilem Petro, & postea decernit dare illam. Ita in ordine hypostatico prius cognoscit Christum esse possibilem, postea decernit illius futuritionem, & existentiam pro sua temporis differentia. Per quæ facilè euanescunt, quæ congerit Isambertus toto illo *art.* 2. contra nostram, & communem sententiam.

17 Ex quibus infertur 1. multò magis esse veram istam propositionem. *Filius Dei prædestinatus est homo*, vt filius Dei, seu Verbum sit obiectum prædestinationis non quidem secundum se, sed ad esse hominem. Hoc enim est aliquis effectus pertinens ad gratiam gratuitam vnionis hypostaticæ, seu pertinens ad ordinem hypostaticum. Quare non bene Isambertus loco citato *art.* 3. negat dictã propositionem, ex eo quod prædestinatio dicat ordinationem obiecti ad donum aliquod gratiæ sibi collatum quo perficiatur; verbo autem diuino nulla potest fieri gratia, nullum propriè donum est sibi collatum per vnionem ad humanitatem, sed tantum humanitati. Nam non est necesse quod donum sit collatũ Verbo, sed sufficit, quod sit collatum humanitati, aut toti compositio. Licet enim in prædestinatione, quæ est ad operari sit ad aliquod donum perficiens operantem. Tamen in prædestinatione quæ est ad tribuendum esse, ad eleuandam alienam naturam ad esse diuinum, vt in nostro casu contingit, non est necesse quod esse eleuet ipsum esse, sed naturam cui tribuitur. Et sic non perficitur Verbum diuinum, sed natura cui esse diuinum communicatur, & totum compositum. Vel dicas, quod etiam perficiatur ipsum Verbum diuinum, non perfectione intrinseca, & intensiua, sed extrinseca, & extensiua.

18 Infertur 2. contra eundem Isambertum, quod Christus D. potest dici prędestinatus ad gloriam animæ, seu ad ęternam hæreditatem, sic enim docent communiter Theologi, & Scholastici. Nec valet dicere 1. cum illo auctore, quod prædestinatio est ad id quod est perfectissimum, & vltimum, sed gloria respectu animæ Christi non est perfectissimum, & vltimum, gratia enim vnionis est longè præstantior; ergo, &c. Resp. quod gratia vnionis est longè præstantior in sua linea, tamen gloria animæ in sua linea est præstantissima, & vltima, est enim beatitudo vltimus finis hominis; & in hoc ordine vlterius non refertur, licet referatur ad aliud perfectius in linea vnionis hypostaticæ.

19 Nec valet dicere 2. quod prædestinatio est ad aliquod beneficium supernaturale indebitum prædestinato, & gratuitò à prædestinante concesso; sed gloria animæ debetur Christo D. ex vi vnionis hypostaticæ; ergo, &c. Resp. quod gloria animæ, absolutè est beneficium indebitum, nam vt supra diximus, poterat Verbum diuinum assumere naturam in puris naturalibus, sine gratia sanctificante, sine eleuatione ad gloriam, & sine vllo iure ad illam.

DVBIVM II.

An humanitas Christi D. sit prædestinata ad gloriam, vbi resoluuntur alia difficultates ad idem.

20 Aliqui hanc propositionem admittunt. *Humanitas Christi D. est prædestinata ad gloriam*. Nihilominus ista propositio est neganda, tum quia vt docet S. Doctor hic *art.* 1. *ad* 2. prædestinatio non est naturæ, sed est personę. Tum etiam quia beatitudo consistit in operatione, sed operari non est naturę, sed personę, seu suppositi; ergo &c.

21 Sed hic occurrunt plures difficultates breuiter explicandæ. Prima est, an humanitas Christi D. possit dici prędestinata ad vnionem hypostaticam? Resp. affirmatiuè, sic docet S.P. Aug. *lib. de prædest. Sanctorum, cap.* 15. & ratio cla-

ra

ra est, quia vnio hypostatica, non est operatio, sed coniunctio humanę naturę, cum supposito Verbi diuini, sed hæc coniunctio potest conuenire naturæ; ergo potest natura ad illam prædestinari, maximè cum sit beneficium indebitum, diuinissimum, &c.

22 Secunda difficultas, an ista propositio ostenso Christo D. *Hic homo est prædestinatus ad gloriam*, sit vera, & admittenda? Cardin. de Lugo *disp.* 32. *sect.* 3. *num.* 25. dicit, quod ista admitti debet, non ista *Christus est prædestinatus ad gloriam*, rationem differentiæ assignat, quia prædestinatio ad aliquid significat donū aliquod, & beneficium indebitum illi cui conceditur, Christo autem non erant indebita dona gratiæ, & gloriæ, sed omnino debita. Cæterum loquendo de Christo vt homine dicere possumus eum fuisse prædestinatum ad hæc dona, quia huic homini non debebantur formaliter, cum potuisset existere hic homo absque illis donis, absque eo quod careret aliquo sibi debito.

23 Sed hæc doctrina non placet. Non quantum ad primum, vt enim dicebamus *num.* 19. gratia, & gloria non erant omnino debita Christo D. cū potuisset Verbum diuinum assumere naturam humanam in puris naturalibus. Neque placet quantum ad secundum, nam si semel per illum auctorem illa dona non erat debita Christo D. neque erant debita huic homini, designato, vel ostenso Christo. Et si semel potuisset existere hic homo absq; illis donis, absque eo quod careret aliquo sibi debito, etiam potuisset existere Christus absque illis ijsdem donis, absque eo quod careret aliquo sibi debito. In hoc enim casu idem est Christus, & hic homo. Tum quia adhoc vt Christus dicatur prædestinatus, non est necesse, quod beneficium sit indebitum vtrique naturę, vel supposito secundum se, sed sufficit, quod sit indebitum naturæ assumptæ, vel toti composito, sed gloria est huiusmodi; ergo, &c.

24 Tertia difficultas, an ista propositio sit vera, & admittenda. *Filius Dei, seu Verbum diuinum est prædestinatum, vt esset homo?* Aliqui negant hanc propositionem, vt Durand. *in* 3. *dist.* 7. *q.* 3. *num.* 8. & 9. cui videtur assentiri Vasq. & Lugo. Alij eam admittunt, vt Altisiodorens. Ricard. Marsilius, & Paludan. quos refert, & sequitur Suarez, hoc loco. Rem totam elegantissimè resoluit S. D. *art.* 2. *ad* 3. vbi sic habet. *Illa susceptio sub prædestinatione cadit tanquam gratuita, vtrūque potest dici, scilicet quod & Filius Dei prædestinatus sit esse homo, & Filius hominis prædestinatus sit esse Filius Dei. Quia tamen gratia non est facta Filio Dei, vt esset homo, sed potius humanæ naturæ, vt Filio Dei vniretur: magis propriè potest dici, quod Christus secundum quod homo est prædestinatus esse Filius Dei, quam quod Christus secundum quod Filius Dei, sit prædestinatus esse homo.* Vbi S.D. vtramque propositione concedit vt propriam, licet ista sit magis propria. *Christus secundum quod homo, prædestinatus est, vt sit Filius Dei.*

25 Sed contra obijcies, quia si ista propositio esset vera in sensu proprio. *Filius Dei prædestinatus est, vt esset homo*, sequeretur quod gratia esset facta Filio Dei; sed Filio Dei nulla gratia est facta; ergo Filius Dei non potest dici prædestinatus, &c. Resp. quod ad hoc vt Filius Dei dicatur prædestinatus non est necesse quod gratia sit facta Filio Dei, sed sufficit quod sit facta naturæ assumptæ, aut toti composito, quod maximè verum est in prædestinatione ad *esse*, vt in nostro casu contingit.

26 Hanc solutionem impugnat Lugo *dicta sect.* 3. *num.* 34. quia si ad hoc vt Filius Dei dicatur prædestinatus, &c. sufficeret, quod gratia fieret ipsi naturæ humanæ assumptæ, possemus dicere Petrum E.g. esse prædestinatum ad mortem, quia licet mors non fuerit ipsi beneficium, fuit tamen beneficium Paulo qui eius mortis occasione, conuersus fuit, quod nemo concedet; ergo requiritur quod beneficium, & gratia sint beneficium illius qui dicitur prædestinatus. Resp. negando sequelam. Ad hoc enim vt quis dicatur

prædestinatus sufficit quod gratia fiat naturæ eius, & in Christo D. sufficit, quod gratia fiat naturæ assumptæ, non tamen sufficit quod gratia fiat extraneo: beneficium namque quod fit naturę coniunctę censetur factum etiam supposito, non sic beneficium quod extraneo sequitur, vt in exemplo allato Petri, & Pauli, cum sint diuersa supposita. Hinc respectu eiusdem suppositi dicimus Petrum esse prædestinatum ad gloriam, & gloriam esse à Deo prædestinatam Petro.

27 Quarta difficultas, an ista propositio sit vera, & admittenda. *Hic homo prædestinatus est Filius Dei?* Negat Lorca hoc loco, quia non conceditur ista propositio. *Hic homo factus est Filius Dei*, ergo neque ista. *Hic homo prædestinatus est Filius Dei*, nam à factione, ad prædestinationem, & è conuerso, necessaria est consequentia, quidquid enim prædestinatur, fit; & quidquid fit, prædestinatur. Nihilominus ista propositio negari non potest. *Hic homo prædestinatus est Filius Dei*, vt ex dictis constat, ly enim *hic homo*, supponit pro Christo, vt dicente naturam humanam, secundum quam rationem est prædestinatus Filius Dei. Cum enim hoc sit factum in tempore, & sit maxima gratia facta Christo vt homini, debuit ab æterno esse prędestinatum. Illa autem propositio. *Hic homo factus est Filius Dei*, negari solet, quia suppositi est fieri, quod in nostro casu non contingit. Nec verum est, quod id quod prædestinatur, fiat, & è contra. Nam multa fiunt à Deo quæ non prædestinantur, &c.

DVBIVM III.

An prædestinatio Christi sit causa nostræ prædestinationis.

28 Conueniunt omnes, quod Christus D. fuerit causa exemplaris nostræ prædestinationis. Colligitur ex illo Rom. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit, conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus, &c.* Quæ verba non possunt non explicari de Christo vt homine, secundum quam rationem est noster frater. Quocirca sensus Apostoli est in istis verbis, quod Deus prædestinando homines, respexit ad prædestinationem Christi, ad gloriā, & excellentiam illius, & sic voluit nos esse illi similes, esse illius cohæredes.

29 Sed obijcies 1. nam prædestinatio Christi D. fuit principaliter ad vnionem hypostaticam, in qua non sumus illi conformes, nec hoc modo prędestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis, cum sit omnino diuersæ rationis, nam prædestinatio Christi est ad vnionem hypostaticam, quæ est ordinis alterius, scilicet hypostatici, at nostra prædestinatio est ordinis gratiæ, qui est longè inferior. Resp. quod locus Apostoli bene potest intelligi de prædestinatione ad gloriam, in qua conformamur, & ad quam Deus respiciendo voluit nos esse cum ipso hæredes, illiusuè cohæredes. Quod si velis intelligi de prædestinatione ad vnionem hypostaticam, adhuc potest esse exemplar nostræ prædestinationis, tum ratione filiationis Dei, ad quam Deus respiciendo voluit nos esse filios adoptiuos. Filiatio namque naturalis Christi D. ad quam fuit prędestinatus, est exemplar nostræ filiationis adoptiuæ, imò filiatio adoptiua fieri debet ad exemplar, & similitudinem filiationis naturalis. Tum etiam ratione dignitatis, & excellentiæ, quia filij adoptiui assumuntur ad dignitatem, honorem, & excellentiam filij naturalis, non quidem omnimodam, sed exemplatam.

30 Obijcies 2. quoniam ille locus Apostoli intelligi potest de conformitate materiali, non de formali exemplato, quatenus ideo prædestinati dicuntur cōformes Christo D. quia erunt in gloria, vt quemadmodum Christus est in gloria, ita, & prædestinati sunt futuri in gloria; ergo, &c. Resp. negando antecedens, nam si conformitas prædestinatorum ad Christum hoc tantum modo intelligeretur, etiam B. Virgo, & Angeli beati possent dici causæ exemplares nostræ prædestinationis, ac ipse Christus D. cum tamen

Apostolus in eo loco aliquid singulare Christo D. tribuat, quod alijs sanctis non competat, quod verum non esset nisi intelligeretur de conformitate formali iuxta quam formaliter, & propriè dicatur causa exemplaris nostræ prædestinationis.

31 Ratio autem à priori quare Christus D. sit causa exemplaris nostræ prædestinationis, est, quia primum in vnoquoque genere est exemplar cæterorum; sed Christus D. vt homo est primus omnium prædestinatorum; ergo est causa exemplaris prædestinationis illorum. Vnde primus effectus potest esse, maximè ex voluntate *Dei*, aliorum exemplar, quatenus ad illius immitationem alij ordinentur, vel fiant. Tum quia Deus in prædestinandis hominibus non vtitur Christi prædestinatione tanquam exemplari ex necessitate, sed ex libertate, ad maiorem Christi D. gloriam, & honorem, &c.

32 Hinc facile reici potest Vasq. hoc loco *in comment. art. 3.* vbi dicit, quod Christus D. non est ita dicendus exemplar nostræ prædestinationis, vt eius prædestinatio fuerit Deo exemplar in quod intuens alios instar illius prædestinauerit, sed quod alijs proposuerit immitandum juxta illud 2. Petri 2. *Christus passus est pro nobis, relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Vnde testimonium Apost. Rom. 8. *quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij eius*, explicat de ærũnis, & laboribus in quibus Deus voluit electos assimilari Christo.

33 Hinc inquam reici potest Vasq. nam si Christus D. non fuit Deo exemplar, ex cuius intuitu nos prædestinauit, sed solum est exemplar nobis propositum vt ad illius intuitum nostros mores componamus, & vitam nostram dirigamus, ergo iam Christi prædestinatio non erit nostræ prædestinationis exemplar, nam non omnes prædestinati attendunt ad hoc exemplar, illi scilicet qui in mortis articulo cum solo actu attritionis confitentur & saluantur. Tum quia dato quod omnes ad hoc exemplar attenderent, tunc Christus Dom. diceretur exemplar nostri, nostræ vitæ, morum nostrorum, non nostræ prædestinationis, quod multum derogat dignitati Christi D. vt scilicet eius prædestinatio non sit prima, & omnium aliarum mensura, ad quam Deus respiciens nos prædestinauit, contra communem consensum Patrum, & Theologorum. Quanta autem sit extorta illa intelligentia Vasq. ad locum Apostoli, considerent alij, iudicentque.

34 Hic quæri solet an prædestinatio Christi D. fuerit causa exemplaris prædestinationis Adami. Aliqui volunt Adamũ fuisse prædestinatum ante decretum incarnationis, cum enim habuerit gratiam & non ex meritis Christi, fuit etiam prædestinatus antecedenter ad merita Christi, ac proinde prædestinatio Christi D. non fuit exemplar prædestinationis Adami. Ego puto, quod etiam si Adam habuerit primam gratiam & non ex meritis Christi D. tamen ex vi illius gratiæ non fuit efficaciter prædestinatus ad gloriam, sed sub conditione si eam non amitteret. Efficaciter autem fuit prædestinatus ad gloriam per gratiam redemptiuam, ac proinde quantum ad hoc prędestinatio Christi D. fuit exemplar prædestinationis Adami.

35 Maior difficultas est, an prędestinatio Christi D. sit causa nostræ prædestinationis finalis, & meritoria. Rem breuiter resoluo. Dico 1. *Prædestinatio Christi D. fuit causa finalis nostræ prædestinationis.* Ratio est, quia vt dicebamus, prædestinatio Christi fuit causa exemplaris nostræ prædestinationis, ergo etiam fuit causa finalis. Conseq. probatur, nam causa exemplaris reuocatur ad causam formalem extrinsecam, & ad causam finalem, maximè cum exemplar mouet ad productionem exemplatorum, & ista ordinantur, & producuntur ob bonum illius, sed in nostro casu, prędestinatio Christi mouit ad prædestinationem nostri, & nos ordinamur ad honorem, & gloriam illius; ergo, &c.

36 Dico 2. *Prædestinatio Christi est causa meritoria nostræ prædestinationis.* Constat ex dictis supra de merito, & colligi-

ligitur ex illo Apost. ad Ephes. 1. *Praedestinauit nos per Iesum Christum in ipsum*, idest propter ipsum, seu propter merita ipsius. Si enim in executione gratia, & gloria non dantur nisi per Christum, ita etiam in intentione; cum Christi D. praedestinatio fuerit prima in intentione, & in genere causae finalis, vt colligitur ex Tridentino *sess. 6. cap. 6. 7. &* 8. Hinc bene dicit Apost. ad Ephes. 1. *Deus benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo. Et elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Et 2. ad Tim. 1. *Liberauit, & vocauit nos vocatione sua sancta, &c. secundum gratiam quae data est nobis in Christo.*

DISPVTATIO XXV.

IN QVAEST. XXV. DIVI THOMAE.

De adoratione Christi.

1 IN 1. art. docet, quod vna, eademque adoratione adoretur humanitas Christi, eiusque diuinitas, si honor spectetur ex parte eius, qui adoratur; at si spectentur causae adorationis potest dici esse plures adorationes, quia alia causa adorationis est sapientia increata, alia creata. In 2. art. dicit, quod humanitas Christi D. considerata vt est res adorata, adoranda est latria; vt autem est ratio adorandi, solum dulia est. In art. 3. explicat quomodo imagines sint adorandae. In art. 4. probat quod crux Christi D. est adoranda adoratione latriae. In art. 5. negat B. Virginem adorandam esse latria, quia est creatura per se subsistens, non hypostaticè vnita Verbo diuino, sicut humanitas Christi Dom. An autem adorari possit adoratione latrię respectiua, vt crux, ratione contactus, &c. postea dicetur. In 6. art. probat, quod reliquiae sanctorum sunt adorandae, &c. Sed sit.

DVBIVM I.

Quid, & quotuplex sit adoratio, vbi alia.

2 ADorationis nomen communiter significat actum reuerentiae interioris, vel exterioris, qui debetur superioribus, vel alijs honore, reuerentiauè dignis. Propriè significat reuerentiam, quae fit cum genuflexione, vt deducitur ex verbo Graeco, quod Latinè est *congenulo*, congenulare autem idem est, quod genua flectere, in genua procumbere. Vnde in Sacra Scriptura, vbi legimus iuxta vulgatam *adorauit*, hebraeus interpres vertit, incuruatus est, seu congenulauit. Addunt commentatores, quod vox hebraea *incuruatus est*, idem significet, quod adorare, congenulare, geniculari, seu incuruari prono corpore. Ex quo sequitur, quod reuerentia adorationis, non solum ad Deum, sed etiam ad homines referatur. Vnde Abraham adorauit Angelos qui ei apparuerunt *Gen.* 18. Iacob adorauit fratrem suum Esau septies pronus in terram. *Gen.* 33. Iosue adorauit Angelum *Iosue* 5. Nathan adorauit Dauid 3. *Reg.* 1. &c. Quocirca exterior actus adorationis non distinguit adorationem, quae soli Deo, à reuerentia quae debetur hominibus in dignitate constitutis, sed mentis intentione distinguendus est.

Hinc

3 Hinc est, quod quando homines adorationis actum sibi vt dijs postularũt, homines fideles, & verum Deum colentes noluerunt in genua procumbere, vt testatur historia de Rege Nabuchodonosor, & tribus pueris Israelitis, qui ipsius regis iussu ob id in succensam fornacem missi fuerunt, eo quod noluerunt in genua procumbere ante statuam ab eo erectam, ipsamque sic adorare. *Dan.* 3. Eandem ob causam Mardochæus noluit genuflectendo adorare Aman, Regis Assueri Principem. *Esther.* 3. Et Angelus in Apoc. noluit actum adorationis à Ioanne Apostolo, & Euangelista acceptare, addens: *Deum adora*. Apocal. vlt. Vnde communi vsu, penes quem est vis, & norma loquendi, adorationis nomen vsurpatur ad significandum reuerentiam, & venerationem, quæ Deo debetur, eius sanctis, rebusque diuino cultui consecratis, quem cultum ad distinctionem illius ciuilis, quem mortales mortalibus exhibent ob aliquam excellentiam ordinis naturalis, vocant sacrum, & religiosum, & hunc ciuilem, & humanum.

4 Est etiam aduertendum pro maiori intelligentia dicendorum, quod adoratio minus latè patet, quam honoratio; nam honoratio etiam ad æquales extenditur, non adoratio, hæc enim solum ad maiores ordinatur, & sic Deus neminem adorat, cum tamen summo honore afficiat sanctos suos. Idem de glorificatione dicendum videtur, nam omnis qui adorat, glorificat, non tamen omnis qui glorificat, adorat, propter eandem rationem. Vnde Deus non dicitur propriè aliquem reuereri, aut venerari, licet dicatur suos sanctos glorificare.

5 Nonnulla difficultas est de cultu, an scilicet cum adoratione conuertatur. Pater Suarez, putat, cultum conuerti cum honoratione, & consequenter latius patere, quàm adoratio, eo quod cultus possit inueniri inter æquales, vel etiam respectu inferiorum. Oppositum tamen communiter tenetur, vt aduertit Lugo hoc loco. Vnde cultus vsurpatur ad significandam reuerentiam erga superiores. Quocirca cultus diuinus accipitur pro religione erga Deum, nec legitur, quod Deus colat sanctos suos, licet eos honoret, & glorificet.

6 Definitur adoratio à N.P.S. Ioanne Damasc. orat. 1. de imaginibus, quod *est submissionis, & humiliationis nota*. Et oratione 3. sic eam definit. *Est animi cedentis, submissi, atque humilis significatio*. Adoratio namque significat actum, vel est actus quo vnus alteri se submittit, vel illum honorat in recognitionem excellẽtiæ ipsius. Vnde adoratio est actus virtutis, honestus, & studiosus; cum honestum sit ostendere submissionem, & reuerentiam internam alijs debitam.

7 Clarius tamen solet adoratio in genere, & prout à suis abstrahit speciebus sic definiri. *Adoratio est actus religionis, seu affectus, vel actus, quo quis efficaciter sese alteri subijcit, ob eius excellentiam, eique signa seruitutis, & subiectionis exhibet. Vel est actus religionis quo quis se alteri subijcit ob eius excellentiam*. Quod sit actus religionis, postea dicemus. Dicitur quo quis *se alteri* subijcit, quia religio est ad alterum, non ad se ipsum, cum religio sit pars iustitiæ: dicitur *subijcit*, quia adoratio est inferioris ad superiorem, quatenus qui adorat reputat eum quem adorat esse superiorem, & excellentiorem, saltem ratione eius quo adorat. Dicitur *efficaciter* vt denotetur, quod adoratio non debet esse simulata, sed veræ virtutis actus. In VII. Synodo Generali to. 3. Concil. par. 2. Adoratio sic definitur. *Est honoris alicui exhibiti emphasis*, idest expressio, seu significatio, seu est honor cum nota submissionis.

8 Quãtum ad diuisionem nota, quod adoratio duobus modis diuidi potest; primo ex parte modi quo fit, & tunc diuiditur in absolutam, & respectiuam. Absoluta est illa qua res adoratur propter excellentiam sibi intrinsecam. Respectiua est illa qua res adoratur propter excellentiam alterius, ad quem habet specialem ordinem, seu habitudinem. Secundò diuiditur ex parte rei excellentis, seu ratione excellentiæ propter quam res adora-

tur

tur, & tunc diuiditur in Latriam, Duliam, & Hyperduliam. Latria respicit excellentiam increatam; vnde tunc dicimur Deum adorare Latria, quando efficaci voluntatis actu testamur per aliquod signum exterius increatam Dei excellẽtiam, & summam nostram ad illum subiectionem. Dulia respicit excellentiam creatam creaturæ rationalis, ordinis tamen supernaturalis, omnibus beatis communem, superantem tamen communem excellentiam ciuilem, superiorum ciuilium, & temporalium. Hyperdulia respicit singularem aliquam excellentiam creaturæ rationalis, non omnibus communem, sed aliquorum propriam. Igitur dulia respicit excellentiam increatam. Dulia respicit excellentiam creatam consistentem in gratia, sanctitate, & gloria. Et Hyperdulia respicit singularem excellentiam creatam consistentem in aliquo dono, priuilegio, aut gratia singulari, alicui creaturæ rationali concessa. Cæterum vt res ista clarior appareat eam explicabimus in sequentibus SS.

§. I. *An diuisio adorationis in Latriam, Duliam, & Hyperduliam, sit vniuoca, an analoga.*

9 ALiqui putant propter argumenta postea soluenda, hanc diuisionẽ esse vniuocam, probabilius tamen est, esse analogam. Ratio est, quia eo modo se habet adoratio ad istas tres species, quo modo se habet ad illas excellentia, cum hæc diuisio pænes excellentiam attendatur, vt vidimus nu. præcedenti, sed excellentia dicitur analogicè de excellentia increata, & creata; & excellentia creata analogicè dicitur de illa communi, & priuilegiata; ergo, &c.

10 Sed obijcies 1. nam istæ tres species sunt actus vnius virtutis religionis; ergo sunt eiusdem speciei. Antecedens cõstabit ex dicendis. Conseq. probatur, nam vna virtus, nonnisi actus vnius speciei, ac subinde vniuocos habere potest; ergo, &c. Resp. quod actus morales non specificantur per ordinem ad habitus elicitiuos, aliàs nulla virtus haberet actus diuersæ speciei, sed specificantur per ordinem ad propria obiecta, in nostro autem casu obiecta illarum trium specierum distinguuntur analogicè ratione trium illarum excellentiarum. Bene verum est, quod si tres illę species considerentur prout oriũtur ab vno, eodemque principio, seu virtute, dato quod ab vna virtute procedant, de quo postea, tunc constituent vnum actum adæquatum specificatiuum dictæ virtutis.

11 Obijcies 2. Ratio adorationis cõpetit propriè adorationi creaturarum sine aliqua dependentia, & habitudine ad diuinam adorationem, aliàs omnis adoratio creaturarum esset respectiua, & nulla esset absoluta, quod est falsum. Resp. negando antecedens, omnis namque excellentia creata, est dependens ab excellentia diuina. Deinde dico, quod ad hoc vt aliqua analogentur inter se, non est necesse quod dicant dependentiam, sed sufficit, quod rationem communem inæqualiter participent, vt patet in cane cælesti, & marino, qui nõ dependent à terrestri, sed inæqualiter rationem canis participant, licet cõueniant in nomine canis. Quod maximè verum est in analogia proportionalitatis, vbi ratio analoga est intrinseca omnibus analogatis, vt patet in ratione entis quæ est analoga respectu Dei, & creaturæ, licet intrinsecè reperiatur in vtroque analogato. Sic in nostro casu, excellentia est intrinseca tam Deo, quam creaturis, tamen alio modo est in Deo, scilicet à se. Et alio modo est in creaturis, scilicet ab alio, quod sufficit ad analogiam proportionalitatis.

12 Obijcies 3. Fides dicitur vniuocè de diuina, & humana, & tamen illa nititur testimonio increato, & ista creato. Item amor dicitur vniuocè de amore Dei, & proximi. Item oratio dicitur vniuocè de ea quæ fit Deo; & sanctis. Item latria, & idolatria conueniunt vniuocè in ratione actus humani; ergo &c. Resp. negando antecedens, nam fides dicitur tantum analogicè de diuina, & humana: & amor dicitur tantum analogicè de amore Dei, & pro-

& proximi; idem dic de oratione, latria, & idolatria, quoad proprias rationes, licet conueniant in communi ratione actus humani, nisi mauis dicere, quod neque In ista ratione vniuocentur, cum idolatria non sit actus humanus nisi analogicè. Ratio horum omnium est, quia illæ rationes inæqualiter descendunt, & participantur à suis inferioribus.

13 Obijcies 4. nam voluntas sub eadem habitudine fertur in obiectum adorandum per Latriam, duliam, & Hyperduliam; ergo vniuocantur. Antecedens probatur, quia voluntas fertur in illa obiecta sub ratione excellentiæ vt sic, quod autem illa excellentia sit increata, vel creata non se tenet ex parte rationis genericæ excellentiæ, sed ex parte differentiarum; ergo, &c. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico, quod differentia excellentiarum in nostro casu, nō se tenet solum ex parte differētiarum, sed ex parte ipsarum, cum ratio excellentiæ respectu Dei, & creaturarum non sit vna, sed plures solum analogicè conuenientes. Sicut ratio entis respectu Dei, & creaturarum, non est vna, sed plures etiam antequam descendat ad inferiori.

§. II. *An adoratio distinguatur à laude, gloria, & honore.*

14 Communis Theologorum sententia admittit distinctionem inter ista, nam in primis adoratio distinguitur à laude, nam laus solis verbis perficitur, est enim quædam testificatio verbis facta, de bonitate, & perfectione rei alicuius in ordine ad finem, v. g. laudamus eum qui bene operatur, eo quod opus in finem bonum ordinat. Vnde S. D. 2. 2. q. 91. art. 1. dicit. *Ideo laude oris ad hominem vtimur, vt vel ei, vel alijs innotescat, quod bonam opinionem de laudato habemus; vt per hoc & ipsum, qui laudatur ad meliora prouocemus, & alios apud quos laudatur, in bonam opinionem, & reuerentiam, & imitationem ipsius inducamus*. Hinc est quod nos propriè dicimur laudare Deum; licet omnia interiora nostra illi innotescunt; ex eo quod ex ipsa laude quam Deo damus excitatur in nobis affectus in Deum, & audientium affectus prouocamus. Cæterum adoratio consistit in factis quibus diuinam excellentiam recognoscimus, & illi submissionem exhibemus.

15 Distinguitur adoratio ab honore, quod honor ex Arist. 4. *Ethic.* 13. consistit in aliquo facto alteri exhibito in testimonium excellentiæ, & bonitatis. At adoratio addit submissionem. Distinguitur à gloria, quod ista est quidam effectus honoris, & laudis, quo testificamur de bonitate alterius, quæ clarescit in notitia plurimorum, quā definit S. P. Aug. lib. 83. *quæst.* q. 31. quod *gloria sit clara cum laude notitia*, vt cum quis non tantum laudatur, sed nostra laude efficimus vt apud alios bona laudati æstimatio concipiatur. Vnde adoratio minus latè patet quam honor, &c. quocirca dicit idem S. P. August. lib. contra serm. Arianorum, cap. 23. Honorat omnis qui adorat, non autem adorat omnis qui honorat.

§. III. *An adoratio sit actus religionis.*

16 Conueniunt communiter Theologi, quod Latria sit actus religionis, siue respiciat diuinam excellentiā in se, vt cum Deus in se ipso, & propter excellentiam sibi propriam adoratur. Siue respiciat diuinam excellentiam tantum respectiuè, vt cum humanitas Christi D. adoratur adoratione latriæ respectiuè, scilicet ratione excellentiæ Verbi diuini cui hypostaticè vnitur. Item cum Crux adoratur adoratione latriæ ob excellentiam increatam quam respicit, quā repræsentat, &c. modo infra dicendo. Nam obiectum, seu motiuum, tam adorationis latriæ absolutè, quàm respectiuæ, est eadem diuina excellentia, ergo sunt eiusdem speciei, pertinebuntque ad eandem virtutem religionis. Sicut pertinet ad eundem habitum charitatis amare diuinam bonitatem in se, & eam amare vt resplendet in creaturis.

17 Maior difficultas est an dulia, & hy-

hyperdulia, quæ respiciunt excellentiam creatam sint actus religionis, an alterius virtutis. Aliqui putant esse actus religionis, non quidem primarij, sed secundarij. Quælibet namque virtus habet actus primarios, & secundarios, vt videre est in charitate, cuius actus primarius est amor Dei, & secundarius est amor proximi, ita, &c.

18 Nihilominus non est recedendũ à sententia D. Thomæ 2.2. qu. 103. art. 3. vbi apertè docet, quod dulia sit actus alterius virtutis à religione. Sic enim ait. *Vbi est alia ratio debiti, ibi necesse est, quod sit alia virtus, quæ debitum reddat. Alia autem ratione debetur debitum Deo, & homini, sicut alia ratione dominium competit Deo, & homini. Nam Deus plenarium, & principale dominium habet respectu totius, & cuiuslibet creaturæ, quæ totaliter eius subijcitur potestati. Homo autem participat quandam similitudinem diuini dominij, secundum quod habet particularem potestatẽ super aliquem hominem, vel super aliquam creaturam; & ideo dulia, quæ debitam seruitutem exhibet homini dominanti, alia virtus est à latria, quæ exhibet debitam seruitutem diuino dominio, Et est quædam obseruantiæ species, quia per obseruantiam honoramus quascumque personas dignitate præcellentes. Per duliam autem propriè sumptam serui dominos suos venerantur. Dulia enim græcè seruitus dicitur.*

19 Occurrunt aduersarij D. Thomã loqui de dulia naturali, & purè morali, qua serui suos dominos venerantur, hæc enim est species quædam obseruantiæ à religione distincta; nos autem loquimur de dulia supernaturali qua veneramur sanctos in gratia, & gloria constitutos. Sed contra nam dato quod S. D. loquatur de dulia morali tantum, adhoc tamen eius ratio probat quod sit ab alia virtute à religione, scilicet ab obseruantia infusa qua veneramur creaturas rationales ob excellentiam supernaturalem; vbi enim est diuersa ratio debiti, ibi debet esse diuersa virtus; sed excellentia increata, & excellentia creata supernaturalis afferunt diuersam rationem debiti, cum alia ratione debeamus venerari excellentiam increatam, & creatam supernaturalem; sicut etiam alia ratione debemus venerari excellentiam increatam pertinentem ad Deum naturæ auctorem, & excellentiam ciuilem eorum qui sunt in potestate; ergo, &c. Dulia tamen & hyperdulia pertinent ad eandem virtutem obseruantiæ infusæ, cum differant solum secundum maiorem, & minorem excellentiam creatam. Licet dici possit quod etiam istæ differant specie, cum ad inuicem analogentur vt *n.9.* dictum est, & tunc dulia est ab obseruantia infusa communi, & hyperdulia regulabitur à sapientia infusa.

§. IV. *Quot actus requirantur ad adorationem.*

20 Diuersi actus requiruntur ad adorationem, tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis, qui possunt sic ordinari. Primò enim ex parte intellectus requiritur existimatio de excellentia illius, qui odorandus est. Secundò ex parte voluntatis sequitur actus quo voluntas vult se illi submittere propter illius excellentiam, & hic actus habet pro obiecto ipsius submissionis exercitium. Tertiò sequitur in intellectu iudicium dictans esse bonum, honestum, & rationabile, ponere hanc submissionem ob reuerentiam illius qui debet adorari. Quartò ponitur actus voluntatis quo vult ponere dictam submissionem. Quintò est aliqua nota submissionis, siue sit aliquid internum siue externum, de quo postea.

21 Difficultas est in quo ex dictis actibus consistat formaliter adoratio. Certum est non consistere in actu intellectus, licet præsupponatur, cum enim adoratio sit actus religionis, aut obseruantiæ infusæ, vt §. præcedenti dictum est; non potest consistere in actu intellectus, cum istæ virtutes non sint in intellectu, sed in voluntate. Neque etiam consistere potest in illo actu voluntatis quo vult se alteri submittere, propter illius excellentiam, quia adhuc non est adoratio, sed voluntas se submittendi. Neque potest consistere

ſistere in illo voluntatis actu quo vult ponere ſubmiſſionem hic, & nunc, ob eandem rationem. Sed conſiſtit in eo qui eſt nota ſubmiſſionis, ſeu per quem voluntas ſe ſubmittit, ſe ſubijcit, ſe alteri inclinat. Et iſte actus vocatur nota ſubmiſſionis, & adoratio, & cultus.

22 Sed quæres 1. quodnam ſit obiectum voluntatis qua volumus adorationem? Reſp. quod iſta voluntas habet obiectum *quod*, & cui. Obiectum *quod* eſt illa nota ſubmiſſionis, ſeu cultus Deo, vel ſanctis exhibitus, vel exhibendus. Obiectum autem cui eſt ipſe Deus, vel ſunt ſancti quibus cultus exhibetur.

23 Quæres 2. quomodo ille actus qui eſt nota ſubmiſſionis, in quo dicimus conſiſtere adorationem, & cultum adorationis, diſtinguatur ab actu humilitatis? Reſp. diſtingui ex proprijs obiectis formalibus, ſeu motiuis, & honeſtatibus. Nam obiectum, ſeu honeſtas humilitatis eſt moderari affectum honoris, & hac ratione multoties exercet etiam actus exterioris ſubmiſſionis. Cæterum adoratio exhibet alteri honorem quatenus debitũ ratione excellentiæ; adoratio reſpicit ſubmiſſionem ob excellentiam alterius. At humilitas reſpicit ſubmiſſionem ex motiuo propriæ vilitatis. Per humilitatem namque homo ſibi ipſi viléſcit.

§. 5. *An tota ratio adorationis interius compleri poſſit.*

24 RElictis hæreticis noſtri temporis qui omnem externam adorationem negant, ſola interiori adoratione contenti; vnde irrident catholicos, adorantes imagines, ſignaque externa adorationis exhibentes: controuerſiam proponimus inter catholicos, an ſcilicet notæ, ſeu ſigna externa ita ſint de ratione adorationis, vt ſine illis non detur, an vero adoratio, ſolum interius conſumari poſſit; vt ſicut actus fidei ita perficitur interius, vt tamen habeat exteriorem adorationis proteſtationem.

25 Prima ſententia eſt, quod de eſſentia adorationis ſit aliqua nota, ſeu ſignum exterius, vt non detur adoratio propriè dicta ſine aliqua nota, aut ſigno exteriori, eo quod non minus actus exterior ſit de ratione adorationis, ac de ratione ſacrificij. Solum poſſit interius dari actus quo velim adorare, ſicut datur actus quo volo ſacrificare. Sic tenet Vaſq. *lib. 1. de adoratione diſp. 1. cap. 4.* qui plures pro hac ſententia citat, quibus addo Iſambertum *hic ad q. 25. diſp. 1. art. 4.*

26 Noſtra ſententia ſequenti concl. explicatur. *Adoratio poteſt ſolum interius conſumari*, & ſic poteſt quis Deum, & ſanctos eius ſola mente adorare. Vnde adoratio diuiditur in internam, & externam. In vtraque ſupponitur iudiciũ de excellẽtia eius qui debet adorari, & voluntas exhibendi cultum, ſine quibus irriſoria eſſet adoratio. Poſtea eſt cultus qui poteſt interior eſſe, & exterior, licet quando mortales adorantur ſit exterior, imò ſenſibilis eſſe debeat, vt enim cultus ſit adoratio, debet eſſe cum tali ſignificatione ſubmiſſionis, vt percipi poſſit ab eo, qui adoratur. Quocirca in adoratione quatuor eſſe debent, exiſtimatio excellentiæ, voluntas adorandi, cultus, & nota ſubmiſſionis, quæ omnia ſolum interius conſumari poſſunt. Et ſic tradunt communiter diſcipuli D Thomæ *hoc loco, & 2. 2. q. 84. art. 2.* quibus addo Suarez *hoc loco diſp. 51.* Orland. *hic diſp. vlt. q. 1. n. 7.* & Malderum *2. 2. tract. 10. cap. 1. dub. 3. §. Difficultas autem.*

27 Probatur 1. teſtimonio D. Thomæ loco citato, vbi ſic ait. *Sicut Damaſc. dicit in 4. lib. Quia ex duplici natura compoſiti ſumus, intellectuali, & ſenſibili, duplicem adorationem Deo offerimus, ſcilicet ſpiritualem, quæ conſiſtit in interiori mentis deuotione, & corporalem, quæ conſiſtit in exteriori corporis humiliatione. Et quia in omnibus actibus latriæ, id quod eſt exterius, refertur ad id quod eſt interius, ſicut ad principalius, ideo ipſa exterior adoratio, ſit propter interiorem, vt videlicet per ſigna humilitatis, quæ corporaliter exhibemus, excitetur noſter affectus ad ſubijciendum ſe Deo, quia connaturale eſt nobis, vt per ſenſibilia, ad intelligibilia procedamus.* Et ad ſecundum

sic habet. *Sicut oratio primordialiter est quidem in mente, secundariò autem verbis exprimitur, ita etiam adoratio principaliter quidem in interiori Dei reuerentia consistit, secundariò autem in quibusdam corporalibus humilitatis signis, sicut genuflectimus, nostram infirmitatem designantes, in comparatione ad Deum. Prosternimus autem nos quasi profitentes nos nihil esse ex nobis.*

28 Probatur 2. nam in Angelis datur vera, & propria adoratio; sed Angeli non adorant per aliquod signum sensibile, seu per exteriorem notam, aut per aliquid corporeum, ergo vera adoratio in solo actu interno potest consumari. Minor nota est. Maior probatur, nam psal. 95. dicitur. *Et adorent eum omnes Angeli eius.* Apocal. 7. legitur. *Omnes Angeli stabant in conspectu throni, & ceciderunt, & adorauerunt, &c.* Et Ecclesia canit. *Per quem maiestatem tuam laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt potestates, &c.*

29 Probatur 3. nam voluntas in signum, & notam submissionis potest ordinare ad Deum genuflexionem, pectoris tunsionem, prostrationem, &c. ergo etiam poterit ordinare ad Deum actum proprium, & actum intellectus. Conseq. probatur quia voluntas per virtutem religionis imperat actum intellectus ad orandum, ad eleuandum se in Deum, ergo etiam poterit per eandem virtutem religionis imperare actum intellectus quo se submittat Deo in signum suæ excellentiæ, & potestatis. Virtus namque religionis non est minus potens ad imperandum motum membrorum externorum quo Deo submittatur, & eum adoret, quam sit potens ad imperandum actum intellectus quo Deo submittatur; cumq; adoret.

30 Occurrunt aduersarij, quod actus externus induit rationem adorationis, ex eo quod est nota, & signum submissionis, honoris, & cultus, quæ non competunt actui interno. Sed contra, nam licet respectu hominum actus internus nequeat esse nota, & signum submissionis, tamen respectu Dei, & beatorum potest actus internus esse signũ submissionis. Si enim, vt notauimus de Sacram. in genere, actus interni possunt esse signa, non quidem sensibilia, sed insensibilia, respectu intellectus ea percipientis, ita possunt esse signa internæ submissionis, honoris, reuerentiæ, & cultus.

31 Probatur 4. nam demus casum quod quis non possit membra corporis ex voluntatis imperio mouere; tunc iste per aduersarios esset incapax adorandi Deũ, eiusque sanctos; hoc est falsum, ergo vera adoratio potest in solo actu interiori consistere. Maiorem admittunt aduersarij. Minor probatur, nam ex defectu membrorum non est denegandum tantum bonum hominibus, quod concedi debet animabus beatis, & animabus in Purgatorio existentibus. Tum quia adoratio in Spiritu commendatur *Ioan. 4.* Tum etiam quia adoratio est cultus, seu honor, aut reuerentia cum nota submissionis, sed hęc haberi potest interius in ordine ad Deũ; ergo, &c.

§. VI. *An tres species adorationis rectè explicentur per Latriam, Duliam, & hyperduliam.*

32 CAluinistæ communiter negant non solum illas tres adorationis species, sed etiam dicunt, quod illis datis, adhuc non rectè explicarentur per illa tria nomina latriæ, Duliæ, & hyperduliæ. Tum quia ista nomina non reperiuntur in sacra Scriptura; tum etiam quia dato quod reperirentur, soli Deo, non creaturis applicari possent. Sed decipiuntur hæretici, nam licet illa nomina non reperiantur expresè in sacra Scriptura, reperiuntur tamen quantum ad eorum significatum; nam latria significat cultum religiosum soli Deo debitum, quod concordat cum eo *Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Nec latria est nomen nouum, sed antiquum græcum, quod etiam apud Platonem reperitur, vt notat Henricus Stephanus *in suo Thernuro linguæ Greca*, eoque vtitur Plato ad significandum cultum religiosum Deo debitum. Item

Item in sacra Scriptura sufficienter significatur dulia, quæ idem est ac seruitus debita sanctis, pro quo videri potest S.P. Aug. *lib. quæst. in Gen. q. 61. & lib. 10. contra Manichæum cap. 21. & lib. quæst. in Leuit. quæst. 66. & lib. 10. de ciuit. cap. 1.* & alibi.

33 Sed obijciunt 1. Caluinistæ, nam datis duliæ, & latriæ significationibus, sequeretur, quod maior honor tribueretur creaturis, quam Deo; hoc est absurdum; ergo, &c. Sequelam probant, nam latria quæ apud catholicos significat cultum Deo debitum, aliquid minus significat, quam dulia, quæ significat seruitutem; colere namque est aliquid minus quàm seruire; ergo, &c. Resp. negando maiorem. Latria namque longè maiorem seruitutem significat, quàm dulia; Nam dulia solum significat seruitutem sequentem excellentiam creatam, at latria significat seruitutem sequentem excellentiam increatam, quæ nomine cultus significatur.

34 Obijciunt 2. quoniam dulia in sacra Scriptura tribuitur soli Deo; ergo malè appropriatur creaturæ; Conseq. constat. Antecedens habetur Matt. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*, ergo dulia quæ significat seruitutem soli Deo tribuitur, & debetur. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico, quod *seruies* in illo loco accipitur pro seruitute debita ex latria, quæ respicit seruitutem altiorem, soli Deo debitam, ratione excellentiæ increatæ, & dominij supremi. Bene verum est, quod aliquando vt ab Apost. ad Galat. 4. dulia accipitur pro seruitute soli Deo debita, & cognoscitur ex antecedentibus, & subsequentibus.

35 Obijciunt 3. nam licet S. August. *lib. 10. de ciuit. cap. 1.* distinguat latriam à dulia, & dicat illam soli Deo esse debitam; hanc verò posse etiam tribui creaturis rationalibus, non tamen ad mentem catholicorum, cum *lib. 2. contra Faustum cap. 21.* dicat, quod cultus duliæ potest etiam reddi hominibus in hac vita mortali degentibus, sed tunc non est cultus religiosus; ergo &c. Resp. ex dictis supra, nos hic non loqui de dulia purè morali, quæ est actus obseruantiæ moralis qua etiã homines in hac vita in dignitate constituti honorantur. Sed loquimur de dulia, quæ est actus obseruantiæ infusæ, qua adoramus, & colimus beatos, & sanctos viros in gratia constitutos.

DVBIVM II.

An vna, eademque adoratione debeat adorari diuinitas Christi, eiusque humanitas.

36 CONueniunt omnes, quod Deus sit adorandus adoratione latriæ ob eius infinitam excellentiam, & quod hæc adoratio non possit absque idolatria alicui puræ creaturæ communicari, cum huius adorationis titulus non nisi in Deo reperiatur (loquimur de adoratione absoluta, quid enim de respectiua dicendum sit, ex infra dicendis constabit.) Tituli autem quibus Deus adoratur adoratione latriæ sunt sequentes. Primus est supremum eius dominium, seu suprema eius excellentia, & dignitas. Secundus, est suprema eius sanctitas, & gloria. De primo canunt sancti in cælo: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. De secundò dicitur. *Plena est omnis terra gloria eius*. Tertius est summa, & maxima beneficentia erga nos. Quartus est, quia ab ipso speramus omne bonum; eos namque solemus honore afficere à quibus aliquod bonum speramus. Quintus est, quia ipsum offendimus; quos enim offendimus, honoramus, vt ad eorum gratiam reuertamur, alij alios assignant titulos, vt est beneficium creationis, sed hoc videtur motiuum quasi remotum: vt quia sapiens, iustus, omnipotens, &c. sed isti tituli reuocantur ad titulum excellentiæ, sicut etiam alij assignati præter primum; eos tamen assignauimus, quia sic communiter assignantur; cum tamen sola excellentia sit proprium, & formale motiuum adorationis.

37 Conueniunt etiam omnes, quod

Christus D. vt Deus sit adorandus adoratione latriæ, vt sic enim habet excellentiam diuinam, & increatam; an autem Christus D. vt Deus adoretur solum ratione diuinitatis inclusæ adoratione latriæ, an etiam ratione personalitatis Verbi diuini, quæ est relatio, ita quod hæc sit motiuum latriæ, summè, & infinitè excellens, ex dicendis constabit.

38 Etiam conueniunt catholici, quod Christus D. possit adorari adoratione latriæ per communicationem idiomatum, cum certum sit, quod attributa, seu prędicata naturæ diuinæ, & Verbi diuini, possint enunciari de natura humana in concreto; vnde cum natura diuina, & Verbum adorentur adoratione latriæ, etiam humanitas Christi in concreto poterit adorari adoratione latriæ. Vnde est de fide, quod hic homo, ostenso Christo possit adorari adoratione latriæ. Cum enim hic homo, ostenso Christo D. sit Deus, & Deus adoretur latria, etiam hic homo sic adorari potest.

39 Difficultas est, an Christus D. quatenus homo, seu inquantum homo, adoretur latria. Pro quo nota, quod hæc difficultas potest habere duplicem sensum. Primus est, quod *ly inquantum*, aut *quatenus*, accipiatur reduplicatiuè, vt sit sensus, quod motiuum, seu ratio formalis propter quam Christus D. adoratur latria, sit humanitas, & in hoc sensu certū est, quod Christus D. non adoratur latria inquantum homo, seu ratione humanitatis. Humanitas namque secundum se non habet excellentiam increatam, sed tantum creatam. Secundus sensus est specificatiuus, vt sit sensus quod humanitas in Christo sit id, quod adoratur latria. Seu vt sit sensus, quod hoc subsistens, quod constat Verbo diuino, & humanitate, adoretur latria. Alij sic explicant, *an Christus quatenus homo adoretur latria*, vt ly quatenus reduplicet obiectum motiuum adorationis, & in hoc sensu illa propositio est falsa, cum obiectum motiuum adorationis non sit humanitas. Vel vt *ly quatenus*, reduplicet obiectum terminatiuum tantum, & non motiuum, & tunc admitti potest:

40 Hæretici Caluinistæ, & nominatim Beza, denegant humanitati Christi Verbo coniunctæ, adorationem latriæ. Et quidam Caluinista scripsit. *Christum adorandum esse in Deo Patre, sed non in assumpta humana carne*. Et alius scripsit. *Adoro Christum non qua homo, sed qua Deus est: non autem adoro humanitatem ipsam deitate, sed Verbum adoro carni inseparabiliter, & hypostaticè vnitum*. Desumpserunt suum errorem Caluinistæ à Nestorianis, qui cum duas distinguerent in Christo D. personas, duas etiam in eodem distinguebant adorationes. Personam diuinam adorabant latria, & humanam, dulia.

41 Veritas catholica seq. concl. explicatur. *Christus D. quatenus homo specificatiuè, seu vt subsistens in humanitate, seu humanitas Christi Verbo diuino hypostaticè vnita adoratur latria, ac proinde eadem adoratione qua adoratur eiusdem Christi diuinitas, & Verbi persona*. Hæc concl. definitur in Concil. Alexandrino, vbi dicitur. *Vnus definitur Christus Iesus Filius vnigenitus, qui vna adoratione propria cum carne adoratur*. Colligitur ex illo Ioan. 20. *Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum*. Vbi tenentes Christum adorauerunt in eodem etiam humanitatem. Plura alia testimonia tum sacræ Scripturæ, tum Sanctorum Patrum referunt Theologi hoc loco.

42 Probatur 1. nam maiorē coniunctionem habet humanitas Christi cum Verbo, quam habeant species consecratæ in Eucharistia cum Corpore, & Sanguine Christi; sed species consecratæ ratione huius coniunctionis adorantur latria per Tridentinum *sess*. 13. *cap*. 5. ergo multo magis debet adorari latria humanitas Christi, ratione vnionis, seu coniunctionis hypostaticæ cum persona Verbi diuini. *Maior* nota est, nam species Eucharistiæ non vniuntur hypostaticæ cum Corpore, & Sanguine Christi, sed vnione longè inferiori. Tum quia si species Sacramentales adorantur latria ob vnio-

nem

nem ad Corpus, & Sanguinem Christi, multò magis debet adorari latria ipsa humanitas.

43 Probatur 2. nam ad hoc vt aliquod totum adoretur aliqua adoratione, sufficit, quod in eo includatur ratio motiua talis adorationis; sed in Christo D. includitur ratio motiua adorationis latriæ, scilicet diuina excellentia, cum Christus D. sit Deus, ac proinde habens diuinam excellentiam; ergo, &c. Minor nota est. Maior ostenditur; nam colimus, & honoramus hominem propter sapientiam, cum tamen sapientia non sit in toto homine, sed tantum in mente; ergo ad hoc vt totus homo honoretur, sufficit, quod in eo reperiatur motiuum honoris, Ob motiuum namque honoris in homine existens, totus homo est obiectum terminatiuum eiusdem honoris.

44 Probatur 3. exemplo quo vtitur S.P.Aug. apud Suarez, quia purpura qua Rex est indutus, simul cum Rege, regia adoratione adoratur; ergo pariformiter humanitas Christi D. eadem adoratione adorabitur qua adoratur persona Verbi diuini, cum sit quædam quasi vestis illius, iuxta illud Apostoli, *& habitu inuentus vt homo*. Imò si vestis quæ solum accidentaliter vnitur personæ, eadẽ adoratione adoratur cum persona, multò magis vestis vt est humanitas, quæ vnitur cum persona substantialiter, eadem adoratione adorabitur cum sua persona.

45 Probatur 4. nam eadem adoratione duliæ qua adoratur homo sanctus, propter animæ sanctitatem, coadoratur corpus tali animę per se vnitũ; & eadem adoratione qua nunc adoratur anima D.Petri, post resurrectionem adorabitur totum compositum, & corpus adorabitur propter vnionem ad animam; ergo etiam eadem adoratione qua adoratur Christus; adoratur etiam eius humanitas. Conseq. probatur ex antecedenti, nam sicut totus homo adoratur propter excellentiam animæ, ita totus Christus, ac proinde etiam humanitas, adorabitur adoratione latriæ, propter excellentiam personæ. Soluuntur argum. hæreticorum.

46 Primum argument. desumunt ex glos. in illud psal.98. *Adorate scabellum pedum eius*, vbi sic dicit. *Carnem à Verbo Dei assumptam, sine impietate adorari à nobis, sed non illa adoratione, quæ latria est, quaque soli creatori debetur*. Resp. falsò addi ab hæreticis, illa verba; *Sed non illa adoratione quæ latria est, quaque soli creatori debetur*. Deinde dato, quod illa verba haberentur apud glossam, adhuc intelligi deberet, de motiuo adorationis, quatenus ipsa humanitas non est motiuum, seu ratio formalis adorationis, sed de obiecto tantum terminatiuo; obiectum motiuum est sola excellẽtia increata, at obiectum terminatiuum est etiam humanitas Verbo diuino hypostaticè vnita. Eodem modo intelligi debet N.S.P. Ioan. Damasc. & si qui alij sancti videntur dicere humanitatem non esse adorandam latria.

47 Secundum argum. Humanitas Christi non est Deus, ac proinde non est æqualis in excellentia, & dignitate ipsi Deo; ergo non potest adorari latria, sed tantum dulia. Resp. concedendo antecedens, & negando conseq. Licet enim quod per se tanquam obiectum motiuũ, & terminatiuum simul adoratur debeat esse Deus, non tamen quod coadoratur, vel adoratur tantum vt obiectum terminatiuum, non motiuum. Sicut enim quando adoratur homo per duliam simul coadoratur corpus, cum tamen excellentia non sit in corpore, sed in anima, & sicut quando quis honoratur propter sapientiam, totus homo honoratur, cum tamen sapientia non sit in toto homine, sed in solo intellectu. Ita totus Christus adoratur latria, licet excellentia increata non sit in humanitate, &c.

48 Tertium argum. nam ex eo quod humanitas est pars Christi D. non sequitur quod debeat adorari eadem adoratione ac ipse Christus; ergo, &c. Antecedens probatur, nam eodem amore quo amamus Christum D. non amamus eius humanitatem, aut saltem non terminatur æqualiter ad humanitatem; nam

Chri-

Christus vt Deus amatur super omnia, & propter se, at humanitas non amatur super omnia, & propter se, sed propter Deum; ergo etiam non eadem adoratione adorabitur humanitas, & persona Christi.

49 Ad hoc argum. respondent Lugo, & Orlandus esse diuersam rationem de amore, & de adoratione, nam adoratio est cultus, qui toti supposito indiuisibiliter exhibetur, non enim cum assurgimus Prælato, assurgimus animæ: dum honoramus sapientem, honoramus intellectum in quo est sapientia, sed toti Prælato assurgimus, & totum sapientem honoramus, quia totus Prælatus, & totus sapiens participant illum cultum. Cæterum amor est affectus interior, qui fertur ad bonum, & magis, ad maius bonum, & magis ad ea, quæ magis participant bonitatem. Vnde qui amat sapientem, non amat æqualiter ea quæ sunt in eo, sed magis animam in qua est sapientia, quam corpus. Vnde omnia quæ sunt in Christo adorantur æqualiter, non tamen omnia amantur æqualiter.

50 Cæterum ista responsio non quietat animum, nam tam in adoratione, quam in amore eadem currit ratio, qui enim amat aliquem propter sapientiam, totum hominem amat sicut qui assurgit Prælato, toti Prælato assurgit, &c. Et ratio est, quia ideo qui assurgit Prælato toti assurgit, quia motiuum assurgendi est vniuersale ad totum; sed etiam in amore totum motiuum amādi est vniuersale ad totum hominem; ergo, &c. Vnde sicut in honore nullus diuidit honorem, partitque vt magis vnam partem hominis honoret quàm aliā, quia motiuum se extendit ad totum hominem; ita in amore nullus amorem diuidit, partitque vt magis amet vnam partem quam aliam, cum motiuum amandi sit commune toti, & omnibus partibus eius. Tum quia ita se habet affectus colendi, sicut affectus amandi. Seu ita se habet motiuum colendi ad cultum, sicut affectus amandi ad amatum; ergo sicut manente eodem affectu colendi, eodem modo obiecta coluntur; ita manente eodem affectu amandi, eodem modo obiecta amabuntur. Et sicut in affectu colendi dantur obiecta primaria, & secundaria, sic in amandi affectu. Ac proinde sicut in amore humanitas Christi non est obiectum primò amatum; ita in adoratione non est obiectum primò adoratum.

51 Resp. ergo negando antecedens, ad probationem negatur etiā antecedens, eodem namque amore quo amatur Christus D. secūdariò amatur eius humanitas, sicut eadem adoratione qua adoratur Christus, adoratur eius humanitas. Ad probationem dico solum cōuincere quod in humanitate non detur motiuum amandi, sicut non datur motiuum, seu ratio formalis adorationis, quæ est excellentia diuina; nam humanitas neque habet excellentiam diuinam, neque bonitatem à se, &c.

52 Quartum argum. nam qui adorat Christum D. vult personalitati cultum propter suam excellentiam, & vult cultum humanitati propter excellentiam personalitatis, ergo non adorat humanitatem adoratione absoluta, sed tantum relatiua, ac proinde loquendo de adoratione absoluta Christi humanitas adorabitur tantum adoratione duliæ, aut hyperduliæ, non latriæ; atqui hoc est falsum, nam aliàs Christi D. humanitas solum adorabitur eo modo quo adoratur imago Christi D. quæ adoratur propter excellentiam Christi, non propter excellentiam ipsius. Resp. concedendo antecedens, & negando conseq. Adoratio namque relatiua est illa qua imago v.g. adoratur propter excellentiam existentem in alieno supposito. At humanitas adoratur propter excellentiam sui suppositi, ac proinde non adoratur adoratione latriæ relatiuæ, seu respectiuæ, sed absolutæ.

53 Quintum argum. quoniam Christo vt homini non offertur sacrificium, sed vt Deo, ergo etiam solum vt Deo offeretur latria; idem namque debet terminare motum sacrificij, & adorationis latriæ. Resp. concedendo antecedens, & negando conseq. Ratio discriminis est, quia principalis minister sacrificij, est Christus

vt homo; quia per verba humana in cęna consecrauit, & modo consecrat per sacerdotes eius ministros, propterea vtuntur ijsdem verbis quibus ipse Christus D. obtulit. Nullus autem potest sibimetipsi offerre sacrificium. Etiam sacrificium crucis fuit oblatum ad eodem Christo D. vt homine, cum per illud etiam sibi satisfecerit vt Deo. Cæterum nos sumus causa principalis adorationis, & sic possumus adorare etiam Christum vt hominem, quamuis ipse Christus vt homo non possit adorare se ipsum, vt hominem.

54 Sextum argumentum, nam Angelus, qui ante incarnationem adorabat Verbum diuinum, eodem actu continuato post incarnationem adorat Christum D. ergo non adorat vt hominem. Antecedēs est certum; nulla namque apparet implicantia in hoc quod Angelus eodem actu continuato adoret Verbum, & post incarnationem adoret Christum, seu idem Verbum caro factum. Conseq. probatur, nam si Angelus post incarnationem adorando Verbū caro factum, seu Christum D. adoraret etiam humanitatem, cum variaretur obiectum adorationis, deberet etiam variari adoratio, sed hoc est contra suppositum; ergo, &c. Resp. 1. quod tunc variatur actus adorationis, cum varietur obiectum. Resp. 2. quod tunc non variaretur actus adorationis, sed post incarnationem extenderetur ad humanitatem, ad quam prius nō extendebatur; extensio namque ad obiectum secundarium non variat actum nisi varietur motiuum, seu ratio formalis sub qua, & obiectum principale terminatiuum, quæ in nostro casu non variantur.

§. I. Proponuntur quatuor difficultates, & soluuntur pro complemento præcedentis dubij

55 Prima difficultas, an sit de fide quod Christus D. vt homo, seu vt subsistens in humanitate, seu an humanitas vt hypostaticè vnita Verbo diuino adoretur adoratione latrię. Aliqui putant non esse de fide, quia quæ ex scriptura, Concilijs, & Patribus in contrarium adducuntur, possunt interpetrari de communicatione idiomatum, modo supra dicto. Vel possunt interpretari vt procedant contra Nestorium, vt non dentur in Christo duæ adorationes ratione duarum personarum. Nihilominus videtur dicendum cum Vasq. Orlando, & alijs hoc loco, quod sit de fide, quod Christus D. vt homo, &c. debeat adorari adoratione latriæ. Ita enim apertè colligitur ex facto Magorum adorantium Christum natum. Item ex facto cæci nati. Ioan. 9. cui cum dixisset Christus D. *Credis in filium Dei?* Respondit. *Quis est Domine vt credam in eum* Subiunxit Christus. *Et vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est.* Hoc audito cæcus statim *Procidens adorauit eum*. Et Apocal. 5. viginti quatuor seniores adorauerunt Angelum, idest. Christum D.

56 Secunda difficultas; an Christus D. vt homo, seu subsistens in humanitate, seu an humanitas vt vnita Verbo diuino hypostaticè, adoretur adoratione latriæ absoluta, an respectiua? Resp. certum esse, quod Christus vt homo, seu vt subsistens in humanitate adoretur adoratione latriæ absoluta. Ratio clara est, quia tunc aliquid adoratur adoratione absoluta, quando adoratur propter aliquid inexistens, sed Verbum diuinum propter quod Christus Dominus adoratur latria est existens in Christo, ergo Christus D. vt homo, seu vt subsistens in humanitate adoratur latria absoluta, & sic tradunt communiter Theologi hoc loco.

57 Maior difficultas est, an humanitas Christi D. vt vnita Verbo diuino adoretur latria absoluta, an respectiua? Isambertus hoc loco *ad n.* 25. *disp.* 2. *art.* 2. putat quod adoretur latria respectiua, quia vt docent Patres adoratur propter Verbum, ac proinde relatiuè ad Verbum. Tum quia tunc aliquid adoratur adoratione respectiua, quando ratio motiua ei non inest, sed excellentia increata non inest humanitati, ergo humanitas adoratur adoratione latriæ respectiua.

58 Nihilominus videtur dicendum quod humanitas adoretur latria absoluta

ratio

ratio clara est ex dictis n. 52. quia adoratio respectiua est illa qua aliquid adoratur propter excellentiam existentem in alio supposito, nam illa censetur extrinseca, vt quando adoratur imago propter excellentiam repertam in re repræsentata, sed quando excellentia est in proprio supposito, vt in nostro casu contingit, non censetur extranea, sed propria ipsius naturæ; ergo, &c. Tum quia suppositum diuinum non est extrinsecum naturæ humanæ, cũ eam non minus intrinsecè terminet, ac faceret proprium suppositum, ac proinde excellentia suppositi censetur excellentia humanitatis, sicut ipsum suppositum, seu subsistentia Verbi diuini, est subsistentia eiusdem humanitatis.

59 Tertia difficultas, an accidentia humanitatis Christi D. adorentur adoratione latriæ,& an adoratione absoluta,aut relatiua,seu respectiua? Quantum ad primum communis Theologorum sententia est, quod accidentia Christi adorentur adoratione latriæ; sicut enim eadem adoratione qua adoratur Rex, adoratur eius purpura, ita eadem adoratione qua adoratur Christi D. humanitas,adorantur accidentia illius, & potiori iure, cum accidentia humanitatis, sint ipsi intrinseca, non vestis.

60 Maior difficultas est, an dicta accidentia adorentur adoratione respectiua, an absoluta? Isambertus loco citato putat adorari adoratione respectiua, propter rationem nu. 57. allatam de humanitate, imò putat, quod ista relatio respectiua in accidentibus sit secundaria, & inferior illa qua adoratur humanitas. Cœterum dicendum est, quod etiam accidentia humanitatis Christi Domini adorentur latria absoluta, cum excellentia increata non sit illis extranea, cum sit eiusdem suppositi, vt de humanitate dicebamus.

61 Quarta difficultas, an humanitas Christi D. sit adoranda adoratione latriæ ratione vnionis ad Verbum, an ratione vnionis ad naturam diuinam medio Verbo; seu, an natura humana adoretur latria ratione excellentiæ naturæ diuinæ, an ratione excellentiæ Verbi diuini? Resp. quod humanitas est adoranda ratione excellentiæ tum Verbi diuini, tum naturæ diuinæ; quæ in Christo D. inhabitat, *corporaliter*, vt loquitur Apostolus. Cum discrimine tamen; nam immediatè, & proximè adoratur propter excellentiam Verbi diuini, at mediatè,& ratione Verbi adoratur ob excellentiam naturæ diuinæ. Excellentia namque increata licet primariò sit in essentia diuina, & per modum transcendentiæ in diuinis relationibus, & personalitatibus, tamen quoad dignificandam naturam humanam, prius intelligimus excellentiam Verbi diuini, quod immediatè eam terminat, quam naturæ diuinæ, quæ solum mediatè est in eadem natura humana, scilicet mediante vnione Verbi diuini.

§. II. *An humanitas secundum se, seu præcisiuè à Verbo, adoretur adoratione latriæ.*

62 Tribus modis potest Christi D. humanitas considerari. Primò vt vnita Verbo; & secundum hanc considerationem iam diximus dubio, & §. præcedenti. Secundò vt separata à Verbo, vt si Verbum diuinum eam dimitteret. Tertiò vt solum per intellectum præscindit à dicta vnione, & consideratur vt ornata gratia sanctificante, & donis illius. Et de istis duobus potest esse nonnulla difficultas.

63 Quantum ad primum Vuicleffus apud nostrum Valdensem *lib. 2. doctrin. cap. 44. art. 2.* putauit quod si Verbum diuinum dimitteret humanitatem, adhuc deberet sic dimissa adorari adoratione latriæ. Quod in duplici sensu intelligi potest. Primò absolutè, & sine vllo ordine ad Verbum. Secundò ratione alicuius habitudinis ad Verbum, à quo prius sustentabatur, & modo dimissa est.

64 Dico 1. *Si humanitas dimissa consideretur absolutè, & secundum se, sine vllo respectu ad Verbum, certum est, quod non possit adorari latria.* Colligitur ex D. August. *serm.* 58. dicente. *Si hominem separa-*

parauerit à Deo, neque illi credo, neque illi seruio, vbi per hominem intelligit humanitatem, vsurpando concretum pro abstracto. Ratio clara est, quia humanitas secundum se spectata, est pura creatura, nec vllum dicit ordinem, aut habitudinem ad excellentiam increatam; ergo hoc modo nihil habet per quod possit adorari latria; vbi enim non est excellentia increata, nec absoluta, nec respectiua, non potest esse adoratio latriæ.

65 Dico 2. *Si humanitas dimitteretur à Verbo, & consideraretur cum habitudine ad idem Verbum à quo prius sustentabatur, & in qua pro nostris peccatis satisfecit, tunc ratione huius habitudinis, posset adorari latria*. In hoc concordant omnes catholici. Ratio est, quia adhoc vt aliquid adoretur adoratione latriæ respectiuæ, sufficit, quod respiciat excellentiam increatam. Hac enim ratione adoramus imagines Christi D. adoramus crucem, &c. sed non minus diceret respectum ad excellentiam increatam humanitas illa dimissa; quam dicit crux; ergo, &c. Sicut enim crux conseruat habitudinem ad Christum crucifixum, ita dicta humanitas conseruaret habitudinem ad Verbum à quo sustentabatur. De hac enim humanitate verum esset dicere quod fuerit Verbo diuino vnita, & sicut quando est vnita adoratur latria absoluta, ita quando est separata, adoratur latria respectiua.

66 Maior difficultas est de secundo, an scilicet humanitas Christi D. vnita quidem Verbo, non tamen apprehensa, sed apprehensa secundum alia dona supernaturalia gratiæ, possit adorari dulia, aut hyperdulia. Prima sententia est Vasquez *disp.106 cap.4. cum seq.* quod tunc humanitas nulla sit adoratione adoranda, nisi latria, cum non possit adorari nisi adoretur Verbum, seu quia adoratur Verbum cui est vnita.

67 Secunda sententia est, quod licet physicè loquendo non repugnet adorare humanitatem ratione sanctitatis creatæ, sibi inhærentis, exhibendo sibi aliquem cultum inferiorem, qui non sit perfecta, & propria latria, tamen moraliter loquendo, non potest decenter, & honestè adorari, nisi vnica adoratione latriæ. Sic tenet Orlandus *disp.vlt. q.3. n.23.* vbi citat Bonau. Ragusam, Granadum, & Lugo. Qui volunt, quod licet speculatiuè non repugnet, quod dicta humanitas adoretur alia adoratione à latria, tamen practicè, seu moraliter hoc fieri non potest.

68 Nostra sententia seq. concl. explicatur. *Humanitas Christi D. vnita quidem Verbo, non tamen sic apprehensa, sed apprehensa, & considerata secundum alia dona supernaturalia gratiæ, potest adorari adoratione hyperduliæ*. Hæc est expressa sententia Sancti Ioan. Damasc. quem refert, & sequitur S. Doctor *hic art. 2. ad 1.* vbi sic dicitur. *Sed quia vt Damasc. dicit, si diuidas subtilibus intelligentijs quod videtur, ab eo quod intelligitur, inadorabilis est vt creatura scilicet adoratione latriæ, & tūc sic intellecta vt separata à Dei Verbo, deberetur sibi adoratio duliæ: non cuiuscumque (puta quæ communiter exhibetur alijs creaturis) sed cuiusdam excellentioris, quam hyperduliam vocant*. D. Thomam sequuntur eius discipuli hoc loco. Placet tamen aduertentia Caietan. hoc *art.2. in fine comment.* quod licet adoratio duliæ sit debita humanitati secundum se consideratæ, tamen non est adhibenda in publico ob periculum erroris. Verba Caiet. sunt. *Adorationem siquidem duliæ Christo debitam ratione humanæ naturæ, Ecclesia in mente retinet, non in vsu ad euitandos errores*, cum quo tamen stat, quod priuatim ea vti liceat, considerando scilicet humanitatem secundum alia gratiæ dona, & non secundum vnionem hypostaticam ad Verbum diuinum.

69 Probatur 1. nam nulla est implicantia, quod humanitas Christi D. apprehendatur secundum se, secundum quod importat dona gratiæ, absque eo quod apprehendatur vt vnita Verbo diuino, sed vt sic est digna aliqua adoratione: non latriæ; ergo hyperduliæ. Maior constat, nam vbi sunt plura, eaque diuersa, & non necessariò connexa, potest vnum apprehendi sine alio; sed in Christo D. sic res se habet; ergo, &c. In Christo namque

est personalitas Verbi diuini, est natura diuina,& humana; ergo sicut potest Christus D. apprehendi vt Deus, ita apprehendi potest vt homo, & sicut potest quis apprehendere naturam diuinam, non apprehensa humana, ita potest apprehendi natura humana, sine diuina, & ista non sunt ita connexa, quin possit vna natura apprehendi, sine alia. *Abstrahentium namque, seu apprehendentium, non est mendacium*. Minor etiam constat quoniam natura humana in Christo non est ita connexa vt apprehendi non possit absque natura diuina, & absque Verbi diuini personalitate.

70 Probatur 2. nam humanitas secundum se habet propriam excellentiam, distinctam ab excellentia increata naturæ diuinæ, & Verbi diuini; ergo potest habere propriam adorationem. Conseq. constat, adoratio namque sequitur excellentiam, ac proinde vbi sunt diuersæ excellentiæ, debent esse diuersæ adorationes. Antecedens probatur, nam excellentia supernaturalis, de qua loquimur, & quæ fundat adorationem, plurificatur, ad plurificationem donorum supernaturalium, sed humanitas Christi D. habet propria gratiæ dona, fundantia diuersam excellentiam à dono vnionis hypostaticæ; ergo, &c.

71 Occurrunt aduersarij ad has rationes, diuersam esse rationem abstractionis, & adorationis; potest quidem natura humana considerari secundum se, & prout affert propriam excellentiam, non tamen potest hoc modo adorari. Abstractio namque affert considerationem vnius, & non alterius cui coniungitur. At adoratio importat exhibitionem alicujus notæ, quæ significat adorantem se alteri submittere ob excellentiam, quam in eo agnoscit, ea autem recognitio debet esse non cuiuscumque excellentiæ, sed maioris, qui enim attendit minori, relicta maiori, facit contra reuerentiam ei debitam, quæ postulat, quod res adoretur ob summam excellentiam.

72 Sed contra, nam non est contra reuerentiam alicui debitam, quod quis considerans in eo diuersos titulos ob quos dignus est honorari, quod multiplici honore eum honoret pro ratione diuersorũ titulorum. Sicut enim nos amamus Deum & propter se, & vt est bonum nostrum, & nullam ei facimus iniuriam si amemus vt est bonum nostrum; ita ei nullam inferimus iniuriam si adoremus vt est bonum nostrum, &c. Hinc est, quod etiam in detestatione peccatorum non tenemur, vti motiuo nobiliori, sed etiam possumus ea detestari ex motiuo inferiori, vt ob timorem gehennæ, vt declarauit Tridentinum; ergo cum in Christo D. sit excellentia increata ob vnionem hypostaticam ad Verbum, & sit excellentia creata ratione gratiæ, & gloriæ tum animæ, tum corporis, possumus eum adorare ratione diuersæ considerationis, ita quod quando consideramus Christum D. cum excellentia increata; eum adoremus latria, & cum eum consideramus cum excellentia creata, adoremus hyperdulia. Aliàs nec beati in patria possent considerare, & amare Deum extra Verbum, si semel deberent facere quod melius est, & attendere ad maiorem excellẽtiam. Nec Christus D. posset vti alia scientia quam beata; si semper deberet attendere ad maiorem excellentiam. Et nos essemus obligati ad id quod perfectius est.

73 Occurrunt alij, non posse humanitatem adorari nisi latria, quia adoratio terminatur ad rem subsistentem, sed humanitas subsistens, cum inuoluat hypostasim diuinam, dicit excellentiam increatam, quæ est ratio formalis latriæ, ac proinde non nisi latria adorari poterit. Sed contra nam licet adoratio terminetur ad naturam subsistentem, & existentem, non tamen est necesse, quod motiuum adorationis sit subsistentia increata, eiusque excellentia, sed potest motiuum esse ipsa excellentia creata. Aliud namque est, quod adoratio terminetur ad naturam aliàs subsistentem, & aliud est, quod motiuum adorationis sit subsistentia, eiusque excellentia. Primum est verum; non secundum. Tum quia si humanitas Christi D. cum donis supernaturalibus gratiæ,

quæ

quæ vel non includunt vnionem, vel non dicunt ad illam necessariam habitudinem, conseruaretur sine vllo supposito, aut saltem sine supposito diuino, tunc esset ratione dictorum donorum adorabilis, ergo etiam vnita cum supposito diuino. Conseq. probatur, nam nec humanitas, nec eius dona aliquid deperdiderunt dignitatis, aut excellentiæ ex vnione ad Verbū; ergo si tunc temporis posset adorari propter suam excellentiam creatam, etiam modo poterit adorari. Soluuntur argum. in contrarium.

74 Primum argum. nam omnis persona, quando decenter colitur, debet coli meliori genere cultus quem habere potest. Vnde si quis sit Rex, Comes, & Dux, non potest decenter tractari vt Comes, omisso cultu regio; ergo cum Christi D. humanitas sit capax cultus latriæ, non debet adorari alio cultu inferiori. Quare si Rex duceret in vxorem Comitissam, iniuriam illi faceret qui eam vocaret Comitissam, & solum honore debito Comitissæ honoraret. Resp. negando antecedens, nam etiam inter homines qui habent plures titulos ex quibus honorari potest, pro diuersitate eorum potest honorari, secundum quod diuersa ministeria exigunt. Vnde sacerdos dum fungitur officio subdiaconi, aut diaconi honoratur, prout illud ministerium exigit, & dum fungitur officio sacerdotis, honoratur pro vt ministerium requirit. Et sic sacerdos, qui canit Missam ter incensatur, cum tamen sacerdos qui fungitur officio diaconi, aut subdiaconi solum bis incensatur.

75 Secundum argum. nam si præcisio redderet licitū adorare humanitatem hyperdulia prout consideratur secundum propriam excellentiam, sequeretur, quod etiam esset licitum adorare Christum D. in concreto hyperdulia; hoc est falsum; ergo, &c. Sequela probatur, nam potest quis habere pro ratione formali excellentiam creatam à gratia prouenientem, non increatam prouenientem à supposito, & diuinitate; ergo, &c. Resp. negando maiorem, nam adoratio Christi in concreto tendit ad suppositum, quod est diuinum, vbi autem inuoluitur suppositum diuinum non potest poni adoratio latria inferior, neque potest à Christo sic concretiuè considerato præscindi suppositum.

76 Tertium argum. quia si hæc præcisio valeret ad exhibendum Christi D. humanitati cultum hyperduliæ, sequeretur, quod posset quis præscindere dictam humanitatem etiam à donis gratiæ, considerando eam in puris naturalibus, in quo statu non est digna aliqua adoratione, & vt sic præcisam contemnere, illique verba contumeliosa dicere, & suam vilitatem exprobrare, & conditionem abiectam, quod indecentissimum esset; ergo, &c. Resp. quod potest quidem quis præscindere dictam humanitatem, etiam à donis gratiæ, & eam considerare in puris naturalibus, & quod si poneretur in eo statu non esset digna aliqua adoratione, non tamen posset eam contemnere, nec verba contumeliosa illi dicere, &c. quia si talis natura daretur, non liceret eam contemnere, &c. Licet enim careret donis gratiæ, non ob id deberet contemni, &c.

§. III. *An humanitas Christi D. vt præscindens à Verbo, decenter adoretur hyperdulia.*

77 PRima sententia negat, quam tenent omnes auctores citati. *n.67.* Et licet hæc difficultas maneat soluta ex dictis §. præcedenti, tamen vt clarius maneat probata, eam iterum sub breuitate transcurrimus. Præcipuum aduersariorum fundamentum iam tactum, & solutum est, quod scilicet vt quis decenter honoretur, si pluribus titulis sit honorabilis, debet honorari titulo magis honorifico; non enim decet Regē honorare vt Comitem, sed vt Regem, &c. Tum quia Ecclesia in honoranda Christi D. humanitate non separat eam à Verbo, sed simul cum Verbo; ac proinde latria, qua ratione nunquam dicit *Christe ora pro nobis*, sed *Christe miserere nobis, &c.*

78 Nihilominus non est recedendū à sententia D. Thomæ §. præcedenti cita-

ti, quod scilicet Christi D. humanitas nudè, hoc est non considerato Verbo diuino decenter adorari possit hyperdulia, priuatim, & præciso erroris periculo incidendi in hæresim Nestorianam admittentem duplicem adorationem, ob duplicem personam in Christo existentem.

79 Probatur 1. testimonio D.Thomę n.68. relato. Respondet Orlandus D.Thomam non velle aliam speciem adorationis humanitati debitam à latria distinctam, sed eandemmet latriam qua adoratur humanitas, insignita tot donis propter excellentiam Verbi, dici posse duliam, prout consideratur respiciens gratias, & dona creata humanitatis, non quia verè sit species dulię, sed quia prout sic conuenit cum adoratione exhibita sanctis, quæ est dulia, propter sanctitatem illorum.

80 Cæterum an ista responsio sit ad mentem D. Thomæ constabit legentieius verba n.68. relata. Mihi videtur omnino extorta, expresse namque S.Doctor vult, quod humanitas possit adorari hyperdulia, prout concipitur cum dicta præcisione, si namque non esset alia adoratio, sed esset ipsamet latria prout extenditur ad excellentiam creatam, non esset necessaria ea præcisio. Tum quia non video quomodo latria extendi possit ad excellentiam creatam, cum adorationes distinguantur penes excellentias, nec vna adoratio potest extendi ad excellentiam alterius, sed solum ad obiectum in quo sua excellentia reperitur.

81 Probatur 2. Potest quis amare Christi D. humanitatem præcisam à Verbo, non amando tunc Verbum per eundem actum dilectionis; ergo etiam poterit humanitas vt sic præcisa adorari, absq; eo quod adoretur Verbum, ac subinde adoratione hyperduliæ. Antecedens concedunt aduersarij. Conseq. probatur, nam non est minus præcisiuus amor quam adoratio; imò amor est magis concretus, tendit enim ad obiectum prout est à parte rei, & adoratio potest sequi obiectum prout est in intellectu; ergo, &c.

82 Occurrit P. Orlandus loco citato negando conseq. & assignat disparitatem, quia in amore non debemus attendere ad maiorem bonitatem, vel excellentiam, quam res habet, vt ratione illius ametur, sed possumus diligere aliam excellentiam minorem. At in adoratione debemus attendere ad supremam dignitatem, quam res habet à parte rei, ne dum minorem cultum ei exhibemus eo ipso videamur ponere æqualitatem aliquam inter nos, & rem adoratam; indecens namque est non exhibere vnicuique cultum ipsi debitum, ratione maioris excellentiæ, &c. Cæterum hanc responsionem reiecimus supra n.74. pro ratione namque officij, & muneris, potest variari cultus, & honor. Et licet demus, quod homines exigant cultum ratione maioris excellentiæ, ne videatur præteriri maior excellentia. Tamen respectu Dei non hoc contingit, cum possimus eum colere pro ratione titulorum apprehensorum, nec semper tenemur attendere ad titulos excellentiores, aliàs deberemus semper colere Deum ratione tituli potioris, quod est falsum. Vnde dum Deum colimus ratione tituli inferioris, sufficit quod non excludamus alios titulos superiores.

83 Probatur 3. nam adoratio est nota submissionis, & manifestatio iudicij, quod quis habet de excellentia alterius; sed possumus licitè, & decenter velle manifestare, quod interius sentimus de excellentia donorum gratiæ humanitatis Christi D. ergo possumus eam adorare ob istam excellentiam. Conseq. constat. Antecedens probatur, nam cum in Christo D. sit excellentia increata ratione Verbi diuini, & sit excellentia creata ratione donorum quæ sunt in humanitate, sequitur, quod sicut attendentes ad excellentiam increatam possumus eum adorare adoratione latriæ, ita attendentes ad excellentiam creatam possumus eum adorare adoratione hyperdulię.

84 Occurrit idem Orlandus, quod adoratio non est manifestatio speculatiua submissionis, sed practica, per quam simul in actu exercito personam quam colimus, quasi in sua sede collocamus, quam respectu nostri habere debet; vnde eo

ipso

ipso quod non adhibemus summam adorationem illi debitam, videmur in gradu inferiori eam collocare.

85 Sed contra, nam cum humanitas Christi D. duas habeat excellentias, vnam increatam, & quasi alienam ex vnione hypostatica ad Verbum diuinum, & aliam creata ratione donorum sibi inexistentium, petit collocari in duplici quasi sede respectiuè ad duas illas excellentias. Vnde dum eam colimus ratione excellentiæ increatæ, eam quasi collocamus in sede increata, & dum eam colimus ratione excellentiæ creatę eam quasi collocamus in sede creata.

86 Probatur 4. argum. quod contra se obijcit Lugo, nam etiam in humanis contingere potest quod Principi detur honor, & gradus inferior ratione alicuius dignitatis, vel officij inferioris. Nam aliqui Principes curant esse ciues Venetianorum, & cum sunt Venetijs sedent inter alios ciues, nec ibi habent locum quem haberent in proprio statu: Item sit Princeps canonicus alicuius Ecclesiæ, tunc sedet secundum ordinem inter canonicos. Vnde, inquit idem Lugo, Rex Hispaniarum iure antiquo est Canonicus Ecclesiæ Legionensis, & si ibi vadat, sedet in choro ordine suo inter alios Canonicos, & tunc nulla ei fit iniuria, nulla sequitur indecentia; ergo hoc idem in nostro casu dicendum est, &c.

87 Respondet Lugo, quod in humanis id non contingit, nisi vel quia in tali loco homines ex nullo titulo debēt Principi maiorem honorem, sunt aliqua loca in quibus Principis auctoritas suspenditur. Vel quia ipse Princeps pro tunc spōte sua renunciat tacitè maiori auctoritati vt possit retinere illum Canonicatum vel officium. Sicut aliqui apud Romanos renunciabat nobilitati, vt possent fieri tribuni plebis.

88 Sed contra, nam si Principis auctoritas in eo casu suspenditur, in nostro casu non attenditur, non consideratur, ac proinde ita se habet ac si suspenderetur. Tum quia Christi D. humanitas pro vt consideratur vt sancta sanctitate accidentali, seu gratiæ sanctificantis, non considerata sanctitate personali, est digna aliqua veneratione ita namque tunc se habet ac iustus summa sanctitate præditus qua maior haberi non potest honestè culto viro sancto debito priuari; in hoc enim nulla apparet inhonestas, & indecentia, &c.

89 Probatur 5. nam omnis excellentia reddit subiectum in quo est, dignum aliqua veneratione; sed in Christi D. humanitate est excellentia summæ gratiæ, & gloriæ; ergo ob illam humanitas Christi est digna aliqua veneratione, hæc non potest esse nisi cultus hyperduliæ; ergo, &c.

90 Respondent aduersarij, quod eadem adoratio latriæ adoratur Christus Dominus propter multos titulos; ita tamen vt eadem adoratio sit quædam latria, & simul hyperdulia secundum perfectionem illius non secundum imperfectionem, quatenus videtur connotare negationem cultus sublimioris, qui pertinet ad latriam. Sed contra, nam implicat quod latria extendatur ad hyperduliam, cum enim adorationes distinguantur ratione excellentiæ, & ratio formalis latriæ sit excellentia increata, implicabit quod extendatur ad hyperduliam quæ sit sub motiuo excellentiæ creatæ, aliàs vna species procederet sub motiuo alterius. Tum quia, vel quando latria extenditur ad excellentiam creatam in Christo D. extenditur sub motiuo excellentiæ increatę quod est proprium motiuum latriæ, vel extenditur sub motiuo excellentiæ creatę neutrum dici potest; ergo, &c. Non primum, nam motiuum excellentiæ increatæ solum potest mouere ad excellentiam increatam, seu ad subiecta in quibus reperitur excellentia increata, vel absolutè, vel respectiuè. Absolutè in latria; absoluta respectiuè in latria respectiua; sed in humanitate nudè considerata neutra excellentia reperitur, vt supponimus, aliàs non curreret difficultas; ergo, &c. Neque secundum, quia motiuum excellentiæ creatæ nudè, non potest mouere ad latriā vt patet.

91 Probatur 6. quoniam vt dub. seq. vide-

videbimus B. Virgo potest adorari latria, quatenus est mater Dei, si adoretur respectiuè ad filium quem portauit, seu quẽ tetigit non minus quam crux, & potest adorari hyperdulia quatenus affert eximiam gratiæ excellentiam; ergo etiam humanitas Christi D. poterit adorari latria & hyperdulia propter excellẽtiam increatam, & creatam.

92 Respondent aduersarij concedendo antecedens, & negando conseq. rationem discriminis assignat Orlandus, quia cultus latriæ, qui tribuitur Virgini non est absolutus, sed respectiuus, & in diuerso genere à cultu hyperduliæ quo colitur propter se qui est absolutus. At humanitas Christi adoraretur vtroque cultu absoluto: ex duplici autem excellentia qua quis pollet non possumus attendere ad minorem.

93 Sed contra in primis hæc solutio non fauet illis, qui dicunt, quod Christi humanitas non adoratur latria absoluta, sed respectiua; deinde quicquid de hoc sit nam si potest B. Virgo adorari latria respectiua, & hyperdulia absoluta, poterit etiam adorari latria absoluta, & hyperdulia absoluta humanitas Christi D. ob duplicem excellentiam quam habet, si enim semel repugnat, hoc erit ratione propriarum rationum formalium, quæ tamen currunt tam in latria absoluta, quã in respectiua.

94 Probatur 7. nam humanitas à Verbo præcisa per intellectum potest à nobis exorari, ergo etiam vt sic præcisa potest adorari. Conseq. probatur, nam oratio est quidam cultus ipsi debitus; ergo si sic exorari poterit, etiam sic poterit coli. Respondet Orlandus concedendo antecedens, & negando conseq. Rationem assignat discriminis, quia ex eo quod exoretur humanitas Christi præcisa à Verbo, non exibetur illi cultus per quem tractetur indecenter, aut significetur aliqua æqualitas inter illam, & adorantem quod tamen fieret, si adoretur vt sic præcisa, quia adoratio semper defertur propter supremam excellentiam rei adoratæ.

95 Sed contra, quia vt supra vidimus cum D. Thoma, adoratio, & oratio, æquiparantur, & vbi adoratur suprema excellentia, etiam oratur suprema excellentia; sed quando humanitas Christi D. oratur vt præcisa à Verbo, non oratur propter supremam excellentiam quam habet à Verbo, sed propter excellentiam propriam; ergo etiam quando adoratur vt præcisa à Verbo, adoratur ob propriã excellentiam, & non ob illam quam habet à Verbo. Humanitas namque vt præcisa à Verbo non habet aliam excellentiam nisi propriam, & hæc est eius suprema excellentia.

DVBIVM III.

An crux in qua Christus pependit, illiusque imagines sint adorandæ.

96 Alia est crux in qua Christus Dom. pependit, & alia est imago illius. Et hæc est duplex, alia est formata in materia solida, & permanente, & alia est facta in materia fluida, & transeunte, vt est crux quæ fit in qua dum benedicitur, &c. & vt est illa quæ fit in aere, cum signum crucis formatur. Prius agemus de cruce primo modo, scilicet de vera cruce in qua noster redemptor pependit, postea agemus de eius imagine, siue solida, & permanente, siue fluida, & transeunte.

97 Quantum ad primam crucem, est communis hæresis sectatorum nostri temporis, quod nec vera crux, nec partes illius sint adorandæ. Veritas catholica sequenti concl. explicatur. *Vera Crux, & partes illius quantumuis minimæ, & in forma crucis non efformatæ verè, & propriè adorantur.* Sic S. Doctor, hic art. 4. vbi sic habet. *Honor, seu reuerentia non debetur nisi rationali creaturæ; creaturæ autem insensibili non debetur honor, vel reuerentia, nisi ratione rationalis naturæ. Et hoc dupliciter, vno modo in quantum repræsentat rationalem naturam: alio modo in quantum ei quocumque modo coniungitur. Primo modo consueuerunt homines venerari Regis imaginem: secundo modo eius vestimentum.*

mentum. Vtrumque autem venerantur homines eadem veneratione, qua venerantur & Regem. Si ergo loquamur de ipsa cruce, in qua Christus crucifixus est, vtroque modo est à nobis veneranda. Vno scilicet modo in quantum repræsentat nobis figuram Christi extensi in ea. Alio modo est contactu ad membra Christi, & ex hoc quod eius sanguine est perfusa. Vtroque modo adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet adoratione latriæ.

98 Hæc concl. probatur 1. ex VII. Synodo Generali *Actione* 7. vbi dicitur. *Honorem, & adorationem deferendam esse typo venerandæ, & viuificantis crucis Christi.* Si enim, vt fides docet, & postea videbimus, quæ sanctos tetigerunt adorantur eadem adoratione, qua adorantur sancti, eodem modo debet eadem adoratione adorari crux Christi, tum quia ipsum repræsentat in cruce extensum, tum quia ipsum tetigit eiusq; pretiosissimo sanguine, aspersa fuit.

99 Respondent, hinc ad summum haberi, quod illæ solæ partes crucis sint adorandæ, quæ repræsentant Christum extensum, ac proinde, quæ in crucis formam sunt efformatè, & etiam illæ quæ tetigerunt corpus, eiusque sanguine fuerunt aspersæ, hæ autem sunt minores crucis partes, & solum aliquæ exteriores, non interiores. Sed contra, nam vt docet S. D. in testimonio allato, vestimentum Regis adoratur eadem adoratione qua adoratur Rex, & tamen non omnes partes vestiméti tangunt Regem, sed solum aliquæ interiores, ergo etiam in nostro casu tota crux adorabitur, & omnes partes illius, licet solum aliquæ partes exteriores fuerint Christi sanguine aspersæ, & eius corpore tactæ. Licet enim physicè non omnes partes fuerint sanguine tinctæ, aut eius corpore tactæ, tamen moraliter fuerunt, qui enim tangit aliquod totum, moraliter imò etiam physicè, censetur tangere omnes partes illius.

100 Probatur 2. Sanctorum Patrum testimonijs, quorum plura referunt Suarez, & alij hoc loco, nos solum aliqua referemus. D. Hierony. *epist.* 17. *ad Marcellum*, sic habet. *Ergo ne erit illa dies quando nobis liceat speluncam Saluatoris intrare, in sepulchro Domini flere cum sorore, flere cum Matre, crucis deinde lambere lignum.* Actus lambendi in hoc casu non nisi cum adoratione esse potest, cum importet animi affectum, cum extremo signo significante summam quandam excellentiam. Tum quia si idem S. Doctor in secunda apologia contra Ruffinum testatur se adorasse præsepe Christi D. à fortiori debuit adorare crucem eiusdem. Et psal. 98. in illud *Adorate scabellum pedum eius*; dicit hoc etiam intelligi posse de Cruce Christi D.

101 D. Ambrosius oratione de obitu Theodosij dicit. *Helenam leuasse Crucem in capite Regum, vt crux Christi in Regibus adoraretur.* Non quia crux esset Deus qua ratione Gentiles aliqui putabant lignum esse simul Deum, sed quia S. Helena in cruce, Christum appensum adorabat, vel quia adorabat Christum in cruce ratione contactus illius. Idem tradunt N. S. P. Cyrillus Hierosolim. *Catechesi* 10. & 13. D. Athanas. *Orat. de cruce, & pass. Dom.* D. Ioan. Chrisost. *lib. quod Christus sit Deus*, vbi dicit, quod crux Christi fuit in tanto honore, vt omnes appeterent habere aliquam eius particulam, quam auro, argentouè includebant, vt sic munirentur, & protegerentur. Idem tradunt alij communiter.

102 Probatur 3. nam adoratur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum; ergo etiam crux Christi D. adorari debet. Antecedens licet negetur ab aliquibus hæreticis, tamen magis communiter admittitur, non quia, inquiunt, in eo sit corpus, & sanguis Christi D. sed quia est signum corporis, & sanguinis Christi D. Conseq. probatur, nam si per istos hæreticos Eucharistia est adoranda eo quod est signum corporis, & sanguinis Christi, etiam eius crux adorari debebit ex hoc, quod sit signum passionis, & mortis illius. Soluuntur argumenta in contrarium.

103 Primum argum. hæreticorum est, quia tempore Apostolorum fuit vera crux Christi D. & tamen non legimus, quod ab eis adorata fuerit, & in honore habi-

habita, sed potius contempta, ergo nec modo adorari debet. Resp. quod ideo non legimus ita expresse crucem Christi fuisse adoratam, & in honore habitam, quia sepulta fuit prope locum vbi Christus D. fuerat crucifixus, secundum mortem Iudæorum, & per spatium 30. annorum sic sepulta mansit. Tamen eius sola memoria ad honorem, & reuerentiam excitabat, vt patet ex historia passionis S. Andreæ Apostoli. Ea postea inuenta ab Helena Constantini Matre, in tanto honore cœpit esse, vt videre est apud Sozomenum *lib. 1. histor. Eccles. cap. 3.* Euangrium *lib. 4. historia Eccles.* aliosque.

104 Secundum argu. quoniam adoratio veræ crucis non potest non esse incerta; ergo mala. Conseq. constat, nam malum est se exponere periculo idolatriæ, ac proinde eo ipso quod vera crux sit incerta, non potest non esse mala. Antecedens probatur, nam est moraliter impossibile scire quænam sit vera crux, & vera pars illius, maxime cum tot circumferantur partes illius per totum mundum, vt si simul poneretur magnam arborem componerentur. Resp. negando antecedens, potest enim esse moraliter certum, quod crux, aut pars illius, sit verè crucis, &c. Vt enim quis prudenter adoret crucem, non est necesse, quod habeat certitudinem de illa, sed sufficit, quod habeat certitudinem moralem prudentialem. Sicut enim vt filius honorem parentibus debitum exibeat non requiritur physica, nec mathematica certitudo, sed sufficit moralis, ita ad hoc vt adoremus crucem Christi, aut partem illius sufficiet certitudo moralis; proueniens ex fide, non diuina, sed humana prudentiali, orta ex instrumentis, ex traditione antiqua, &c.

105 Ad illud quod de multiplicatione partium crucis dicitur, dico, quod in hoc aliquod miraculū intercessit, quod adeo multiplicarentur, vt colligitur ex N. S. P. Cyrillo *Catechesi* 4. vbi sic dicit. *Ligno crucis vniuersus tandem orbis terrarum particulatim appellatus est.* Et *Catechesi* 10. dicit idem. Et S. Paulinus Epist. ad Seuerum 2. p. tom. 4. Bibliot. quam refert Dungalus *lib. responsionum contra Claudium Taurinensem Episc.* sic scribit. *Quæ quidem crux in materia insensata, vim viuam tenens, ita ex illo tempore innumeris penè quotidie hominum votis, lignum suum commodat, vt detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat, quotidie diuidua sumentibus, & semper tota venerantibus; sed istam imputribilem virtutem, & indetribilem soliditatem, de illius profecto carnis sanguine bibit, quæ passa mortem, non vidit corruptionem.*

106 Tertium argum. nam si ad hoc vt crux adoraretur sufficeret contactus corporis Christi D. hoc modo posset adorari aqua Iordanis qua Christus fuit baptizatus. Item hoc modo adorari posset terra quam calcauit. Item asina cui insedit. Item lectus, mensa, sella, lances, & alia innumera quæ tetigit. Item & ipsum impurissimum Iudæos, quo Christus D. fuit deosculatus, sed ista videntur omnino falsa, & à veritate, & prudentia Christiana aliena; ergo, &c. Resp. concedendo sequelam quoad id quod dicitur de aqua Iordanis, si eadem fuisset obseruata. Aliæ autem Iordanis aquæ, non possunt adorari, quia nec Christum tetigerunt nec sunt partes illius, quæ tetigit.

107 Quantum ad asinam quæ Christum tetigit, si conseruaretur, sicut dicunt conseruari caudam illius Genuæ in Conuentu Patrum Prædicatorum, dicendum, quod si præcisè consideretur secundum contactum quem habuit ad Christum, posset adorari. Moraliter tamen adorari non debet, quia post illum contactum fuit illa asina suo Domino restituta, & priori vsui data, & relicta, quæ autem post contactum Christi manserunt communibus casibus peruiæ, non adorantur, cum per communem vsum est tacita Christi D. ordinatione censeātur amittere singularem habitudinem ad eum, quam per contactum contraxerunt. Tum quia non solent adorari, quæ ex sui rationem quandam solent afferre indecentiam, præbendo irrisionis occasionem.

108 Ad illud quod dicitur de impurissimo ore Iudæ proditoris, dico, quod illud

illud os non contraxit habitudinem fundamentum motiuum adorationis ex contactu Christi, sed potius contraxit summam pollutionem, & maculam, non quod hæc macula descenderet ex Christo D. sed ex impurissima Iudæ anima. Ad eum modum quo membra exteriora contra hunc quandam maculam, dum ex imperio iniquæ voluntatis, aliquod iniquum committunt. Alia autem quæ Christus D. tetigit si sic conseruarentur, adorari possent, modo aliunde non sequeretur irrisio, aut scandalum. Hinc adorantur Cunnæ Christi D. hic Romæ in Templo Sanctæ Mariæ Maioris, &c. & adoraretur sudariolus, si reperiretur, ex quo fuisset eius sudor abstersus.

109 Quartum argum. nam sacerdotes quotidie Christum tangunt, & tamen non adorantur latria respectiua; ergo neque crux debet adorari ob similem contactum. Resp. negando antecedens, sacerdotes namque non tangunt corpus, & sanguinem Christi, sed accidentia. Sicut enim dum tangimus panem, nō tangimus eius substantiam, quia est sub accidentibus modo indiuisibili, & solum diuisibili per quantitatem à qua extenditur, & habet partes. Et sicut dum tangimus alterius manum, non tangimus eius animam, ita quia corpus, & sanguis Christi est sub speciebus modo indiuisibili, non tangitur ex contactu specierum.

110 Quintum argum. est, quoniam filius non honorat patibulum sui Patris, neque instrumenta ignominiosę mortis illius; sed crux est instrumentum mortis ignominiosæ mortis Christi; ergo adorari non debet ob eius filijs. Resp. concedendo maiorem, quando patibulum est instrumentum mortis ignominiosæ, secus esset, si esset instrumentum mortis gloriosæ. In nostro autem casu crux Christi D. est instrumentum mortis gloriosissimæ, vt patet, ac proinde debet à Christi D. filijs adorari.

111 Modo restat vt aliquid dicamus de imagine veræ crucis siue sit in materia permanenti, siue fluenti. Relicto hæreticorum errore, quod nullus honor, nullaue adoratio debeatur istis imaginibus. Dico quod debeant adorari eadem adoratione qua adoratur vera crux, scilicet latria, non ratione contactus, sed ratione repræsentationis, repræsentant namque Christum D. in cruce extensum. Est autem idem motus in imaginem, & in id cuius est imago. Sic docet S. Doctor *art. 4.* vbi sic concludit. *Si vero loquamur de effigie crucis Christi in quacumque alia materia, sic veneramur crucem tantum vt imaginem Christi, quam veneramur adoratione latriæ, &c.* Et sic tenent omnes Theologi, & catholici. Vnde iste mos adorandi aliàs cruces quæ sunt imagines crucis Christi D. antiquissimus est, nam S. Iustinus Martyr *in Dialogo cum Tryphone*, fusè illum commendat. Et Tertullianus *lib. 2. ad vxorem cap. 5.* notat, quod Christiani erant soliti signare se, & lectulum, signo crucis. Et *lib. de corona militis cap. 3.* dicit Christianos fuisse solitos signare se signo crucis ad omnem progressum, aditum, introitum, exitum, &c.

112 Sed quæres 1. an istæ cruces adorentur adoratione latriæ respectiuæ mediatè, an immediatè? Pater Orlandus hoc loco n. 52. tenet quod adorentur cultu respectiuo mediato tantum, quia coluntur propter crucem Christi quam repræsentant. Vnde adorantur respectiuè respectu terminato immediatè ad crucem Christi, mediatè verò, & vltimo ad ipsum Christum. Ex quo infert, differentiam inter crucem Christi, & alios, quod crux Christi non solum adoranda est; quandiu retinet figuram, sed etiam quando in partes diuiditur. Cæterum aliæ solum quando retinent figuram, quia ablata figura, non habent aliam rationem repræsentationis.

113 Ego saluo meliori iudicio, puto alias cruces ex duplici motiuo posse adorari. Primò adoratione mediata tantum, seu cultu respectiuo tantum mediato, quatenus coluntur propter crucem Christi, quam repræsentant, vt dicit P. Orlandus. Secundò cultu respectiuo immediato quatenus representant Christum D, in cruce extensum, seu vt loquitur S. Do-

ctor n. 111. relatus, quatenus sunt immagines Christi, scilicet crucifixi.

114 Quæres 2. quare adorantur solæ imagines veræ cruces, quæ sunt aliæ cruces, & non adorantur imagines aliorum instrumentorum passionis, & mortis Christi; vt lanceæ, claui, flagella, &c. Resp. quod sola crux habet figuram, seu imaginem Christi crucifixi, non lancea. non claui, non spinæ, &c. Vnde illa solum ratione contactus adorantur, non ratione imaginis, at crux habet rationem imaginis Christi crucifixi. Ac proinde spinæ, lanceæ, claui qui non tetigerunt corpus Christi, non possunt adorari. Vel dicas, quod crux non habet alium motum quam repræsentationem, at lanceę, claui, spinæ, &c. habent alium communem vsum, ac proinde non solent vsurpari ad repræsentandum lanceam, clauos, spinas, &c. quę fuerunt instrumenta passionis Christi. Dici etiam potest, quod sola crux ex communi Ecclesiæ vsu assumpta est ad repræsentandum, non alia passionis Christi D. instrumenta, ac proinde cum careant hoc repræsentatione, & significatione, quæ est fundamentum cultus, non potest eis cultus religiosus exiberi. Quod si per cummunem Ecclesiæ vsum deputarentur vt fit cum simul cum cruce depinguntur, aut ponuntur omnia passionis instrumenta, tunc simul cum cruce possent adorari, quia tunc apprehenduntur vt habent specialem quandam habitudinem ad Christum D.

DVBIVM IV.

An B. Virgo sit adoranda, & qua adoratione.

115 CErtum omnino est, quod B. Virgo sit adoranda, imò semper in Ecclesia sacro, religioseque cultu fuit adorata, vt colligitur ex V. Synodo *art. 4. 6. & 7. & ex* Trident. *sess.* 25. Nec obstat quod S. Epiphanius *heresi* 78. *& 79.* reprehendat mulieres; quæ in Syria B. Virginis statuam circumferebant eique liba, & alia munera offerebant, quia eo loco S. Epiphanius per libam, & munera intelligit sacrificium, quod soli Deo offerri debet;

116 Supposito tamquam omnino certo quod gloriosæ Virginum, omnino sanctorum Reginæ religiosus cultus, sacerque offerri debeat. Videndum est, qualis esse debeat. Pro quo sciendum, quod B. Virgini cultus deferri potest, ob sequentes titulos. Primò ratione contactus corporis Christi D, hunc enim nouem mensium spatio in suo vtero purissimo portauit, hunc pluries amplexabatur; sacro ore tangebat, &c. Secundò ratione singularissimæ perfectionis, excellētię & sanctitatis. Tertiò ratione maternitatis vel secūdū se tantum, vel ratione præclarissimarum dotium, quæ maternitatem consequuntur

117 Conueniunt Theologi hoc loco post D. Thomam *art.* 5. quod purissima Virgo debeat adorari adoratione hyperduliæ ob singularissimam eius animæ sanctitatem, pro quo Canisius *cap. 27. man.* refert plura sanctorum Patrum testimonia. Ratio clara est, quia cum B. Virgo hoc modo sit pura creatura, hoc est sine habitudine ad excellentiam increatam sit solum consideratur secundum excellentiam creatam, non potest adorari latria, ergo debet adorari hyperdulia cum creata Virginis excellentia, transcendat omnium sanctorum excellentias vt docet S. Anselmus *lib. de laudibus Virginis cap.* 9. & alij Patres.

118 Difficultas est an B. Virgo debeat adorari latria ratione contactus corporis Christi D. & ratione maternitatis. Qnantum ad primam difficultatem ratione contactus. Dico 1. *Loquendo metaphorice, & secundum se, V. Beata est capax adorationis latriæ* Sic tenent Suarez, Orlandus, & alij hoc loco, quibus addo Isamberto *ad q. 25. disp. 6. art. 1. vbi* citat Caiet. Medinam, aliosque, & dicit esse sententiam D. Thomæ. Ratio clara est, quia non minus B. V. tetigit Christum D. quam crux, lancea, claui, spinæ, & cætera passionis instrumenta; ergo si ista adorantur latria respectiua ob contactum Christi D. à fortiori, ratione eiusdem contactus, debet

bet adorari Dei para.

119 Dico 2. *loquendo moraliter, & de publica adoratione B. Virgo non debet adorari latria respectiua ratione contactus.* Sic S. Doctor, & omnes auctores citati. Ratio est, quia moraliter si B. Virgo adoraretur latria, esset periculum erroris, & scandali. Erroris, quia rudis, & ignara plebs facile posset putare, quod in Virgine esset aliqua excellentia increata. Secundum, quia facile rudes in errorem inducentur.

120 Quantum ad secundam difficultatem de maternitate, qua scilicet ratione B. Virgo sit adoranda ratione maternitatis. Dico 1. *B. Virgo ratione maternitatis metaphysicè loquendo, potest adorari adoratione latriæ.* Ratio clara est, quia maternitas Virginis dicit intrinsecum ordinem ad Filium Dei, ac proinde ad excellentiam increatam; ergo potest adorari adoratione latriæ respectiuæ. Tum quia eo ipso quo quis est Pater, aut mater Imperatoris, Regis, aut Pontificis, censetur dignus honore respectiuo illorum; ergo cum B. Virgo sit Mater Christi Filij Dei, est digna honore respectiuo illius; non quia sit habens dignitatem, & excellentiam increatam intrinsecam, sed quia dicit habitudinem ad illam.

121 Sed quæres 1. an magis honoret B. Virginem, qui eam colit latria respectiua, an hyperdulia absoluta? Ilambertus *ad q.25. disp.6. art.2.* dicit, quod Virgini honorificentius est coli sola hyperdulia absoluta ob singularem suam sanctitatem, quàm latria respectiua, quia nobilius, & honorificentius est coli, & honorari propter aliquid sibi intrinsecum, & formaliter inexistens, vt est gratia singularissima B. Virginis, quàm solummodo coli propter aliud summè excellens sibi extrinsecum, ad quod habet ordinem, & habitudinem.

122 Cœterum hæc responsio non placet, nam minimum bonum diuinum etiam minimum nobis extrinsecum præferri debet maximo bono nostro intrinseco. Vnde pro minima laude Dei, debemus præterire omne bonum nostrum. Et sic excellentius est habere excellentiam increatam extrinsecè tantum, quàm quamcumque excellentiam creatam intrinsecam. Tum quia adoratio latriæ respectiua, est dignior adoratione hyperduliæ; cum dignitas adorationis, ex dignitate excellentiæ desumatur. Latria autem respectiua respicit excellentiam increatam, & hyperdulia respicit excellentiam creatam. Ergo eligibilius est Virgini adorari latria respectiua, quàm hyperdulia absoluta.

123 Quæres 2. an B. Virgo magis debeat coli ob titulum maternitatis, an ob titulum gratiæ sanctificantis singularissimè? Resp. sub distinctione, nam vel consideramus maternitatem physicè, & secundum se absque perfectionibus, & excellentijs antecedentibus, concomitantibus, & subsequentibus, qua ratione potuit Verbum æternum nasci de muliere in puris naturalibus. Vel consideramus maternitatem moraliter, vt ornatam dictis perfectionibus. Si consideretur hoc secundo modo certum est, quod B. Virgo magis coli debeat ob maternitatem, quàm ob gratiam. Ratio est, quia gratia vel continetur in maternitate, vel ab ea sequitur.

124 Maior difficultas est de maternitate considerata primo modo, an tunc si cum gratia conferatur, debeat B. Virgo magis coli ratione maternitatis, an ratione gratiæ sanctificantis? Aliqui dicunt, quod debeat magis coli ratione gratiæ sanctificantis, quod colligunt ex illo Luc. 11. vbi mulieri exclamanti. *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Respondit Christus D. *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Addito S.P.Aug. testimonio ibid. *Et Mater mea quam appellatis fœlicem, inde fœlix est, quia verbum Dei custodit, non quia in illa Verbum caro factum est.* Hinc in meo *tract. de gratia disp.* 1, dictum est, quod gratiæ dignitas, & excellentia excedat dignitatem maternitatis physicè consideratam, quia illa sanctificat, non ista. vt sic præcisè.

125 Nihilominus putarem dicendũ,

quod licet in ordine ad finem vitæ æternæ gratia sit dignior, excellentiorque maternitate physicè considerata, quia gratia cum sit participatio diuinæ essentiæ tribuit ius ad gloriam, non maternitas physicè considerata, cum hæc potuerit esse in muliere in puris naturalibus existente, vel in muliere, quæ prius fuisset in gratia tempus conceptionis Verbi diuini, & post eius natiuitatem eam amitteret, peccando mortaliter, non gratia: Tamen in ordine ad cultum magis deberet coli maternitas physicè considerata, quam gratia, seu magis deberet coli fæmina, & B. Virgo ratione maternitatis physicè considerata, quam ratione gratiæ singularissimæ. Nam ratione maternitatis debet coli adoratione latriæ respectiua, at ratione gratiæ singularissimæ debet coli hyperdulia.

126 Dico 2. *B. Virgo ratione maternitatis quouis modo considerata, non debet moraliter loquendo, saltem adoratione publica, coli latria respectiua*. Sic S. D. hic *art*. 5. quem omnes sequuntur. Ratio est, quia rudes qui nesciunt istas præcisiones metaphysicales, putarent B. Virginem coli latria absoluta, ac proinde eam habere excellentiam increatam intrinsecam, cum sit proprium naturæ rationalis coli ob propriam excellentiam. Vnde Ecclesia non solet proponere adorandas rationales creaturas adoratione latriæ respectiuæ, sed solum creaturas irrationales, quia ex eo quod adorentur latria creaturæ irrationales, nullus quantumuis rudis potest suspicari, quod in eis sit aliqua diuinitas, aut excellentia increata, bene tamen ex eo, quod adorentur creaturæ rationales, excellentiæ capaces.

DVBIVM V.

Qua adoratione adorentur imagines.

127 NIl ferè est, quod magis insectentur hæretici, magisque irrideant, quam cultum sanctarum imaginum siue Dei, siue sanctorum, sicut etiam cultum sanctorum reliquiarum, de hoc agemus dubio sequenti, de cultu imaginum dicemus in præsenti. Sed antequã progrediamur, & rem totam per diuersos §§. explicemus, prius notandum, sciendumque est, quod imago teste S. Ioanne Damasc. *orat*. 3. *de imaginibus*, dicitur ab imitando; vnde imago dicitur quasi imitago, seu similitudo, efficies aut exemplum, repræsentans illum cuius est imago. Nec interest an imago sit ex ligno, lapide, auro, argento, ære, aliauè materia fabefacta, aut sculpta, aut coloribus depicta. Non est idem imago, & idolum, seu simulacrum. Nam omne idolum est imago, non omnis imago est idolum. Imò est veluti genus, & idolum quædam species addens supra imaginem, quod sit rei alicuius falsæ. Vnde imagini cultus religiosus tribuitur, & idolo tribuitur cultus falsus, qui vocatur idolatria: *idolatria* autem dicitur ab *idolo*, & *latria*.

128 Notandum præterea plura esse imaginum genera. Primum, est naturale, qua ratione Dei filius est imago Patris. Secundum genus imaginum sunt ideæ in Deo, in quo sunt omnium rerum exempla, seu formæ, aut imagines ab æterno, antequam fiant, quo modo imago domus est in mente artificis, priusquam eam faciat. Tertium imaginum genus est homo, qui creatus est ad imaginem Dei, Gen. 1. eo quod in se habeat aliquam Dei similitudinem, de quo alibi. Quartum genus imaginum sunt litteræ scriptæ, & quælibet notæ, per quas ea quæ non videmus, aut non scimus manifestantur, qua ratione omnia visibilia, sunt imagines inuisibilium, iuxta illud Apost. *ad Rom*. 1. *Inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur*. Quintum imaginum genus sunt figuræ, seu typi rerum futurarum. Vt Rubus ardens *Exodi* 3. Porta clausa. *Ezechielis* 44. serpens æneus, &c. quæ erant figuræ eorum quæ fieri debebant in nouo testamento, iuxta illud Apostoli dictum, *Omnia in figuris contingebant illis*. Sextum genus, est imago intentionalis, species namque impressa, & expressa, sunt species intentionales obiecti, vt 1. p. visum est. Vltimum genus imaginum, sunt picturæ, aut sculpturę,

pturæ, seu sunt imagines pictæ, aut sculptę alioue modo fabrefactæ, per quas aliquid latens, vel absens, spectandum, cognoscendumque proponitur. Hoc loco de hoc solo vltimo genere disputatur contra hæreticos.

§I. An vsus imaginum sit licitus, & honestus.

129 KEmnitius, & alij nostri temporis hæretici, dicunt, quod licet admitti possit vsus imaginum, quoad ornatum, historiam, & memoriam, absolutè tamen admitti non debēt, maximè si sermo sit de imaginibus Dei, & Angelorum. Caluinus *lib. 1. suarum instit. cap. 11. sect. 1. & 2.* Petrus Martyr *in suis locis commun. cap. 5. n. 7. cum seq.* & alij eorum sectatores, dicunt Dei gloriam corrumpi quando aliqua imagine repræsentatur, idque Deo valdè displicere; vnde valdè conquæruntur quod nos catholici non solum in templis, sed etiam in priuatis domibus eos appendamus.

130 Veritas catholica seq. concl. explicatur. *Licitum, honestumque est facere, & habere imagines Dei, &c.* Pro quo notandum, cum Caiet. & alijs hoc loco, quod imago Dei tribus modis fieri potest. Primò vt per eam intendatur depingi, & figurari Deus, secundum veritatem suæ naturæ, & hoc modo verum est velle Deum deffingere, eiusue imaginem formare esse malum: hoc enim modo sunt falsæ, & prohibitæ Isa. 40. & ad hæresim Anthropomorphitarum introductæ, cum Deus non habeat corpus, quod repræsentari queat. Secundò, vt per imaginem repræsentetur Deus, non quidem vt est in se, & secundum se, sed prout aliquando apparuit in aliqua forma visibili, & hoc modo licitum, honestumque est Deum depingere, eiusque imaginem formare. Tertiò, vt per imaginem potest aliqua Dei perfectio declarari, sicut quando Angeli pinguntur iuuenes, formosi, alati, ad exprimendam eorum perfectionem, & indefectibilitatem, celeritatē, seu velocitatē. Et hoc etiā modo fas est Deū depingere.

131 Probatur 1. nam id licitum, honestumque est, quod à Deo miraculis cōprobatur, sed cultus imaginum Dei, B. Virginis, & Sanctorum à Deo comprobatur; ergo licitus, sanctusque est. Maior nota est, Deus namque non potest comprobare rem malam, & illicitam, maximè medijs miraculis; cum miracula sint quædam testimonia diuinarum veritatum. Minor etiam nota est ex multis imaginibus Dei, Virginis, & sanctorum, ad quarum præsentiam quotidie miracula, & gratiæ patrātur. Hic Romæ multæ sunt, & præsertim ante imaginem S. Mariæ de Victoria multa mirabilia frequenter patrantur, aliqua ego notaui in meo opusc. *Historia S. Mariæ de Victoria.* Placet solum referre vnum quod hoc mane die 2. Nouembris anno 1666. quidam Episcopus de visu narrauit mihi, & res certissima est. In Prouincia, & diœcesi Phauenti in insula Brachiæ, in quodam paruo rure, est Ecclesia B. Virgini Mariæ dicata, in qua ter in anno fit sequens miraculum. In die assumptionis B. Virginis Mariæ, in die S. P. & Prophetæ nostri Eliæ, & in die Sanctorum Martyrum Fabiani, & Sebastiani, quando Sacerdos incipit *gloria in excelsis Deo*, incipiunt parietes exudare, vt tamen guttæ, quantumuis magnæ non cadant in terram & ad consecrationem apparet in pariete supra altare maius sequens pictum velut in magna quadam tabula, omnibus videntibus, & stupentibus. In medio apparet imago Christi D. in throno sedentis in sinistra tenet librum, & dexteram eleuatam ac si velit benedicere populum. Ad pedes sunt hæc verba exarata. *Iesus Christus Filius Dei.* In dextra est pulcherrima Sanctissimæ Virginis imago, quæ intuitu gradum grauissimo respicit Filium suum, & ad pedes sunt hæc verba *Maria Mater Dei.* In leua est imago Sancti Ioannis Baptistæ, & ad pedes leguntur ista verba *Ioannes præcursor Domini.* Supra caput Christi D. est ille numerus 400. Videtur ista tabula per tres dies continuos ab omnibus, & postea disparet, remanente pariete vt prius, absque alia pictura. Item narrauit mihi Episcopus ille, quod quidam

dam Caluinista curiositate quadam motus iuit ad videndum hoc mirabile, & adeo commotus fuit, quod suam hæresim postea Venetijs abiurauit, & catholicus factus est, admittens cultum sanctarum imaginum.

132 Probatur 2. nam etiam in veteri testamenti erat vsus imaginum, licet esset prohibitio vt non fierent sculptæ ad adorandum. *Non facies tibi sculptile*, quæ prohibitio facta est ob facilitatem illius populi ad idolatrandum; ergo &c. Antecedens probatur, quia Moyses in tabernaculo posuit imagines Cherubin, & Salomon in templo collocauit imagines Boum, & Leonum. 3. *Reg.* 7. 1. *Paralip.* 28. 2. *Paralip.* 4. Et in templo quod vidit Ezechiel fuerunt per multæ imagines *Ezech.* 41. Item habebant Iudæi imaginem Sanctissimi Patris nostri, & prophetę Eliæ, multas scripturas historiatas, idest columnis, vt lapidibus incisas res gestas Patriarcharum, & mirabilium operum Dei, per quas populus instrueretur, & ad imitationem excitaretur, vt testatur Beda *lib. de templo Salomonis cap.* 19. vbi rectè colligit iustissimè per pictas, aut sculptas imagines in nostris Ecclesijs adumbrari res gestas Dei, Christi D. Apostolorum, Martyrum aliorumque, ad institutionem, & excitationem fidelis populi. Videatur N. Thomas Valdens. *to.* 3. *tit.* 19. *cap.* 152.

133 Probatur 3. nam etiam in nouo testamento colligitur quod vsus sanctorum sit licitus, & honestus, is enim à Christo D. incæpit, qui sui sacri vultus imaginem primò impressit linteo, quod misit ad Abagarum Regem Edissinæ ægrotantem, vt testantur Nicephorus Calistus *lib.* 17. *historiæ. Eccles. cap.* 16. Euagrius *lib.* 4. *cap.* 26. Baronius *to.* 1. *ann. anno Christi* 31. & alij. Secundò eundem sacrum suum vultum impressit in linteo, quod ei obtulit pia matrona S. Veronica, quando baiulabat crucem ad caluarium, vt sudorem cruoremque tergeret, quod sacrum linteum etiamnum seruatur hic Romæ in magno templo D. Petri, & quandoque populo ostenditur. Baron. *loco cit. ad ann. Christi* 34. Tertiò impressit sui corporis imaginem in sacra sindone, quæ in ciuitate Taurinensi asseruatur, & in magno honore, vt par est habetur. Huc pertinet quod idem Christus D. prædixit, quod signum filij hominis, idest imago S. Crucis sit apparitura in iudicio, Matt. 24.

134 Præterea S. Andreas Apostolus imaginem crucis Christi D. in qua fuit appensus, summopere veneratus est. Cum enim ad martyrium duceretur, crucemque sibi paratam eminus aspiceret, in hæc verba eam alloquebatur *O bona crux diu desiderata, & iam concupiscenti animo præparata, securus, & gaudens venio ad te, ita & tu exultans suscipias me, discipulum eius qui pependit in te.*

135 Probatur 4. ex alijs historijs certissimis. Primò ex facto mulieris Hemorroissæ, quæ sunt effectu à Christo D. *Matt.* 9. in gratiarum actionem, & Christi D. honorem, fusam ex ære imaginem Christi D. exerauit, quam Deus apud Cæsaream Philippi nouo miraculo celebrem fecit. Nam incognita quædam herba sub ista imagine excrescebat, quæ si vsque ad fimbriam vestimenti imaginis pertingeret, protinus virtutem consequebatur curandi quaslibet infirmitates. Eusebius *lib.* 7. *histor. Eccles. cap.* 14. Nicephor. *lib.* 6. *cap.* 15. & alij referunt. Hæc imago durauit ibidem ad trecentos, & amplius annos, vsque ad Iuliani apostatæ tempora, qui eam sustulit, & suam in eius loco substituit, sed hanc, diuina vltio fulminis tactu contriuit. Baron. *to.* 1. *anno Christi* 57. *& tomo* 4. *anno.* 362. ex Sozomeno *lib.*

136 Secundò, ex historia de imagine Christi à Iudæis in Beryto Siriæ quæ post illusiones; probra, colaphos, flagellationem, coronationem, crucifixa, & & in latere vulnerata copiosus sanguinis effluxit. Hæc imago dicitur facta à Nicodemo Christi D. discipulo. Quam historiam latè describit B. Athanasius *in libello de passione imaginis in Beryto Syria*. Plures alias imagines tum Christi D. tum B. Virginis, & sanctorum, quæ in magno honore habentur. Videri potest Simon Maiol.

Maiol. *tract. de imagin.* pe r sexdecim centurias, qui plures refert. Soluuntur argu. hæreticorum.

137 Primum argum. nam illud inhonestum, illicitum est, quod est expressè prohibitum, sed vsus imaginum Dei, & sanctorum est prohibitus; ergo est inhonestus, & illicitus. Maior constat. Minor probatur 1. ex illo Deuter. 4. *Non faciet tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper.* Secundò Isaiæ 4. dicitur. *Cui ergo similem fecisti Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* Idem prohibetur *Act.* 17. & *ad Rom.* 1. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dico, quod vt constat ex eodem *cap. Deut.* non simpliciter, & absolutè prohibentur sculptile, & imagines, seu similitudines, sed vt non fiant vt adorentur, & colentur. Non adorabis ea, neque coles, Ad illud Isaiæ dico, quod solum dicitur, quod non possit fieri imago repræsentans Deum secundum se, seu secundum suam substantiam, hoc enim implicat, nec hoc modo fieri possunt imagines Dei, & attributorum eius.

138 Secundum argu. nam eius quod est omnino spirituale, & incorporeum non potest dari, aut formari imago, aut similitudo corporea, quæ illud repræsentet; sed Deus est omnino spiritualis, & incorporeus, ergo non potest dari imago quæ eum repræsentet, & referat. Resp. distinguendo maiorem: non potest dari imago rei spiritualis, & incorporeæ secundum substantiam, conceditur: secundum quod res spiritualis apparuit in aliquo signo corporeo, aut secundum quandam analogiam ad aliquam eius perfectionem, negatur. Licet ergo Deus secundum se non sit repræsentabilis per imaginem corpoream, potest tamen repræsentari prout sub aliqua forma apparuit; vnde Spiritus S. repræsentatur in forma Columbæ, quia sub hac forma corporea apparuit. Potest etiam Deus repræsentari sub aliqua forma analogicè repræsentante aliquam eius perfectionem; vnde Pater æternus pingitur ad modum cuiusdam venerabilis senis, ad exprimendam eius æternitatem, prudentiam, &c. quo modo Angeli dipinguntur alati ad exprimendam eorum velocitatem,

39 Tertium argum. nam imagines ob duplicem finem fieri solent, aut vt repræsentent absentes, aut vt eorum aliquam perfectionem exprimant; sed hoc modo non possunt fieri imagines Dei; ergo nullo modo. Minor probatur, nam nec Deus absens est, cum sit vbique; neque aliqua eius perfectio cum sit infinita, repræsentari potest. Resp. concedendo maiorem, & negando minorem; ad probationē dico, quod licet Deus sit vbique præsens, non tamen est semper præsens nostræ cogitationi. Deinde nec forma sub qua Deus aliquando apparuit est pręsens sed præterita, & absens: Nec est necesse, quod per imagines Dei infinite, & adæquate cognoscamus diuinas perfectiones; sed tantum secundum quandam analogiam, vt dictum est. Quare quando aliqui sancti videntur dicere, quod non fiant imagines Dei, intelligi debent vt non fiant ad adęquatè repręsentandum Deum, eiusuè perfectiones, vt aliqui hæretici volebant Deum posse adæquatè repræsentari, secundum se, & prout in se.

§. II. An non tantum sit licitum, & honestum habere, & colere sacras imagines, sed etiam, an sit præceptum.

140 REm totam triplici conclusione absoluo. Prima concl. *Nō datur præceptum naturale, aut diuinum quo teneamur habere, aut pingere sacras imagines, aut aliquo actu adorare.* Quod non detur tale pręceptum, constat quia nullibi reperitur. Aliud namque est esse licitum, & honestum habere, & colere sacras imagines, & aliud est ad id teneri ex aliquo pręcepto. Nec hoc pręceptum infertur ex eo, quod teneamur adorare Deum, & Christum D. nam licet detur præceptum dē adorando Deo, & Christo in se ipso, non tamen ex hoc infertur præceptum positiuum de adorandis eius imaginibus. Vnde Concilia, & Patres solum statuunt esse licitum, honestumque adorare

rarę

rare imagines, easque habere, non tamen de hoc agnoscunt præceptum.

141 Secunda concl. *Tenemur præcepto naturali negatiuo non inferre illis iniuriam, nec illas igniominiose aut reuerenter tractare.* Ratio clara est, quia naturali iure tenemur non inferre alicui iniuriam, sed ignominose tractare imagines, aut irreuerenter eas habere, est inferre iniuriã illis quorum sunt imagines; ergo de hoc datur præceptum naturale. Aliud namque est, nos non teneri aliquem honorare & aliud tenere non colere: non datur præceptum de cultu positiuo, datur tamen præceptum negatiuum de non inferenda iniuria dictis imaginibus; quia sicut honor imaginis, est iniuria prototypi.

142 Tertia concl. *Potest data aliqua occasione, vel aliquo supposito, quis teneri adorare sacras imagines, easque honorificè tractare.* Ratio est, quia potest contingere, quod ad euitandum scandalum, teneatur quis sacras imagines adorare, Vel etiam hoc contingere potest ratione professionis fidei, vt si grassaretur hæresis Iconomochorum; vt si quis cogeretur imagines conculcare, &c.

143 Sed quæres, an sit de fide, quod licitum, honestumque sit facere, & retinere imagines sacras? Resp. quod si non est de fide vt vult Bellarm. *lib. 2. de imaginibus q.* 8. Vasq. *hic disp.* 103. *cap.* 3. Isambert. *ad q.* 23. *disp.* 3. *art.* 6. & alij, ad minus ita est certum, vt contrarium temerarium censentur, est enim ad minus temerarium id quod habet tam euidens fundamentum in Concilijs de sua veritate, & honestate. Igitur ad minus temerarium est negare non esse licitum facere, vel retinere imagines quæ Deum, suosque sanctos nobis referunt, vel prout Deus apparuit in sacris scripturis, vel prout per illas analogicè eius perfectiones, & attributa repræsentantur.

§. III. *Quo modo imagines sint adorandæ.*

144 EX dictis supra patenter colligitur imagines esse adorandas ea adoratione qua adoratur res repræsentata; vnde imago Dei debet adorari latria respectiua, imago Christi D. debet adorari latria, Crux Christi debet adorari latria, B. Virgo debet adorari hyperdulia, imagines sanctorum Angelorũ, & hominum sanctorum debent adorari dulia, &c. cum enim ex communi Philosophi dicto *idem sit motus in imaginem, & in id cuius est imago*, sequitur, quod eadem adoratione debeat imago adorari, ac imaginatum, seu repræsentatum, cum quantum ad hoc non ponatur in numero.

145 Difficultas procedit de modo quo adorari debent. Pro quo sciendum, quod tribus modis concipi potest, quod aliqua imago adoretur. Primò, vt tota adoratio terminetur ad eius exemplar tãquam ad *obiectum quod*, & imago in tantũ adorari dicatur, quatenus ad eius præsentiam adoratur exemplar, vt imago ad nil aliud deseruiat nisi vt medium deseruiens ad recordationem, & repræsentationem exemplaris, & imago solum dicatur adorari *vt quo*, non vt *quod*, cum in se ipsa non terminet adorationem, quæ imaginis adoratio *vt quo* vocatur impropria, & abusiua. Secundò concipi potest quod imago adoretur simul cum exemplari, ita quod ex imagine, & exemplari, seu prototypo conficiatur vnum totum, & adæquatum obiectum, per apprehensionem adorantis, ad quod actus adorationis terminatur. Tertiò, concipi potest quod imago adoretur, quatenus tota adoratio terminetur ad imaginem tanquam ad rem adoratam, & ad prototypum solum terminetur tanquam ad rationem adorandi.

146 Conueniunt Theologi hoc loco quod sacræ imagines possint adorari vt *quo*, vt tota adoratio terminetur ad prototypum, ad imaginem autem solum vt ad medium deseruiens ad recordationem & repræsentationem. Colligitur ex Tridentino *sess.* 25 *in decreto de inuocat. sanct. & sanctis imaginibus*, vbi sic dicitur. *Imagines porro Christi Deiparæ. Virginis & aliorum sanctorum, in templis præsertim habendas, & retinendas eisque debitum honorem, & venerationem impertienda: non quod credatur in esse aliqua in ijs diuinitas*

vel

vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant, sed quoniam bonos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illi repræsentant, ita vt per imagines quas osculamur & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoramus, & sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. Cæterum quia ista adoratio qua imago solum adoratur vt *quo* ab aliquibus vocatur abusiua, non videtur sufficiens ad saluanda dicta Conciliorum, & Patrum admittentium adorationem propriam.

147 Rem totam explico duabus conclusionibus. Prima concl. *Possunt sacræ imagines vno, eodemque adorationis actu adorari cum suo prototypo, ita quod adoratio prout terminatur ad prototypum sit absoluta, & prout terminatur ad imaginem sit respectiua.* Hæc concl. habetur in Nicæna Synodo art. 7. vbi dicitur. *Qui adorat imaginem, in ea quoque adorat descriptum argumentum*; idest prototypum. Idem colligitur ex Tridentino citato, ibi *bonos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, &c.* Ratio est, quia licet imago secundum esse entitatiuum realiter distinguatur à prototypo, tamen formaliter, & in esse repræsentatiuo, est ipsum exemplar, ac proinde formaliter non ponunt in numero, sed cōponunt quoddam totum, cuius quasi anima sit exemplar, & corpus, imago. Ita tamen quod licet adoratio ferratur in illud totum, tamen primo, per se, & absolutè terminatur ad exemplar, deinde ratione exemplaris, ad ipsam imaginem; ergo, &c. Tum quia in prototypo, & imagine, est vna, eademque ratio formalis adorationis; ergo vna, eademque adoratione adorantur. Antecedens probatur, nam vna, eademque excellentia prototypi, adoratur prototypus, eiusque imago; imago namque quæ talis non adoratur ratione propriæ excellentiæ, sed ratione excellentiæ prototypi.

148 Sed obijcies 1. nam non videtur possibile, quod vno, eodemque actu adoretur imago, eiusque exemplar; ergo, &c. Antecedens probatur; nam excellentia, quæ est ratio adorandi, in prototypo est intrinsecè realiter, & physicè, at in imagine est solum in esse repræsentatiuo, sed ista cum distinguantur realiter, diuersos requirunt actus, ergo, &c. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico, quod idem esse excellentiæ est in prototypo, & in imagine, licet secundum diuersum modum essendi; nam in prototypo habet esse, seu modum essendi realem, & in imagine habet modum essēdi intentionalem, seu repræsentatiuum. Tum quia dato, quod distinguerentur realiter in esse rei, non tamen formaliter, saltem totaliter, cum componant vnum quid in quod adoratio terminatur.

149 Obijcies 2. nam in Concilio Nicæno II. actione 7. in confessione fidei dicitur. *Christo quidem deberi latriam, ac eius imaginem non adorandam latria, sed quadam tantum honorifica veneratione.* Resp. 1. quod Patres illius Concilij solum docere voluerunt, quod Christus D. debeat adorari latria absoluta, non ipsa imago illius, sed tantum latria respectiua, quā vocāt honorificam venerationem. Resp. 2. loqui dictos Patres de imagine Christi secundum se, non qua imago est: qua enim imago est adoratur latria, nec ponit in numero cum adoratione Christi. Cęterum secundum se est solum digna aliqua veneratione.

150 Obijcies 3. quoniam eadem est ratio actus quo adoramus imaginem propter prototypum, ac actus quo assentimur præmissis propter conclusionem, vel conclusioni propter præmissas, & appetitus quo appetimus media propter finem, sed est diuersus actus quo intellectus assentitur conclusioni propter præmissas, & est diuersus actus voluntatis quo vult media, & finem; ergo etiam erit diuersus actus, quo adoramus imaginem propter prototypum. Resp. concedendo maiorem, & distinguendo minorem: est diuersus actus quo intellectus assentitur conclusioni, ab eo quo assentitur præmissis, quando assentitur conclusioni vt deducuntur ex præmissis, negatur. Quando distinctè assen-

nitur præmissis, conceditur. Igitur intellectus vno, eodem actu assentitur conclusioni, vt deducuntur ex præmissis, licet actus ille quo assentitur præmissis secundũ se, sit diuersus. Ita eadem actu appetitu vult media propter finem, licet actus quo vult media secundum se, & finem secundum se, sint diuersi. Ita diuersi sunt actus quibus colimus imaginem propter se, & prototypum propter se. At vno, eodemque actu volumus, & adoramus imaginem propter prototypum.

151 Obijcies 4. nam vnus, idemque actus non potest esse absolutus, & respectiuus; ergo vnus, idemque actus non potest esse adorationis imaginis, & prototypi. Conseq. constat, nam imago adoratur respectiuè, & prototypus absolutè. Antecedens probatur, nam actus respectiuus est talis per aliud, & actus absolutus, est talis per se, sed vnus, idemque actus non potest esse talis per se, & per aliud; ergo, &c. Resp. negando antecedens, idem namque actus secundum diuersam rationem, & respectu diuersorum potest esse absolutus, & respectiuus, nam etiam essentia diuina secundum se, est absoluta, & vt dicit relationes, est respectiua.

152 Secunda conclusio. *Imago potest esse res adorata, ita quod, id quod immediatè terminat adorationem sit imago, & prototypus sit ratio adorandi, vnde idem actus adorationis terminetur ad imaginem, tanquam ad rem adoratam, & ad prototypum tanquam ad rationem adorandi.* Hæc conclusio ex se constat, nam actus specificantur à motiuo, seu à ratione formali sub qua fiunt, ergo quoties ratio formalis alicuius speciei in eis saluatur, actus erunt illius speciei. Vnde licet in nostro casu res adorata sit incapax secundum se talis adorationis, tamen vt procedit ex motiuo talis excellentiæ, erit capax talis adorationis. Tum quia licet imago sine ordine ad exemplar, non sit capax adorationis, tamen per ordinem ad illud, potest adorari, sed vbi ponitur prototypus vt ratio adorandi, imago dicit ordinem ad exemplar; ergo, &c.

153 Obijcies 1. nam adorare est ostendere internum submissionis affectum & animum cedendi rei quæ adoratur, sed potest quis habere animum cedendi imagini, hoc est dandi illi locum meliorem, gestando eam ad collum cum veneratione, genuflectendo coram ea, &c. absque eo quod velit hæc facere circa ipsum prototypum; ergo potest quis venerari imaginem absque eo quod prototypus sit ratio adorandi, aut venerandi eandem imaginem. Maior nota est ex dictis. Minor probatur, nam vbi sunt distincta obiecta, possunt etiam dari distincti actus; sed imago, & prototypus, sunt distincta obiecta; ergo possunt dari distincti adorationis actus, vnus quo adoretur imago, & alius quo adoretur prototypus. Resp. negando minorem, cum enim idem sit motus in imaginem, & in id cuius est imago, sequitur implicare, quod quis moueatur in imaginem quam imago est, & non moueatur in prototypum. Ad probationem dico, quod imago qua talis non facit distinctum obiectum à prototypo; ex ratione namque adorandi, & ex re quæ adoratur, vnum adæquatum adorationis obiectum componitur.

154 Obijcies 2. quoniam qui colit sanctos propter gratiam, & amicitiam Dei, non est necesse quod colat Deum per illum actum; ergo etiam qui colit imaginem propter excellentiam prototypi, non est necesse quod per eundem actum colat prototypum. Resp. negando conseq. dum enim sancti adorantur cultu duliæ, sunt obiectum adæquatum illius cultus, nec excellentia Dei est ratio adorandi sanctos, sed tunc adorantur ob propriam excellentiam. At imago qua talis non adoratur ob propriam excellentiam, sed ob excellentiam prototypi.

155 Obijcies 3. nam imago habet excellentiam, & dignitatem distinctam à dignitate prototypi; ergo potest adorari ob propriam dignitatem. Antecedens probatur; nam hoc quod est repræsentare exemplar, seu prototypum, est aliqua excellentia distincta ab excellentia prototypi; ergo, &c. Resp. quod imago qua talis

lis non habet aliam excellentiam quam prototypi. Licet enim materialiter possit habere excellentiam aliquam, non tamen ob illam est capax adorationis. Nam vel illa excellentia est respectiua ad naturam rationalem; & hanc non habet nisi quatenus, est imago; vel est absoluta, & hæc non est digna adoratione, cum hæc sit propria rationalis naturæ, & non cuiuscumque sed excellentis, vt adorans illi cedere possit, & se submittere, &c. Licet ergo non possit adorari imago sine prototypo, non tamen est necesse, quod prototypus adoretur in recto, sed potest adorari vel in recto, quando imago, & exemplar adorantur vt conponunt vnum adæquatum obiectum adorationis; vel in obliquo quando prototypus adoratur vt *quo*, seu vt est ratio adorandi imaginem vt iam dictum est.

156 Quod si quæres quinam sit melior modus adorandi, & explicandi adorationem imaginis? Resp. esse secundum supradictum, vt scilicet adorentur simul imago, & eius prototypus, ita quod imago adoretur adoratione respectiua, & prototypus, adoretur adoratione absoluta, seu vt imago adoretur propter excellentiam prototypi, & prototypus adoretur propter excellentiam propriam.

§. IV. *Quænam sint vtilitates adorationis imaginum.*

157 MVltas nobis afferunt vtilitates sacræ imagines, quas operæ pretium est scire, vt fideles erga illas afficiantur, easque reuerenter tractent, & aspiciant. Prima vtilitas, est eruditio quæ ex illis capitur, præsertim ab his qui litteras nesciunt. Qua ratione Antipodes pro litteris vtuntur imaginibus. Castro *verbo imago*. Vnde in 1. *Epistola* Concilij II. Nicæni dicitur. *Quicquid sanctum Euangelium per lectionem nobis demonstrat, hoc idem imagines per inspectionem*, & quicquid libri de passionibus martyrum narrant, hoc ipsum imagines signant.

158 Secunda vtilitas, est memoriæ adiumentum, vt quorum facile obliuiscimur, in eorum memoriam redeamus per imaginum inspectionem. Vnde sicut docti iuuantur per libros, cum repetere volunt, quod aliàs legerunt, sic indocti respiciunt imagines vt ad memoriam reuocent, quod audierunt. Tertia vtilitas, est protestatio fidei Christianæ, quoniam etiā hominibus tacentibus, imagines pictæ, aut sculptæ testatum faciunt, quænam cultum, quęnam religionem profiteantur. Quarta vtilitas, est excitatio ad imitationem sanctitatis eorum, quos imagines repræsentant, cum plus moueant exempla visa, quā audita exhortationis, iuxta illud.

Segnius irritant animos immissa per aures.

Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

159 Quinta vtilitas, est declaratio amoris, ac reuerentiæ in eos, quorum sunt imagines; ratio namque naturalis dictat, claris, & charis hominibus statuere imagines, vt innotescant, ac celebrentur eorum præclara facinora. Vnde imagines propterea statuuntur, vt in eis honoremus, quæ in substantia videre, & honorare non possumus. Sexta vtilitas, est excitatio ad orationem, & inuocationem eorum quos repræsentant. Qui enim aspicit imaginem Crucifixi, facile permouetur ad illum orandum in suis necessitatibus. Septima vtilitas, est augmentum honoris, ac glorificationis Dei. Omnis namque honor qui sanctis defertur, est quædam significatio honoris, ac reuerentiæ erga Deum. Deus namque honoratur in sanctis suis.

160 Octaua imaginum vtilitas est decor, & ornatus templorum Christianorum vt per eas populus ad pias, ac sanctas cogitationes moueatur, & excitetur; obiecta namque pro sua ratione mouent, & excitant sensus. Vnde illud erat apud antiquos. *Templi nulla ratio, quod non ornatur imagine*. Hinc etiam diabolus simulacra idolatrica in templis Gentilium collocari curauit, ne quid fortè melius in illis conuenientes cogitarent. Nona vtilitas, est cogitatio vitæ futuræ, vt cum depingitur sancti, cogitant gloriam Paradisi.

Cum vident iudicium depictum, de eo cogitant,&c. Decima vtilitas, est detestatio, & confusio hæresis Iconomachorum; quantò enim isti sanctas adorant imagines, tantò maiori frequentia eos celebrare debemus.

161 Has vtilitates perstrinxit Concilium Trident. sess. 25. Decreto 2. his verbis. *Illud vero diligenter doceant Episcopi per historias mysteriorum redemptionis nostræ, picturis, vel alijs similibus expressas, erudiri, & confirmari populum in articulis fidei commemorandis, & assiduè recolendis; tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi: non solum quia admonetur populus beneficiorum, & munerum, quæ à Christo sibi collata sunt: sed etiam quia Dei per sanctos miracula, & salutaria exempla oculi fidelium subijciuntur; vt pro ijs gratias agant, ad sanctorumque imitationem, vitam, moresque componant, curirenturque ad orandum, ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam*. Videantur Nicolaus Sanderus *lib. de 55. imaginum honoratio adoratione cap.* 8. Cardin. Paleoth. *de imagin. lib.* 1. *cap.* 18. & alij.

§. V. De Iconomachis, vel Iconoclatis, id est sanctarum imaginum appugnatoribus, eorumque infelici exitu.

162 AVctores heresis negantis cultum sanctis imaginibus fuerunt aut Iudæi, aut Mahometani, aut magi manifestè hæretici. Quocirca nostri temporis Iconomachi erubescere deberent, se non habere meliores Patres suæ hæresis quos imitentur. Qui autem fuerit huius impietatis primi, & quibus temporibus alij alios secuti sunt, disputat Bellarm. *tom.* 1. *Controu. lib.* 2. *cap.* 6. Et videri possunt acta Concilij Niceni secundi.

163 Quod attinet ad infælices exitus Iconomachorum, vt omittam Iulianum Imperatorem Apostatam, qui Christi D. imaginem sustulit in Panneade, & non multò post diuina interijt vltione, vt refert Nicephorus *lib.* 10. *suæ historiæ cap.* 34. & alij. Primum Iconomacum hic facio Leonem tertium Imperatorem, cuius Iconomachia attulit Imperio hostium erreptionem, pestilentias, terræmotus, aliaque incommoda multa, & tandem ipse dysenteriæ fluxu, aut peste interijt. Ex eius vita.

164 Leonem secutus est Constantinus Capronynus, qui ob eandem Iconomachiam naufragium passus, perdidit ad duo millia nauium cum toto exercitu. Postea morbo Elephantiacu correptus, maximisque cruciatibus consumptus, expirauit. Ex eius vita. Imperator Leo quartus sublata è Sophiæ templo Constantinopoli corona gemmis onusta, inter quas Carbunculus præminebat, mox morbo Carbunculi correptus; in ardentissima febri miserabili modo deuixit. Ex eius vita.

165 Philippus Imperator iussit ex vrbe regia picturas Actorum seu Synodum vniuersalium, quæ in ea habebantur auferri. Ob quam rationem Romanus Pontifex statuit ne Imperatoris hæretici nomen, aut figuram numi susciperent. Vnde nec imago eius in Ecclesiam introducta est, neque eius nomen ad Missarum solemnia prolatum. N. Valdens. *to.* 3. *tit.* 19. *cap.* 152. ex lib. de temporib. *ad ann. Domini* 665. Cyprianus quidam stimulo quo boues agebat arrepto, Imagini B. V. Mariæ dextrum oculum eruit. Egressus porrò, dum fortè pecus ad maturandum iter pungit, ecce stimulus confringitur, & ea pars cui ferrum erat infixũ in dextrum hominis oculum recta inuoluat via, ac miserum oculo priuat. Ex Nicena Synodo 11. *art.* 4. Plura habent N. S. Ioan. Damasc. *orat.* 3. *de imaginibus*.

166 In collationibus factis Tilmani Bredenbachij legitur, quod in Casto Dreptanensi quidam tanillorum lusu omnem rem suam perdidit, tanto animi dolore, vt pariter à fide desperationem deficeret. Et ecce venit ad locum vbi erant imagines B. Virginis Mariæ, & S. Alberti nostri Carmelitæ, eas intuens dixit ad imagine S. Alberti. Toties inuocaui te, non me audisti in meis necessitatibus. Quid igitur causæ est: vt te sanctum præ-

prædicem ? cum nulla ratione me iuuare potuerit? Absit vt post hac te pro sancto habeam. Tu quoque Maria, quę mater gratię diceris pias tuas aures acclusisti ad preces meas. Inde erepto gladio, vtrumque imaginem secat, & confestim ex ambobus distillat multus sanguis in terram: Vidit id quidam puer, sublataque voce clamat in sacrilegum. Ille audito clamore, exit è templo, sed repente horrendo existente tonitru, fulminis ictu totus in puluetes, ad Ecclesiæ fores redigitur. Similis casus contigit Laudæ, & alius similis Bononiæ in imagine quæ vocatur del Barrachano, & tot alij recensentur, qui si scriberentur, plura volumina fierent.

§.VI. Quinam abusus sit vitandi, & corrigendi in cultu sacrarum imaginum.

167 PRimò loco admonet Sacrosanctum Concilium Tridentinum *sess.25 decret.2.* vt populus doceatur, quod in imaginibus non est aliqua diuinitas, quæ colatur, non enim adoramus lignum, lapidem, æs, colores, &c. nec spes in eis ponenda est, vt faciebant Gentiles; sed repræsentata in imaginibus colitur, & spes in prototypo collocari debet, & sic primus abusus, est ipsas imagines quoad suum materiale colere, in illisque spem collocare; Secundus abusus est cum magis honorantur imagines prætiosæ, quam viles, speciosiores, quam minus speciosæ. Gabriel *in Canon. Missæ lect. 49.* Tertius abusus est, cum imagines deformes, nimiumque viles, corrosæ, attritæ, quæ intuentes ad risum potius quàm venerationem excitant, in templis, alijsque locis relinquuntur. Hunc abusum notauit Tridentinum loco citato, mandens vt nihil inordinatum, aut præposterum, & tumultuariè accommodatum, nihil prophanum, nihil inhonestum appareat in imaginibus, totoque ornatu Templorum, cum domum Dei decent sanctitudo.

168 Quartus abusus est in imaginibus lasciuè, aut impudicè, aut inordinatè, ineptè, prophanè pictis, fabricatis, ornatis, quæ obscænas cogitationes generare possunt intuētium animis. *Et quæcumque aliquid prophani, inordinati, inhonesti præseferunt.* Huiusmodi namque imagines ne in priuatis quidem domibus, nedum in Templis sunt relinquendæ. Tridentinum loco citato.

169 Quintus abusus est, cum imagines sanctorum, hominum, aut mulierum effigies referunt in terris viuentium, aut aliorum non sanctorum; aut cum aliter fiunt quam hactenus in Ecclesijs consueuit, ex Bulla Vrbani VIII. Sextus abusus quando sacræ imagines non honestè, non decenter, non piè circumferuntur, sed cum clamoribus inordinatis, &c. Item quando tempore siccitatis proiciuntur in aquas, ad impetrandam pluuiam. Item cum imago S. Pauli circumfertur in die circumcisionis illius, aut S. Vrbani in festo eius, & si in pluuium cælum inciderit, proicere in fontem, aut in fluuium, & si in cælum serenum gestare in publicum hospitium, ibique putare.

170 Sextus abusus est, cum tempore cessationis à diuinis imagines in terram proicitentur, & spinis, vrticisque supponuntur, qui abusus prohibetur *cap. si Canonici, de offic. ordin. in 6.* Septimus abusus est imagines sacras humi, aut in locis indecentibus, aut præ foribus domorum priuatorum pingere, aut sculpere, vbi potius despiciuntur, quā venerentur. Octauus abusus est, cum tribuuntur imaginibus certi futuri euentus, vt illud vulgatum S.Christophori.

Christophori Sancti speciem quicumque tuetur,
Ista nempè die non morte mala morietur.

171 Nonus abusus est, quando falsæ imagines pro veris proponuntur ad significandum aliquid contra veritatem religionis, rerumque gestarum. Colligitur iste abusus ex Trident. loco cit. Decimus abusus est sacris imaginibus vti ad incantationes, & diuinationes; iste abusus parum abest à gentilium idolatria, credentium inesse imaginibus aliquid numinis. Vndecimus, est vti sacris imaginibus ad tur-

turpem quæstum, de quibus videri possunt Ioannes Molanus *in libello de picturis cap. 26.* Cardin. Paleot. *de imaginibus sacris, & prophanis toto lib. 2. & 3.* & alij.

DVBIVM VI.

An reliquiæ sanctorum sunt adorandæ?

172 Reliquiæ generatim dicuntur pauca ex quacumque re relicta qua ratione Apost. *Rom. 10. & 11.* dicit reliquias Israel, paucos Israelita fore saluos, & psal. 36. dicitur. *Reliquiæ impiorum peribunt.* Hoc loco nomine reliquiarum sanctorum intelligimus omnia quæ à sãctis relicta sunt, quæ ad corũ vsus pertinebant, vt sunt eorum, corpora, partes eorum, vestimenta, & alia quibus vsi sunt, eorumque partes siue magnę, siue paruæ. Vt exponantur communi venerationi, debent à Sede Apostolica approbari, *cap. audiuimus, & cap. cum ex eo, de reliq. & venerat. sanctor.* Ideo Episcopi diligenter prius inquirere debent antequam publicè exponantur.

173 Cultum sanctarum reliquiarum negant nostri temporis hæretici, quem errorem acceperunt ab antiquioribus hęreticis, vt Vigilantio apud D. Hieronymum *Epist. ad Riparium*. Vuilefo apud N. Valdens. *v. 3. tract. 19.* & alijs, qui licet admittebant sanctorum corpora esse honorificè sepelienda non tamen quod eorum reliquiæ sunt aliquo cultu religioso colendæ.

174 Veritas catholica seq. concl. explicatur. *Reliquiæ sanctorum sunt colendæ, & adorandæ eadem adoratione duliæ, qua ipsi sancti adorantur.* Hæc veritas definita est in secunda synodo generali *art. 7.* in Concilio Constant. in Bulla Martini V. & in Trident. *sess. 25. decreto 2.* & habetur in decretalibus toto titulo *de reliqijs, & veneratione sanctorum.*

175 Probatur 1. ex antiquissimo vsu venerandi sanctos viros, eorumque reliquias, nam in lege naturæ Ioseph nolens patrem suum Iacob sepelire in Aegypto, magno apparatu funus deferri curauit in terram patriam. *Gen. vlt.* & Moysen educens populum ex Aegypto, ossa Ioseph secum vexit, in terram Promissionis eam translaturus. *Exodi 13.* Quin imò etiam Deus ipse honore affecit corpus serui sui Moysis, quod suis ipse manibus sepeliuit. *Deuter. vlt.* Item honorem dedit ossibus Prophetæ, & Patris N. Sanctissimi Elisæi, vt mortuum resuscitaret, ex eo quod illius ossa tetigerit. *4. Reg. 13.* ergo, &c.

176 Probatur 2. ex factis legis nouæ, nam Christus D. honorem dedit fimbriæ vestis suæ, vt mulier hæmorrhoissa eam tangens à morbo quem patiebatur sanaretur. *Matt. 9.* & eiusdem Christi D. sepulchrum fuit gloriosum, vt prædixit Isa. 11 *Et erit sepulchrum eius gloriosum.* Cum, vt notauit D. Hieron. *Epist. ad Martellam.* Baron. *to. 1. ann. Christi 34. Et historia Eccles.* Peregrini vndique confluerent ad illius venerationem. Et *Act. 5.* vmbra D. Petri, quos infirmos contingebat, sanabat. Et *Act. 19.* infirmi sanabantur ex solo contactu sudarij, & semicinctij Apostoli Pauli.

177 Probatur 3. nam notus est toti mundo cultus reliquiarum Beatorum Apost. Petri, & Pauli Baron. *to. 1. ann. Christi 69.* confluentibus peregrinis ex omnibus terræ partibus. Notæ sunt etiam toti mundo peregrinationes ad reliquias S. Iacobi Apostoli, quæ Compostellæ in Hispaniæ finibus asseruantur. Pari fide Christiani honorem habuerunt sanctorum reliquijs, nam reliquiæ S. Andreæ ex Achaia maxima fidelium veneratione Constantinopolim vsque translatæ sunt. Vnde præter definitiones Conciliorum, decretorumque Ecclesiasticorum habemus leges Imperiales, decernentes honorem, venerationemque reliquiarum sanctorum, tum Martyrum, tum confessorum. Videant hæretici, & tandem quiescant *l. nemo Apostolorum, l. nemo Martyres, C. de Sacrosanctis Eccles. l. decernimus, C. de Episc. & Cleric.*

178 Probatur 4. nam si Deus ipse honorem tribuit reliquijs sanctorum; ergo insanus, & stupidus est, qui eas negat esse à fidelibus venerandas. Conseq. constat. Si namque reliquiæ non essent venerandę

Deus

Deus illis honorem non tribueret. Antecedens probatur, nam Deus eas honorat miraculis, & gratijs quas per eas facit, de qua re sunt plenæ Ecclesiasticæ historiæ; ergo,&c.

179 Probatur 5. ratione D. Ambrosij *serm.93. qui est D SS.Nazario, & Celso*, vbi sic dicit. *Quod si dicas mihi, quid honoras in carne iam resoluta, atque consumpta? Honore in carne martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices: bonoro viuentis memoriam perrenitate virtutis: bonoro per confessionem Domini sacratos cineres: bonoro in cineribus semine æternitatis: bonoro corpus, quod mihi ostendit Dominum diligere: quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non bonorent corpus illud fideles, quod reuerentur, & dæmones, quod afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro? Honoro itaque corpus, quod Christum honorauit in gladio, quod cum Christo regnabit in cælo, &c.* Si enim homines naturali inclinatione mouentur, vt amicorum singularium res, etiam viliores ament, & seruent diligenter, quantò potius res sanctorum hominum in pretio habendæ sunt, & reuerenter tractandæ. Quocirca nullæ reliquiæ quantumlibet exiguæ, vt calcei, caligæ, & similes, pro rebus vilibus habendæ sunt, quia per contactum sanctorum factæ sunt prætiosæ, vt Deus per eas non dedignatus est quandoque miracula facere; nam & sudaria, & semicinatia Apostoli Pauli, res paruæ erant, & tamen Deus multa, & magna miracula per ea operatus est. *Act.19.* Nauar.*de orat. & horis canon.cap.*18.*n.*27.

180 Reliquiæ sanctorum duplicem venerationis actum merentur. Primus est qui in sanctum dirigitur, cuius ea res est, alius qui ad rem dirigitur vt sacram; primus actus talis esse debet, qualem ille sanctus meretur; nam B. Virgo meretur hyperduliam, & alij sancti duliam, pro ratione maioris, aut minoris sanctitatis, quia magis debent venerari Apostoli, quam alij sancti. Alter debet esse pro ratione sancti cuius res illa est, nam reliquię B. Virginis debent adorari hyperdulia, & reliquiæ aliorum sanctorum, debent adorari dulia. Non tamen ea est necesse, quod isti actus sint realiter distincti, sed sufficit, quod virtualiter distinguãtur. Vnde vestes & aliæ res similes adorantur propter contactum, ac proinde adoratione respectiua. At corpus, & partes illius ita adorantur, ac si ibi esset sanctus, cuius partes substantiales sunt dictæ reliquiæ. Soluuntur argum. hæreticorum.

181 Primum argum. nam *Deut. vlt.* dicitur, quod Deus abscondit corpus Moysis, & vt omnes fatentur, ne coleretur à Iudæis; ergo signum est, quod sanctorum reliquiæ non sunt adorandæ, si enim possent adorari, non abscondisset Deus reliquias Moysis. Resp. quod reuera Moysis corpus fuit absconditum ne Iudæi ad idolatriam propensi illud adorarent tamquam Deum, vt notant Theodoretus *q.*39.*in Deut.* S.Io.Chrysost.*hom.*1.*in Matt.* & alij.

182 Secundum argum. desumunt ex illo Matt.23. *Væ vobis Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum*, quod non diceretur si licitum esset colere reliquias sanctorum; si enim iste cultus esset licitus non reprehenderetur ornamentum monumenti,&c. Resp. quod non reprehenduntur Pharisæi, quia ædificarent, ornarentq; sepulchra iustorum, & Prophetarum, sed quia hæc ea intentione faciebant, vt apparerent iusti, vt sic possent liberius Christum D. eiusque discipulos persequi, quatenus populos iudicaret eos moueri zelo iustitiæ.

183 Tertium argum. desumunt ex Apost.*ad Colos.* 2. vbi prohibet cultum voluntarium, qualis est cultus reliquiarũ. Resp. quod Apostolus ibi tantum reprehendit cultum superstitiosum, cuiusmodi non est cultus sanctarum reliquiarũ. Quocirca quando in Concilio Elibertino *can.* 34. & à D.Hieron. contra Vigilantium dãnatur vsus cereorum accensorum coram reliquijs, & sepulchris Martyrum, ideo damnatur quia habebat aliquid gentilitatis, solebant namq; gentiles accensis facibus, defunctorũ animas incantationibus aduocare, quo dicebantur inquietari, vt colli-

Colligitur ex 1.*Reg.*28.vbi anima Samuelis per mulierē pytonissam incantatione euocata est, ad instantiam Regis Salomonis, vnde dixit. *Quare inquietasti me, vt suscitarer?* Dicitur autem inquietari, quia illa incantatio displicuit animæ Samuelis, sicut cœremoniæ Gentilium displicent animabus in gratia existentibus. Vel dānatorum ille vsus ad mentem Vigilantij, qui dicebat quod animæ sanctorum martyrum illis cereis accensis illustrabantur, & illuminabantur.

184 Quartum argum. nam in reliquijs martyrum nil aliud restat, aut remanet, nisi materia prima, alia forma v. g. cadaueratia informata, ac proinde constituente aliud compositum diuersum à corpore martyris, aut confessoris: ergo nil remanet ex martyre, aut confessore, quod sit veneratione dignum; Materia namque prima secundum se, non est digna aliqua veneratione. Resp. quod non solū reliquiæ moraliter loquendo censentur corpus, aut partes corporis illius sācti, sed etiam physicè, quatenus materia prima quandiu manet sub forma cadaueratia, quæ loco propriæ formæ substituitur, quandiu corpus non corrumpitur, retinet sigillationem, & ordinem quandam ad propriam formam, ratione cuius censetur eadem, etiam physicè, qua ratione in resurrectione eadem numero resurget, & sua anima informabitur. Licet enim variatur numero pro ratione formarum numero distinctarum, & specie pro ratione formarum specie distinctarum, tamen eadem entitas à principio suæ creationis respexit seriem, seu collectionem formarum sub quibus successiuè ponetur vsque ad consumationem sæculi.

185 Sed quæres 1. quinam abusus contingat in veneratione reliquiarum. Resp. esse sequentes. Primus est, quia licet licitum, & vtile sit gestare reliquias ad collum, aut in veste, &c. pro honore Dei, & sanctorum, non tamen ad malum finem, aut cum aliqua superstitione, aut superstitiosa obseruatione vascoli, ligatur, &c. hoc enim peccatum graue est, vt tradit S. Doctor 2. 2. *q.* 96. *art.* 4. *ad* 3. Nauar *man. cap.* 1.*n.*35. *&* *consil.* 11. *de reliq. & venerat. sanctorum.* Secundus abusus est cum tenentur, aut dantur reliquiæ incertæ, pro certis, falsæ pro veris, &c. Ex Tridentino *sess.* 25. *decreto* 2. *cap. audiuimus*, *& cap. cum ex eo*, *de reliq. & venerat. SS.* Tertius abusus est, cum reliquiæ venales exponuntur, cum sint inestimales pretio D. *cap. cum ex eo* Nec licet aliquid accipere pro earum ostensione, nisi vltro detur. Quartus abusus, est abuti reliquijs ad sortilegia, diuinationes, aliosque actus magicos, aut ad turpem quæstum. Quintus abusus est illorum qui vt carpant eleemosinas dicunt quod corpus talis sancti, aut caput, &c. est in pluribus locis.

186 Quæres 2. an laici, aut clerici non in sacris constituti possint portare reliquias Ecclesijs deputatas? Resp. negatiuè ex *cap. non liceat* 1. *dist.* 23. Eo namque ipso quod reliquiæ sunt Ecclesiæ deportatæ vt publicè exponantur, solum à publico Ecclesiæ ministro deferri debent. Secus dicendum est de illis reliquijs, quæ sunt deputatæ vt ad infirmos deferantur, aut sunt reliquiæ alicuius particularis.

187 Quæres 3. quænam statuantur de sanctorum reliquijs *cap. cum ex eo de reliquijs, & sanctorum veneratione?* Resp. statui sequentia. Primò, quod reliquiæ antiquę non debeant extra capsam ostendi. *Extra capsam nullatenus ostendantur.* Et tradunt Sanch. *in præcepta lib.* 2. *cap.* 43.*n.*21. Rodriq. Q. R. *to.* 3. *q.* 55. *art.* 1. vbi ex Abb. reddit rationem quia cum ostenduntur extra capsam, apparent esse nuda, vetera, & antiqua, ex quo multorum deuotio tepescit, & præbetur causa detractoribus obloquendi.

188 Secundò, quod sanctorum reliquiæ venales non exponantur, quoniam illarum venditio, operta est simonia. Suarez *to.* 1. *de relig. tract.* 3. *de simonia lib.* 4. *cap.* 14. *n.* 14. Vgolion. *de simonia tab.* 1. *cap.* 38. *n.* 5. Sanch. D. *cap.* 43. *n.* 22. & alij, ampliantes dictum textum procedere, etiam quando nullo pacto inito reliquiæ passim exponuntur causa quæstus vt largiores elemosinæ largiantur; quod

dere,

non probat Facundez *præcept. 1. lib. 1. cap. 4. n. 27.*

189 Tertiò, quod reliquiarum de nouo inuentas nemo publicè venerari præsumat auctoritate sedis Apostolicæ, Nouo tamen iure Concilij Tridentino *sess. 25. decreto 2.* nec noua miracula, nec nouæ reliquiæ admittendæ sunt nisi recognoscente, & approbante Episcopo. Ex hoc texu Concilij infert Barbos. *de offic. & potestate Episcopi p. 3. allegat. 97. nu. 1.* posse Episcopum examinare miracula hominis defuncti non canonizati, nec beatificati, & publicare, atque approbare summi Pontificis auctoritate. Oppositum & verius tenet Cantilor. *in addit. ad Iacobum Castellanum de canonizat. sanct. q. 3. art. 1.* dicens, quod concilium loquitur de miraculis, & reliquijs sanctorum canonizatorum, & beatificatorum, & citat multos, qui ibi videri possunt.

190 Quartò, quod sine dicta recognitione reliquiæ venerari non possint publicè, ac solemni cultu. Ac proinde non prohibentur priuatæ preces, & priuatus cultus. Cantilor. supra *n.* 23. Tulch. *verb. Canonizatio n.* 10. & alij.

DVBIVM VII.

An omnes res mundi sint capaces adorationis.

191 PRima sententia est Alexandri apud Orlandum, & alios hoc loco, quod licet homines possint adoratione latriæ respectiuæ adorari, quatenus sunt aliquid Dei, non tamen aliæ res. Homo namque est imago Dei, cæteræ verò res, sunt vestigia Dei.

192 Nostra sententia duplici concl. explicatur: Prima concl. *Loquendo metaphysicè, omnis creatura est capax adorationis propter Deum.* Sic post Caiet. Suarez, Vasq. Granado, Lugo, & alios, tenet P. Orlandus *hoc loco q. vlt. n.* 61. Ratio est, quia omnis creatura, etiam inanimata, est effectus, & opus Dei, ergo sicut possumus venerari opere alicuius sancti, vt scripturas, Epistolas, characteres quos propria manu conscripsit, vel aliquid aliud, ita possumus venerari opera Dei propter ipsum Deum cultu, & veneratione respectiua. Veneramur scripta D. Aug. D. Thomæ, Sanctæ Matris Theresiæ; veneramur velum calicis, quod ipsa confecit pro primo Conuentu qui in Italia fundaretur, & asseruatur honorificè in conuentu S. Annæ Genuæ, &c. & non poterimus venerari opera Dei, eiusque magnalia quæ fecit, & continuò facit.

193 Præterea, nulla est creatura quantumuis vilis, & abiecta, in qua Deus non sit intimè præsens, in qua non reluceat diuina potentia, sapientia, bonitas, &c. ergo sicut rectè, & licitè adoramus imaginem Dei, quia in ea consideramus Deum repræsentatum, & veluti inclusum, ita licitè adorare poterimus quamlibet creaturam, cum in ea reluceat Deus, contineatur, & veluti includatur, seu potius includat; Deus namque est in rebus non vt ab illis contentus, sed vt continens illas.

194 Demum, quia creaturæ possunt esse materia iuramenti, considerando in illis connexionem quam habent cum Deo seu prout sunt effectus, & aliquid Dei; ergo ob eandem connexionem, possunt esse materia adorationis. Antecedens colligitur ex illo Matth. 5. *Nolite iurare per cælum, quia Dei thronus est, nec per terram, quia scabellum est pedum eius*; sine namque necessitate iurare non debemus. Conseq. probatur, nam tam iuramentum, quam adoratio sunt actus religionis, & per vtrumque colitur Deus, quando debito modo fiunt ergo est eadem vtriusque ratio.

195 Secunda concl. *Loquendo moraliter, & ritu publico, seu solemni, non debent homines, nec vlla creatura, nisi prout est formaliter imago Dei adorari.* Sic tradunt communiter Theologi hoc loco. Ratio clara est, quia sine scandalo, aut periculo non potest proponi homo adorandus cultu, seu adoratione publica latriæ, etiam respectiuè, quia plebs ignara cogitare

posset, quod ille cultus latriæ deferretur illi ob propriam excellentiam, propter se, & non propter Deum, neque propter excellentiam Dei, quæ in eo relucet. Tum quia in ista adoratione nulla apparet vtilitas, nulla necessitas, ergo moraliter non est ista adoratio ponenda. Igitur exceptis rebus sacris, quæ diuino cultui sunt deputatæ, non debent exponi ad peculiarem cultum Dei, seu vt adorentur propter Deum, nisi habeant peculiarem quandam connexionem cum Deo. Qui enim peculiariter adorandum exponeret hoc lignū, hunc lapidem, &c. non leuem præberet occasionem simplicibus cogitandi, quod in illis aliqua peculiaris esset excellentia, & sic daretur occasio idolatriæ. Soluuntur argumenta in contrarium.

196 Primum argum. nam creaturæ irrationales non sunt imagines Dei, sed quædam illius vestigia; ergo non possunt adorari. Antecedens constat; solus namque homo dicitur factus ad imaginem, & similitudinem Dei, non aliæ creaturæ. Conseq. probatur, nam adoratione respectiuè nihil adoratur, nisi vel ob contactum, vel ob repræsentationem, quæ est ratio imaginis, sed creaturæ irrationales non adorantur ob contactum, cum Deum non tangant: neque ob rationem imaginis; ergo, &c. Resp. quod ad hoc vt creaturæ irrationales adorentur, non est necesse quod sint imagines, sed sufficit, quod sint vestigia Dei, adorant homines vestigia Christi D. quæ reliquit impressa in monte Oliueti, cum ad cœlos ascendit, & adorarentur vestigia alicuius sancti vti impressa reperirentur in aliqua materia solida. Adorantur Calcei, & caligæ sanctorum; ergo etiam adorari possunt vestigia Dei. Adoratur Cathedra D. Petri, ergo etiam adorari potest scabellum Dei, vt est omnis creatura. Maximè quia vestigium licet non sit imago totius hominis, est tamen imago pedis. Creaturæ irrationales non sunt imagines, quia solum repræsentant infimum operum eius.

197 Secundum argum. nam ex nostra sententia sequeretur, quod posset quis priuatim assumere sibi pro reliquia, seu pro materia adorationis aliquam paleam, vel formicam, eamque in aliquo vaso aureo, aut argenteo conseruare, & collum deferre, vt in illa materia, tanquam in vestigio Dei Deum ipsum adoraret, & materiam illam propter Deum, sed hoc videtur falsum; ergo, &c. Minor constat. Maior probatur, nam si palea, v.g. vt est vestigium Dei potest metaphysicè loquendo adorari, ergo etiam poterit ad collum deferri in signum adorationis, honoris, & reuerentiæ Dei, in illa palea relucentis, &c. Tum quia non minus relucet Deus in aliqua palea, quam reluceat sanctus in propria subscriptione ad finem alicuius epistolæ; sed illa subscriptio potest deferri ad colum in signum reuerentiæ; ergo, &c. Resp. negando antecedens moraliter loquendo. Licet enim palea sit vestigium Dei, est tamen hoc quid commune omnibus creaturis irrationabilibus, vt autem quid peculiariter deferatur ad collum, debet afferre aliquid peculiare, non quid vulgare. Per quæ patet alia, quæ in argumento ponuntur.

Summarium q. 26. De Christo mediatore.

1 IN art. 1. docet S. D. Christum D. esse mediatorem perfectū, seu perfectiuè, quia ipse solus perfectè intercessit apud Patrem. Mediator namque dicitur, qui intercedit inter personas diffidentes. Ista autem perfecta intercessio in eo consistit, quod Christus D. nos redemit, pro nobis plenè satisfecit, inimicitias inter Deum, & hominem sustulit, per seipsum ad Patrem accessit, pacemque nobis reddidit, reconcilians imma summis. Tum quia solus Christus in natura cum vtroque extremo conuenit, scilicet Deo, & homine; ratione naturæ diuinæ, cum Deo conuenit, & ratione naturæ humanæ, cum homine, ac proinde huius ratione potuit esse mediator Dei, & hominum.

2 In art. 2. ostendit, quod Christus D. est mediator secundum quod est homo; ex eo, quod principium formale quo officium exercuit mediatoris, non est natura diui-

diuina, sed humana, nam secundum naturam humanam distat à Deo, & ab hominibus distat in dignitate gratiæ, & gloriæ.

3 Sed quæres 1. an etiam homines dici possint mediatores? Resp. affirmatiuæ, sed imperfectè, & secundum quid. Constat ex illo Moysis Deuter. 5. *Ego sequester, & medius fui inter Dominum, & vos.* Et ad Galat. 3. *Lex data dicitur per Angelos in manu mediatoris*, scilicet Moysis, secũdum expositionem Theodoreti, Sasboldi, & aliorum. Vnde cum S. P. August. *lib. 2. contra Parmen. cap. 8.* negat Apostolum Paulum esse mediatorem, intelligi debet de perfecto, qui nullo alio eget, qualis non fuit Apostolus, nec vllus alius. Agebat enim contra Donatistas, qui dicebant sacramenta valere, ex ministrantis qualitate, ac proinde faciebant ministros esse mundatores, & iustificatores, quod propriũ est vnius mediatoris Christi Domini.

4 Quæres 2. an ratio mediatoris magis conueniat Christo D. ratione naturæ diuinæ, an humanæ? Aliqui Patres videntur æque primò tribuere rationem mediatoris tam naturæ diuinæ, quam humanæ; vnde S. Leo *serm. 1. de natiuit.* dicit. *Nisi esset homo non præberet exemplum, nisi esset Deus non adferret remedium*. Nihilominus dicendum est cum S. P. Aug. *lib. 2. de peccato originali cap. 28.* quod ratio mediatoris conueniat Christo D. principaliter, & per se primo, naturæ humanæ tanquam principio, vt tradit etiam S. D. *art. 2.* verba D. August. sunt ista. *Non per hoc mediator est, quod æqualis est Patri, per hoc enim quantum Pater, tantum & ipse distat à nobis; per hoc ergo mediator, per quod homo, &c.* Non negamus tamen quin opporteat suppositum esse diuinum, sed dicimus, quod opera mediatoris non exercentur per naturam diuinam, sed per humanam, vt sunt orare, mereri, sacrificare, satisfacere.

5 Quæres 3. an dici possit, quod Christus D. sit mediator in quantum Deus homo? Resp. affirmatiuè, quia tunc non est sensus, quod secundum diuinam, & humanamque naturam sit mediator, quasi vtraque sit principium formale *quo* exercendi opera mediatoris, sed significatur, quod vtraque natura conueniat in persona mediatoris, & quod vtraque fuerit necessaria; humana, vt per eam Christus D. faceret opera mediatoris, & diuina vt per eam daretur vis, efficacia & valor dictis operibus. Cum autem mediator dicatur ab actione intercessoris, & hæc sit suppositi, non vt subsistentis in natura diuina, sed in humana, sequitur quod ratio mediatoris conueniat Christo D. ratione naturæ humanæ, non diuinæ, licet & hæc, modo dicto concurrat.

Summarium q. 27. De B. Mariæ sanctificatione.

1 IN 1. art. docet S. D. quod B. Virgo fuerit in vtero sanctificata, quia hoc concessum fuit D. Ioan. Baptistæ, & iuxta quorumdam sententiam Hieremiæ. Rationabiliter autem creditur, quod illa quæ genuit vnigenitum à Patre plenum gratiæ, & veritatis, præ omnibus alijs maiora priuilegia gratiæ acceperit. Huc facit illud D. Bernardi Epist. 174. *Quod vel paucis mortalium constat fuisse collatum; phas certè non est suspicari tantæ Virgini fuisse negatum*. In art. 2. tradit S. Doctor, quod B. Virgo non fuit sanctificata ante animationem, quia sanctificatio fit per gratiam cuius sola anima capax est. In art. 3. docet, quod in B. Virgine mansit fomes vsque ad secundam sanctificationem ligatum tamen, in secunda vero sanctificatione fuit extinctus, quando scilicet concepit Verbum diuinum.

2 In 4. art. tradit, quod B. Virgo nunquam peccauit actualiter, vt nec minimũ quidem peccatum veniale commiserit, quod definiuit Tridentinum *sess. 6. can. 23.* In art. 5. docet, quod B. Virgo ita fuit plena gratia, vt præ cæteris maiorem gratiæ plenitudinem acceperit, siue quoad extensionem, siue quoad intensionem. In art. 6. dicit, quod Virginis sanctificatio in vtero non fuit illius propria, quia etiam D. Ioanni Baptistæ concessa est.

3 Sed quæres 1. quomodo sit verum, quod tradit S.D. art. 1. & confirmauimus ex D.Bernardo, quod nullum priuilegium nulla gratia concessa est alicui sancto, & non fuit concessa B.Virgini? Nam B.Virgo mortalis existens nullum mortuum suscitauit, nullum cæcum illuminauit, nullum librum canonicum scripsit, &c. Resp. quod non singula omnino, quæ aliquibus sanctis in particulari fuerunt concessa, fuerunt etiam concessa Virgini, sed & quæ ad maiorem sanctitatis gradum pertineat.

4 Quæres 2. an dato quod B. Virgo fuisset mortua ante Christum D. vidisset diuinam essentiam, saltem ex priuilegio, cum mortua fuisset sine vllo peccato, & sine vllo pænæ soluendo reatu. Resp. negatiuè, sed discendisset in limbum, non visura Deum donec Christus D. sanctificationis, & redæmptionis opus per mortem implesset, quia licet fuisset solutus reatus personæ in Virgine, & alijs sanctis non tamen erat solutus reatus naturæ, vt tradit S. Doctor *in 3. dist. 3. q. 1. art. 2. ad 1. quæstiunc. 1.*

5 Quæres 3. an B. Virgo concepta fuerit ex semine virili. Quidam Philippus medicus negabat vt refert Canisius *lib. 1. de B. Virgine cap. 3.* Nihilominus de fide est, quod B. Virgo sit concepta ex semine virili; nam concipi de Spiritu S. est Proprium solius Christi D. vt colligitur ex illo Angeli ad Virginem Luc. 2. *Spiritus S. superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, quod enim ex te nascetur sanctum vocabitur filius Dei.* Tum quia aliàs Sanctus Ioachim, & Anna non essent veri parentis Virgnis, contra sensum totius Ecclesiæ. Tum etiam quia aliàs B. Virgo neque peccasset in Adamo, ac proinde nec habuisset debitum nec proximum, nec remotum contrahendi peccatum originale, & sic nulla de hac re esset difficultas. Tandem quia non posset dici redempta à Christo D. cum neque debitum peccati habuisset, hoc enim non contrahitur ab illis qui per seminalem propagationem ex Adam non descendunt.

6 Sed dices 1. nam conceptio B. virginis fuit miraculosa, ergo non fuit ex virili semine. Conseq. constat; qui enim concipitur ex virili semine, non concipitur miraculose. Antecedens probatur, nam vt docet S. Ioan. Damas. *art. de natiuitate Mariæ*, conceptio Virginis fuit miraculosa. Resp. quod conceptio Virginis fuit miraculosa quãtum ad hoc quod fuit ex parentibus senibus, & matre sterili, non quantum adhoc quod fuerit concepta sine semine virili, & de Spiritu Sancto.

7 Dices 2. quod semen, seu materia à matre ministrata, erat omnino inepta ad generationem, ergo Virginis conceptio fuit miraculosa; idem dicendum est de semine virili, aliàs non fuissent inepti ad generationem. Resp. quod quantum ad semen virile, licet esset senis, non ob id erat ineptum generationi, vt patet in multis senibus maximè cum posset diuino concursu faueri. Quantum ad Sanctam Annam, dico quod Deus abstulit impedimentum sterilitatis, eo quo miraculosè sublato, potuit naturaliter concipere.

8 Dices 3. nam maius miraculum est concipi ex parentibus senibus, & matre stereli, quam concipi de Spiritu S. ex matre foecunda; ergo, &c. Antecedens probatur, nam in priori casu supplet Deus concursum causæ efficientiæ, & materialis, at in posteriori solum supplet concursum causę efficientis scilicet actionem viri. Resp. negando antecedens, miraculosior namque est conceptio Christi quam Virginis. Et maius est supplere in casu Christi D. omne semen virile, quam fortificare tamen imperfectum. Sicut maius est fieri ex nihilo, quam ex supposito etiã imperfecto.

9 Quæres 4. an B. Virgo habuerit vsum rationis ab instanti suæ animationis. Resp. affirmatiuè, & communis sententia Theologorum hoc loco. Ratio est, quia vsus rationis qui in D. Ioan. Baptista fuit acceleratus, vt colligitur ex illo Luc. 2. *Exultauit infans in vtero eius, &c.* non debuit in B. Virgine accelerari, sed à principio concedi, sic enim magis decebat

bat Virginem; tum quia B. Virgo fuit sanctificata in primo instanti suæ conceptionis per proprium actum, seu per propriam dispositionem; ergo, &c. Infudit autem tunc Deus species per quas intelligeret, & vellet.

10 Quæres 5. an genealogia Virginis fuit nobilis, & regia. Resp. affirmatiuè, constat ex Sanctis Euangelistis Matthæo, & Luca, Ioseph virum Mariæ, natum esset regia tribu Iuda. Secundum autem legem Moysi viri ducebant vxores suæ tribus, *Num.* 36 Et sic B. Virgo nata est ex tribu Iuda, & filia Dauid sicut & Ioseph ab Angelo Dauid vocatus est *Matt.* 1. Pręterea Christus D. filius Dauid vocatur, vt Euangelistæ testantur, & filius Abrahæ, ac proinde si Christus D. fuit filius Dauid & Abrahæ etiam eius mater talis esse debet, cum ex ea Christus D. eam filiationem sumpserit. Fuit etiam B. Virgo de filiabus Aaron, cum enim fuerit cognata S. Elisabeth, quam Euangelistæ dicunt esse de filiabus Aaron, sequitur quod etiam B. Virgo ad sacerdotalem lineam Leuiticæ Tribus pertinuerit. Qua ratione S. Matt. regiam Christi D. genealogiã dicit, & S. Lucas Sacerdotalem.

11 Quæres 6. an B. Virgo fuerit sanctificata in vtero matris. Resp. affirmamatiuè, sic tradunt scolastici magistro, & omnes Theologi cum D. Tho. *hic art.* 1. quia priuilegium gratiæ, & sanctitatis alijs concessum, non debet denegari B. Virgini; sed sanctificatio in vtero D. Ioanni Baptistæ concessum est, ergo non debuit B. Virgini denegari. Tum quia Ecclesia ab antiquis temporibus celebrat natiuitatem Marianam vt Sanctam; ergo signum est quod fuit in vtero sanctificata, & hoc adeo certum reputat N. Cornexus quod oppositum sit erroneum, aut saltem errori proximum; sic etiam tenet Suarez Licet Catherinus, & Corduba dicant esse de fide.

12 Quæres 7. an B. Virgo fuerit concepta in peccato originali. Resp. negatiuè, de hac re fusè egimus cum N. Salmatic. 12. nunc solum aliquo addemus, qui plura voluerit consulat dicto loco citato. Colligitur ex illo Gen. 3. *Inimicitias ponam inter te, & inter semen tuũ & semen illius: & ipsa conteret caput tuũ;* hanc mulierem Sancti Patres volunt esse B. Virginem, inter quam, & dæmonem est perpetuum dissidium, quod verum non esset si aliquando fuisset in peccato originali. Hęc conteret caput dæmonis, idest peccatum originale, quod est omnium peccatorum caput, origo & radix. Vel hæc conteret caput suum, id est tuam potestatem, quia tamquam dæmon habuit in ea potestatem. Colligitur etiam ex illo Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, quia sicut lilium nascitur inter spinas, & ab illis non pungitur, ita B. Virgo nata est inter filias originali peccato infectas; absque eo quod inficeretur. Et cap. 4. dicitur. *Tota pulchra es amica mea*, quod verum non esset, si eius exordium fuisset originali peccato infectum.

13 Probatur 1. nam B. Virgo est Dei mater. ergo decuit esse immunem à peccato originali. Antecedens est certum. Conseq. probatur, nam esse Dei matrem est quoddam principium fæcundissimum ex quo omnes illæ conclusiones deduc congruè possunt, quæ ad excellentiam Virginis pertinent. Vnde si quæras, cur decuit B. Virginem fuisse Virginem; respondebis quia est Dei mater. Si iterum quæras, cur fuit in vtero matris sanctificata, Quia est Dei mater. Cur fuit immunis ab omni Peccato actuali; quia sic decebat Dei matrem. Ergo etiam si quæres an debuerit esse immunis ab originali peccato? respondebis affirmatiuè, quia sic decebat Dei matrem, quia cum caro Christi sit caro Mariæ, non erat decens, quod caro Christi aliquando fuerit infecta peccato, & sub potestate diaboli.

14 Probatur 2. nam peccatum Virginis aliquo modo redundasset in filium hoc dici nequit; ergo, &c. Antecedens probatur, nam ideo non decuit Christum D. nasci ex fæmina quæ aliquando peccasset actualiter etiam solum venialiter, quia hoc peccatum redundasset in filium sed etiam peccatum originale redundasset

ſet in filium; ergo non decuit B. Virginem peccare originaliter. Maior eſt D. Thomæ hic art. 4. in corpore, vbi ſic loquitur *Beata Virgo non fuiſſet idonea Mater Dei, ſi peccaſſet aliquando, quia honor parentum redundat in prolem, ſecundum illud Prou. 17. Gloria filiæ patres eorum; vnde & per oppoſitum, ignominia Matris ad filium redundaſſet*. Et poſt al qua ſic concludit. *Et ideo ſimpliciter fatendum eſt, quod B. Virgo nullum actuale peccatum commiſit, nec mortale, nec veniale, vt ſic in ea impleatur, quod dicitur Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*. Minor probatur, nam maius peccatum eſt originale, quam actuale veniale; illud enim opponitur gratiæ, & charitati, & habet cum eis incompoſſibilitatem, non iſtud: illud infert animæ mortem, non iſtud; ergo, &c.

15 Probatur 3. nam Deus ſolet vnicuique tribuere gratiam ſuo ſtatui, & dignitati conuenientem; ſed ſtatus, & dignitas B. Virginis excedit ſtatum, & dignitatem omnium hominum, & Angelorum; ergo debuit tribuere gratiam ſuper omnes homines, & Angelos, ſed non tribuiſſet, ſi non eſſet concepta cum gratia, ſed cum peccato originali; ergo, &c. Minor probatur, nam Angeli, & primi parentes fuerunt producti cum gratia, ergo ſi B. Virgo non fuiſſet cum ea producta, ſed cum peccato originali non tribuiſſet illi Deus gratiam ſecundum quod eius dignitas excedit homines, & Angelos. Ad loca ſacræ Scripturæ, quæ adduci ſolent, reſp. ſolum probare, quod B. Virgo peccauit in Adam, & contraxit debitum contrahendi originale, niſi in inſtanti conceptionis fuiſſet gratia præuenta videantur dicta 1.2. vbi notauimus, quod ſententia admittens B. Virginem peccaſſe in Adam ſaluat loca Sacræ Scripturæ, & magis facilitat declarationem eius immunitatis ab originali.

16 Quæres 8. qualis formæ, & aſpectus fuerit B. Virgo Maria? Reſp. quod vt communiter traditur ex D. Epiphanio, & Nicephoro Caliſto, fuit ſtatura mediocri, ſubfuſca, fuluo crine, oculis fuluis, ac mediocribus, magno ſupercilio, naſo mediocri, manibus, ac digitis paulo longioribus, veſtibus vtens laneis nullo colore tinctis. Nihil in ea deſiderabatur, quod ad inſignem pulchritudinem pertineret. Opus manuum eius erat lanæ, lini, & ſerici, &c.

Summarium q. 28. De Virginitate Beatæ Mariæ.

1 IN 1. & 2. art. docet S. Doctor, quod B. Maria fuit Virgo, & in conceptu, & partu, quæ doctrina eſt fidei contra Cerintum, Iouinianum, & alios, quorum ille dixit, quod Chriſtus D. ex Ioſeph genitus fuit, teſte D. Epiphanio *hæreſi* 28. Iſte verò licet agnoſceret B. Virginem in conceptu Virginem, dicebat tamen fuiſſe corruptam in partu, vt refert S. P. Auguſt. *hæreſi* 82. *& lib. 1. contra Iouin. cap.* 2. In art. 3. probat B. Virginem, manſiſſe Virginem etiam poſt partum, contra Heluidium, & Antidicomarianitas, dogmatizantes Deiparam poſt Chriſtum natum, alios ex Ioſeph liberos genuiſſe. In art. 4. probat B. Virginem vouiſſe virginitatem, quod votum emiſit ante annuntiationem, imò ante deſponſationem.

2 Quæres 1. an ſit de fide, quod Beata Virginum Regina fuerit Virgo ante partum, in partu, & poſt partum? Reſp. affirmatiuè, colligitur ex Symbolo Apoſtolorum, Nicæno, & Conſtantinopolitano. Habetur ex illo Iſaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*. Nec enim, vt nonnulli ex Iudæis volunt, vox hæbraica, tantum puellam ſignificat, ſed vt 70. reddiderunt, virginem, ſeu puellam ſecretam, & abſconditam, quæ nunquam virorum potuerit aſpectibus, vt exponit D. Hieron. & alij ibidem.

3 Quæres 2. quomodo corpus Chriſti Dom. exire potuerit ex vtero Virginis, ſalua eius integritate? Reſp. quod Dei miraculo factum eſt, quod exierit non ſolum ſine vlla matris ruptura, ſed etiam ſine vlla membrorum apertione, ita ſcilicet, vt penetratione dimentionum ſic clauſo vtero prodierit, quomodo poſt reſurrectionem ad diſcipulos intrauit ianuis clauſis. Hinc dicit D. Bernardus ſerm. 4. in vigil. nati-

natiuit. *Fuit partus sine dolore. Mutata est in Virgine nostra maledictio Euæ. Peperit enim filium sine dolore*. Et post aliqua. *O beata, sola à Generali maledictione libera, & à dolore parturientium aliena*. Et D.Fulgent.de laud.B.M. sic dicit. *Nulla fieri grauedo potuit concipiendi, nulla tristitia parturienti*.

4 Quæres 3. quomodo S. Ioseph dicatur Pater Christi. *Ego, & Pater tuus dolentes quærebamus te*? Resp.dici Patrem Christi D. vno quidem modo, quia communiter sic putabatur; alio autem modo, eoque potiori propter copulationem coniugalem eiusdem cum B.Virgine. Sic Sanctus P.August.lib.1. de nuptijs cap.11. vbi sic ait. *Propter fidele coniugium, parentes Christi vocari ambo meruerunt, & non solùm illa mater, verum etiam ille Pater eius, sicut coniux matris eius*. Et non solum eo modo S.Ioseph est Pater Christi, quo vitricus vocatur Pater filiorum suæ vxoris sed multo coniunctius, quia scilicet Christus D. natus est in illo ipso coniugio, & sine ipsius iniuria.

5 Quæres 4. an S. Ioseph possit dici pater Dei, sicut potest dici, modo explicato, pater Christi? Resp. affirmatiuè, ita D. Bernardus *serm. 2. super missus est*; & refertur in festa eiusdem S. Ioseph. Ratio clara est, quia Christus D.est Deus, ergo si S.Ioseph potest dici pater Christi eodem modo dici poterit pater Dei.

6 Quæres 5. quinam fuerint fratres Domini, vt dicitur ab Euangelistis. Pro huius quæsiti intelligentia nota, quod Cleopas, aliàs dictus Alphæus, fuit frater S.Ioseph. cuius vxor erat Maius Cleophæ quæ etiam vocabatur Maria Iacobi soror B. Virginis per affinitatem matrimonialem. Quatuor autem filij fratris Ioseph, scilicet Iacobus, Ioseph, Simon, & Iuda dicebantur fratres, seu cognati Christi, eo quod filij dicti Cleaphæ fratris S. Ioseph, qui æstimabatur pater carnalis Christi D. cum solum esset pater non carne sed coniugij copulatione vt dicit S. P. Aug. supra relatus,

7 Quæres 6. an votum B. Virginis, de virginitate secunda fuerit conditionatum, an absolutum. Resp. fuisse absolutum Primò, quia alijs virginibus in exemplum proponebatur, aliæ autem virgines absolutè communiter loquendo, vouent virginitatem. Secundò, quia votum absolutum est perfectius conditionato, B. autem Virgo se Deo consecrauit modo perfectiori quo potuit. Tertiò, quia sicut propositio virginitatis præcedenti, non repugnat matrimonium subsequens, ita nec voto absoluto, quando scitur, quod nullus actus coniungalis est secuturus; vt sciuit B. Virgo; fuerat enim certificata, quod nullus actus coniungalis esset secuturus, vt tradunt communiter SS. PP. Quartò quia potest quis consentire in translationem potestatis sui corporis, & habere in animo constitutum numquam perueniendi ad actum. Secundum se enim licitum est post matrimonium ratum non consumatum, ingredi, & profiteri religionem, vt in tractatu de matrimonio vidimus.

8 Sed dices, nam qui consentit in matrimonium, implicitè consentit in copulam, ergo cum B. Virgo consenserit in matrimonium, consensit saltem implicitè in copulam, ac proinde saltem periculo illius se exposuit. Resp. concedendo antecedens, si per *ly implicitè* intelligatur ad eum modum quo quis volens causam censetur velle effectum, non in se ipso, sed prout in causa, secus si per *ly implicitè* intelligatur virtuale propositum copulæ, hoc enim non habuit B. Virgo. Deinde negatur conseq. vt enim dicebamus stare potest consensus in potestatem, & causam, cum voluntate non perueniendi ad effectum, & copulam. Neque ex his sequitur, quod B.Virgo habuerit aliquid contra veritatem matrimonij, scilicet voluntatem non habendi copulam, quæ veritati, & bono matrimonij repugnare videtur, quod est proles procreanda. Nam consensus in matrimonium fuit absolutus, licet esset animus non ponendi vsum illius.

Sum-

Summarium q. 29. De desponsatione Matris Dei.

1 IN 1. art. probat S. Doctor decuisse Christum D. nasci ex desponsata, nam Diabolus virgines inuptas obseruabat, cum sciret ex Isa. 7. quod Virgo esset paritura Messiam in lege promissum, & quia B. Virgo virum habebat, ideo Diabolus nec integritatem, nec modum concipiendi illius multum scrutabatur; Deo per hoc medium prouidente, vt Virginis partus celaretur diabolo. In 2. art. docet, quod verum fuit matrimonium inter B. Virginem, & S. Ioseph, vt ante Christi conceptionem fuerint desponsati, non verbis tantum de futuro, quomodo contrahuntur sponsalia, præmitti solita matrimonio, sed verbis de præsenti.

2 Quæres 1. ob quam causam decuit Christum D. concipi, & nasci ex desponsata? Resp. ob rationes ex parte Christi Dom. Ex parte Virginis, & ex parte nostra. Ex parte Christi sunt 4. rationes. Prima, ne diceretur illegitimus, & ob hoc despiceretur. Secunda, vt per sponsum matris, eius genealogia describeretur, cum non esset consuetudo apud Iudæos describendi genealogias fæminarum. Tertiò, vt hoc mysterium occultaretur Diabolo, ne puero Christo grauiores strueret insidias, ex D. Ignatio Martyre. Quarta ob commodiorem Christi, & Matris sustentationem. Ex parte Virginis matris sunt sequentes rationes. Prima, ne lapidaretur à Iudæis vt adultera. Secunda, ne despiceretur vt corrupta. Tertia vt haberet à sponso necessaria subsidia. Ex parte nostra sequentes ponuntur rationes. Prima vt esset testimonium idoneum conceptionis Virginis ex Spiritu Sancto, à nemine namque verius quàm à sponso illius dari poterat. Secunda, ne Virgines corruptæ extra connubium fingerent se concepisse, vt B. Virgo. D. Ambros. *in Luc. lib. 2. cap. 1.* Tertia ad significandam desponsationem spiritualem, inter Christum D. & Ecclesiam, cuius hæc præcipuè typum gessit. *Ephes. 5.* Quarta, vt in ipsa Virgine Beata, virginitas & matrimonium honorarentur, contra hæreticos, qui aut hoc, aut illam in ipsa imprudenter negant.

3 Quæres quo ordine factum est matrimonium inter B. Virginem, & sanctum Ioseph. Resp. quod hoc ferè modo, & ordine contigit. Primò facta est desponsatio inter ipsos. Postea annunciatur B. Virgini ab Angelo Christi conceptio. Tertiò introducitur in domum Ioseph, & facta fuit celebritas nuptiarum. Facto namque matrimonio cum Ioseph à templo dimissa fuit, & recepta in domo Elisabeth cognatæ suæ. Quartò B. Virgo indicauit sponso suo Ioseph secretũ suæ conceptionis ex Spiritu S. Quintò Ioseph dubitãs, & ignarus tanti mysterij, voluit eam occultè dimittere, sed ab Angelo monitus eam retinuit. Vel indignum se iudicans tam sancta coniuge nolebat ei cohabitare, vt tradit D. Bernardus *hom. 2. supermissus est*. Alij dicunt, quod facto matrimonio ducta fuit in domum parentum, vt tutò custoderetur vsque ad tempus nuptiarum & tunc fuit traducta in domum Ioseph.

Summarium q. 30. de annuntiatione B. M. Virginis.

1 IN 1. art. probat S. Doctor, quod fuit necessarium necessitate congruentiæ, vt B. Virgini annunciaretur, quod conceptura erat filium Dei. In art. 2. declarat quod annunciatio conuenienter facta est per Angelum scilicet Gabrielem. In art. 3. docet, quod Angelus incarnationis nuntius conuenienter apparuit B. Virgini in humana specie, quod omnino suadet series euangelicæ enarrationis, & affirmant D. Hier. *Epist. 22. cap. 16.* D. Ambros. *lib. 1. de offic. cap. 18.* & alij communiter. In art. 4. dicit, quod annunciatio conuenienti ordine facta est.

2 Quæres 1. quibus rationibus conueniens erat, quod Christi D. incarnatio annunciaretur B. Virgini? Resp. obsequentes. Prima, vt B. Virgo de ea instructa, mereretur credendo verbis Dei. S. P. Aug. *lib. de S. Virgin. cap. 3.* Secunda, vt ipsa certior

tior facta, testificari posset de insolita conceptione, & generatione. Tertia vt spontè, ac deliberatè posset consentire, seque diuinæ voluntati offerre, & submittere. Quarta, vt eius consensu firmaretur matrimonium, quod Dei filius cum humana natura contrahere volebat, in ipsius Virginis vtero. Quinta, vt eodem consensu suo mereretur cõcipere redemptorem mundi, & Dominum; qua ratione eam salutamus, & vocamus mediatricem nostræ salutis. Sexta, vt B. Virgo per motus, seu actus pios virtutem se ipsam præpararet, ad tanti hospitis, & Domini aduentum. Opera namque Dei sunt sapientissimè ordinata, nec sua dona inuicto impertit, nec semper occulta inspiratione sed vt expedit, etiam manifesta S. Doctor hoc loco *art.* 1.

3 Quæres 2. an annunciatio conuenienter per Angelum facta sit? Resp. affirmatiuè, tum quia Deus hæc inferiora per Angelos administrat, non necessitate, sed voluntaria, gratuita, & congrua ordinatione. Ex D. Dionysio *de cælest. hier. cap.* 4. Tum etiam quia initia salutis debebant respondere initijs perditionis, cum enim hæc facta sit per mali Angeli suggestionem, illa debuit fieri per boni Angeli salutationem, & nunciationem. Demum ob similitudinem Angelorum, & Virginum in puritate. In carne namque extra carnem viuere, cælestis vitæ quædã portio est.

4 Quæres 3. an annunciatio fieri debuerit per Angelum Gabrielem? Resp. affirmatiuè, colligitur ex illo Magni Gregor. hom. 34. in Euangel. *Ad Mariam Virginem non quilibet Angelus, sed Gabriel Archangelus mittitur. Ad hoc quippè ministerium summum Angelum venire dignum fuerat, qui summum omnium nunciabat.* Et post aliqua subdit. *Ad Mariam quoque Gabriel mittitur, qui Dei fortitudo nominetur: illum quippè nunciare veniebat, qui ad debellandas aereas potestates, humilis apparere dignatus est.* Cum ergo hic Angelus dicatur fortitudo Dei, debuit mitti ad annunciandam incarnationem illius, qui debellare, & superare debebat fortem armatum, idest diabolum tenebrarum harum principem, &c.

5 Quæres 4. an conueniens fuerit, quod iste Angelus appareret Virgini in humana specie, nunciaturus Verbi diuini incarnationem? Resp. affirmatiuè, cum D. Thoma hoc loco, post D. Aug. *serm.* 1. *de natiuit D.* D. Ambros. *lib.* 2. *in Luc. cap.* 1. aliosque. Ratio congruentiæ duplex. Prima est qui annunciabat Deum inuisibilem fore hominem visibilem. Secunda, ob maiorem rei certitudinem. Certius enim cognoscuntur quæ oculis videntur, & quia fides ex auditu, quæ enim audiuntur certius tenentur.

6 Quæres 5. an in annunciatione cætera omnia congruenter, & sapienter peracta sit? Resp. affirmatiuè, nam Angelus idoneis argumentis vsus est, ad persuadendum B. Virgini tanti mysterij possibilitatem. Eadem Virgo Angelo sapienter, piè, & laudabiliter respondit. B. Virginis ætas pro eo mysterio aptissima fuit, erat enim quindecim annorum, vt communiter traditur. Tempus etiam fuit aptissimũ, erat enim dies 25. Martij, qua Adam dicitur formatus, qua peccauit, & qua Christus D. eum, suosque posteros redemit.

7 Quæres 6. an B. Virgo ante annunciationem incarnationis Verbi diuini habuerit fidem huius mysterij? Resp. affirmatiuè, non tamen cognouit se esse illam in qua tale mysterium perficeretur; hac enim in parte ignara fuit diuini consilij, & ex colloquio Angelico cognouit quid in ea esset operandum, S. Leo *serm.* 1. *de nat.* & alij Patres communiter, & colligitur ex eodem colloquio cum Angelo.

Summarium q. 31. De conceptione Saluatoris, quoad materiam.

1 IN art. 1. dicit S. D. quod caro Christi fuit de Adam sumpta, quia cum Verbum vellet assumere naturam humanam, vt eam purgaret, decens erat vt eam assumeret, quæ purgatione egebat, hæc autem est, quæ ex Adamo descendit. In art. 2. declarat, quod caro Christi fuit sumpta de Dauid, non solum quia S. Ioseph

ſeph erat ex Dauid,ſed etiam quia B.Virgo ex qua carnem ſumpſit erat ex Dauid. Quocirca ſacra ſcriptura non ſolum vocat Chriſtum D. filium Dauid, ſed expreſsè dicit. *Qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem*. Rom.1.& Pſal.131.dicitur. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*. In art.3. dicit Genealogiam conuenienter deſcribi ab Euangeliſtis.

2 In art.4. & 5. oſtendit decuiſſe Chriſtum D. naſci ex fœmina: corpus autem eius fuiſſe formatum de puriſſimis ſanguinibus B.Virginis. Cum enim Chriſtus D. ſit verus, & naturalis eius filius, ipſaque vera, & propria eius mater, & matris ſit miniſtrare materiam prolis, ſequitur quod in conceptione idem præſtiterit, quod aliæ fœminæ. Materia autem hæc eſt ſanguis, non quicumque, ſed qui per virtutem generatiuam matris ſit conceptui aptus, & per digeſtionem purgatus. In B.autem Virgine fuit puriſſimus, tum ex meliori temperamento, tum ex peculiari Dei prouidentia, & Spiritus S. virtute.

3 In art.6. docet corpus Chriſti D. non fuiſſe in antiquis Patribus ſecundum aliquid ſignatum, ſeu ſecundum aliquam ſubſtantiæ partem, quam Galatinus, & alij dixerunt, Deum in Adamo deſignaſſe, & quaſi ſeparaſſe vt eſſet à lege peccati præſeruata, eumque vſque ad B.Virginem per ſuccedentes progenitores trãſfuſum, aliàs B. Virgo non peccaſſet in Adam, de quo poſtea. In art. 7. dicit totam carnem antiquorum Patrum fuiſſe obnoxiam peccato; ita vt in eis nihil eſſet à peccato immune, de quo poſtmodum formaretur corpus Chriſti. Vnde caro Chriſti ſecundum quod erat in Patribus, fuit peccato infecta, antequam aſſumeretur; ea tamen infectio non erat reducenda ad actum, cum Chriſtus D. non eſſet generandus per ſeminalem generationẽ, & hoc modo non dicitur, quod caro Chriſti etiam in parentibus eſſet peccato infecta. In art.8. docet ex Apoſtolo, quod Chriſtus D. non fuit in lumbis Adæ decimatus.

4 Quæres 1.an caro Chriſti D.ſit caro deſcendens ex Adam? Reſp. affirmatiuè, ſic tradit Apoſt.*ad Hebræos* 5. vbi de filio Dei dicitur, quod apprehenderit ſemen Abrahæ,ſed hoc deſcẽdit ex Adam; ergo, &c. Ratio deſumitur ex fine incarnationis, qui eſt naturæ corruptæ purgatio, & inſtauratio, ideoque eam quæ fuerat in Adam corrupta, debuit aſſumere, ſed incorruptam, quia in Chriſto illa natura corrupta non fuit. Dicitur autem Chriſtus D.fuiſſe in Adam ſecundum corpulentam ſubſtantiam, non ſecundum rationem ſeminalem, eo modo quo cæteri homines ab eo deſcendentes, qui & in ipſo peccauerunt, & ab ipſo per ſeminalem propagationem deſcenderunt.

5 Quæres 2. ex caro Chriſti D. rectè dicatur ſumpta ex Dauid? Reſp. affirmatiuè. Habetur *Matt.*1.*Luc.*2.*&* 3.*Rom.*1. *ad Galat.*3. *Pſal.*88. & alibi, vbi Chriſtus D. dicitur filius Dauid. Hoc etiam intelligendum eſt ſecundum corpulentam ſubſtantiam,ſine vlla prorſus macula, conſtat ex dictis ſupra de genealogia Mariana, & Ioſeph.

6 Quæres 3. an Chriſtus D. conuenienter natus ſit ex Virgine fæminæi ſexus? Reſp.affirmatiuè,ſic enim prædictum fuerat *Iſa.*11.*&* *Ierem.*31. Conſtat ex fine incarnationis, qui eſt redemptio omnium hominum vtriuſque ſexus,& ſic congruebat vt filius Dei virilem ſexum aſſumeret ex fæmineo ſexu. Tum quia hoc congruebat propter veritatem humanæ naturæ, quæ non aliter propagatur, quam per cõceptionem, & partum fæminarum. Tum etiam quia hoc congruebat pro complendis gradibus diuerſorum generationum in hominibus. Nam primus homo à Deo formatus eſt ſine viro, & fœmina, ex limo terræ. Eua facta eſt à Deo ſine fœmina ex coſta viri, *Gen.* 2. Alij homines generantur ex viro, & fœmina. Supererat quartus gradus vt quis naſceretur ex fœmina ſine viro, & hoc modo natus eſt Chriſtus D. ſic S.D. *art.*4.

7 Quæres 4.an corpus Chriſti D. fuerit formatum ex puriſſimis ſanguinibus B. Virginis? Reſp. affirmatiuè. Habetur in 6. Synodo Generali can. 11. tradunt SS.Pa-

SS.Patres, præsertim N.S.P.Ioan.Damasc. *lib.3.Orthod.fidei*, *cap.2*. Ratio est, vt salnaretur veritas humanæ naturæ, vt scilicet Christus D. generaretur naturali modo. Naturaliter autem concipitur homo in vtero matris ex sanguine optimè digesto, seu puriore, iuxta Phil. *lib.de generat. animal.cap.*18.*&* 19. Sanguis autem Virginis purior fuit, quam in alijs fœminis ob rationes D.Thomæ relatas *n.* 2. Vnde ille sanguis dicitur purissimus.

8 Quæres 5. an caro Christi fuerit in Patribus, secundum aliquid signatum? Resp.negatiuè. Probatur ex absurdis contrarijs. Primò, quia materia signata aliunde assumpta fit pars corporis inde formati, ac proinde Christus Dom. posset dici filius Adam, non Abrahæ, neque Dauid. Secundò, quia materia signata non est tota natura, & sic Christus D. non assumpsisset totam naturam humanam, quam venit redimere, & instaurare. Tertiò, quia impossibile est, quod illa materia signata per tot corpora deriuaretur, vt in eorum substantiam non verteretur. Et sic Christus D. solum assumpsit carnem, quæ originem trahebat ex Adam, absque consideratione principij materialis. S. Doctor *hic art.6*.

9 Quæres 6. an Christi D. caro, vt in Patribus erat, fuerit obnoxia peccato? Respondetur affirmatiuè, non tamen vt in se ipso. Prima pars nota est, quia non fuit aliqua portio carnis munda in Patribus, quæ descenderet ad Christum vsque, aliàs caro Christi in Patribus signata fuisset, quod numero præcedenti impugnatum est cum D.Thoma. Secunda etiam pars nota est, quia Christus prius mundauit purissimè carnem Virginis antequã eiusdem Christi corpus formaretur. Tum quia caro Christi non fuit per seminalem propagationem, tametsi esset eiusdem prorsus naturæ cum nostra, quæ ex Adam descendit per seminalem propagationem virorum. S.Doctor *art.7*. Ob quam rationem Christi non dicitur infecta in Patribus, nisi ad sensum dictum, vt tetigimus *n.3*.

Summarium q. 32. de principio actiuo in conceptione Christi.

1 IN art. 1. docet S. D. quod principium actiuũ conceptionis Christi non fuit semen aliquod virile, sed Spiritus Sanctus, quia licet ea conceptio actiuè fuerit à tota Trinitate, tamen appropriatur Spiritui Sancto quia amor gratia, sanctitas quæ illi attribuuntur, maximè elucent in hoc misterio. Tum quia hoc mysterium fuit maximum miraculosum, miracula autem attribuũtur Spiritui Sancto. In 2. art. probat Christum D. fuisse conceptum de Spiritu Sancto. In art. 3. ostendit quod Spiritus S. non possit dici Pater Christi quia non eum produxit de sua substantia. In art. 4. dicit, quod B. Virgo nihil actiuè operata est in conceptione Christi D. actiuè tamen egit ministrando materiam, non tamen formando corpus illudque organizando.

2 Quæres 1. quomodo Christi D. conceptio sit opus Spiritus Sancti. *Resp.* quod tribuitur Spiritui S. Primò, quia est opus sũmę dilectionis Dei erga homines, dilectio autem in diuinis appropiatur Spiritui Sancto. Secundò, quia est donum Dei gratuitum, dona autem Dei appropriantur Spiritui Sancto, dicitur enim *donum Dei altissimi*. Tertiò, quia Christus D. maximè sanctus erat futurus, sanctitas autem, & gratia tribuitur Spiritui S. cum gratia dicatur diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum. Quartò propter honorem Christi D. qui cum esset filius Dei, & non haberet Patrem in terris, debebat à Spiritu S. eius conceptio tribui. Quintò propter honorem Virginis matris ne perderet suam virginitatem; essetque conceptio pura, sancta, & immaculata & decet opus egregium Spiritus S.

3 Quæres 2. an Christi D. conceptio possit etiam tribui alijs personis diuinis, alijs, & alijs titulis. Resp. affirmatiuè. Nam potest tribui Patri, vt mittenti, Filio vt misso, & vt assumenti naturam humanam & Spiritui Sancto vt efformatori corporis Imò efformatio illius corporis potest tri-

bui Patri vt omnipotenti, Filio, vt sapienti, & Spiritui Sancto, vt diligenti.

4 Quæres 3. quid intelligatur per illam particulam virtus altissimi. Resp. cũ D. Tho. *art. 1. ad* 1. quod intelligitur Dei filius. Filius namque Dei est virtus Patris, seu altissimi, & Spiritus Sanctus est vmbra. Vnde totæ tres personæ recensentur. Persona Patris sub nomine Altisimi. Persona Filij sub nomine virtutis; & Persona Spiritus S. sub nomine vmbrę, & Spiritus Sancti. Alij per virtutem altissimi intelligunt potentiam Dei Patris, qui Virginem totam erat circumdaturus, & per Spiritum Sanctum operaturus, vt inuiolata conciperet. Alij etiam per uirtutem altissimi intelligunt Spiritum Sanctum. Tene verba S. P. Aug. *tract.* 99. in Ioan. vbi sic habet. *Nam virtutis nomine appellari etiam Spiritum S. & eo loco clarum est, vbi Angelus, dicenti Mariæ, quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco: respondit: Spiritus S. superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Et ipse Dominus promittens cum discipulis, ait. Vos sedete in circuitu, quousque induamini virtute ex alto.* Vnde sensus esse videtur. Spiritus S. superueniet, seu illabetur in te, & virtus altissimi. seu idem Spiritus obumbrabit tibi, idest fouebit, teget, ac fecundabit, vt sine virginitatis detrimento concipere possis.

5 Quæres 4. an Christus D. possit dici Filius Spiritus Sancti, & Spiritus S. Pater illius? Resp. negatiuè. Ratio est, quia nomine Paternitatis, & Filiationis non habent loco nisi in perfecta, ac consumata generatione, qualis non est in sola conceptione, vbi Christus D. non nascitur similis in natura cum Spiritu S. nec Spiritus S. illi suam naturam communicat, licet suppleat actiuitatem Patris creati. Ob id Christus vt Deus est Filius solius Patris, at vt homo non est Filius Dei, nec Patris, nec Spiritus S. Secundum quod homo Christus D. dicitur Filius hominis, idest Virginis, & media Virgine dicitur Filius Abrahæ, & Filius Dauid.

6 Quæres 5. an B. Virgo fuerit actiuè cooperata ad cõceptionem Christi D. filij sui. Resp. negatiuè, præparauit quidem actiuè materiã, vt alię mulieres, sed non concurrit actiuè ad generationem, sicut nec aliæ mulieres. Ratio est quia B. Virgo solum subministrauit materiam, in quo non est aliqua virtus actiua. Tum quia si B. Virgo actiuè concurreret ad generationem Christi, iam Christus descenderet ex Adam per seminalem propagationem, quod est falsum. Tum quia Christus D. non est conceptus ex deciso semine B. Virginis Matris, sed ex purissimis sanguinibus. Tum etiam quia nulla pura creatura potest actiuè concurrere ad vnionem naturę humanę cum verbo diuino, ac proinde hæc vnio à solo Deo fieri potuit, & Spiritui S. attribui.

7 Sed dices, esse probabilem Galeni & aliorum quorundam medicorum sententiam, quod etiam mulier effectiuè cõcurrat ad generationem; ergo B. Virgo secundum hanc sententiam effectiuè debuit concurrere ad generationem. Resp. quod adhuc data illa sententia, non cogimur dicere quod B. Virgo administrauerit semen, quod vim illam effectricem haberet. Vt enim admittatur mulieres, & semen emittere ad generationem, & ad eam actiuè operari, sufficit, quod hoc fieri possit in generationibus communibus, vt tamen suppleri possit, per materiam sanguineam, & per vim actiuam Patris generantis, quam vim actiuam generantis suppleuit Spiritus S. & B. Virgo purissimum sanguinem ministrauit, materiam præparauit, ac disposuit.

Summarium q. 33. de modo, & ordine conceptionis Christi D.

1 IN art. 1. docet conceptionem Christi D. factam fuisse in instanti, quantum ad formationem, in qua principaliter consistit ratio conceptionis. In art. 2. probat corpus Christi fuisse animatum in primo conceptionis instanti, vt sic in eodem instanti simul cum anima, & tota natura assumeretur. In art. 3. dicit quod corpus Christi D. fuit à verbo assumptum in primo instanti conceptionis, ita vt nullo tempore fuerit conceptum, quo

quo non esse assumptum. In art. 4. dicit, quod conceptio Christi D. simpliciter fuit miraculosa propter virtutem principalis actiuè, licet naturalis fuerit ex parte materiæ, quam B. Virgo ministrauit.

2 Quæres 1. an re ipsa ita sit, quod Christi D. conceptio sit formata, seu facta in instanti. Resp. affirmatiuè, ita quod in eodem instanti fuerit formatum, & organizatum corpus Christi, anima informatum, & à Verbo assumptum. Virtus namque Spiritus S. cum infinita sit, potuit totum hoc opus in vno, eodemque instanti perficere. Aliàs non diceretur Verbum, seu filius Dei conceptus, sed aliud quodpiam imperfectum, è quo paulatim corpus Christi factum esset; & dici posset quod aliquando esset corpus Christi, & non animatum, & non assumptum.

3 Sed dices, quod motus localis non potest fieri in instanti, sed formatio, & organizatio corporis non potest esse sine motu locali; ergo non potest esse in instanti. Maior nota est. Minor ostenditur, nam licet ponatur totus sanguis in loco conceptionis, non potest tamen intelligi coagulari, condensari, & diuersis figuris formari, nisi partes mutent locum, cum pars densior effecta, minorem occupet locum, & diuersa figura, diuersum requirat situm. Resp. 1. hoc argumento solum probari, quod motus localis sanguinis ad locum generationis sit factus successiuè, & in tempore, sub quo motu includatur motus coagulationis, condensationis, & organizationis necessariæ, quibus celeriter completis, & peractis, totum corpus vno momento perfectè fuit organizatum & animatum. Resp. 2. probabile esse, non implicare contradictionem quod idem corpus transferatur de loco ad locum in instanti, si vel non transeat per medium, vel simul non constituatur in diuersis locis.

4 Quæres 2. quanta fuerit quantitas, quam habuit corpus Christi quando fuit formatum, animatum, & assumptum? Respond. quod cum quantitas humano corpori accomodata non consistat in indiuisibili, sed suam habeat latitudinem, potuit corpus Christi D. esse formatum in minima quantitate, non monstruosa, sed quæ tali corpori esset naturalis, considerata eius complexione, & dispositione; vnde credibile est, quod Spiritus S. formauerit corpus Christi in ea quantitate, & organizatione, quam habent alia corpora quando in eis introducitur anima rationalis. Postea per nutritionem 9. mensium peruenit ad eam quantitatem, qua nasci solent infantes. Hinc habes, quod Christus D. mansit per spatium 9. mensium integrorum, cum alij communiter post animationem non maneant nisi spatio 8. mensium, & minus, secundum diuersitatem opinionum circa animationem post conceptionem.

Summarium qu. 34. de perfectione prolis concepta.

1 IN 1. art. docet S. Doctor, quod Christus D. accepit plenitudinem gratiæ sanctificantis in eodem conceptionis instanti. In 2. art. probat, quod Christus D. in primo suæ conceptionis instanti habuit vsum liberi arbitrij, quia statim à principio habuit omnem spiritualem perfectionem, quæ maximè consistit in vsu spiritualium potentiarum, intellectus scilicet, & voluntatis. In 3. art. dicit, quod Christus D. meruit in primo conceptionis instanti. In art. 4. ostendit, quod Christus D. à primo conceptionis instanti fuit perfectè comprehensor.

2 Quæres 1. an re ipsa Christus D. habuerit in primo suæ conceptionis instāti plenitudinem gratiæ? Resp. affirmatiuè, colligitur ex dicto Angeli ad Virginem, scilicet. *Quod enim ex te nascetur sanctum*: loquebatur namque de prima natiuitate, quæ fit in conceptione, tunc enim primò Filius Dei intrauit in mundū. Et Ioan. 1. vocatur plenus gratia, & veritate. Tum quia ex vnione hypostatica, quæ in eodem instanti facta est, omnis sanctitas deriuata est in animam Christi D. Tum etiam quia aliàs Christus D. aliquando non fuisset sanctus, plenus gratia, & veritate, quod dicendum non est.

Quæ-

3 Quæres 2. an Christus D. in instanti suæ conceptionis habuerit vsum liberi arbitrij? Resp. affirmatiuè. Primò quia ex tunc fuit perfectus vir, iuxta illud. *Mulier circundabit Virum*. Ierem. 31. Secundò, ex necessaria Christi perfectione, ad quā requiritur vsus liberi arbitrij. Tertiò ex priuilegijs eiusdem Christi D. quia simul fuit viator, & comprehensor, & meruit ab instanti suæ conceptionis, quæ esse non potuerunt sine vsu liberi arbitrij.

4 Quæres 3. an Christus meruerit omnia, quæ meruit ab instanti suæ conceptionis? Resp. affirmatiuè. Primò, quia in instanti suæ conceptionis se Patri obtulit ad faciendam eius voluntatem in omnibus ad quæ missus fuerat. *Ad Hebræos* 10. Secundò, quia in primo instanti suæ conceptionis habuit omnia quæ ad cuncta merenda requiruntur, vt perfectissima gratia. *Ioan.* 1. Motus liberi arbitrij in Deum, vnio hypostatica, &c Vnde cum meritum Christi D. fuerit infinitum, quicquid meruit in primo instanti semper meruit, nec potuit postea aliquid mereri quod tunc non meruerit, aliàs hoc meritum non fuisset infinitum, quocirca solum plus meruit per alios actus extensiuè, non intensiuè, vt supra habitum est.

5 Quæres 4. an re vera Christus D. fuerit comprehensor à primo suæ conceptionis instanti? Resp. affirmatiuè, colligitur ex illo Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratia, & veritatis*. Et ex illo Ioan. 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo*. Non potest autem maior gratia illi dari, qui ea plenus est, neque maior gloria quam ea quæ est vnigeniti Patris; ergo, &c. Tū quia anima Christi per gratiam vnionis eleuata est ad summam dignitatem; ergo etiam ad summam gloriam. Aliàs si anima Christi non vidisset Deum, debuisset habere fidem, & debuisset proficere in gratia, & in scientia beata, infusa, &c. quę omnia falsa sunt, ex dictis supra.

Summarium qu. 35. de natiuitate Christi.

1 IN 1. art. docet S.D. quod natiuitas est hypostasis vt subiecti, & naturæ vt termini; nasci namque est quoddam generari, debet esse rei subsistentis, ac proinde personæ, seu hypostasis, quæ in hac, vel illa natura nascitur. In art. 2. dicit, quod Christo D. duæ natiuitates tribuuntur, ęterna scilicet, & temporalis, propter duas naturas, quarum vnam accepit ab æterno, scilicet diuinam; an tempore, scilicet humanam. In art. 3. docet B. Virginem, esse veram, & propriam matrem Christi naturalem. In art. 4. dicit hæreticum esse negare B. Virginem esse matrem Dei, vt negauit olim Phatinus, putans humanitatem prius fuisse conceptam, & natam, quam à Verbo assumptam. Idem negauit Nestorius negans vnionem humanitatis cum Verbo in hypostasi, docensque purum hominem ex B. Virgine natum. Aliam faciens personam carnis, aliam deitatis.

2 In art. 5. dicit, quod in Christo sunt duæ filiationes si attendamus ad rationes filiationis: & est vna, si attendamus subiectum, quod est persona Verbi diuini. Est in Christo filiatio æterna, & temporalis, & est vnus filius, non duo filij. In art. 6. dicit quod B. Virgo peperit sine dolore, sed cum lætitia. In art. 7. tradit, quod Christus D. conuenienter natus est in Bethleem, quæ interpretatur domus panis, &c. In art. 8. ait, quod Christus D. congruo tempore natus est; ipse namque eligit sibi tempus in quo nasceretur, quæ autem à Deo sunt, congrua, & ordinata sunt, ac subinde conuenienter disposita. Natus autem est Die 25. decembris, quæ incidit in diem dominicum post mediam noctem, anno 42. Imperij Augusti.

3 Quæres 1. an natiuitas, seu nasci conueniat Christo D. ratione personæ; an naturæ. Resp. quod conuenit ratione personæ; dicimus enim Christum, vel filium Dei natum, non naturam diuinam, vel deitatem; vnde hæc propositio est falsa:

sa : *natura diuina vel deitas est nata.* Dicitur : B. Virgo genuit Christum, vel filium Dei, qui & homo est ; vel filium hominis, qui & Deus est : non tamen dici potest, quod genuerit naturam diuinam, vel Deitatem; neque quod genuerit naturam humanam, aut humanitatem. Ratio est, quia generatio est motus, seu transitus à non esse ad esse, esse autem est suppositi, seu personæ, non naturæ. Terminatur tamen generatio ad naturam humanam, quam filius Dei assumpserit ex Virgine.

4 Quæres 2. an in Christo D. sit duplex natiuitas, scilicet diuina, & humana. Resp. affirmatiuè. Diuina colligitur ex illo Isa. 53. *Generationem eius quis enarrabit.* Humana, & temporalis colligitur ex illo Matt. 1. *Christi autem generatio sic erat.* Habetur in Symbolo D. Athanasij, in 5. Synodo Generali cap. 2. In 6. Synodo *art.* 11. Et tradunt Sancti Patres, & Theologi. Ratio constat, nam in Christo D. est duplex natura, quam ex duplici natiuitate accepit. Diuinam à Patre per æternam generationem. Et humanam ex Virgine per generationem temporalē. Nec incongruit quod vna, eademque persona habeat in se diuersa, ex quibus diuersas accipiat denominationes. Vnde licet Christus D. sit tantum vnus, & non duo filij, duplicem tamen habet generationem, ratione duarum naturarum.

5 Quæres 3. an B. Virgo rectè dicatur Mater Christi? Resp. affirmatiuè, colligitur ex Euangelistis. *Matt.* 1. 2. *&* 12. *Marci* 3. *Luc.* 1. *&* 2. *Ioan.* 2. 6. *&* 19. Ratio est, quia Christus D. verè fuit in eius vtero conceptus, nutritus, & auctus, & ex ea natus. Olim prohibitum appellare B. Virginem Matrem Christi, propter hæreticos Nestorianos, qui eam dumtaxat matrem Christi hominis, non Dei dicendam calumniabantur. Damasc. *lib.* 3. *fidei, cap.* 12. S. Doctor *q.* 35. *art.* 3. Cæterum ea hæresi extincta, hoc assertum seruatum est.

6 Quæres 4. an B. Virgo rectè dicatur mater Dei? Resp. affirmatiuè, sic definitum est in Concil. Ephes. I. *can.* 1. In 5. Synodo Gen. *cap.* 6. In 6. Synodo *art.* 11. & alibi. Ratio habetur ex vnitate personæ Christi, qui Deus, & homo est, dicitur B. Virgo Mater Dei, qui homo est. Sicut mater Petri Cardinalis dicitur mater Cardinalis, etiam si Petrum solum vt hominem genuerit. Sic B. Virgo dicitur mater Dei licet nō genuerit Christum vt Deum, sed vt hominem. Et sicut mater quælibet dicitur mater hominis, licet tantum caro ex ipsa sit, non anima; ita B. Virgo dicitur mater Dei, licet non genuerit Christum qua Deus est.

7 Quæres 5. an in Christo D. sit tantum vna realis filiatio? Resp. affirmatiuè, nam quæ personę Christi conueniunt, non multiplicantur, sed filiatio est personæ; ergo non multiplicatur. Tum quia natura humana nunquam dicitur filius, sed homo; ergo, &c. Tum etiam quia relatio filiationis, quæ est ad matrem in Christo, est solum relatio rationis, ergo non potest constituere alium filium. Cæterum relatio quam habet ad Patrem, est realis, vnde & filius illius est. In B. tamen Virgine relatio maternitatis non est rationis, sed realis; vnde Christus per relationem realem existentem in Virgine, verè dicitur filius Virginis, & filius hominis. Sicut Deus verè dicitur creator per relationem realem existentem in creatura, licet relatio creatoris in Deo sit tantum rationis.

8 Quæres 6. an Christus Dom. congruenter natus sit in Bethelem? Resp. affirmatiuè, ibi namque natus fuerat Dauid Pater eius *Luc.* 2. *&* *Rom.* 1. Tum quia pium, & rationi consentaneum erat, quod panis viuus qui de cælo descendit, nasceretur in domo panis. Magnus Gregorius *hom.* 8. *in Euangel.* Tum etiam quia Christus D. nasci voluit in loco humili, & in magna ciuitate Ierusalem pati, & mori.

9 Quæres 7. an Christus Dom. natus fuerit tempore congruo? Resp. affirmatiuè; colligitur ex illo Apostoli ad Gal. 4. *Cum venerit plenitudo temporis, &c.* Tum quia natus est iuxta prophetiam Iacob, quando sceptrum de Iuda fuit ablatum. *Gen.* 49. Quando Danielis hebdomadæ fuerant completæ. *Dan.* 9. Quando pax erat in toto orbe terrarum : *toto orbe in pace*

pace composito. Quando omnes vni Imperatori terreno subdebantur, & Iudæi ab alienigenis premebantur. Quando dies iam incipiunt crescere: nocte media, cum essent tenebræ, D. Thomas *hic art.* 8.

Summarium q. 36. De manifestatione Christi nati.

1 IN 1. art. docet S. Doctor, quod natiuitas Christi Dom. non debuit omnibus manifestari per signa externa. In art. 2. dicit, quod debuit manifestari aliquibus, quia nulli fuisset proficua, si omnibus fuisset occulta, iuxta illud Eccl. 20. *Sapientia abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque?* In art. 3. declarat eos conuenienter electos quibus manifestata fuit, & fuerunt Pastores, Magi, Simeon, & Anna. In art. 4. dicit, quod Christus D. non debuit suam natiuitatem per se ipsum manifestare, sicut nec alij infantes. In art. 5. ait, quod Simeoni, & Annæ Christi natiuitas manifestata est per interiorem illuminationem, Magis per stellam; Pastoribus per Angelum. In art. 6. explicat, quomodo conuenienti ordine sit eius natiuitas manifestata. In art. 7. dicit, quid fuerit illa stella. In art. 8. dicit, quod Magi conuenienter ad Christum accesserint.

2 Quæres 1. nam conueniebat Christi D. natiuitatem omnibus manifestari? Resp. negatiuè. Primò ex vaticinijs Isaiæ cap. 45. ibi. *Verè tu es Deus absconditus, Sanctus Israel, Saluator, &c.* Et cap. 53. *Quasi absconditus est vultus eius, & despectus.* Secundò ex fine incarnationis, quatenus debuit Christus D. per passionem, & mortem satisfacere pro peccatis totius mundi; Si autem omnes cognouissent, quod Christus erat Messias, & filius Dei, nunquam eum crucifixissent. 1. *Cor.* 2. Tertiò ex fidei merito, quod Deus per occultationem Christi voluit augere in suis credentibus, & fidelibus. Quocirca licet nonnulla signa, & miracula ostensa fuerint, in principio, ex illis tamen non poterat euidenter colligi, quod natus esset Messias, & filius Dei. Quartò ad ostendendã veritatẽ humanæ naturæ, si enim Christus D. tantum diuinitatis opera ostendisset, pauci eum verum hominem dixissent.

3 Quæres 2. an Christi D. natiuitas debuerit aliquibus manifestari? Resp. affirmatiuè, si enim nullis ea fuisset manifestata, nemo quicquam potuisset cognoscere, & credere. Nec fuisset sufficiens testificatio Ioseph, & Mariæ Matris, nam ea potuisset vt suspecta allegari, cum essent in causa propria; Vnde debuit quibusdam manifestari, vt sic cæteri audientes, eam crederent, quod etiam accidit de resurrectione, quæ etiam solum certis quibusdam personis manifestata est, vt testatur Apostolus Petrus *Act.* 10. Nec dãna quæ ex occultatione Christi secuta dicuntur ab aliquibus sunt vera damna, sed permittenda erant ne grauiora sequerentur. Nisi dicas, quod Christi occultatio hominum vitio tribuenda erat.

4 Quæres 3. an manifestatio natiuitatis Christi idoneis personis facta sit? Respondetur affirmatiuè, nam manifestata est Pastoribus Iudæis, Magis gentilibus, Simeoni, & Annæ, quibus omniũ hominũ status designabantur. In Iudæis, & Gentilibus, cuncti populi designabantur. In Simeone, & Anna, vterque sexus. Aptè autẽ manifestatio facta est per Angelũ, & stellã. Nã Iudæis vt prudentibus, mittitur Angelus. Gentilibus vt idolatris, & superstitiosis, mittitur stella.

Summarium q. 37. De circumcisione Christi.

1 IN 1. articulo probat S. Doctor debuisse Christum circumcidi, non debito necessitatis, sed congruentiæ. In art. 2. declarat conuenientiam impositionis nominis Iesu, cuius integra significatio soli Christo conueniebat, non illis qui in lege hoc nomine sunt nominati. In art. 3. declarat, quomodo conuenienter Christus D. fuerit in templo oblatus. In art. 4. dicit, quod B. Virgo conuenienter iuit ad templum purificanda, licet purgatione non indigeret, nec lex eam afficeret, cum non conceperit *suscepto semine*, vt lex dicebat.

Quæ-

2 Quæres 1. an conuenienter Christus D. circumcidi voluerit ? Resp. affirmatiuè. Primò vt ostenderet circumcisionem esse bonam, & à Deo institutam secundò, vt ostenderet se esse filium Abrahæ, cui circumcisio fuit primum demandata *Gen* 17. Tertiò vt effugeret Iudæorum calumniam, & despectionem; despiciebant namque Iudæi incircumcisos, & præputium habentes. Quartò vt nobis exemplum præberet obedientiæ erga legem Dei. Quintò, vt in se legis cæremonias compleret, suosque fideles ab earum rigida obseruatione liberaret.

3 Quæres 2. an Christo D. fuerit rectè nomen impositum ? Resp. affirmatiuè, nomina namque imponuntur ad significandas naturas, aut proprietates rerum, quatenus fieri potest, licet autem in scripturis plura nomina tribuantur, tamen nullum aliud ita explicat Christi D. personam, & officium vt nomen Iesus, idest Saluator, qui enim hominem saluat, omnia ei confert beneficia, &c.

4 Quæres 3. an rectè Christus D. fuerit per Virginem matrem in templo oblatus. Resp. affirmatiuè, licet enim non esset subiectus legi Moysi, cum esset dominus legis, eiusque principalis auctor, tamen ad nostrum exemplum voluit illi sub esse, maxime ne Iudæi nihil mali dicere possent, eumque ne despicerent tamquam suarum legum transgressorem.

Summarium q. 38. de baptismo Ioannis.

1 IN 1. art. docet S. Doctor fuisse conueniens Ioannem baptizare, baptismo pænitentiæ, qui non erat sacramentum, sed quoddam sacramentale disponens ad baptismum Christi. In 2. art. dicit, quod baptismus Ioannis fuit à Deo quantum ad ritum, licet probabilius sit, quod fuerit institutus à Ioanne ministerialiter, & à Deo principaliter. In art. 3. probat quod baptismus Ioannis non causabat gratiam, neque remissionem peccatorum, colligitur ex illis verbis Ioann. 1. *Ego baptizaui vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto.* In art. 4. docet, quod alij præter Christum debebant baptizari baptismo Ioannis, quia potissima eius institutio erat, vt populus Iudaicus præpararetur ad baptismum Christi. In art. 5. dicit, quod baptismus Ioannis non cessauit statim baptizato Christo, sed Ioanne in carcere posito. In art. 6. ait; quod omnes baptizati baptismo Ioannis, debebant postea baptizari baptismo Christi.

2 Quæres 1. an Christus D. debuerit baptizari baptismo Ioannis. Resp. affirmatiuè. 1. Vt Ioannis baptismum consecraret, D. Aug. *serm.* 1. *de Ephiphania.* 2. Vt per baptismum, & prædicationem Ioannis Christus D. manifestaretur. D. Chysost. *hom.* 10. *in Ioan.* 3. Vt homines præpararentur; & assuefierent ad baptismum Christi. S. Doctor *art.* 1.

3 Quæres 2. an baptismus Ioannis aliquam gratiam conferat. Resp. negatiuè. 1. Quia Ioannes fuit tantum præcursor Christi ad præparandos homines vt Christum reciperent, ac proinde ad hoc illius baptismus ordinebatur. 2. Quia non legitur quod Ioannes vteretur aliqua forma verborum, nisi fortè, ego baptizo te in nomine Messiæ venturi. Qua forma non fuit vsus cum Christum baptizauit.

Summarium q. 39. de baptizatione Christi.

1 IN art. 1. ostendit S. Doctor fuisse conueniens Christum baptizari, vt aquas mundaret; &c. In art. 2. dicit, Christum conuenienter baptizatum fuisse baptismo Ioannis, vt eum comprobaret. In art. 3. tradit, Christum conuenienter baptizatum fuisse trigesimo ætatis suę anno. In art. 4. & 5. docet Christum D. conuenienter baptizatum fuisse in Iordano. In art. 6. ait, quod Spiritus S. conuenienter descendit super Christum baptizatum. In art. 7. tradit, quod columba non solum fuit verum corpus, sed etiam verum animal, cuius oppositum tradit *in* 1. *dist.* 16. videtur namque sufficere similitudo columbæ. In art. 8. dicit quod conuenienter audita fuerit vox Patris &c.

2 Quæres 1. an decuerit Christum D. baptizari à Ioanne. Resp. affirmatiuè,

tum vt baptismum Ioannis comprobaret tum vt omnibus præberet humilitatis exemplum ; tum vt significaret spiritualem submersionem, seu mortificationem corporis peccati in nobis, & nouam regenerationem. Congruo etiam tempore fuit baptizatus, trigesimo scilicet suæ ætatis anno. *Luc.* 3. quia ante illum annum nullus apud Hæbreos habebatur vt vir perfectus, nec facta eius merebantur auctoritatem. Vnde Ioseph in Aegipto fuit exaltatus anno suæ ętatis trigesimo *Gent.* 4. Et Ezechiel anno 30. cæpite esse Propheta *Ezec.* 1. Et Dauid cæpit regnare anno 30. 2. *Reg.* 5. Et olim non ante trigesimum annu n ordinabantur sacerdotes, neque etiam num Episcopi iuxta sanctorum canonum decreta.

3 Quæres 2. an conuenienter Christus D. fuerit in Iordano baptizatus. Res. affirmatiuè, quia sicut olim populus sicco pede per Iordanem pertransiuit in terrã promissionis, ita per baptismum Christi apperitur fidelibus ingressus in regnum cælorum. Tum quia Iordanis significat descensum, & intransitu populi aquæ eius conuersæ sunt retrorsum. Sic cum humilitate accedentibus ad baptismum Christi D. omnia peccata fugantur, & expellantur. S. Doctor *hic art.* 4.

4 Quæres 3. an in baptismo Christi rectè cæli aperti dicantur. Resp. affirmatiuè, vt significaretur, quod baptismus erat habiturus virtutem à Deo, & quod baptizati accipiant lumẽ fidei ad mysteria cælestia cognoscenda. Tum vt significaretur, quod per baptismum cæli ingressus esset aperiendus. Hæc tamen apertio non fuit aliqua scitio corporis cælestis, sed exercitio quædam, & visibilis claritas alicuius hiatus qui in suprema ceris regione apparuit, vt quandoque fit in coruscationibus fulgarum; quæ enim fiunt in cęlis videri non possunt ob nimiam distantiam, nisi alioqui Deus cõfortet visionem.

5 Quæres 4. an rectè Spiritus S. apparuerit in specie columbæ super caput Christi D. baptizati. Resp. affirmatiuè, vt significaretur, quod omnes rectè suscipiẽtes baptismum, accipiant Spiritum Sanctum; Christus tamen hoc dono opus non habuit, cum ab instanti suæ conceptionis fuerit plenus Spiritu Sancto. Hæc autem columba, vt communis tenet opinio, formata est ex aere, pro signo repræsentante largitionem donorum Spiritus Sancti, quæ baptizati conferuntur. Non assumpsit autem Spiritus Sanctus illam columbam; in vnitate personæ suæ, neque vt corpus in quo moueretur, sicut Angelus in assumpto corpore, sed vt signum in quo eius dona significarentur. Vnde ista columba non fuit verum animal, vt ex Caiet. ostendit Medina, sed fuit solum columbę species. Sicut in die Pentecostes non in igne & linguis igneis, sed in visibili dumtaxat eorum specie. vnde in aerem resoluta fuit; huiusmodi namque species sufficiebat ad faciendam dictam repræsentationem.

6 Quæres 5. an rectè vox Patris cælestis audita sit in Christi D. baptismo. Resp. affirmatiuè, vt sic ostenderetur, quod Christus D. baptismus dandus erat in nomine sanctissimæ Thrinitatis, quæ in Iordano apparuit. Tum ad significandam gratiam adoptionis, quam fideles per baptismum consequuntur. Illa autem vox ex aere formata est, & bene repræsentant Patrem; quia in personis sanctissimæ Trinitatis, proprium est Patris loqui, formareque Verbum, seu vocem. Ad intra namque solus Pater dicit, seu loquitur. Tum quia Pater non descendit de cęlo vt filius, & Spiritus S.

Summarium q. 40. de modo conuersationis Christi.

1 IN art. 1. docet S. Doctor decuisse Christum D. conuersari cum hominibus, & communem vitam agere, quia finis ob quem venerat requirebat familiarem, & facilem cum hominibus conuersationem. In 2. art. dicit, non debuisset Christum D. eligere vitam austeram vt magis se hominibus conformaret, quorum communem viuendi rationem sequi volebat. In art. 3. dicit, Christum D. elegisse vitam pauperem. In art. 4. declarat

rat quomodo Christus D. conuersatus est secundum legem, licet non esset ei subiectus.

2 Quæres 1. an re ipsa decuerit Christum D. cum hominibus conuersari? Resp. affirmatiuè, patet tum ex necessitate doctrinæ, quam non poterat prædicare, aut docere nisi conuersando, simulque non poterat arguere hominum peccata, nisi præsens. Tum ob consolationem tribulatorum, afflictorum, & infirmorum, vt eis conferret remedium, & fiduciam confugiendi ad Deum. *Hinc dixit. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matt. 11. Tum etiam quia vita actiua, quæ sequitur perfectam contemplationem, & docet contemplata, est multò perfectior quam sola, & pura vita contemplatiua.

3 Quæres 2. an Christus D. debuerit vitam arctam, & austeram agere inter homines? Resp. negatiuè, constat ex verbis eiusdem Christi D. *Matt.* 11. vbi comparans vitam suam cum vita S. Ioannis Baptistæ, ostendit se liberalem vitam agere, & non ita austeram. Colligitur etiam ex eius officio, quod erat omnes homines saluos facere, vnde vitam suam sic debuit temperare, vt omnes eum possent imitari. Dedit tamen exemplum vitæ satis arctè, ante initium suæ prædicationis, ieiunando quadraginta diebus, & noctibus, manendo in deserto, non possidendo aliquid proprij, prædicando, vigilando, orãdo totas noctes, & maximè in passione, & morte sua.

4 Quæres 3. an Christus D. vitam pauperem egerit? Resp. affirmatiuè, non tamen mendicauit; prior pars probatur ex parentum officio, dicebatur namque filius fabri, *Matt.* 13. Et ipse eandem artem apud parentes exercuit, *Marci* 6. Hinc dixit Matt. 8. *Filius hominis non habet vbi caput reclinet.* Et Matt. 17. legitur, quod non habebat vnde vectigal solueret. Tum quia non potuisset commodè perficere officium prædicationis, si in aliquo determinato loco propria bona possedisset, & frustra tradidisset Apostolis regulam seruandam dum irent ad prædicandum. *Matt.* 10. Tum etiam quia sic daret nobis exemplum contemnendi terrenas diuitias, & æstimandi cœlestes. Posterior pars constat, nam Christus D. cum Apostolis suis viuebat ex sponte oblatis, nec legitur, quod miserit Apostolos ad questuandum, vt sic magis vacarent prædicationi, & doctrinæ.

5 Quæres 4. an Christus D. incesserit nudis pedibus, an calceatus, an vtens sandalijs? Aliqui dicunt Christum D. incessisse nudis pedibus, probant ex facto Magdalenæ, quæ aliàs non potuisset lauare pedes illius, nisi extrahendo calceamenta, quod non videtur dicendum. Alij dicunt, quod incessit calceatus, quod probant ex illo S. Ioannis Baptistæ. *Non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius*; ac proinde habuit calceamenta. Communior sententia est; quod aliquando vsus fuerit calceamentis, magis tamen communiter vtebatur sandalijs, vt constat ex illo Marci 6. *Induti tantum sandalijs*, vbi præcipit Apostolis, quod vterentur sandalijs, cum irent ad prædicandum, quod & ipse præstitit.

6 Quæres 5. an Christus D. vouerit paupertatem, vel quid simile? S. Doctor 2.2. *q.*86. *art.*4. dicit, quod ei secundum se non competit vouere, non quia putet eum non esse capacem voti, cum esset capax præcepti; vnde in psal. 21. dicit, quod *Votum Christi fuit vt se daret pro salute fidelium*, sed quia non fuit eadem ipsi ratio vouendi, quæ nobis. Quocirca sicut Christus D. habuit præceptum moriendi pro nobis, ita etiam de eadem re votum emisisse in primo conceptionis instanti, credibile est; & in hunc finem omnes suas actiones votum obtulisse: vouit enim in quantum homo. Hæc autem vota non fuerunt ad firmandam Christi voluntatem in bono, vt fit in nobis, sed partim ad offerendum Deo obsequium, partim vt eius actus essent perfectiores ex obiecto.

Summarium q. 41. de tentatione Christi.

1 IN art. 1. dicit S. Doctor fuisse conueniens, quod Christus D. tentaretur, in qua tentatione principalis finis diaboli erat explorare, an Christus D. esset filius Dei naturalis. In art. 2. docet quod Christus D. debuit tentari in deserto, tamquam in loco solitario. In 3. art. ait; quod Christus conuenienter fuit tentatus post ieiunium, quando esurijt, ex hoc enim accepit diabolus occasionem tentandi; durante namque ieiunio diabolus non tentauit, sed eo finito. In art. 4. dicit quod conuenienti modo peracta est Christi D. tentatio.

2 Quæres 1. an conueniens fuerit Christum D. tentari. Resp. affirmatiuè, 1. quia superato diabolo, non nihil diminueretur vis illius tentandi homines; ne scilicet tam grauiter, vt antea fideles tentaret, neque tentatos tum facile superaret. Magnus Greg. *ho.* 16. *in Euang.* 2. vt ostenderet quod nullus fidelis quantalibet sanctitate præditus, est securus à tentationibus inimici, quinimò nullum acrius tentat diabolus quam sanctos, eo quod ex eorum lapsibus, maiorem gloriam sibi promittit. D. Hilar. *can.* 3. *in Matt.* Propterea oportet esse sollicitos, & cautos *Eccles.* 2. 3. Ad dandum nobis exemplum vincendi tentationes. D. August. *lib.* 4. *de Trinit. cap.* 13. 4. Ad erigendam spem nostrã de diuina misericordia in nostris tentationibus, eo quod ipse redemptor noster similia sustinuerit. Sciendum tamen est, quod tentatio Christi D. solum exterius, non interius fuit, absque vllo prorsus motu inordinato interiori. D. Gregorius *hom.* 16. *in Euangel.*

3 Quæres 2. quomodo diabolus ausus fuit accedere ad tentandum Christum D. Resp. quia eum non cognoscebat, ideo ausus fuit eum tentare, & vsque ad mortem persequi; partim quia ignorabat sacrosanctum incarnationis mysterium, aut saltem de eo dubitabat, quia videbat Christum D. hominũ more viuere, & agere in multis, nec ipsum adeo potentem putabat, vt suum regnum deiceret. Partim, quia licet diabolus sciret nihil sua tentatione profecturum, tamen ex perfida superbia sua, & malitia iniqua, in contemptum Christi D. accedere ad eum voluit, ipsumque tentare Caiet. *q.* 44. *art.* 1. *&* *q.* 47. *art.* 5. post D. Thomam *hic art.* 1.

4 Quæres 3. an debuerit Christus D. tentari in deserto? Resp. affirmatiuè. 1. Quia superato diabolo in deserto, pro omni loco superatus conferetur, desertum namque est locus tentationi aptus propter quietem. 2. Vt ostenderet, quod diabolus vehementer insidiatur vitę perfectiori studentibus, & maximè solitudini. 3. Vt Christus D. sua de diabolo victoria humanum genus in Adam è Paradisi, eiectum in desertum, in cælestem paradisum reduceret. D. Ambros. *lib.* 2. *in Luc. ad illa verba. Ductus est autem, &c.*

5 Quæres 4. quomodo transportatio Christi D. à diabolo facta sit? Aliqui dicunt quod ita facta est, vt videretur per aera, & putaretur Magus à diabolo actus. Communis, & vera opinio est, vt ea transportatio verè facta sit, & non imaginariè, vt frequenter contingere solet strigijs, sed occultato corpore, ne homines viderent, scandalumque præcaueretur. S. Doctor *q.* 41. *art.* 2.

6 Quæres 5. an decuerit Christum tentari post ieiunium, seu in ieiunio, dum esuriret? Resp. affirmatiuè. 1. Vt fideles discerent, quod per ieiunium est diabolo resistendum, eiusque tentationibus. 2. Vt inde etiam discerent diabolum vehementer insidiari bene operantibus, vt eos vel ad vanam gloriam perliceat in bonis operibus, vel vt ab eis absterreat. 3. Vt Christus D. se verum hominem declararet, & latentem diuinitatem diabolo absconderet. Quocirca noluit vltra quadraginta dies ieiunium protrahere exemplo Moysis, & Eliæ parentis nostri. 4. Vt omnibus, & maximè rectoribus, & pastoribus exemplum præberet, quomodo ad sua munia debeant se præparare. Vnde ab Ecclesia vniuersalia ieiunia indicta sunt temporibus ordinationum. 5. Vt daret exemplum jeiunandi, licet non tamdiu, aliquando ta-

tamen absque molesta querela.

7 Quæres 6. an diaboli tentationes fuerint ordinatæ? Resp. affirmatiuè, nam prima tentatio fuit de peccato gulæ, quæ ieiunantibus valde familiaris est, licet leuior. Secunda fuit de superbia, quæ struitur bene operantibus, estque grauior, superatuque difficilior. Tertia fuit auaritiæ, quæ ex superbia procedit, est tamen turpior, & superatu facilior, quæ vincitur repellendo diabolum. Vltra istas tentationes, esse potest, quod alias occultas in deserto sustinuerit, vt amplius pro nobis mereretur.

8 Igitur Christus D. non fuit tentatus interna tentatione, neque per carnem quia fomitem non habebat, neque per suggestionem diaboli, phantasiam commouentis, quia hæc facultas nulla in se recipiebat rerum phantasmata, nisi ex deliberato rationis iudicio, ipsaque neutiquam diabolo subdebatur, vt subditur in nobis. An autem diabolus apparuerit in specie visibili, eaque humana, communis affirmat opinio, ita tamen vt non se declararet an sub ea specie esset Angelus malus an bonus.

Summarium q. 42. de doctrina Christi.

1 IN art. 1. Docet S. Doctor, quod Christus à principio conuenienter prædicauit Iudæis, & non Gentilibus; iuxta illud Matt. 15. *Non summissus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.* In art. 2. probat, quod Christus D. debuit doctrinam suam manifestare, non obstante quorundam Iudæorum offensione, quia salus multitudinis præferenda est paci quorumdam particularium. In 3. art. dicit, quod Christus D. omnia docuit palam, & non in occulto; ille enim in occulto loquitur, qui paucis loquitur cum intensione alios celandi; licet enim Christus D. aliquãdo in occulto loquutus fuerit non tamen cũ intentione celandi alios nec dicebat aliquid diuersum ab eo quod palam loquebatur, & cum intentione, quod alijs manifestaretur. In 4. art. dicit quod non fuit conueniens, quod eius doctrinam scripto traderet.

2 Quæres 1. An Christus D. debuerit prius prædicare Iudæis, quam Gentilibus, Resp. affirmatiuè, promissio namque Christi Iudæis facta erat. Tum quia Iudæi erant Christo propinquiores per fidem, & cultum vnius Dei, iuxta legem Moysis. Cæterum gentiles erant idolatrę. Tum etiã quia vt sic pręcaueret calũnias, & accusationes Iudæorum, quod cum Gentilibus quas ipsi abhorrebant societatem haberet. Demum vt eius doctrina tantò illustrior fieret in vniuerso mundo, dum ea quam superbi, & obstinati Iudæi extinctam cupiuerunt, in toto orbe, cum omnium admiratione, honore, & gratiarum actione susciperetur.

3 Quæres 2. an Christus D. debuerit suam doctrinam scripto tradere. Resp. negatiuè. 1. Quia erat præter eius magisterij dignitatem. 2. Quia tanta est amplitudo doctrinæ Christi, quod non potest tota litteris manifestari, vt sic homines habeant occasionem omni tempore ampliora mysteria inuestigandi, vt nullus gloriatur se totam didicisse, at cessarent ab vberiore profectu. 3. ad præcauẽdam confusionem in Ecclesia, si enim tota Christi doctrina esset litteris comprehensa, omnes vellent eam legere, & à nemine docente audire. 4. Quia in doctrina Christi multa tradũtur subtilia, quę nullis humanæ scientiæ argumentis, nullis litteris possunt demostrari, sed sola fide credi.

Summarium q. 43. de miraculis Christi in generali.

1 IN 1. art. dicit S. Doctor fuisse conuenientissimum, quod Christus D. miracula faceret, & vt suam doctrinam confirmaret; & vt ostenderet, quod Deus singulariter erat in eo. In 2. art. docet quod fecit miracula virtute diuina. In art. 3. ait non fuisse conueniens, quod miracula faceret antequam doceret, non debuit autem docere ante perfectam ętatem. In art. 4. probat, quod miracula per Chri-

Christum D. facta sufficienter ostendunt eius diuinitatem.

2 Quæres 1. an Christus Dom. debuerit patrare miracula. Resp. affirmatiuè, tum propter suæ doctrinæ confirmationem, vnde dicebat Ioan. 10. *Si mihi non vultis credere operibus credite.* Tum ad conciliandam suæ personæ auctoritatem, vt scirent homines ipsum à Deo missum *Ioan.* 5. 10. 14. & 15. Tum vt obstinati Iudæi, alijque increduli non haberent excusationem in die iudicij. *Ioan.* 15. Tum vt adimplerentur prophetarum vaticinia quæ de ipso erant, *Luc.* 7. Tum ad excitandos Gentilium animos, vt citius se accommodarunt doctrinæ ipsius. 1. *Corinth.* 14.

3 Quæres 2. quomodo Christus D. faciebat miracula? Resp. quod tanquam per causam principalem faciebat per diuinitatem, & tamquam per causam instrumentalem, per humanitatem. Orauit autem Christus D. miracula facturus, non necessitate, sed partim vt ostenderet se facere illa potestate diuina, partim vt præberet exemplum orandi, maximè ad res magnas peragendas. D. Tho. *art.* 2.

Summarium q. 44. De singulis miraculorum speciebus.

1 IN 1. artic. docet S. Doctor, quod Christus D. conuenienter fecit miracula circa substantias spirituales, dum spiritus immundos eiciebat. *Matt.* 8. 12. & alibi. In art. 2. dicit, quod Christus D. conuenienter fecit miracula circa corpora cælestia. In art. 3. probat, quod Christus D. conuenienter fecit miracula circa homines, vt sic ostenderet se esse vniuersalem, & spiritualem omnium Saluatorem. In art. 4. dicit, quod Christus D. conuenienter fecit miracula circa creaturas irrationales, vt ostenderet, quod omnis creatura est illi subiecta.

2 Quæres 1. an per eiectionem dæmonum, Christus D. suam diuinam virtutem declarauerit? Resp. affirmatiuè, cum eam faceret eiectionem imperando, quod nemo ausit. Noluit tamen Christus D. à dæmonibus manifestari, laudarique vt doceret nos, quod à dæmonibus occultorum cognitio nō est petenda, quia mendaces sunt, semperque decipere student. Tum quia indignum est sanctum laudari à malignis, immundisque spiritibus.

3 Quæres 2. quare Deus permittat homines, & bestias à dæmonibus vexari. Resp. permittere primò, vt absterreantur ab illorum consortio; secundò vt abstineamus à peccatis, quæ tam atrocem pænam merentur. Tertiò, vt ex eorum eiectione cognoscamus Dei benignitatem, & potentiam, qui volentem nocere diabolum facile cohibet, & non finit eum nocere pro libito. S. Doctor *art.* 1.

4 Quæres 3. an miraculum tenebrarum in die passionis, sit rectè factum? Respond. affirmatiuè; tum propter ostensionem diuinitatis Christi D. ex eo, quod habet potestatem immutandi corpora cælestia. Tum etiam propter honorem Christi, qui cum despectus penderet in cruce, glorificatur per miraculum factum in cælis. Hæc autem solis obscuratio facta est, vel ex eo, quod Deus eius radios retraheret, vel quod Deus densas nubes interponeret, vel quia Lunam ab Oriente in Occidentem miraculosè reduceret, vt fieret eclypsis solis. Vnde illa solis eclypsis fuit miraculosa, tum quia erat plenilunium, quo tempore non potest naturaliter fieri Eclypsis solis. Tum quia erat vniuersalis, & per totum mundum. Vnde licet aliqui astrologi gentiles eam non obseruauerint, ideo fuit quia nō erat tempus eclypseos, ac proinde non solicitabantur de ea obseruanda. Propter durationem autem illam tenebrarum dicendum est, vel quod Sol, & Luna permanserint immota, vel potius, quod Luna cursum suum soli accommodauerit, quod facilius est, cum inducat mutationem in solo orbe Lunæ, & miracula non sint sine necessitate multiplicanda.

5 Quæres 4. quænam miracula fecerit Christus D. erga homines? Resp. varia fuisse. 1. Conuersiones Apostolorum, Conuersio Magdalenæ, Zachæi, aliorumque Publi-

Publicanorum, & peccatorum, solo verbo facta. Illuminatio, subita erudito rudium, & simplicium, in maximis mysterijs, &c. & hæc circa animas. Circa corpora, cæcos illuminauit, claudos erexit, aliosque infirmos quoslibet sanauit, mortuos suscitauit, &c.

6 Quæres 5. quænam miracula fecit Christus D. circa creaturas irrationales? Resp. quod sequentia sunt notata ab Euangelistis. 1. Captio piscis per Petrum, in cuius ore inuenit staterem. *Matt.* 17. 2. Captio piscium. *Ioan. vlt.* 3. Imperium ventis, & mari, eorumque obedientia. *Matt.* 8. 4. Scissio petræ, terremotus, apertio sepulchrorum in passione, & morte Christi D. *Matt.* 27. 5. Multiplicatio panum, & piscium. *Marci* 6. *Luc.* 9. *Ioan.* 6. 6. Arefactio ficulneæ. *Mar.* 11. &c.

Summarium qu. 45. de transfiguratione Christi.

1 IN 1. art. dicit fuisse conueniens, quod Christus D. transfiguraretur. In 2. art. tradit, quod claritas corporis Christi D. fuit claritas gloriæ, idest, qualis erit in corporibus gloriosis post resurrectionem, quæ deriuabit à claritate animæ gloriosæ. In art. 3. dicit, quod conuenienter inducti sunt testes transfigurationis, scilicet Apostoli, Moyses namque, & Elias non ideo inducti sunt vt essent testes, vt de ea testificarentur, sed vt Apostoli testificarentur quod transfiguratio habuit testimonium ex lege, & prophetis. In art. 4. dicit, quod vox Patris fuit conuenienter audita.

2 Quæres 1. an transfiguratio fuerit conuenienter facta? Resp. affirmatiuè 1. Vt præuenirentur Apostoli scandali passionis, & mortis. 2. Vt eosdē consolaretur, & confortaret contra persecutionum, ac tribulationum impatientiam, spe futuræ gloriæ, cuius aliquam similitudinem iam in ipso præuidissent. Dicitur autem transfiguratio, non transformatio, quia nihil mutatum est in Christo, sed tantum splēdor additus fuit faciei illius, & vestibus. Facta est autem hæc transfiguratio virtute diuina, & beatitudinis animæ Christi D. sicut fiet in beatitudine vbi corporum gloria deriuabitur à beatitudine animæ. Interest autem inter transfigurationem, & gloriam corporis Christi quam habuit post resurrectionem, quod illa fuit momentanea, transiens, ac miraculosa. Hæc autem stabilis, continua, & quodammodo naturalis, consequens quodam connaturalitate ex gloria animæ.

3 Quæres 2. quomodo illi tres Apostoli potuerint videre eam transfigurationem? Resp. quod Apostoli præsentes viderunt eam transfiguratione oculis corporeis virtute diuinæ operationis, aliàs eam videre non potuissent. Ex quo sequitur quod non fuit visio imaginaria, nec similitudinaria dumtaxat, sed vera, & realis, æqualis gloriæ corporis in essentia, sed non in modo, cum fuerit transiens, & momentanea.

4 Quæres 3. an rectè adhibi sint testes? Resp. quod Moyses, & Elias rectè adhibiti sunt, vt ostenderetur, quod Christus D. alius esset Doctor, quàm Moyses, & Elias, & quod ipsis non aduersabatur, vt Iudæi calumniabantur, sed ipsos tanquam legis antesignanos, ferre testimonium suæ doctrinæ. Deinde manifestauit suam potentiam, quod eos adduxerit. Eliam ex longinquo loco, scilicet ex Paradiso terrestri; Moysen ex limbo, vel eum resuscitando, vel quod verius est, formato ex aere corpore. Hi duo propter crebres persecutiones quas à Iudæis passi fuerant, futuram Christi passionem præfigurarunt. Quod autem illi solum tres Apostoli fuerint in testes adhibiti, ideo est, quod notabat hoc mysterium publicari ante passionem, & illi tres erant sufficientes ad eam transfigurationem testificandam, & manifestandam.

5 Quæres 4. an rectè vox Patris fuerit audita? Resp. affirmatiuè. 1. Vt tolleretur omnis suspicio de persona Christi, deque eius dignitate, & de eius doctrinæ veritate. 2. Vt per repetitionem vocis, quæ in baptismo audita fuit, significaretur duplex credentium filiatio: vnà adoptionis per gratiam baptismalem; alia acqui-

acquisitionis hæreditatis, quæ erit in gloria. Communiter autem tenetur, quod hæc transfiguratio facta sit in vertice Mõtis Thaboris; iuxta illud. *Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt*.

Summarium q. 46. de passione Christi.

1 IN 1. art. docet S. Doctor fuisse necessarium Christum pati pro liberatione generis humani, non simpliciter, & absolutè, sed ex suppositione finis, & diuinæ præordinationis. In art. 2. & 3. docet possibilem fuisse alium liberationis nostræ modum, sed hunc fuisse conuenientissimum. In art. 4. dicit fuisse conuenientissimum Christum D. pati per crucem, cum nihil esset inter omnia mortis genera execrabilis, & formidolosius, tum propter ignominiam, tum propter dolorem. In art. 5. dicit, quod Christus D. non sustinuit omnes passiones quantum ad species, cum eorum quædam inter se pugnent; omnes tamen sustinuit quantum ad genus. In art. 6. docet, quod dolor passionis Christi fuit maior omni dolore præsentis vitæ. In art. 7. ostendit, quod Christus D. passus est secundum totam animam, & secundum totas potentias eius. In art. 8. docet, quod si essentiam spectemus, tota anima beatitudine fruebatur, non tamen si potentias. In art. 9. erit Christum D. conuenienti tempore passum. In art. 10. dicit, quod etiam conuenienti loco passus est. In art. 11. dicit, quod ex parte diuinæ ordinationis conueniens fuit Christum D. crucifigi cum latronibus. In art. 12. ait, quod non est dicendum, quod diuinitas sit passa.

2 Quæres 1. qua ratione conueniens fuit, quod Christus D. pateretur? Resp. vt complerentur dicta Prophetarum; deinde vt Deus sic notas faceret diuinitas misericordiæ, iustitiæ, & sapientiæ suæ. Vt humanus genus redimeretur ex toto rigore iustitiæ. Vt ostenderetur summa Christi D. humilitas, patientia, summa omnium virtutum perfectio. Vt studia vitæ perfectioris non abhorreamus, rerum abdicationem, egestatem, hominum derisum, & contemptum, imò & mortem turpissimam pro amore nostri Creatoris. Ex hoc mysterio excitamur ad maximam gratiarum actionem, pro tam magna diuinæ clementiæ benignitate. Ex hoc mysterio prouocamur ad omnem humilitatem, patientiam, mansuetudinem, ignoscentiam, charitatem, obedientiam, &c.

3 Quæres 2. an fuerit conueniens Dei Filium cruci affigi, in eaque mori? Resp. affirmatiuè. 1. Vt hoc genere mortis maximam pro nobis subiret pœnam, ideoque maximam satisfactionem, & maximum meritum pro nobis compararet. 2. Vt nos non abhorreamus crudelem mortem pro ipso. 3. Vt pœna correspondêret culpæ, vt is qui per lignum vicit, per lignum quoque vinceretur. 4. Vt Christus in cruce exaltatus sanctificaret terram; sicut per baptismum sanctificauit aquam, & per gressum, terram. 5. Vt nos ad se traheret.

4 Quæres 3. an Christus D. sustinuerit omne genus passionum? Resp. affirmatiuè, quia passus est ab omnium hominum statibus, nemque à Gentilibus, & Iudæis, à maioribus, & fæminis; à regibus, principibus, & plebeis; à familiaribus, & notis. Deinde in omnibus varijs afflictionibus, nam derelictus fuit ab amicis; sustinuit læsionem famæ per opprobria, & blasphemias; diminutionem honoris per irrisiones, & despectus, & calumniasque; spoliatus est vestibus, nudusque suspensus. In anima sustinuit tristitiam, timorem, & tædium. Passus est in omnibus membris, in capite spineam coronam; in manibus, & pedibus fixuras clauorum: in vultu sputa, & alaphas, in corpore toto flagella. Passus est in visu videndo afflictissimam Matrem, in auditu, audiendo blasphemias, & irrisiones. In olfactu fætorem loci vbi crucifixus est; in gustu potum fellis, & aceti; in tactu flagella, & fixuras clauorum.

5 Quæres 4. quomodo passiones Christi D. differant à passionibus aliorum hominum? Resp. differre origine, affectis, & modo patiendi. Origine, quia nostræ passiones sunt pœnæ peccatorum,

at

at Christi passiones fuerunt voluntariæ assumptæ pro conditione humanæ naturæ. Differunt effectis, quia nostræ passiones mentem perturbant,& rationis iudicium, non facile admittunt; non sic passiones Christi, quia tranquillo animo,& recto rationis iudicio fuerunt assumptæ. Differunt in modo patiẽdi, quia nos passiones admittimus timentes, atque trementes,& quandoq. inuiti;non sic Christus D.

6 Quæres 5. an Christi dolor fuerit maior omnibus doloribus huius vitæ? Resp. affirmatiuè,in corpore sustinuit dolores vehementissimos ob eiusdem corporis perfectissimam temperiem, ad quã nullus hominum perueniet. In anima excitabant dolorem, & tristitiam vehementem multitudo nostrorum peccatorum: Iudæorum, aliorumque in ipsius morte delinquentium obstinatio, & perditio. Scandalum, & fuga Apostolorum: Petri negatio: Iudæ desperatio: animæ à corpore separatio, &c.

Summarium q. 47. de causa efficiente passionis Christi.

1 IN art. 1. docet S. D. Christum non à se, sed ab alijs fuisse passum, & vccisum,vnde mors eius fuit naturalis, & non miraculosa. In 2. ar. dicit Christum D. ex obedientia mortuum, ex mandato scilicet Patris. In ar. 3. fit Christum D. tribus modis à Patre traditum. In art. 4. declarat fuisse conueniens Christum pati à Gentilibus. In art. 5. dicit, quod quidam eius persecutores cognouerunt ipsum esse Messiam in lege promissum. In art. 6. ostendit, peccatum crucifigentium fuisse grauissimum.

2 Quæres 1. an Christus D. fuerit causa suæ passionis,& mortis, an solum Iudæi? Resp. quod quantum ad Iudæos certum est fuisse causam directam mortis Christi D.constat ex historia Euangelica. Quantum ad Christum D. etiam certum ęst, quod non fuerit directa suę mortis causa. Potest tamen dici causa indirecta. ad istum sensum,quod potuisset, si voluisset eum impedire, tum aduersarios repellendo,aut solo verbo prostrando, aut occidendo: tum carnem suã confortando vt nullam læsionem vel admitteret, vel sentiret: tum è manibus capientium elabendo. S. Doctor *hic ar.* 1. Ex quo sequitur, quod passio Christi fuit partim voluntaria, partim inuoluntaria, naturalis, violenta, miraculosa. Voluntaria fuit voluntate, tum diuina,tũ humana. Inuoluntaria secundum voluntatem naturalem inferiorem, qua tristatus est, & horruit mortem. Naturalis, quatenus ex tot plagis anima debebat à corpore separari. Violenta, quia plagæ ab hostibus violenter inflictę sunt. Miraculosa, quod magno clamore emisit spiritum. Quo autem se ipsum morti exponit ob commune bonum non est sui homicida. Christus D. exposuit vitam propriam pro salute totius generis humani.

3 Quæres 2. quomodo Pater Cælestis tradiderit eius filium in mortem? Resp. quod vel inspirando Christo D. promptam moriendi, patiendiq. voluntatem, quam præuidit. Isaias 53.dicens. *Oblatus est, quia voluit.* Vel non liberãdo eum à manibus inimicorum cũ posset,ob idque quærebatur Christus D. in cruce dicẽs. *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Vel quia nemo alius poterat perfecta, rigorosaque satisfactione genus humanum redimere. Vel denique ne quis alius haberet laudem redemptionis hominum nisi ipse creator iuxta illud *Isaiæ 42. Gloriam meam alteri non dabo*. Dicitur etiam Christus D. se ipsum in mortẽ tradidisse, tum quatenus Deus: tum quatenus homo propter consensum spontaneum, neque tamen directè se tradidit Iudæis occidendum, sed sui occisionem permisit.

4 Quæres 3. an fuerit conueniens, quod Christus D. pateretur à Gẽtilibus? Resp. affirmatiuè, pro quo nota, quod omnia quæ passus est Christus post traditionem in prætorium Pilati, passus est à Gẽtilibus:hi erant ipse Pilatus, & cohors

militum. At quæ passus est in horto dum caperetur, duceretúrque ad Annam, & Caipham, vbi tota illa nocte derisus fuit, passus est à Iudæis. Sicut ergo Iudæi primò Christum D. habuerunt in sua potestate, & tradiderunt eum Gentilibus crucifigendum, ita fides, atque religio primò per Christum, & Apostolos tradita est Iudæis, postea Gentilibus. Cæterum, cum Iudæi eam respuerent, tradita est Gentilibus, quæ secundo loco Christum affixerunt.

5 Quæres 4. quomodo Iudæi dixerunt, *nobis non licet occidere quanquam*, cum reos lapidarent, & occiderent? Resp. vel intelligendum est tempore Paschæ, ne tunc contaminarentur. Vel in intelligẽdum est de genere mortis, quod in ignominiam Christi animo conciperent, scilicet crucis. Vnde tunc temporis Gentes crucifigebant, & Iudæi solum lapidabant.

6 Quæres 5. an peccatum crucifigẽtium Christum D. fuerit grauissimum? Resp. affirmatiuè. 1. quia fuit occisio innocentis, & suam innocentiam sufficienter ostendentis. 2. quia erat filius Dei, & hoc sufficienter demonstrauerat per varia miracula, & prodigia. Non tamen omnes eodem modo peccauerunt, sed alij grauius alijs, quatenus Christi innocentiam, sanctitatem, dignitatem veriùs cognouerunt. Ob id grauius peccauit Iudas proditor, quam Principes Iudæorũ; ex hi grauius quam populus, & grauius is quam Pilatus, eiusque ministri, qui erant Gentiles, &c.

Summarium q. 48. de modo efficientiæ passionis Christi.

1 IN 1. art. docet S. Doctor, quod passio Christi causauit nostram salutem per modum meriti, quia Christus D. habebat gratiam vt caput, ideo non sibi tantum merebatur, sed etiã nobis. In 2. art. probat quod passio Christi causauit nostram salutem per modum satisfactionis. In art. 3. dicit quod passio Christi fuit verum sacrificium. In art. 4. docet Christum D. sua passione nos redimisse. In art. 5. ostendit, quod esse redemptorem sit proprium Christi D. vt homo est, quia homo vitam, & sanguinẽ dedit, licet principium valoris, esset ex Deo. In art. 6. dicit, quod passio Christi efficienter causauit nostram salutem.

2 Quæres 1. an Christus D. sua passione meruerit nobis nostram salutem? Resp. affirmatiuè, eius namque passio fuit velut terminus, & consumatio omnis eius meriti, ad quam velut ad suo primo omnium suarum actionum merita retulit. Vnde dixit *Consumatum est*. Quia licet meruerit in primo suæ conceptionis instanti, & deinde per singulas eius actiones, tamen voluit totum opus perficere per passionem, & mortem.

3 Quæres 2. an Christus D. sua morte pro nobis satisfecerit? Resp. affirmatiuè, satisfacere namque est reddere æquale, Christus autem sua passione abundanter satisfecit, seu reddidit æquale nostris peccatis. Sed pro quo debito satisfecit? Nota plura esse debita, scilicet obedientiæ subditi erga superiorem. Debitum beneficiati erga benefactorem; debitum mercedis erga bene operantẽ; debitum contractu paciscentium; debitum restitutionis propter res ablatas & debitum satisfactionis, seu reconciliationis pro iniuria, seu offensa illata. Christus D. potissimè satisfecit pro vltimis duobus debitis.

Summarium q. 49. de effectibus passionis Christi.

3 IN 1. art. docet S. Doctor, nos esse à peccato liberatos per Christi D. passionem. In ar. 2. dicit, quod Christus D. nos liberauit sua passione à potestate diaboli. In art. 3. ait nos etiam esse liberatos à pœna peccati. In art. 4. nos docet esse liberatos per Christi passionem sublatis peccatorum immunditijs, Deoque reconciliatos. In art. 4. dicit Christum D. sua passione nobis cœli ianuam aperuisse. In art. 5. dicit Christũ D. sua passione meruisse exaltari.

2 Quæ-

2 Quæres 1. an passio Christi sit causa remissionum peccatorum? Resp. affirmatiuè, habetur *Rom.6. Coloss.* 2. *Ioan.*2. *Apocal.*1. Et alibi frequenter. Pro quo nota, quod ad peccatorum remissionem duæ causę requiruntur, vna efficiens, formalis, alia efficiens principalis, est Deus, instrumentalis coniuncta, est Christi humanitas; formalis, est gratia, qua anima purgatur ab omni macula peccati mortalis, & ornatur virtutibus, vt fiat grata Deo, atque adeo ei reconcilietur. Hanc gratiam meruit nobis Christus Dom. sua passione. Hanc peccatorum remissionem per gratiam fecit Christus D. in Patribus veteris legis; modo alibi explicato, qua ratione dicitur agnus occisus ab origine mundi.

3 Quæres 2. an Christus D. sua passione liberauerit nos à potestate diaboli? Resp. affirmatiuè, *Ioan.* 12. Pro quo nota quod tribus modis homo erat sub potestate Diaboli. Primò quia vicerat eum in peccato, etsi dolosè. 2. quia Deus eu reliquit in eius seruitute propter peccatum. 3. quia diabolus eum malitia sua impediebat à salute consequenda. Christus ergo D. meruit per suam passionem nostrorum peccatorum remissionem; ac proinde liberationem à potestate diaboli. Tum quia diabolus Christo D. innocenti per suos ministros perfidosque Iudæos, violenter intulit mortem, ideo ius omne, quod in homines habebat, amisit, & illud Christo iure cedere debuit. Ad *Coloss.* 2. Quocirca licet etiam nunc diabolus infestus sit hominibus, tamen fideles arma habent in parato, quibus illi resistere possint; & tandem in inferno à Christo D. detrudetur, vt porrò eis molestus esse non possit. S. Doctor *art.* 2.

Summarium q. 50. de morte Christi.

1 IN 1. art. docet S. Doctor, quod Christus D. conueniēter mortuus est, vt pro nobis satisfaceret, qui morti adiudicati eramus propter peccata, & etiam vt veritatem ostenderet humanæ naturæ. In 2. art. tradit diuinitatem non fuisse in morte Christi separatam à corpore, quia id quod conuenit corpori post mortem, dicitur de Filio Dei, vt esse sepultum, quod verificari non posset nisi ratione vnionis hypostaticæ. In 3. art. dicit, quod diuinitas non fuit ab anima separata, quia quod conuenit animæ separatæ, conuenit filio Dei, vt quod descenderit ad inferos. In 4. art. dicit, quod Christus D. in triduo mortis non fuit homo. In art. 5. docet, quod corpus Christi viuum, & mortuum fuit idem numero simpliciter, non tamen omnino, & totaliter, quia licet fuerit idem supposito, amittit tamen aliquid pertinens ad essentiam corporis viui, scilicet vitam. In art. 6. docet mortem Christi in facto esse non esse causam nostræ salutis per modum meriti, sed per modum efficientiæ.

2 Quæres 1. an conueniens fuerit, vt Christus moreretur? Resp. affirmatiuè, 1. vt sua morte genus humanum à peccatis liberaret, & à morte æterna inquam inciderat per peccatum. 2. Vt se verum hominem ostenderet, contra hæreticos. 3. Vt sua morte præferret exemplum mortis spiritualis peccatorum, prauorumque effectuum. 4. Vt à morte resurgendo potentiam suam notam faceret, & pro nobis in resurrectionis aliquando futuræ spem firmaret. 1. *Cor.* 15.

3 Quæres 2. an in morte Christi, diuinitas sit separata à carne, & ab anima? Resp. negatiuè. Non à carne, ex enunciatis veris de Christo, dicitur enim, *Deus est passus, Deus est mortuus*, *Deus est sepultus*. Potuisset autem diuinitas suum corpus sine anima viuificare, sed non cōueniebat, proinde non dicebatur in sepulchro filius Dei, quia filiatio est totius, nō partium. S. Doctor *art.* 2. Non ab anima, quia mors est separatio animæ à corpore non diuinitatis à partibus assumptis. D. Thomas *art.* 3.

4 Quęres 3. an Christus in triduo fuerit homo? Resp. quod non fuit simpliciter homo, sed homo mortuus. Primum patet, quia homo simpliciter, est ani-

animal viuum habens animam, & corpus, quod tunc non erat. Secundum etiã patet, ex communi modo loquẽdi, dum mortuos vocant suis nominibus, dicentes Petrus v. g. mortuus est: Ioannes mortuus est, &c. Per Synecdochem potest dici, quod Christus est in sepulchro: Christus est apud inferos, &c. sicut dicimus. Petrus est in cœlo, cum in eo sola ipsius anima sit. Deinde quando Christus resurrexit dici poterit Christus denuò factus est homo, non tamen quod denuò sit incarnatus, vt patet.

5 Quæres 4. an corpus Christi viuum, & mortuum sint idem numero? Resp. affirmatiuè. 1. veritate suppositi, quia persona Verbi diuini tam fuit vnita corpori mortuum, ac viuo. 2. Vnitate materiæ, nam eadem quæ erat in genito, manet incorrupto licet forma mutetur: manet eadem sigillatio non solum moraliter, sed etiam physicè ad formam præhabitam; hæc namque portio materiæ respicit totam hanc collectionem formarum successiuè habendarum. Quo cum stat, quod corpus mortuum non sit idem totaliter cum corpore viuo, cum careat vita, quæ est vltima corporis hominis perfectio. Hinc corpus mortuum dicitur corpus corruptum, seu mortuum. Vulnus lateris quia post mortem inflictũ fuit, non habuit rationem meriti, nisi quatenus Christus D. ante passionem, se ad illud, sicut ad alia, voluntariè obtulit. Idẽ dicendum de morte in facto esse, nisi ratione diuinitatis ob quam effectiuè operatur ad nostram salutem.

Summarium q. 51. de sepoltura Christi.

1 IN art. 1. & 2. Docet S. Doctor decuisse Christum sepeliri, & quod conuenienti modo fuerit hoc factum. In 3. articulo dicit non decuisse, quod corpus Christi resolueretur in cineres, quod factum fuisset nisi miraculum incorruptionis intercessisset. In art. 4. dicit quod Christus D. fuit vna die, & duabus noctibus in sepulchro, quia hoc tempus sufficiens fuit ad ostendendam veritatem mortis illius.

2 Quæres 1. an fuerit conueniens Christum D. sepeliri? Resp. affirmatiuè, tum ad ostensionem veræ mortis, & veri hominis. Tum ad ostensionem veræ resurrectionis miraculosæ. Tum ad præferendum exemplum sepulturæ spiritualis. *Rom. 6.* quod imitantur veri Religiosi, & Monastici vtriusque sexus. Hæc Christi sepoltura fuit gloriosa *Isa.* 11. ad confusionem hostium, qui ipsum viuentem contempserant. Ad præferendum exemplum honestæ sepulturæ sanctorum, quia pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum eius. Ad commendandam pietatem suorum credentium.

3 Quæres 2. an consentaneum fuerit, quod Christi corpus maneret incorruptum? Resp. affirmatiuè, tum propter innocentiam, & dignitatem Christi D. Tum quia eius corruptio nihil proficiebat ad nostram salutem, sed potius eiusdem incorruptio, vt de corporum nostrorum instauratione, fidem, ac spem conciperemus, licet corrumpãtur. Deo namque perinde facile est corpus corruptum instaurare, ac illud à corruptione conseruare.

Summarium q. 52. De descensu Christi ad inferos.

1 IN artic. 1. docet S. Doctor, quod Christus D. conuenienter descendit ad inferos. In art. 2. dicit Christum D. non descendisse ad infernum damnatorum, secundum realem præsentiam, sed solum secundum effectum, non quo eos à damnatione liberaret, sed quo eos de sua incredulitate argueret. In art. 3. declarat an totus Christus descendit ad inferos. In art. 4. dicit, quod Christus D. moram traxit in inferno vsque ad resurrectionem. In art. 5. dicit, quod Christus descendens ad inferos liberauit Sanctos Patres ibi detentos, primò quidam claram diuinitatis visionem eis exhibendo, postea à loco inferni educendo. In art. 6. ait Christum D. neminem damnatorum ex inferno liberasse. In art. 7. tradit,

dit, non liberasse pueros qui cum solo originali mortui sunt. In art. 8. docet, quod neque omnes animas in Purgatorio tunc existentes liberauit.

2 Quæres 1. an fuerit conueniens, quod Christus D. descenderet ad inferos? Resp. affirmatiuè, vt suo descensu fideles suos à descensu ad inferos liberaret. Vt vinto diabolo, spolia auferret ab eo, scilicet Sanctos Patres, Patriarchas, Prophetas, cœterosque Sanctos, ante Christi D. passionem, & mortem, defunctos, quos resurgens, & ascendens, secum duxit in triumphum. Vt potentiam, & maiestatem suam, etiam apud inferos, visitando, & illustrando, testatum faceret. Et sic omne genu flecteretur in nomine Iesu, cœlestium, terrestrium, & infernorum.

3 Quæres 2. an descenderit reali præsentia ad infernum damnatorum? Resp. negatiuè, non enim decebat Christus D. eo descendere, cum sine præsentia reali, sed sola virtute potuerit ibi efficere quod volebat, maximè diminuendo eorum potestatem in homines. Vnde ex limbo Patrum terrorē incussit Dæmonibus, eorumque malitiam redarguit, sicut & damnatorum incredulitatem.

4 Quæres 3. an Christus D. liberauerit existentes in Purgatorio? Res. quod Christus D. suas satisfactiones, & merita non impertit nisi per media, & iusta hominum dispositionem, qui in Purgatorio suas pœnas exoluerant, eos simul cum Patribus adduxit. Credibile tamen est, quod in Purgatorio existentibus aliquid pœnarum clementer condonauerit, sic enim solent Principes cum ad aliquam Ciuitatem primò veniunt.

Summarium q. 53. de resurrectione Christi.

1 IN 1. art. docet S. Doctor, fuisse necessarium ex suppositione, quod Christus resurgeret. In art. 2. dicit, quod conuenienter Christus D. resurrexit tertia die, quia per hanc moram sufficienter ostenditur veritas mortis eius. In art. 3. dicit, quod Christus primus omnium resurrexit resurrectione perfecta, quæ scilicet est ad vitam immortalem, quia dona gloriæ prius debuerint cōmunicari Christo, quàm alijs. In art. 4. ostendit, quod Christus vt Deus fuit causa principalis suę resurrectionis, at in quantum homo fuit causa instrumentalis.

2 Quæres 1. an fuerit conueniens Christum D. resurgere? Resp. affirmatiuè, tum propter commendationem diuinæ iustitiæ, quæ multa passos tam gloriosè remunerat. Tum ad confirmandam Christi D. diuinitatem. Si enim non resurrexisset, non fuisset creditus Dei, & sic omnis fides, & spes in eum fuisset inanis, vt arguit Apostolus 1. *Cor.* 15. Tum ad confirmandam fidem, & spem nostræ futuræ resurrectionis. 1. *Cor.* 15. & *Iob* 19. Tum propter exemplum spiritualis resurrectionis. *Rom.* 8.

3 Quæres 2. quare Christus D. resurgere voluerit die Dominico? Resp. eo quod ea die lux creata sit, quæ fuit initiū temporis; & sic Christus D. tunc resurgere voluit, vt significaret, quod per ipsum omnia innouanda sunt; quod est lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Tertia autem die resurrexit, propter tres hominum status; vel propter tria Ecclesiæ tempora, ante legem, post legem, & statum gratiæ.

Summarium qu. 54. de qualitate Christi resurgentis.

1 IN art. 1. docet S. Doctor, quod Christus D. post resurrectionem habuit illud ipsum corpus, quod habebat prius. In art. 2. dicit, quod corpus Christi fuit integrum, idest cum omnibus quæ pertinent ad corporis humani integritatem. In art. 3. dicit, quod corpus D. resurrexit gloriosum, & incorruptibile. In art. 4. probat, quod corpus Christi D. resurrexit cum cicatricibus manuum, pedum, & lateris.

2 Quæres 1. an Christus D. assumpserit totum sanguinem. Resp. quod assumpsit totum sanguinem naturalem, seu substantialem, cui diuinitas tandiu mansit vnita, donec assumeretur. Sanguinem ta-

tamen nutrimentalem non totum assumpsit, cùm non informetur anima rationali, nec sit diuinitati vnitus, si tamen aliquę huius sanguinis guttæ alicubi reperirentur, deberent adorari latria, saltem ratione contractus, aut ratione repræsentationis passionis, & mortis Christi. De cęteris humoribus corporis humani, Christus D. reassumpsit quot quot congruebant corpori glorioso. Particulam pręputij abscissam, si non reassumpsit, aliam sibi fecit ex materia quapiam. S. Doctor *art.* 2. vel dicas nõ esse incongruum quod minima sui corporis parte careat, non necessaria ad corporis intregritatem.

3 Quæres 2. an Christus D. debuerit retinere cicatrices manuum, pedum, & lateris, Resp. affirmatiuè, tum vt omnes videant, quanta ipse Christus pro nobis passus sit. Tum vt confirmaret fidem resurrectionis in cordis discipulorum, aliorumque credentium, Tum vt cœlesti Patri, mortis suæ genus, quod nostri causa sustinuit sic pręsentans cõtinuè, magis placabilem eũ magis nobis redderet & sic pęnas à nobis auerteret. Tum vt omnes fideles immẽsę suę erga ipsos dilectionis, semper cõmonefaceret, & ad mutuã dilectionem, pariter, & obedientiam mandatorum suorum excitaret, atque accenderet. Demum vt omnes suos hostes, maximè in die nouissimo confunderet, iuxta illud Io. 19. ex Zach. 12. *videbunt in quẽ propungerũt.* Nõ desunt ex recẽtioribus, qui dicũt Christum D. non solum retinuisse cicatrices vulnerum, sed ipsasmet scissuras cutis, & carnis in corpore suo glorioso, sic vt S. Thomas Apostolus digitos suos in eas miserit. Ioannis 20. Sunt tamen sic aperta Christi D. vulnera splendentia, & lucida, vt in extremo iudicio ab omnibus videri possint.

Summarium qu. 55. de manifestatione resurrectionis.

1 IN 1. art. docet S. Doctor, quod non fuit conueniens, quod Christus D. resurrectio manifestaretur omni populo, promiscuè se omnibus exhibendo. In 2. art. dicit non fuisse conueniens, quod discipuli viderent Christum resurgentem. In 3. art. ait non fuisse conueniens, quod Christus post resurrectionem continuè conuersaretur cum discipulis. In art. 4. tradit Christum D. conuenienter apparuisse in alia effigie, non quam in se susceperit, sed quæ in oculis intuentium formata fuit, vt Ortolani, & peregrini. In art. 5. probat Christum D. conuenienter declarasse suam resurrectionem varijs argumentis, seu signis. In art. 6. docet quod argumenta à Christo adhibita sufficienter manifestarunt ipsius resurrectionem.

2 Quæres 1. quibus Christus D. prius apparuerit post resurrectionem? De hac re duas inuenio sententias. Prima est, quod primò apparuerit Matri, decebat enim Filium honorare Matrem præ cœteris. Et sic tenet D. Ambrosius lib. 3. de virginit. dicens. *Vidit Maria resurectionem, & prima vidit, & credidit.* Idem tradit S. Ansel. *lib. de excell. virgin. cap.* 6. Sedulius *lib.* 4. *carminum operis Pascalis.* & alij. Secunda sententia est, quod Christus D. prius apparuerit Magdalenæ. Sic enim dicit S. Marcus. *surgens mane prima sabata apparuit primò Mariæ Magdalenæ.* Et Petrus Blesensis Epist. 50. dicit. *Christus resurgens à mortuis non suæ Matri Virgini benedictæ sed Mariæ peccatricis de qua septem eiecerat demonia, prius dignatus est apparere, vt puto.* Cæterum istæ sententiæ facile concordari possunt dicendo, quod prius apparuit Matri, sed non ad testificandum, Matris enim testimonium pro Filio, non multum æstimatur. At Magdalenæ prius apparuit ad testificandum, & manifestandum.

3 Quæres 2. an custodes sepulchri viderint Christum resurgentem? Resp. negatiuè, si enim milites sepulchri custodes vidissent Christum resurgentem, non diceret S. Marcus, quod primò apparuerit Magdalenæ. Deinde Milites non sunt exterriti ex Christi resurrectione, sed ex Angelo descendente, terram concutiente, lapidem reuoluente, ad ostendendum mulieribus sepulchrum vacuum, post Christi

Dom.

D. resurrectionem.

4 Quæres 3. quot vicibus Christus D. post resurrectionem apparuerit? Respond. quod primo apparuerit Matri, vt diximus *nu.*2. Secundò Magdalenæ, *Marci vlt.* & *Ioan.*20. Tertiò mulieribus à sepulchro regredientibus. *Matt.*26. Quartò Petro. Quintò discipulis in Emaus euntibus. Sextò alijs discipulis ianuis clausis. *Luc.*24. & *Ioan.*20. Septimò discipulis cum quibus erat etiam Thomas. *Ioan.* 20. Octauò iterum discipulis, *Ioan.*21. vbi vocat eam tertiam manifestationem, scilicet discipulis factam. Nonò, in monte Galilcæ. *Matt.* 28. Decimò *Marci vlt.* recumbentibus in domo, Ierosolymæ. Vndecimò in die ascensionis in Monte Oliueti, in cuius latere sita erat Bethania *Luc.*24. & *art.*1.

5 Quæres 4. quomodo permissæ sunt mulieres tenere pedes Christi, qui prius Magdalenæ dixerat. *Noli me tangere.* Resp. sensum litteralem esse, *noli me tangere*, idest vade citò ferre nuntium resurrectionis meæ ad Apostolos; ne moreris hic in me tangendo, satis adhuc tempus tibi erit; nondum enim ascendi ad Patrem meum, idest, non decreui citò ascendere. Mulieribus autem inter quas probabile est fuisse Magdalenam tactum sui permisit, sed non sunt in eo moratæ, sicut Magdalena sola volebat prius immorari, osculando, amplexando, rigando, secundum quod amore flagrabat, & secundum quod antea consueuerat familiariter tangere, osculari, amplecti.

6 Quæres 5. an Christi D. signa quibus se ipsum Thomæ manifestauit fuerint certa, vt ab Angelis ostendi non possint in assumptis corporibus? Resp. affirmatiuè. Nam Angeli non possunt qualitates tangibiles, soliditatem, & molitiem, duritiem officium, rigorem neruorum, teporem, caloremque vitalem sic inducere, & temperare, quin si attentè explorentur sensu tactus facile deprehendantur, non esse temperamentum humani corporis, vt obseruat Caiet. 2.2. *q.*95. *art.*3. Tum quia, quæ per Angelos fieri possunt, Christus D. adhibuit, non quomodocumque, sed affirmans se esse illum qui prius fuerat mortuus, quod nec dicere, nec operari possunt Angeli in assumptis corporibus.

Summarium q. 56. De resurrectionis causalitate.

1 IN art. 1. & 2. docet S. Doctor, quod Christi Dom. resurrectio est est causa nostræ resurrectionis, non solum exemplarem, sed etiam efficientem, inquantum humanitas est instrumentum diuinitatis, & ad suscitanda corpora nostra, & ad iustificandas animas nostras. Exemplaris quatenus in corpore, & animo conformamur Christo D. resurgenti. Et sic tradit Apost. *Rom.*6. *ad Philip.*3. *ad Eph.*4. & *ad Colos.*2.

2 Quæres 1. an Christus solis bonis meruerit corporum resurrectionem, an etiam malis? Duæ sunt de hac re sententiæ. Prima est, quod Christus D. meruerit omnium etiam reproborum resurrectionem. Colligitur ex illo Apostoli. 1. Cor. 15. *In Christo omnes viuificabuntur.* Et sic tenet Tolet. *in cap.* 11. *Ioan. annotat.*7. allegans Tertull. & N.S.P. Cyrillū. Confirmat ex illo Rom.5. *Sicut per vnius delictum in omnes condemnationem, sic per vnius iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitæ.* Et ex illo, 1. Cor. 15. *Per hominem mors, per hominem resurrectio mortuorum.* Secunda sententia tenet, quod resurrectio impiorum non erit ex meritis Christi, sed diuina virtute. Hanc sententiam tenet S. Doctor *lect.*5. *in cap.* 5. *Ioan.* vbi dicit quod humanitas Christi D. ideo est causa resurrectionis corporum, quia per mysteria quæ in carne gessit reparamur ad vitam incorruptibilem, & postea concludit. *Vita eorum qui vadunt ad condemnationem, non est dicenda vita, sed potius mors æterna.* Et Dionys. Chartus. in illud cap.15. dicit. *Quod impij resurgent, non erit merito Christi, sed diuina eius virtute.* Tum quia merita Christi non se extendunt nisi ad eos mortuos, qui hic eorumdem fuerunt participes; ergo etiam. Tum quia id quod Christus promeruit, est illis beneficium; sed resurrectio damnatorum non est illis beneficium; ergo, &c.

Sed

3 Sed dices, quia Christus D. meruit fidem damnatis, & tamen illis non proderit illum habuisse, sed hoc erit pro maiori eorum condemnatione, iuxta illud 2. Petri 2. *Melius erat illis non cognouisse viam iustitiæ, quam post cognitionem retrorsum conuerti*. Resp. negando paritatem. Licet enim modo non prosit damnatis habuisse fidem, & modo non sit beneficium; profuit tamen tunc quando fidem habuerunt, & tunc fuit illis magnum beneficium. Cæterum resurrectio corporum damnatorum, quando illis datur, non est beneficium, sed cedet ad cumulum damnationis.

4 Vtraque sententia probabilis est, hæc tamen secunda videtur verior, & cõmunior. Vnde ad opposita dico, quod illud. *In Christo omnes viuificabuntur*, explicatur de viuificatione ad gloriam, vt quotquot gloriam consequentur, ex Christi viuificatione erit. Alia facilem habent responsionem, vnde necesse non est immorari.

5 Quæres 2. an Christi resurrectio sit causa meritoria nostræ resurrectionis? Respond. negatiuè, est quidem causa exemplaris, & efficiens, non tamen meritoria, nam nec nos, nec Christus Dom. aliquid meruit post mortem, & sic per suam resurrectionem nihil nobis meruit, ac proinde eius resurrectio non potest esse causa meritoria nostræ resurrectionis corporalis, sed etiam spiritualis. Vnde sicut remissio peccatorum est effectus passionis, & mortis Christi D. ita resurrectio nostra spiritualis, emendatio vitæ, & studium virtutis est effectus resurrectionis Christi, non quidem in genere causæ meritoriæ, sed exemplaris, & efficientis.

6 Quæres 3. quo tempore fiet corporum resurrectio? Resp, quod quando erit completus numerus electorum in superna fælicitate locandus, hoc autem nobis incertum est, cum nulla naturali supputatione inueniri possit, nec Deus voluit hoc patefacere. Pariter incertum est qua hora diei, aut noctis resurrectio futura sit; aliqui putant fiendam esse de nocte, ex eo quod *Luc*. 12. Christi aduentus ad iudiciũ comparetur furi venienti in nocte. Communis tamen sententia tenet, quod fieri debeat in aurora diei, in plenilunio, scilicet Sole in Oriente, & Luna in Occidente consistentibus. Collectio cinerum per Angelos non fiet in instanti, & tempore imperceptibili. Collectis ante cineribus, vnico instanti fiet viuificatio omnium corporum, diuina virtute.

7 Quæres 4. an corpora resurgent cũ sua integritate? Resp. affirmatiuè; vnde resurgent perfecti, cum omnibus suis membris integris, & absque vllo defectu, etiam cum intestinis, quæ in beatis plena erunt nobilibus humoribus. At in damnatis, ignobilibus, & fœtidis. Quicquid autem fuit in corpore de veritate humanæ naturæ, in ipso resurget, quia in statu futuro nulla potest esse imperfectio, præsertim beatorum.

8 Quæres 5. qua statura, quo sexu, qua vitæ qualitate fiet corporum resurrectio? Resp. quod hominis resurrectio debet habere maximam, siue optimam perfectionem, vnde omnes resurgent in ætate perfecta, quæ est circa ingressum ætatis virilis, anno ætatis trigesimo. D. Thomas *in supplem. q.* 81. *art.* 1. dicente Apostolo quod resurrectio fiet in mensura ætatis plenitudinis Christi, quod aliqui extendunt ad annum trigesimum tertium, vt omnes resurgent in ea perfectione quã habuissent in ea ætate, dempto naturali defectu, & hoc eodem modo resurgent illi qui in infantia cum solo originali decesserunt, vt sunt animæ puerorum in Limbo existentium. Non resurgent autem omnes in eadem statura, sed in ea quam habuit, aut fuisset habiturus in ætate perfecta. Vnde Deus temperabit defectum in nanis, & abundantiam in gigantibus, alijsque insolitæ longitudinis, & crassitiæ. In vtroque sexu resurgent, vnusquisque in suo. Vita resurgentium non erit animalis, sicut in hoc mundo, vnde nulla erunt coniugia, neque erubescentia inter vtrumque sexum, non erunt esurientes, neque sitientes, nec vlla aliare naturali huius vitæ indigentes maximè beati.

Quæ-

9 Quæres 6. quænam sint futuræ dotes beatorum resurgentium. Resp. quod quatuor, scilicet impassibilitas, subtilitas, agilitas & claritas. Impassibilitas non impediet motum, & operationem sensuum; nam obiecta illorum non lædent organa, sed perficient. Hinc erunt omnium sensuum actus cum omni lætitia, & perfectione. Vnde quod Christus D. post resurrectioñe manducauerit, & biberit, potestatis, non necessitatis fuit. Habebunt corpora beatorum dotem subtilitatis, vt possint penetrare intima quæque, vnde oculus videbit minima quæque, &c. Habebunt agilitatem, quia velocissimè mouebuntur. Habebunt claritatem, quia fulgida, pellucidaica quæ erant plusque vitrum.

10 Quęres 7. qualia erunt corpora damnatorum. Resp. quod erunt perfecta sine vllo defectu in membris, hæc enim perfectio non minuet, sed potius augebit dolorem quia per hanc perfectionem magis sensibilia reddentur. Erunt incorruptibilia licet habebunt contrarias qualitates, quia cessante motu cæli, qui est prima causa alterationis qualitatum, & ipsa cessabit. Hanc incorruptionem ordinauit Deus vt eorum dãnatio sit perpetua. Non erunt impassibilia, non agibilia, nō clara, sed obscura &c.

11 Quæres 8. quid dicendum de resuscitatis ad hanc vitam; vt de Lazaro, & alijs à Christo D. & ab Apostolis, alijsque ad vitam reuocatis. Resp. & dico 1. quod talis resuscitatus retinet characterem sacramētorum quę accepit, ideoque non baptizatur, nec confirmatur; nec ordinatur denuo. Dico 2. recuperat omnia bona, quæ aut testamento, aut ab intestato alij accuparunt; quia ea reliquit causa mortis duraturæ. Dico 3. non recuperat priorem vxorem, nisi denuo cum ea contrahat quia morte soluitur vinculum matrimonij. *Rom.* 7. Dico 4. non recuperat officia, & dignitates, quas antea habuit, nisi denuo ad eas eligatur; quia morte soluuntur. Dico 5. regularis non obligatur ad priorem professionem, nisi se obligasset absolutè ad regularem vitam in isto loco secus si tantum vsque ad mortem, vt communiter fit.

Summarium q. 57. de ascensione Christi.

1 IN 1. art. ostendit S. Doctor, quod Christus D. conuenienter ascendit in cælum. In art. 2. dicit Christum ascendisse secundum naturam humanam, potest tamen dici quod ascendit secundum naturam diuinam, quatenus fuit causa principalis ascensionis, accipiendo ly *secundum* vt denotat causam ascẽsionis. In art. 3. ait Christum ascendisse propria virtute, & diuina, & humana quam habebat ex anima glorificata. In 4. art. ostendit Christum ascendisse super omnes cœlos. In art. 5. probat ascendisse Christum Do. super omnem creaturam spiritualem, iuxta illud Apostoli ad Ephes. 1. *Deus pater constituit illum super omnem principatum, & potestatem, &c.* idest super omnes ordines Angelorum, vt omnes dignitate, excellentia, & potestate excedat. In art. 6. dicit ascensionem Christi D. esse causam nostræ salutis, scilicet exemplaris, & efficientis, non meritoriæ.

2 Quæres 1. an fuerit conueniens Christum D. ascendere in cælum. Resp. affirmatiuè, tum quia locus corporis gloriosi non potest esse alius quam cælum. Tum etiam quia Christo D. post passionem suam, post plurimas tribulationes post acerbissimæ, & ignominiosæ mortis martyrium, cælestis gloriæ honor, & præmiũ debebatur. Hæc tamen ascensio, nihil glorię essentialis, nihil nouæ beatitudinis attulit, quod antea non haberet hic in terra, attulit tamen aliquid gaudij accidentalis, ex ipsa loci decentia; dici etiam potest, quod accessit manifestatio suæ gloriæ, maiestatis, & potestatis. Ascendens benedixit omnes astantes, eleuatis manibus, formans super eos signum crucis, vt plerique tradunt, inepta namque fuisset manuum eleuatio sine aliquo signo.

3 Quæres 2. qua ratione Christus

D. aſcenderit, an ſecundum diuinitatem. Reſp. negatiuè, diuinitas namque vbique eſt, cælum terramque implens; ac proinde nec ſurſum, nec deorſum moueri poteſt. Vnde quando ſcriptura dicit Dominum, vel Deum aſcendiſſe, exponi debet de Chriſto vt Deo, & homine, qui aſcendit ſecundum naturam humanam. Sicut enim rectè dicitur per communicationem idiomatum: *Deus eſt paſſus, Deus eſt mortuus, Deus reſurrexit*, ita quocumque rectè dicitur. *Deus aſcendit* Non tamen rectè dicitur *Deus deſcendit*, quia natura humana Christi non fuit in cœlo, cum aſſumeretur, deſcenſus ergo Chriſti tantum notat virtutem benignitatis, & humilitatis eius.

4 Sed obijcies, nam eiuſdem eſt aſcendere, & deſcendere, ſed Chriſtus D. ſecundum diuinitatem deſcendit de cælo; ergo etiam ſecundum eandem diuinitatem debet aſcendere in cælum. Minor probatur ex illo Ioan. 3. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcendit*. Et ex illo Ephes. 4. *Qui deſcendit ipſe eſt, & qui aſcendit*. Reſpondit S. D. hic art. 2. ad 2. *quod ipſe idem eſt, qui aſcendit, & qui deſcendit, dicit enim Aug. lib. de ſymbolo: quis eſt qui deſcendit Deus homo; quis eſt qui aſcendit, idem ipſe Deus homo. Deſcenſus tamen duplex attribuitur Chriſto: vnus quidem quo dicitur deſcendiſſe de cælo, qui quidem attribuitur Deo homini ſecundum quod Deus. Non enim eſt iſte deſcenſus intelligendus ſecundum motum localem, ſed ſecundum exinanitionem, qua cum in forma Dei eſſet, ſerui formam ſuſcepit. Sicut enim dicitur exinanitus non ex eo quod ſecundum ſuam plenitudinem amiſerit, ſed ex eo quod noſtram paruitatem ſuſcepit, ita dicitur deſcendiſſe de cælo, non quod cælum deſeruerit ſed quia naturã humanam aſſumpſit in vnitatem perſonæ*. Licet ergo ſit eiuſdem perſonæ aſcendere, & deſcendere; non tamen ſecundum eandem naturam, ſed ſecundum diuerſam. Neque eſt neceſſe, quod tam aſcendere, quam deſcendere intelligatur propriè ſed ſecundum capacitatem eius cui tribuitur; vnde natura diuina, vel perſona diuina dicitur deſcendere ſecundũ metaphoram, & ſecundum effectum aſſumptionis naturæ ſeu formæ ſerui in qua ſe exinaniuit. Vnde Deum deſcendiſſe de cęlo, eſt Deum factum eſſe hominem in terra, ac proinde nouo modo in ea cæpiſſe. Cęterum excedere rationẽ naturę humanę intelligitur propriè, vt ex dictis liquet.

5 Poſſunt etiam illa ſacrę ſcripturę teſtimonia intelligi de aſcenſu, & deſcenſu, Chriſti Dom. ſpirituali, per Dei & diuinorum contemplationem; quaſi dicatur. Merita mihi cæleſtia prædicanti credere debetis, etiam ſi nemo hucuſque tam alta prædicauerit, quia nemo cæleſtia contemplatus eſt, at quæcumque Dei ſunt perfectè colluſtrauit, niſi filius hominis, qui in cælo exiſtit per continuam contemplationem, &c. Sic Ianſenius ibidem.

3 Quæres 3. an Chriſtus D. aſcenderit in cælum motu ſucceſſiuo, an poſtquam nubes ſuſcepit eum abſque tranſitu per medium, poſitus fuerit in ſuprema parte cæli; *Reſp.* probabilius eſſe, quod Chriſtus aſcenderit motu ſucceſſiuo, & continuato, hoc enim eſt conueniens corpori; magiſque decet maieſtatem aſcendentis, & eſt magis conforme ſacræ ſcripturæ, quod Apoſtoli intuerentur Chriſtum in cælo euntem, quod vtique motum continuum ſignificat. Nubes autem dicitur eum ſuſcipere, non quia eum ſuſtentauerit, aut tulerit in cælum, ſed quia ſubduxit ab oculis diſcipulorum, & fuit inſtar vehicoli, ad maieſtatem, & ornatum aſcendentis.

7 Quęres 4: an Chriſtus D. ſit totus extra, ſeu ſupra cęlos vt plantis pedum tangat connexam ſupremi cæli ſuperficiem. Duæ ſunt ſententiæ. Prima eſt, quod ſit ſupra omnes cælos, & videtur conformis multis ſacræ ſcripturæ locis, quæ docent aſcendiſſe ſuper omnes cælos penetraſſe cęlos, eſſe cælis excellentiorem. *Ad Ephes. 4. ad Hebræos 4. & 7.* Et hanc tenet S. Doctor hoc loco. Secunda ſententia eſt, quod Chriſti D. humanitas ſit intra vltimum cęlum, nam

Act. 1.

Act. 1. & in art. ult. dicitur. *Assumptus est in cælum.* Ephes. 1. dicitur. *Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus.* Et act. 3. legitur, Quam *oportet cælum suscipere.* Quocirca cælum vocatur sedes Dei. *psal.* 10. & in oratione dominica dicimus. *Pater noster qui es in cælis*, siue alloquamur Deum patrem, siue Christum Dominum. Hanc sententiā sequitur S. Doctor *in 3. dist. 22. q. 3. art. 3.* vbi sic habet. *Non dicitur Christus ascendisse super omnes cælos, quia extra cælum Empyreum sit, sed quia in altissimam partem cæli empyrei ascendit.* Sic etiam tenent Syluester *in rosa aurea tract. 3. q. 42.* Ricard. Palud. Maior, & Durandus *dicta dist. 22.* Et hæc sententia communior videtur.

Summarium q. 58. De sessione Christi ad dexteram Patris.

1 IN art. 1. docet S. Doctor conuenire Christo sedere ad dexteram Patris; quod conuenit Christo secundū quod est homo, quia quatenus Dei filius non dicitur ab æterno sedere ad dexteram Patris, sed solum dicitur hoc postquā Christus D. ascendit in cælum, ac proinde hęc sessio conuenit Christo vt homini. In art. 2. dicit, quod etiam Christus D. dici potest sedere ad dexteram Dei secundum quod Deus, vt sit sensus, quod habet æqualem potestatem cum Patre. In art. 3. dicit, quod Christus in quantum quod homo dicitur sedere ad dexteram Patris in quantum est assumptus ad potiora Patris bona. In art. 4. dicit, quod soli Christo D. cōueniat hęc sessio non Angelis, aut puris hominibus, quia solus Christus est eiusdem naturæ cum Patre.

2 Quæres 1. quomodo sessio Christi ad dexteram Patris intelligatur? Resp. non intelligi secundum situm corporum, sed de æqualitate beatitudinis gloriæ, dignitatis, & potestatis, in iudicando omnes viuos, & mortuos. *Ad Ephes. 1. & 2.* Et sic sedere Christus dicitur secundum auctoritatem iudicij. Quod autem S. Stephanus cum viderit stantem, signum erat parati ad ferendum auxilium in necessitate. Beati autem in cælo omnes stant, & ambulant coram Deo, quia sedere in inferioribus est iudicium infirmitatis, aut lassitudinis, quæ accidere nequeunt Beatis in cælis. Vel dicas, quod sessio hęc significat quietem fęlicitatis, & stabilem regni possessionem, quam acquisiuit sanguine suo. Dextera significat tum beatitudinem, tum regiam, & iudiciariam, ac plenariam potestatem.

3 Quæres 2. quare cum dextera sit honoratior sinistra ex *Gen. 48. Matt. 25.* & alibi, cur non sequitur, quod Christus Patrem honore antecedit? sed secundum diuinitatem sit Patri æqualis, & secundum humanitatem, sit illo minor? Resp. quod Deo non conuenit sinistra, nec sessio; vnde est sola dextra, quam tenet Christus D. Tum quia tali metaphora non significatur Christum respicere Deum vt sinistrū, sed vt mediū, in excelso, ac regio throno collocatum, cui is qui est honore proximus, ad dexteram assideat. Quomodo est etiam intelligendum illud Psal. 44. *Astitit Regina à dextris tuis, &c.* & *3. Reg. 2.* de Salomone legitur, quod matrem suam sibi ad dexteram collocauit, idest primo, & honoratissimo post Regem loco; vnde occupare locum dextrum, est honoratius, quam occupare locum sinistrum, non tamen quam occupare thronum medium. *Ad Ephes. 1.* dicimur nos sedere in Christo ad dexterā Patris, quia natura humana similis nobis, sedere ibi dicitur.

Summarium q. 59. De iudiciaria Christi potestate.

1 IN art. 1. docet S. D. quod potestas iudiciaria suprema, specialiter, idest secundum appropriationem, tribuitur filio Dei, quatenus talis est. Ioan. 1. *Pater omne iudicium dedit filio*; glossat D. Ambros. lib. 1. de fide cap. 4. *Dedit generando, non largiendo.* In 2. art. dicit, quod potestas iudiciaria conuenit Christo D. secundum quod homo, quod intelligitur de ea quæ est excellentiæ, quæ humanitati cōmunicata est propter vnionem hypostaticam. In art. 3. ostendit Christum D. habere

bere ex merito iudiciariam potestatem, quantum scilicet ad vsum qui erit in extremo iudicio, & quantum ad manifestationem, quæ cœpit ab eius resurrectione. In art. 4. ostendit potestatem iudiciariã Christi extendi ad omnes res humanas, quia omnes ordinantur ad finem beatitudinis hominis. In art. 5. dicit restare iudicium generale. In art. 6. dicit, quod etiam Angeli à Christo D. iudicabuntur, quoad præmium, aut pœnam accidentalem.

2 Quæres 1. quomodo intelligatur illud Ioan. 5. *Pater non iudicat quemquam?* Resp. intelligi hoc modo, quod non solus, idest, non sine filio iudicat. Vel Pater in extremo iudicio non iudicat quemquam sensibiliter, sed omne iudicium sensibile dedit filio secundum humanitatem; iuxta illud Ioan. 5. *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.*

3 Quæres 2. an cõuenienter potestas iudiciaria sit data Christo? Resp. affirmatiuè, ex appropriatis filio Dei, nam etsi potestas iudicandi sit communis toti Trinitati, tamen quia filius dicitur sapientia Patris, & veritas ab ipso procedens sequitur, quod iudiciaria potestas ipsi debeat appropriari; cum enim in iudicio requiratur veritas quàm sapientia dictat, sequitur quod illi rectè approprietur, cui sapientia, & veritas appropriantur. Quocirca Pater per filium tanquam per suam sapiẽtiam, & veritatem iudicat, & hac ratione rectè dicitur, quod Pater ab æterno omne iudicium dedit filio, & etiam idem dedit in tempore Christi ratione humanitatis, quantum ad potestatem excellentiæ, vnde quando dicitur, quod Pater, & Spiritus Sanctus iudicent, intelligi debet absolutè, vt conuenit toti Trinitati.

4 Quæres 3. an conuenienter iudiciaria potestas sit data Christo vt homini quoad rationem potestatis excellentiæ? Resp. affirmatiuè, tum ex Christi dignitate, & excellentia, qua est caput Ecclesiæ, habens omne dominium, & iurisdictionẽ in vniuersum humanũ genus; capitis autem, & Domini est iudicare membra, & inferiora. Tum vt per hominem homines iudicarentur ne quærerent excusationis occasionem. Tum quia cum Deus per Christum omnes suscitet, & viuificet, ita per eundem omnes iudicet. Tum etiam quia vt ne mali in iudicio videant diuinitatem, sed tantum humanam Christi formam, in qua eum despexerunt.

5 Quæres 4. ex quibus causis Christus D. habeat potestatem iudiciariam? Resp. ex sequentibus. Primò ex meritis, saltem quoad vsum in iudicio particulari, & extremo. Secundò ex gratia vnionis, ex qua cum sequatur regia dignitas, etiam sequi debet iudiciaria potestas. Tertiò ex gratia capitis, ex cuius plenitudine omnes accipiunt. *Ioann.* 1. Quarta ex gratia habituali, qua excellit omnes homines, vt de ipso verè dicatur. *Spiritualis omnia iudicat, ipse verò à nemine iudicatur.*

6 Quæres 5. an Christus D. habeat temporale aliquod dominium? Resp. affirmatiuè, nam vt Deus est Rex, & Dominus spiritualiter pariter, & temporalis omnium rerum, quæ cælo, terraq; continentur; *omnia* namque *per ipsum facta sunt.* Ioan. 1. & ab ipso in nihilum redigi possunt. Vt homo, propter opus consumatum redemptionis, est vnicus, solusq; Rex cælorum, & Dominus, ex quo meruit potestatem in omnem creaturam, vt eas ordinet, instituat, dirigatq; ad bonum electorum. Habet vniuersalem iurisdictionem spiritualem in omnes Ecclesiasticos, & Politicos, vt eis viuendi, agendiq; leges præcipiat, & secundum easdem iudicet: obedientibus præmia, rebellibus pœnas decernit, omniaq; temporalia in finem spiritualem dirigit, & ordinat. Hinc Psal. 2. dicitur. *Ego autem constitutus sum Rex super montem sanctum tuum.* Et Matt. 28. dicitur. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Et Psal. 44. legitur. *Regnum tuum regnum omnium sæculorum.* Et Isaiæ 33. habetur. *Dominus iudex noster, Dominus legifer noster. Dominus rex noster, ipse saluabit nos.* Non fuit tamen Christus D. rex hæreditarius regni Israel, quod à stirpe Dauid descendit, quia illud regnum in eius aduentu iam erat extinctũ, & à Gentilibus occupatum, quippe Iudæi tunc subiecti erant Cæsari Romano. *Luc.* 2. & 20.

& 20. & *Ioan.* 19. qua ratione dixit. *Regnum meum non est de hoc mundo, &c.*

7 Quæres 6. quotuplex sit iudicium Christi in homines? Resp. quod duplex, vnum in præsenti, aliud in futuro. Iudicium in present exercet partim per Ecclesiam, & omnes iudices in terris. Et partim per se ipsum mox post mortem vniuscuiusque hominis, & vocatur iudicium particulare, de quo Apost. *ad Hebræos* 9. Et colligitur ex parabolis de distributione talentorum, & de decem virginibus. *Matt.* 20. & 25. Et ex illo Psal. 142. *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine.* An autem hoc iudicium particulare fiat immediatè per ipsum Christum D. an per Angelum custodem, est opinionum diuersitas. Hoc mihi certum videtur, quod ipsa anima in ipso separationis instanti cognoscit suum statum, an scilicet sit digna morte æterna, an vita æterna, & sibi met ipsi sententiam mortis, aut vitæ dicet, nisi aliunde intimetur.

8 Quantum ad iudicium futurū, quod faciet Christus D. in nouissimo die, vbi fiet discussio, iuxta dicta *Matt.* 11. 12. 13. 19. & 25. & *Ioan.* 5. & 12. 1. *Cor.* 4. 2. *Cor.* 5. & alibi. In hoc iudicio Christi nouissimo omnia erunt quàm optimè ordinata, quoniam Christus D. veniet in forma humana, cum maiestate magna. *Matt.* 24. & 25. *Marc.* 13. *Luc.* 24. Fiet hoc iudicium extra cælum, quoniam non cognouit quod impij erūt in cælum vt iudicentur, sed fiet in valle Iosaphat, quæ est sub monte Oliueti, vbi Christus D. ascendit in cælum. Super hanc vallē apparebit Christus D. in aere gloriosus, cum splendidissimo comitatu. Homines iudicandi stabunt in ea valle, & circumcirca. *Ioelis* 3. Nubes quæ tunc apparebunt non erunt veræ, quia tunc nullæ esse poterunt, post vniuersalem conflagationem, sed erit aer condensatus virtute Christi, ad eius gloriam manifestandam. Fiet autem hoc iudicium secundum opera hominū quæ fecerunt *Matt.* 25. *Ioan.* 5. 2. *Cor.* 5. Fiet fine examine, quia vnumquemq; sua conscientia accusabit, aut excusabit. *Rom.* 2. 1. *Cor.* 4. & alibi.

9 Quæres 7. quomodo iudicij sententia proferetur à Christo iudice? Resp. quod proferetur clara voce, vt ab omnibus audiatur. Ad bonos dicetur. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est à constitutione mundi, &c.* Ad impios dicetur. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, &c.* Matt. 25.

10 Quæres 8. quinam sint iudicandi in nouissimo die? Resp. quod etiam Apostoli iudicabuntur. 1. Cor. 6. vbi Sanctis hominibus tribuitur iudicium de Angelis, ac proinde eos ipse Christus iudicabit. Etiam Angeli iudicabuntur, tum quia Christi humanitas ratione gratiæ vnionis propinquior est Deo, quā Angeli. *Hebr.* 2. Tum quia Angeli à Christo vt homine accipiunt aliquas illustrationes, & reuelationes. Tum etiam quia Christus D. vt homo exaltatus est super choros Angelorum, vt ipsi eum adorent, & colant. *Ad Philip.* 2. & *Apocal.* 7. Præterea Angeli sunt Ministri Dei in ministerium nostrū missi, &c. Modus autem iudicij, quod in Angelis exercet in tribus cōsistit; primò quia ipse vt homo disponit Angelorum ministeria; & cohibet malus ne plus noceant. Secundo quia est causa Angelis multiplicis gaudij accidentalis, quod concipiunt ex peccatorum pœnitentia, seu conuersione, &c.

11 Quæres 9. quibus ex causis conuenit fieri iudicium extremum? Resp. ob sequentes potissimè. Prima, quia homines morientes sæpè bonorum, aut malorum post se causas, vel exēpla relinquunt, de quibus non possunt in primo iudicio satis iudicari, vt tunc Parentes, Magistri, Pastores, Magistratus, & omnes superiores, & quot quot bonum, vel malum exēplum, seu occasionem peccandi reliquerunt, vt inter Religiosos qui fuerunt causa alicuius relaxationis in regula, aut in aliqua bona consuetudine.

12 Secunda causa, vt piorum merita cum laude, & impiorum peccata cum cōfusione, toti mundo innotescant. Tertia, vt Christi D. triumphus de deuictis suis inimicis, morte, diabolo, omnibus infidelibus, ac impijs, qui nolint, velint, diuinā maie-

maiestatem, dignitatem,& potentiam, cōfiteri, ac reuereri debeat, illustrior appareret. Quarta,vt iusta ostendatur damnatio multorum, qui hic in terris simularunt pietatem, & sanctitatem, occultantes prauas affectiones, & operationes, quæ tunc manifestabuntur. 1.*Cor*.4. Quinta,vt fieret vniuersalis segregatio bonorum, & malorum; velut tempore messis, zizania separatur à Tritico. Sexta, vt nonnullum etiā fieret iudicium de corporibus resurgentium, quatenus ea simul cum suis animabus, bonum,aut malum operata sunt,dum viuerent. Septima, quia nemo iudicatur de malis futuris, donec fiant, nec bis de ijsdem iudicatur, vnde cum mala futura non potuerint iudicari in primo iudicio particulari, debuit fieri iudicium vniuersale, vt omnia iudicentur.

13 Quæres 10. quinam futuri sint assessores in die iudicij, ad iudicandum cū Christo? Resp. quod Apostoli sedebunt cum Christo. *Matt*.19. Deinde alij viri sancti, & perfecti, qui paupertate secuti sunt Christum D. seu qui opera vitæ perfectioris exercuerunt. Vnde Apostolus de se dixit quod etiam Angelos iudicabit. 1. *Cor*.6. S. Doctor *in supplem. q.*89. *art*.2. *ad* 1. specialiter communicabitur potestas iudiciaria pauperibus spiritu, vel quia paupertas ista non admittit corruptionem veritatis iudicij per appetitionem ac receptionem munerum,vel quia præ alijs pauperes spiritu in hac vita submiserunt se,sectantes omnia humilia,ideo merentur pre alijs in futura vita exaltari. Vel denique quia pauperes spiritu sunt expeditiores ad percipiendam iudiciorum Dei veritatem, spinæ diuitiarum suffocant. *Luc*.8.

14 Quæres 11. an Angeli assidebunt Christo iudici? Resp. negatiuè,quia Christus D. iudicabit in forma humana, vt ab omnibus videri possit, proindeq; & assessores assimilari ei debeat in natura, vt pariter possint cum iudice ab omnibus videri. Aderunt tamen Angeli in illo iudicio, vel vt testes humanarum operationū presertim eorum quorum custodiæ fuerunt deputati, vel vt approbatores sententiæ iudicis D.Th. in supplemento *q*.8*9*.*art*.3.

15 Quæres 12. quonam modo assessores iudicabunt? Resp. quod vel iudicabunt per comparationem meritorum.Cum enim media ad bene operandum, & merendum vitā æternā omnibus parata fuerint, sequitur, quod pia facta bonorum quodammodo testificabuntur,& quodammodo argueat eos qui ea neglexerūt. Qua ratione Christus D. arguit Iudæos ex pœnitentia Niniuitorum Gentilium. Et ex studio Reginæ Saba. *Matt*.12. Vel assessores dicentur iudicare, quatenus assentientur iudici, eiusque sententiam approbabunt. Et hac ratione omnes electi iudicabunt cum Christo, iuxta illud Sap.3. *Iudicabunt Sancti nationes*. Vel dicentur iudicare ad modum assessorum humanorum, quatenus cum quadam eminentia super alios assidebunt; & hic est modus communis loquendi. Placet, quod aliqui dicunt, quod eatenus pauperes spiritu dicuntur in iudicio assidere iudici, & cum eo iudicare, quatenus omnibus manifestabunt veritatem, atque iustitiam latæ sententiæ; in ipsorum namque animabus velut in quibusdam libris, omnes iudicandi legent rationem sententiæ à Christo Domino latæ.

16 Quæres 13. quare solorum operum misericordiæ mentio fiet in extremo iudicio, cum tamen de omnibus operibus, imò & de omni verbo otioso fieri debeat iudicium? Resp. quod hoc factum est ob necessitatem præcepti de proximo diligēdo, cuius tanta virtus est apud Deum, vt Apostolus Paulus dixerit Rom.13. *Qui diligit proximum legem impleuit*. Et Apostolus Ioan. dicit: *Qui non diligit manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum odit, mendax est*.

17 Quæres 14. quinam sit futurus rerum status post nouissimū iudicium? Resp. quod duplex erit omnium rerū finis. Vnus consumptionis, alter consumationis. Quātum ad finem consumptionis, dico quod tunc cessabunt omnia spectantia ad humanas necessitates, & sic cessabunt potestates, & officia: cessabunt virtutum, ac vitiorum merita: cessabit temporum successio:

sio: cessabunt generationes, & corruptiones: cessabunt omnes motus, etiam cælorum, syderumque cursus, & cuncta huc pertinentia. Quantum ad finem consumationis, seu perfectionis, dico, quod omnia perpetuò duratura cõsumabuntur, seu perficientur; vnde consumabitur beatitudinis status: consumabitur infernus, qui in perpetuũ claudetur. Et consumabuntur pręcipuæ mundi partes, vt dicatur, quod tunc erit cælum nouum, & terra noua, id est consumata, seu perfecta, & redacta ad suã perfectionem cum cæteris elementis. Et hæc de Verbi diuini incarnatione, vita, operibus, & miraculis Christi D. item de eius sacerdotio, sacrificio, passione, morte, resurrectione, ascensione, & iudiciaria potestate. Cui sit honor, gratiarum actio, maiestas, & gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

LAVS DEO.

RERVM

RERVM VERBORVMQVE INDEX.

Prior nu. Disp. secundus numerum marginalem.

A

B

Chri-

C

D

Ma-

M

N

O

P

FINIS.

REGE-

REGESTVM.

† †† ††† ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm Nnnn Oooo Pppp Qqqq Rrrr Sſſſ Tttt Vuuu Xxxx Yyyy Zzzz.

Aaaaa Bbbbb Ccccc Ddddd Eeeee Fffff Ggggg

Omnes ſunt Duerniones, exceptis ††† quod eſt dimidium folij, & Ggggg quod eſt Ternio.

ROMAE,

Excudebat Philippus Maria Mancinus. M. DC. LXVII.

SVPERIORVM LICENTIA.